

2 400 40  MADE IN SPAIN

R. 3251
De Collegio de la Comp. de J. de J. de J. de J.

Be

OPERA THOMAE

à Campis, cognomento Malleoli, viri pientif-


SIMI ET RELIGIOSISSIMI SVB CA-

none diui patris Augustini, aucta, & diligentius

recognita, suaque serie reposita.

Quibus hac editione accesserunt aliquot tractatus, ad vitæ spiritualis
perfectionem mirum in modum facientes, quorum
catalogum tergum huius indicabit.

Sacra scriptura citationibus, suis vbique locis nunc primùm commodè adie-
ctis, amplissimisque rerum maximè illustrium Indicibus.



PARISIIS

Apud Ioannem Roigny, via Iacobæa sub insigni
quatuor Elementorum.

M. D. XLIX.



CONTENTA IN HOC OPERE.

Epistola ad D. Episcopum Baionensem. fo. clv.
 Index. fo. clxix.
 Epistolæ commendatiuæ. fo. proximo
 Thomæ Malleoli à Campis authoris huiusce-
 modi operum vita. fo. subsequenti.
Opera eiusdem.
 De imitatione Christi libri duo. Nam secun-
 dus & tertius in vnum contracti sunt, eò q
 eiusdè farraginis: & quartus alterum sorti-
 tur titulū. prior incipit fo. i. posterior fo. x.
 De sacramento altaris liber vnus, qui quartus
 habebatur de imitatione Christi, incipit
 fol. xxiiii.
 De disciplina claustraliū libri quinque. nam
 quatuor superadditi sunt studio religiosif-
 simorum patrum Cælestinorū Villæ nouæ
 apud Suesionem. Primus incipit fo. xxx.
 Dialogus nouitiorum incipit fo. xlvi.
 Doctrinale & manuale iuuenum. fo. xlix.
 Libellus de fidei dispensatore. fo. lii.
 Libellus de vita solitaria. fo. lviii.
 De silentio. fo. lxi.
 Libellus de paupertate, humilitate & paciētia,
 dictus etiā de tribus tabernaculis. fo. lxxiii.
 Libellus de vera compunctiōe. fo. lxx.
 Hortulus seu Ortulus Rosarum. fo. lxxii.
 Vallis liliorum. fo. lxxviii.
 Cōsolatio pauperū & infirmorū. fo. lxxxvii.
 Epitaphium seu enchiridion monachorum.
 fo. lxxxviii.
 Vita boni monachi. fo. lxxxix.
 Manuale paruulorum fo. xc.
 Hospitale pauperum. fo. xci.
 Soliloquium animæ. fo. xcvi.
 Sermones ad nouitios. fo. cxiii.
 Sermones ad fratres. fo. cxlix.

Epistolæ morales & exhortatoriæ. fo. clv.
 Vita venerādi patris Gerardi magni. fo. clxix.
 Vita venerabilis sacerdotis Florentij discipu-
 li Gerardi, sed primi collegij regularium cle-
 ricorum qui nunc Fratres dicūtur, instituti-
 toris. fo. clxix.
 Vita plurimorum discipulorum eorundem,
 sanctitate & religione præstantiū. fo. clxxix.
 Alphabetum monachi. fo. cxci.
 Canticum de laudibus sacrarum virginum, &
 cælestium spirituum ac virtutū. fo. cxci.

Opera additua.

Opusculum de meditatione cordis, M. Ioan-
 nis Gerfonis Cæcellarij Parisiensis. fo. cxcv.
 Fragmentū de meditatione mortis. fo. cxcvi.
 Tractatus alter de eadem. fo. cxcviii.
 Speculum peccatoris de quatuor nouissimis
 memorandis. fo. cxci.
 Carmen de illustrium virorū morte. fo. ccii.

Recens addita.


Sermonum & exhortationum Ioānis Trite-
 mi abbatis Spanhemensis ad monachos, li-
 bri duo. fo. iii.
 De disciplina monastica libellus ex quatuor
 tractatulis D. Bernardi cōpositus. fo. lxxvii.
 De vita spiritali, D. Vincentij prædicatorii
 ordinis libellus. fo. lxx.
 Impedimenta ad perfectionem contendenti-
 bus occurrentia. fo. lxxviii.
 Scala graduum perfectionis. fo. lxxix.
 Regulæ duæ siue fraternitas discipulorum
 Christi. fo. lxxx.

Quibus omnib⁹ index etiā suus præmissus est.

Reuerendo

Reuerendo in Christo patri & domino, do-

MINO STEPHANO PONCHERIO BAIONENSI
 episcopo, supplicum libellorum in Regia magistro, Escimontij domino, ac cœnobij Cæ-
 lestinorum patrum inibi nuperrime institutori, F. Gabriel Putherbeus Fontebraledus, cum
 omni veneratione S.



V M nuper me Ioannes Roginius, bibliopola apud Lutetiam fidelissimus,
 rogasset, Præful ornatissime, meam sibi operam vt darem ad recognoscē-
 da Thomæ Campensis viri olim citra controuersiam inter paucos reli-
 giosissimi iuxta atque pientissimi monumenta, quæ propediem prælo cō-
 missurus esset, haud quidem grauātē huic negotio institi, eoque adeo lu-
 bētius, quod & ad institutum nostrum mirum in modum facit, & quæ mo-
 nachisimum sapiunt, ab omnibus fere iam hac ætatē reiciuntur, præsertim
 nisi orationis delicias circūferant, nisi bullatis vndique nugis turgeant, ac nisi lenocinia om-
 nia, nisi omnium gratiarum & lepōrum narthecia in dicendo persequantur, effundant, exhau-
 riant, spectantibus potius quomodo quis quā quid loquatur. Nam in veritatem siquando
 imprudentes impegierint, simul agnitam simul oderunt: eò non tantum non inquirunt, sed
 & forte repertam & obuiam auerantur, explodunt, proscindunt: Cuiusmodi quidam ex iis
 qui hac infelicissima tempestate fidei sacramentū irritum fecere, & ex monachis theomachi fa-
 cti, ac post concupiscentias carnis suæ abeuntes, deum mundo mutauerunt, postquam ex mo-
 desto in speciem monacho, monachorum pater factus, haud multo post & monachum & pa-
 trem exiisset. Thomam nostrum, quod contrā quā ille concupisceret, omnia semper nun-
 tiaret & moneret, ē publica cœnobij Bibliotheca exclusisse dicitur, canonicus canonicum, &
 regularis regularem (istoc enim titulo professionem ornant suam) fortassis etiam offensus sim-
 plicitate dictionis, quā velut ex professio & de industria sectatus videri potest vir ille, sancti-
 tatis, dum vixit, ac virtutis veræ custos rigidusque satelles, phalararum ac mulcedinis in scribē-
 do incuriosus, vt qui pulchrē nosset veritatis simplicem esse orationem, mallētque paulo ru-
 sticius, modò vere, id quod erat, efferre, quā fūco aut dolo imponere, aut inani facundia ster-
 rilique, lectoris vel animum retinere, vel eblandiri fauorem. Neque enim (vt scripsit Theodo-
 ritus Cyrensis episcopus) eloquentiā magnopere moratur aut requirit preciosa veritas. Quin-
 etiam veritas ipsa euangelica, perinde atque ædes marmorea, non nisi agrè recipit rectorium,
 hoc gratior, quò minus fuci habet. Periculis orationibus elaboratis & luculentis nihil se com-
 moueri inquit Alcibiades apud Platonem, sed Socratis verbis nudis & simplicibus, quibus, e-
 riam si nihil minus sint quā diserta & composita, rapi se in furorem affirmat, extra se poni,
 & velit nolit faciendum sibi, quod ille præceperat. An non sacris literis, sacris sibi etiam viris Ma-
 gnetem suum inesse credas? Quid ille dininæ eloquentiæ torrens vberimus Paulus, imperitus
 sermone, sed nō scientia, nonne arma militiæ christianæ scribit carnalia non esse, sed potentia
 deo ad destructionem munitio & consiliorum, & omnis altitudinis extollentis se aduer-
 sus scientiam dei? Nonne se nequaquam venisse ait in sublimitate sermonis aut sapiētia, neque
 sermonē aut prædicationem suā persuasibilem humanæ sapientiæ verborum præsidio arma-
 tam fuisse, sed manifesta spiritus dei que virtute, in qua regnum dei esset, non in sermone? Gra-
 tias agebat deo, q̄ omnium lingua loqueretur, nimirum pluris faciens quod caperetur ab om-
 nibus, domestica cuilibet lingua & eadē impolita loquens, quā si exotica eloquentia suffar-
 cinatus, aliquot tantum vanè eruditus expositus esset, rudem autem plebeculam, cui in primis
 prospectū oportuit, lateret. Linguarū cognitio apostolis necessaria fuerat, nō fuerat eloquentia
 ad persuadendā mundo mūdīq; sapiētibus cælestē sapiētiam, tam nouā, tam de facie austerā &
 acerbā, cumq; rationibus, sensib⁹ & receptis opinionib⁹ *ἡς διὰ πᾶσων* pugnātē. Neq; hæc per-
 suasio (alioqui nō postrema artis oratoriæ pars, immo scopus oīs) in hac nostræ salutis felicita-
 tīsq; summa, ex verbis cōpositis, mellitīsq; tinnuli sermonis sterculis pēdebat, aut tandē etiā cō-
 stitit, verū ex virtute spirit⁹ Christi, vnde abūde nobis verba vitæ æternæ suppetūt. Quin & ipse
 Christus verba quæ loquebatur apostolis, planè asseuerabat spiritū & vitam esse. Et Paulus Co-
 rinthios aliquāto mali tenaciores rogabat, an experiri vellēt, nū in se Christus loqueretur. Nō
 itē poterāt Iudæorū primores resistere spiritui qui in Stephano loquebatur. Hoc erat illud os,
 hæc illa sapientia, quā pollicitus fuerat se suis dominus daturū, tam firmam, tamque viribus
 subnixam, vt nullus posset ei aduersariorum obluētari. Non erat illa sapientia verbi, siue
 sermonis humana eloquentia, quæ verbis tantum constat, & crucis vim tantū abest vt promo-
 ueat, vt etiā eleuet. Tota laus facti, tota mundi vniuersi per despectam & ignominiosam crucē

Thomæ
 Cæpensis
 opera
 quidam
 abbas &
 Biblio-
 theca cō-
 muni ex-
 cludit.

Eloque-
 tia non
 magno-
 pere in
 libris ac
 scripto-
 ribus sa-
 cris desi-
 derada.
 2. Co. 10.
 2. Co. 11.

1. Cor. 2.
 1. Co. 4.
 1. Co. 14.

Persua-
 sio fidei
 ex spiri-
 tu ac ve-
 ritate
 dei, non
 ex facun-
 dia ser-
 monis.
 Ioan. 6.
 2. Cor. 13.
 Acto. 7.
 Luc. 24.

Epistola nuncupatoria

Sua test
& pietati elo-
quentia. Christi innouati ratio, deo fuerat transcribenda. Quanquam non deest & sua piis viris fa-
cundia. Habet & pietas suam verborum pompam, habet suum ornatum, suas in sermone venteres,
laucias & delicias, suam inquam flexanimam Pitho, quae longe plus virtutis habet, quam rhe-
torum omnium officia & *σχηματα*. Hi enim tantum homines, illi & deum sectant, tanto plane
potentiores, quanto maior & augustior homunculo deus. Ut pie dicant, & dicendo ipsissima
veritatis vi trahant, vinciant, rapiant, omnibus modis enituntur: ut eloquenter & facunde, ni-
hil laborant. Veritatis & salutis oratio, spiritu occulte afflante, venerationem quadam & ma-
iestatem animis obicit auditorum, nihil molle sonat aut fractum, nihil non virile & masculum,
non luxu diffluit, simplici & aperto alueo labitur, at confragosos interim montes a radicibus
deiciit, rupes horridas & saxa praegranda disilire cogit, comminuit, dispergit. Id quod testatis-
simum reddiderunt duo illi in concilio Niceno, sermone haud quidem facundi, caeterum fi-
ducia in deum ac pietate sincera fecundissimi, qui aduersariorum conatus & arietes aduersus
fidem tam nullo negotio fregerunt, quanto illi sese parasse & crexisse considerant. Tantum vi-
rium habet spiritus illius diuini veritas, quae (iuxta Lactantium) in auditorum animos influit
potentius & vi sua instructa, & luce orationis ornata. Illa sunt demum, quae persuadere certo
possunt, vita dicentis, veritas rei, & sobrietas orationis. Vita Thomas noster quam vndeque
probata & inculcata fuerit, & monumenta illius satis probant, (quis enim sic loquutus vnquam
fuisset, qui non facta coequeasset verbis?) & Iodoci Badij Ascensij de vita illius scriptus commē-
tarius liquido commonstrat. Quanquam enim Badius fortassis videbitur non nihil patriae, non
nihil item indigenis concessisse, tamen integritatem viri & pietatem a teneris vsque vnguiculis
ad vitæ calcem vno & perpetuo tenore deductam describens, nihil omnino neque falsus est
neque fefellit. Conscientiam hic appello omnium, quorum vel per transfennam opera illius
legere sustinuerint. Porro quam digna scribat, & quam vera, omnibus est in confesso. Ut enim
peculiariter styllum occupet in iis quae ad conditionem vitæ cui se addixerat, pertinerent, tam-
en quis non sparsim plurima offendat omnibus ordinibus mirum in modum conducentia
ad euadendum in eam, quam omnes pariter christiani collimamus, metam? Quod autem ad
sobrietatem orationis & dictionis puritatem attinet, possem hic excusare iniquitatem tempo-
ris, quo humaniores literae propter diuturnos bellorum vbique grassantium, & in dies magis
magisque gliscitiam tumultus ac strepitus, propè conspultae videbantur, adeo Vuandali, Hū-
ni & reliqui humanitatis omnia passim occupauerant, pessum dederant, & suis stridoribus
conspurcauerant. Atenim in nostro Thoma quis tam vel obesa naris, vel perfreta frontis,
ut castam Latinitatem, ut puram venustatem, ut facilem & velut naturalem ornatum desi-
deret? Quis non breuitatem styli admiretur foetam rerum multarum atque magnarum? quis non
sub expositis verbis remotissimas sententias? Ore presso atque rotundo loquitur, nullis salebris
audiu remoratur lectorē, ne non tantum melle reliquis primo gustu experiatur. Oratio nusquam laci-
niosa, nusquam implicita, sed facilis, amœna, oblectans. Vrget similibus, impellit contrariis, quocumque
velit metaphoris suauibus ducit. Similibus domi natis ludit, & veluti pascit ac recreat. Atque
(ut Spartam, quam nactus fuerat, ornaret) quae ad monasticas absolutissimam perfectionem per-
tinent, omnia tractauit sic, ut qui olim vnquam, tum diligentissimè, tum copiosissimè: neque
temere aliquando vnquam extitisse quenquam existimauerim, qui pari genio similique gratia
& dexteritate ita mandauerit literis suas de monachismo cogitationes, ita disposuerit atque illu-
strauerit, ut delectatione simul alliceret, & profectu non aestimando retineret lectorē. Eant nunc
morosuli isti lectores, & in sacris autoribus celestium affectuum plenissimis reprehendant, quod
non sit vsque cultissimus sermo, quod lecythis atticis non distillet. An non verò faciunt tan-
tundem, atque si cuius de moribus docentis aut laxo calceo aut dissidente tunica offendantur,
& sectum prauè stomachentur ob vnguem? Philosophus si afferat eloquentiam, non asperror,
(aiebat Cicero) si non habet, non admodum flagito, tantum rebus & doctrinæ contrariis satis. Scie-
bat natura prouidus homo, viri honesti esse componere mentem, non dictionem: curare ne
quid aberret ratio, non oratio. Discant illi, quod est vestis corpori, hoc esse ori sermonem. Ne-
que enim corpus minus salubriter tegitur vili veste & heteromalla, quam bysina aut Attalica,
ita & impositus sermo non minus exprimit sensa cordis, quam qui omnis orationis dotes cō-
plectatur. Indisertam malebat ille prudentiam, quam stultam loquacitatem: nec quaerimus in
pecunia, qua moneta percussa sit, sed qua materia constet: nec est qui aurum obryzum non ma-
lit habere sub nota Theutonū, quam sub Romano symbolo factiui. Atque hoc est aurū quod
nobis Theutones miserūt purum putū, velut Hirā rex Tyri ad ornamentū & decus domus do-
mini. Hæ sunt peregrinae gazae, hæ exoticae gemæ, quibus nostra superbiat triumphetque Gallia.

Iam

Ad D. Episcopum Baionensem.

Iam autem quum hac editione exeat Thomas noster & nitidior & auctior quam pridem,
cui potius detur, dicatur, deditur, quam ei, qui domum domini hoc eodem anno ædificauit,
consecrauit, dedicauit, contempra magno animo noui exempli inuidia? Nam quid hac deplo-
ratissima tempestate rariius, quid magis nouum, quam vel adicere quenquam animum ad me-
ditandum templi alicuius diuini extructionem, quum iam non Martis tantum violentia, sed ho-
minum etiam insanis cupiditatibus domos deo deuotas negligi, supulari, eueri, solo æquari
videamus? Tu non meditatus modo es, sed re auibz prosperis coepta non conqueisti, nisi per-
acta omnino, nihil deterritis obstreperis diuersa suadetium vocibus, nihil immensis sumpti-
bus, nihil patrimonij iactura, quod alioqui opimum atque splendidissimum cum acceperis a
parentibus, totum tantum non infumis, ut domino domum accures, ut laudum diuinarum li-
turgiam aliubi conuulsam, aliubi instares, ut pauperes Christi de tuo alas, ut parentibus tam
vita functis, quam superstitibus profuturas preces instituas. Hæc enim voti summa tui est, re-
uerende præsul, hunc vnicum præfixisti tibi scopum templi domino fabricandi, sicuti diploma
publicum in hoc a te confectum (cuius apographum his oculis vidi) planum facit. Quid autē
dixi te domum domino ædificasse, ac non potius domos complures, qui tam amplum cœno-
bium construxeris, in quo quot ædes, quot sacella, quot diætas crexisti, tot templa deo sacra sit?
Ecquis enim locus in cœnobio, vbi iuxta canonem ab initio præsumptū & præscriptum per-
tinaciter viuatur, non perstrepit laudibus diuinis, non votis ad deum piis resonat, non sacris &
rationalibus immolationibus inseruit? Eam ob rem quum omnes monachorum familias, vi-
tæque singularum ordinem diutius animo lustrasses, inter admodum paucas quæ a prisco san-
ctioris instituti modo paululum exciderint, vnam tibi Cælestinorum, quos vocant, delegisti, ex
qua velut coloniam emittendam exorares in Eschimontianum tuum, ex qua veluti ex alueo
apum examen ad mellificium educeres, vel potius ex exercitu instructissimo alam aut præsidium
militum fundo tuo propugnando acciperes, sanè veteranos milites, & quasi quosdam triarios,
longo armorum vsu exercitatisimos, & pugnis difficillimis agnitos, quibus præter hæreditarij
nominis rationem, quam a diuo Petro Cælestino summo olim pontifice (deus bone, quam ra-
ræ sanctitatis homine?) sui instituti principe habent, iure etiam Cælestinorum nomen inditū
est, propterea quod incumbente hoste, oculos docti sunt, si qui vsquā alij, porrigere in montes,
vnde veniat auxilium illis, & leuare animos ad deum, qui habitat in caelis. Illic enim cor habet,
vbi desiderium: illic oculus, vbi amorem. Siquidem illic oculus, vbi amor, sicut vbi dolor, ibi
manus. Ibi conuersantur, vbi sibi sedem perpetuam delegerunt.

Mente adeunt caelos, & quæ natura negauit

Visibus humanis, ea mentis lumine cernunt.

Hoc autem etymon quanuis reuera propriū illis sit, ut qui animo toti in res caelestes suspensū
terrestria iam omnia minimum curēt, tamen nisi iam inde a principio ita audiissent, Cælesti-
nos hodie quoque appellarem alias ob causas. Ut enim cælum etiam quadatenus atque nonnul-
lis sui partibus mutet locum, tamen idem perpetuò consistit, atque ex quo conditum est, æter-
no & irrequieto ambitu, ut Plinij verbis vtatur, volui desit nunquam, neque ab eo ad quod crea-
tum est munere destitit, quin & solem interdum, & noctu lunam & stellas, statim videlicet tem-
poribus, hætenus semper miseris mortalibus repræsentaret: sic huius caelestis familiae nonnullos
neceffe est aliquando & desinere apud superos esse, & tranuersos non nihil ferri, at idē perpetuò
corpus magna spes est constiturum, nec a suis vnquam muniis, quibus hætenus non minori
virtute quam laude institit, discessurum. Neque olim futurum est, ut ex hoc diuino cōtuber-
nio non prodeant semper innumeri nullo non sanctitatis genere ornatissimi, qui virtutum
radii, quotquot contigerint, illustrent: tamen quemadmodum cælum nobis celat mira & in-
suetis oculis hominum, nempe spiritus, ut ita dicam, deificatos, siue, ut iam loquuntur, deiformes,
& beatas illas substantias, a fece nostrarum ærumnarum separatas, ita fodalitas illa velut
equus Troianus innumeros celat & regit beatissimos spiritus, quorum defecatis & incontra-
minatis precibus ad gratiam & fauorem dei demerendum, ad pietatem & salutem orbis christi-
anus iuuatur quamplurimum: ut non abs re fecerim, si composuerim illam cum veste sum-
mi sacerdotis, quæ nomina filiorum Israel exculpta tenebat. Toti siquidem orbi christiano-
rum hi subseruiunt arcanis pietatis operibus ac meritis, quibus totus ille ordo iuxta atque cæl-
lum syderibus cælatus atque distinctum est. O fortunatos terque quaterque, quibus in tam
caelestium virorum consortio, monasticæ sacris contigit inaugurari. Felix tu quoque optime:
Præsul, cui misit deus in cor spiritum filij sui, ut excites, qui nomini ipsius laudes æter-
num occinerent, ut collegia illorum augeres, qui omnia posthabent rebus caelestibus con-
templandis. Benedictus deus opt. max. qui non amouit orationē nostram, & misericordiā suā

ā iii

D. Step.
Poncho-
rius cœ-
nobij in
Etelimō
tiano
suorecē
adifica-
uit.

Hist. trip.
lib. 2.
cap. 3.

Thoma
Camp.
laus.

Cælesti-
nis quam
conue-
niat id
nominis

Cælesti-
norum
enco-
mion.

3. R. c. 9.

Exo. 28.

Epistola nuncupatoria

à nobis, nec in tantum sceleribus nostris victus est, vt faceret cōsummationem, & quē admodū cōcepit, omnino cōtereret. Nisi dominus deus sabaoth reliquisset nobis semē, quasi Sodoma effemus, & quasi Gomorra similes fuisset. Quanti aestimare debemus, quod sibi reliquit qui non curuarent genua ante Baal, sed congregarent reliquias Israel dissipatas? qui non adorarent statuam neque Bel, neque bestię supplicarent, sed deum cæli vereretur? Exiit his diebus Mathias alter, & alter Eleazarus, atque etiam alter Thobias, cui vita charior est patria religio, qui cæteris à diuino iure descendentibus non acquieuit, sed iudiciū dei & officij sui memor, quod iustum est, iuste exequitur, propterea quod toto animo deum colit. An non olim prospiciens dominus horum conditionem temporum, veluti ingemiscens per Esaiā dixit, Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Cithara & lyra & tympanum & tibia & vinum in conuiujs vestris, & opus domini nō respicitis. Vx qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferitis ab eo. An non hoc tempore triumphant, an nō primas habent, & suo nutu ac renutu versant res mortalium, qui, quæ sua sunt, querunt, quorum deus venter est, qui terrestria tantum spirant ac curant, inimici crucis Christi? Apostolos olim suos misit dominus in mundum, sparsuros vbiq; vitæ cælestis semina. Dicebat ex illis vnus, qui plus omnibus laborauit, quiq; iubet nos imitatores sui esse, sicut & ipse Christū fuit imitatus: Omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus euangelio Christi. Quæ est ergo merces mea? vt euangelium prædicās, sine sumptu ponam euangelium, vt non abutar potestate mea in euangelio. Rursus alibi scribebat se nō querere munus aut datum, sed fructum: nō vestra, inquit, sed vos. Obsecro qui fieri potest vt euangelij negocium prosperē iam succedat, vt sermo dei currat in acquisitionem salutis, quando iam eorum qui se apostolorū hæredes gerunt, & filios iactant, vix vnus aut alter euangelij curat, quærat & amet non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi? Pastores acciti sunt, depastores repente prodierūt. fidei illorū credita est vinea domini, vineam domini primi omnium depopulantur. Mercede conducti sunt (nō enim aliō respiciūt) & mercedem auferunt, & oves diripiunt, deglubunt, exugunt, lac, maculant, carnes deuorant: & ne non id possint, sepes demoliuntur, caulas & casus dei ciunt, quid minus agunt quàm lupi? bis scelerati, & quæ pecus non amat, & quod damnum dant. Quarta olim tantum portio reddituum ecclesiasticorū cedebat in necessitates episcopi, altera vsui ministrorū ecclesiæ, tertia reparandę ecclesiæ, quarta pauperibus, vt est in decreto Gratiani. Iam quotam sibi vendicant portionem episcopi rerū ecclesiæ? Quotusquisque illorum est, qui latratem pauperum suorū stomachū impleat? qui dirutas ecclesias resuscitet, labātes fulciat, desertas reparet, neglectas ornet? Procuratores rerum ecclesiasticarū episcopos diuus vocat Augustinus. At enim vero vocabulo procuratores sunt, quæ porro ac procul à pauperum subsidio amouendas, & longe secus quàm ex officio debeant, curæ res quarum dispensationem receperunt. Episcopos vocat D. Ioannes Chrysostomus proretas ecclesiæ, D. Hieronymus sale & cōdimentum: item ordinatos ait ad tollēda schismata. Quid hinc qualēq; se præstent, omnibus & lippis notum & tonforibus. adeo verū est quod scripsit D. Hieronymus ad Heliodorū, Nō omnes episcopi, episcopi sunt. Cui succinit D. Augustinus libro de ciuitate dei: Episcopus, inquit, nomen est operis, nō honoris. Gracū est enim, atque inde ductum vocabulū, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam scilicet eorum gerēs, vt intelligat nō se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaq; cum hoc temporis paucissimi inter episcopos gregi suo profint, palam est quàm pauci reuera episcopi sint. Episcoporum olim erat prospicere, vt ne monachorum secessus & quietas interturbaretur, quandoquidē monachismus puritatem suam retinēs, nō aliud est quàm syncretior christianismus: eoque Philo Iudæus iuxta D. Hieronymum, habitacula christianorū monasteria vocabat. Ex quo apparet, Hieronymo eodem teste, talem primū Christo credētium ecclesiā fuisse, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil cuiusquam sit proprium, nullus inter eos diues, nullus pauper. patrimonia egentibus diuidūtur, orationi vacatur & psalmis, doctrinæ quoque & continentię, quales & Lucas refert primū Hierosolymæ fuisse credentes. Insultant ergo nunc ecclesiæ Christi adolescenti, qui monachismum sugillant, minime intelligētes, se, si iuxta domini Iesu consilium vitam instituerent suam, non ita multum abfore à monachorum instituto. Simul ac igitur episcopi monachorum magistri ac patres, apostolos desierunt imitari, coeperunt & monachi paulatim fatiscere, cōcepit rigidus ille & olim inuictus animi rigor elanguescere. Inde consecutum est fortassis, vt quædam monasteria potestate episcoporū eximerentur. Intellexerunt nanque quorum hæ partes erāt, multa ab vno quopiam eiudem propositi tenacissimo viro pio & probato cœnobita tutius ac rectius gubernatum iri, quàm ab episcopo nihil minus quàm episcopo, quiq; nihil esset aliud, quàm (quod dicitur) *κατωχάλονον χριστόν*. Si quidquā monachis ab episcopo detrimēti felici ecclesia impendebat

Ad D. Episcopum Baionensem.

impendebat, illud erat omnium grauissimum, quod nonnunquam episcopus si quem monachorum virtute, consilio, ingenio præpollere animaduertisset, illum è monasterio seu ocato sibi adiungebat, auxilio ad seria & ardua futurum. Inde erat illud inter patres (vt ait Ioannes Casianus) iactatum prouerbium, vitari monacho debere mulieres & episcopos, quod nec mulier nec episcopus sineret eum, qui semel sese in familiaritatem illi dedisset, vel quieti cellulæ operam postea dare, vel diuinæ theoriæ per sanctarum rerum intuitum purissimis oculis inhæreret. Hodie non temere infestiores hostes patitur monachismus etiam syncerior, quàm episcopos. Pro bona felicitatis suæ parte ducebant veteres episcopi, si de suo monachis tribuerent, si in diocesi sua cœnobium quodpiam fuisset inædificatum. Precibus etenim illorum, exemplis, sententijs, societate sciebant se non parum iuuari in ea quam sustinebant, personam hodie aliorum prorsus cecidit alea. nam pessime secum actum iri plerique arbitrantur, nisi vnum & alterum plus minus cœnobium, suum quoquo modo fecerint: quodque aliquod vnum opimiores census habet, eo maiore studio & contentione terra & mari, superiorum etiam dicam & inferiorum ope enituntur, depugnant, vt in suam illud nassam attrahant, & vt vulgato vtar vocabulo, aducent: attractum & aduncatū mox expilant, diripiunt, depeculantur, interdum quoque exinanient vel vsque ad puluisculum, si quando sinuntur animo suo gerere morem, securissimi interim, quid calamitosi monachi rerum gerant, quàm iuste ac sedulo pensum reddant, vota soluant, quàm etiam fortiter esuriant. quin & amandant eiiciuntque aliquod si quo pacto queant, quod quicquid superest, insumant in nefarias scœdisimasque voluptates. Ita quod malis artibus partum est, malis item deperit: neque quicquam pensi habent, an monasterium quod prædantur, sanctiorem etiam tum disciplinam & exultissimos mores conferuet, an autem à vereribus institutis disceserit. tantum redditus, captant, tantum census aucupantur, pecuniarum maximi (vt ait ille) ærufcatores, fatis habentes, immo se etiam pulchrè deo litasse arbitrati, vbi per eos solitudo maxima vbiq; inhorruerit: idque quoad fiat, laterones aliquot inibi collocant suos, Scythijs ac Getijs truculentiores, qui diē noctūque pergracentur, nepotentur, ludant aleam, negocium haudquaquam tolerabile non prius desinant facessere missellis cœnobitis, quàm omnes aut minis perterrefacti, aut biliosa fame coacti aliō demigrare festinent. Verum fortassis collocant in pauperes, quod aliubi superfluum corraferunt. Scilicet is labor est illis, ea cura quietos sollicitat. Sed quid in re manifestaria plura queror? In ianuis cœnobiorum quæ irretierunt episcopi, ab egenorum turba antea obsessis, vel stipem vel cibum expectantium, summa solitudo. Abunde se muneri fatis suo fecisse putant, si pro amplissimis elemosynis, pro foribus trium quatuorve monasteriorum quæ iam compilant, olim in egenos indigenas erogari solitis, aliquot iam numos ipsi per quempiam forte obuiis mendicis diuidant. O deum immortalem, ô admirandam & stupendam creatoris clementiam, qui ad tam flagitiosa tam diu cōnuocat! Patres vocari gestiunt, eo plures episcopos ambiūt. Quid istuc malum est, nisi furor est, nisi dementia est? Abbatem vocitari, & tyrannum gerere? Pastores audire, & lupos imitari? Quiesce iam ô bone Iesu. Ecce quod iam olim sciscitabar, temporibus nostris tritissimum: Paruuli quotidianis prope conuicijs de patribus efflagitant panem, nec est quisquam qui frangat illis. Quid itaque auferunt? Lapidem egestatis ab immanissima cupiditate & siti habendi, quæ viscera claudit misericordiæ. Serpētē, certè venenū perniciosissimi exempli. Scorpionē, meracissimā hypocritam, quæ blāda amplexantium patrū imagine imponit, & tandē enecat. Hic saperent publici magistratus, nimirum tam amplorum reddituū, & latifundiorum portionē nō vilem, assererēt & occuparēt, quæ egenorū penuriā leuaret. Ac sanè præstaret id multo, quod luxu vniuersa deteri ac profunda, quod in canes & accipitres absumi. Diuus Hieronymus episcopos quosdam ait venatores esse magis quàm speculatores. Hoc iam planè ætate nostra manifestū est, quolibet iura reclament. Sed valeant iam ferrea iura, insanumque forū. Quicquid soluerint in terris, solutum est & in cælis. Valeant Augustinus, Hieronymus & Ambrosius: hæc ætas, hoc tēpus alios mores postulat. Nec hodie si viuat qui Decretalib⁹ glossata addidit, omnino dicat veritam episcopo omnem venationē: eam quæ quæta est, clericis animi causa concedi. Venentur episcopi: monasteria in hanc rem, quod saltibus abundant, iure iniuria confiscentur, alant canes, parent retia, seruos magno conducant, insidientur apris, cingāt indagine, syluas: Erat erit quum audiet episcopus: Lusisti fatis, edisti fatis, atque bibisti: Tempus abire tibi est. Si quid mentis habet, dum viuat, discat venari, sed ita, vt tum doctissimus sit euadere de laqueo venantium, quum captabitur à rugientibus præparatis ad escam. Quis igitur hominum qui viuunt, tuum institutum non vehementer laudet, clarissime Antistes? Quis animi

Epistola nuncupatoria

num nō deosculetur, cui tam diuina tamque sublimis cogitatio infederit, vt diuersa omnino via ab iis qui hoc seculum dedecorant, statueris tibi incendendum? Illi sibi turpe futurum putant, si veteres ecclesiarū patres imitetur: tu tibi imperasti mores omnino cum huius ætatis moribus dissidentes. Illi à Christi præscriptis apostolorūque & omnium quotquot rectā ad regnum cælorum contenderunt, desciscere laudi sibi vertunt: tu ad gnomona præcorum diuorum vitam quoad potes tuam referendam tibi sumpstisti. Illi fugientis monachismi reliquias persequuntur, vel extra oleas quoque suas elapas: tu monachismi castioris agmen, aliunde in prædij tui pomeria accersitū, perpetuis reditibus donas. Illi monachos spoliant suis veltigalibus, quō se locupletent, quō sibi extruant ædes ambitiosas, & ad indecoras voluptates viam & comæatum muniant: tu te vltro spoliās paterno fundo, tu te pecunia tua exhauris, vt splendidissimum deo templum excites, vt monachis sese posthac perpetuo ordine vicissim excepturis constituas & confirmes vnde viuant, & vnde tegantur. Illi deo laudes suas veluti inuidentes, monachos ad laudē dei creatos auitis sedibus excludūt: tu te tuis ædibus veluti exigis, quō laudibus dei perpetuis per te destinatos intromittas. Illi aliis suas eripiunt opes, suis præposteris desideriis suffecturas: tu tibi adimis tuas, tu genium quoque defraudas tuum, quō viris feruis & amicis dei tui ad cælestia meditanda & capeſſenda quierem & ocium in posterum tutissimum pares. Hodie quamplurimi sic ædificant, quasi semper victuri: sic viuūt, quasi morituri postredie, quod de Megarenſibus olim ferebatur, quos nullo numero nec tertios nec quatos (vt est in adagio) habuit antiquitas. Tu cōtra sic ædificas, quasi cras moriturus: sic viuīs, quasi semper victurus. Vita enim istac fluxius nihil, & nihil magis euandū esse reputās apud te, comæatum tibi quæris, vnde viuas perpetuō: rationes meditaris, quibus vitā momentaneam vita æterna commutes, immo quibus artibus tibi vitam nulla vnquam morte interceptandam merceris. Quod autem tam nobile opus struis, tam insignes ædes architectaris, non vbi corpore teinet oblectes, vbi mentas appares, vbi nobilitatem conuiuīs, venatibus, palæstra, saltatione excipias, sed dei & diuinorum munerum & hominum dulcissimas odas, sed operum bonorum officinam nullo posthac tempore desituram instruas, facis equidem quasi sis cras moriturus, satius habens, cum nec opināte mors inexpectata plerumque opprimat, tua opportunē deserere, quā à tuis deserit: tua tuo magno bono dare, quā cum certissimo damno tibi auferri. Aedificant alij Sion in sanguinibus, nihil veriti dei execrationem, ecclesias dei nepotibus & agnatis, pro deum immortalem quā bene de illis meritis, opplent vsque ad os. Tu non acquieuiſti carni & sanguini, quin laeis etiam patrios viris bonis & sanctis donaueris incolendos. Tu ex domo peculiari monasterium, neque minore labore ac difficultate quā impensa, cōficias. sic beata Paula apud diuū Hieronymum vidit Cornelij domum factam ecclesiam, item ædículas Philippi & quatuor virginum: quum contrā alij nihil non conentur, nullū non lapidem moueant, quō monasteria & sacras ædes in militum, satellitū, auium, canum, equorum, cæterorumque id genus voluptariæ vitæ instrumentorum tecta conuertant. Damnant ecclesiasticæ historiæ Diocletianum, quōd ecclesias Christi & sacras literas toto orbe Romano exuri mandarit: contrā qui Romanorum Imperatorum vitas scripserunt, duos Vespasianos, patrem & maiorem natū filium laudibus euehunt: illum, quōd reuersus ab oriente, quum ciuilibus bellis deformatam urbem offendisset, à templo Iouis capitolini eius instaurationem exorsus, ante alios ipse operi se accinxerit, sublatis inde collo suo primis ruderibus, iactis que manu sua fundamentis, hunc, quōd templorum incendio & ciuili furore corruptorum instaurationi, villarum suarum ornamenta designarit, atque huic operi ex equestri ordine insignes viros præfecerit. Quid? Tu non ornamenta modo villarum, sed villas totas, hæreditate paterna tuas, ornando dei templo addicis. Si quid aliunde existit prouentus, totum ad facinorā diuinum confers. Quod autem senior egit Vespasianus, iubentur episcopi imitari. Hoc tamen si non præstant, ferri possit, nisi qui cæteris in ædificando sacra, prælucere ac præire debent, in euertendo eadem ædificata, cæteris antefent, domus dei, & loci inhabitationis eius (cuius ille diuinus psaltes decorem tantopere diligebat) negligentissimi, haud dubium quin & dei, cuius tamen vicarios agunt. Hic, si viueret sanctissimus ille Bernardus, rursus exclamaret, Heu heu domine deus, ipsi sunt in persecutione tui primi, qui videntur in ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Luſtra ferarum cingere albo lapide plerique summo studio habent, hortos amplissimos omne genus arbusculis conferere, vetera diruere, mutare quadrata rotundis, quum interim vitium faciant & in ruinam inclinent sacra ædes, tecta omnia rimis quaquaversus diducta & hianta imbrem admittant, myſteria frigeant, quum sacrificorum aditus infrequens, Christi & diuorum signa arancantia, reliquiarum rete tæ & totæ situ albicantes, episcopos sui muneris admoneant. At enim vel occupatiores sunt, vel hæc abiectiona, quā vt tanto-

Mich. 3.

De consecrat. dist. 2.

Psalm. 25.

Ad D. Episcopum Baionensem.

rum virorum cura digna sint. Et est videlicet, vbi thesauri veltigaliaque ecclesiarū nobilior atque honoratius, ne dicam nequius ac scelestius, collocentur. Sic Hebræis arduum erat ac moleſtū, in aures, torques & monilia conferre in ornatum sacrorum dei: procliuē fuit & promptum omnia mittere & prope obtrudere in vitulum constabilem. Alexandri Seueri principis Romani temporibus quum iam christiana fides inualuisset, & christiani publicum quoddam diuersorium orandi causa occupassent, contrā caupones quidam ethnici suum esse contenderent, Alexander audita controuersia, & si ipse minimē christianus erat, edixit, vtrorūvis locus esset, præstare deum vtrūque inibi coli, quā cauponariam exerceri. Quōd si nondum in tantum spiritus robur proficere, vt caupone, prædia, villæ transferantur in ecclesias, at ecclesiarū, quæ superſunt, desertæ vt non sint, vt non deciduæ, nec præter decorum habitæ, saltem accuretur, sicuti certē bona spes est olim aliquando accuratum iri, quando nunquā spiritus domini destituet ecclesiam suam, vt non in ea superſint semper, qui prælientur prælia domini aduersus seditiosos spiritus, antichristos & hæreticos, quorum hætenus fuit amare cryptas & speluncas, vt cū diuo Hieronymo loquar, ecclesias verō damnare, polluere, vrere, euertere. Propterea iubet idem Hieronymus, sacerdotes ecclesiarū audacter persecutionis tempore polliceri fidelibus, futurum esse, vt olim rursus ecclesiarū ædificentur, & pacis redeat tranquillitas, prætereaque fidei veritas restoretur. Id quod posteaquam non semel per domini clementiam experti olim sumus christiani, non diffidimus, quum benignissimus dominus respiciat ad ecclesiam suam, & suscitet aliquot Danieles, qui spiritu oris sui interficiant impios, & inexpugnabilis vi veritatis eripiant intemeratam Sufannam de manu Herodis, & de omni expectatione plebis flagitiosorum & hæreticorum. Horum domini dei militum in numero quid oberit quo te minus habeamus, Præsul optime, qui his diebus opus aggressus es facere, quod qui audier, tinnient aures eius: adeo rarum est & nouum hoc tēpore, palam esse probum, & meliora charismata æmulari. Fecisti autem, quod in primis hæreticis doleat & schismaticis, generi hominum vt impudētissimo, ita pestilentissimo. Neque ferē vllus existet, qui quidē à te designata audierit, vt nō exclamet illud poetæ, Coruos deluſit hiantis. Vnū opus fecisti, & omnes miratur. Vnum opus designasti, quo velut vmbone hæreses prope omnes, certe hac tēpore cū manifestiores tum magis exitiales, retudisti, palamque fecisti quā sis ipse catholicē christianus, quāque alienus ab opinionibus quæ hodie ecclesiam Christi miseris modis exagitant. Qui hodie Sarranæ rationes negociarum procurant, hi monachorum vota subsannant, ipsi fere monachi transfugæ, aut horum imitatores & filij, autoritatem ecclesiarū & decretorum eius conuellunt: certissimum æquē vt sanctissimum Eucharistias sacramentum (prō scelus horrendum) negat: Missæ venerabile sacrificium antiquant, ista sunt despicientia, isto contemptu rerum tam diuinarum quā humanarū. Generationē & cultum amicis dei, qui iam sunt cū illo in cubili, tuto potentes omnium bonorum domini sui, detrahunt: demortuis autem, qui nondum ad plenum iustitiæ dei de contractorum hic peccatorum sordibus fecerunt satis, piorum preces & opem pro viribus suffurantur. Ieiunia, vigilias, opera bona nihil promereri apud deum, nec quidpiam adferre ad salutem comminiscuntur. Sacramentorū vim & numerum imminuunt, aliaque innumera præter institutionem Christi & apostolorum, ecclesiarūque, catholicæ traditionem vel affingunt, vel ex damnatorum veterum antiquorum cineribus mutuātur, ac in præsens tempus referunt: quæ tu omnia ipso opere tuo infinitis partibus potentius, quā alij verbis aut scripto, repulisti, nugasque & mera insanorum caput somnia esse euicisti. Tu siquidē in Esclimontiano tuo celebre ac visendū monasteriū architectatus es, quod sacra Triadē vni deo in memoriam & venerationem deiparæ Mariæ semper virginis, præcipuē eo die, quo euecta assumptaque est in cælum, cōsecraſti, monachisque selectissimis credidisti, qui sic psalmos dicant nomini domini in seculū seculi, vt reddant vota sua de die in diem in conspectu omnis populi, in atriis domus domini, in medio prædij tui, qui preces & iuge sacrificium offerant, qui piis operibus, vigiliis & exercitiis te, tua, tuos omnes, denique quotquot viuunt, Deo commendent, deum propitium precentur parenti vtrique optimo tuo, cæterisque tibi sanguine iunctis, siue hi superent adhuc, siue iam in fatum cōcesserint. Nimirū hoc est ἀντιπελαργεῖν, hoc singulare gratissimi animi symbolū. Notum ciconiæ ingeniū est. Orus Apollo de Hieroglyphicis notis scribens, author est, veteres Aegyptios, quum gratitudinem significare vellent, Cucupham auem pingere solitos, quōd ea sola cæterorum animalium, in quo loco à parentibus nutrita est, illis senio confectis nidum extruat, cibūque quoad viuunt, sufficiat. Idem tu quoque hocce anno effectum admiranda tum pietate tum diligentia reddidisti, qui locum instruxeris, vnde tuorum vnicuique opus quamplurimum ad vitam æternam nanciscendam nullo non tēpore suppeditetur. Ad te verō, Præsul dignissime, quid hinc rediturū speramus?

Exo. 23.

in Abae. in Zach.


D. Stephanus Ponce-rius hæreses suo opere in Gulauit.

Esclimontiano tuo celebre ac visendū monasteriū architectatus es, quod sacra Triadē vni deo in memoriam & venerationem deiparæ Mariæ semper virginis, præcipuē eo die, quo euecta assumptaque est in cælum, cōsecraſti, monachisque selectissimis credidisti, qui sic psalmos dicant nomini domini in seculū seculi, vt reddant vota sua de die in diem in conspectu omnis populi, in atriis domus domini, in medio prædij tui, qui preces & iuge sacrificium offerant, qui piis operibus, vigiliis & exercitiis te, tua, tuos omnes, denique quotquot viuunt, Deo commendent, deum propitium precentur parenti vtrique optimo tuo, cæterisque tibi sanguine iunctis, siue hi superent adhuc, siue iam in fatum cōcesserint. Nimirū hoc est ἀντιπελαργεῖν, hoc singulare gratissimi animi symbolū. Notum ciconiæ ingeniū est. Orus Apollo de Hieroglyphicis notis scribens, author est, veteres Aegyptios, quum gratitudinem significare vellent, Cucupham auem pingere solitos, quōd ea sola cæterorum animalium, in quo loco à parentibus nutrita est, illis senio confectis nidum extruat, cibūque quoad viuunt, sufficiat. Idem tu quoque hocce anno effectum admiranda tum pietate tum diligentia reddidisti, qui locum instruxeris, vnde tuorum vnicuique opus quamplurimum ad vitam æternam nanciscendam nullo non tēpore suppeditetur. Ad te verō, Præsul dignissime, quid hinc rediturū speramus?

Omnibus pro explorato est, te nihil inde, at neque ex vita haecenus synceriter acta, neque ex pietatis erga omnes quotidianis operibus, venari, praeter unius dei domini que nostri gloria, a quo oconomus creatus es super familiam suam. Verum enimvero facies olim periculum, quam sit bonorum laborum gloriosus fructus, ut que domini gloria nemo unquam inferuire queat, ut non simul etiam prospiciat suae ipsius saluti & gloriae: ut ne dicam quod & hic quoque gloria magna sit, sequi dominum. vsque adeo sine gloria & honore, eoque vero ac solido, praeludenteque ad aeternam gloriam & felicitatem, glorificare dominum nemo hic potest. Opus enim tuum loquentur quotquot post fecutura sunt secula, & hoc vocalius & praestantius, quod caeteri olim quum certatim monasteria a quibus extruerentur, tum operam itidem suam & pecuniam comunicabant: tu vero hoc temporis, quo certatim velut agmine facto animisque gladiatoris monachismus ab omnibus oppugnatur, tantoque odiosius & obstinatius, quanto manifestius purus est & infucatus, monachismum tamen reuocas, & quam reip. commodent bonorum virorum in nomine dei coactorum collegia ac consensus, quamque praeposterum sit hominum qui nunc viuunt, iudicium de diuersis viis domini, quam impia de uocationum varietate opinio, re ipsa declaras, ac relinquis indubitatisimum. Perge igitur, & operi feliciter cepto felicissimum adde colophonem. Perge ornare dignitatem tuam. Perge spiritui Christi, qui per te operatur, gerere morem. Perge iis moribus insistere, qui Christo, qui re, qui clarissimis natalibus tuis, qui tempestate hac digni sint, qui tibi gratiam & gloriam, qui Christi & Ecclesiae aduersariis pudorem, qui populo reuerentiam dei ac timorem pariunt. Atque hoc, quicquid est, opellae nostrae, quam tibi dicare libuit, hilari fronte suscipito. Non quantum illud est, neque a quo profectum, reputabis, sed quam sit aptum rei quam paras, confydera. Bibliothecae monasterij tui locus abunde erit haud magnae molis libello. Quod autem homo nouus & ignotus ausus sum, iam boni aequique consules, spero, quam animus mihi fuit hac in re candidus bonusque. Dominus Iesus Christus animu istum tuum semper promouere dignetur ad ea quae sibi grata sunt, & faciunt ad suam gloriam: incolumitatemque tibi isto animo dignam sufficiat ac seruet, quam diutissime, Praesul omnibus modis reuerende. Ex nostris aedibus ad altas Ericas, septimo Calendas Iulias, Anno ab orbe redempto quadagesimo octauo supra sesquimillesimum.

INDEX

INDEX RERVM MEMORANDARUM quae sparsim in toto volumine operum Thomae Campensis scriptum antehac impresso continentur. A autem litera primam chartae facie significat, B secundam.



A

Abnegatio sui profunda. fol. 51.b. & fol. 56.b.
 Abnegatio sui, & contemptus consolationum terrenarum. 149.b
 Abstinere a cibo quantum iuuat. 35.a
 Abstinentum interdum a necessariis, quod superflua tolli queant. 62.a
 de Abstinentia documenta. 167.b
 Accessus ad Iesum. 109.b
 Accusabunt nos multi in supremo examine. 127.a
 Accusabunt nos elementa & creaturae omnes in iudicio. ibi.a.b
 Adhortatio ad virginem sacram, ad demerendam coronam, qui est Christus. 142.a
 Admonitio ad conuersionem & constantiam in bono proposito. 149.b
 Adolefcens quidam a studiis ad monasterium defecit. 49.a
 Aduersa huius mundi leuiter toleranda. 92.b
 Agnetem virginem tribus vestibus ornauit Christus. 141.a
 Agnetis corona aurea. 142.b
 Agnetis sanctitas per miracula probatur. 144.b
 Aliud, scire remedium, aliud remedio uti. 33.b
 Alphabetum monachi. 193.a
 Ama & lauda deum, & omnia facis. 84.b
 Amandus Christus, mundus odio habendus. 76.b
 Amanti sapiduse sit deus super omnia & in omnibus. 18.a
 Ametur Iesus super omnia. 8.a
 Amor Iesu quid praestet. ibi.
 Amor fortis tentatione probatur. 12.a
 Amore sui nihil cuiquam nocentius. 16.b
 Amore & affectu quam ardenti & vehementi debemus Christum suscipere. 25.b
 Amoris diuini effectus mirabiles. 11.b
 Amoris est vnire. 85.b
 Amicus verus & fidus quis. 40.a
 Angeli, aues caeli. 34.a
 Anima afflicta ad deum quomodo redire debeat. 21.a
 Anima deuota toto corde Christi vnionem debet affectare in eucharistia. 29.a
 Anima spiritui obsequatur. 72.a
 Anima pura ambulet cum deo. 79.b
 Anima quid agat sublata uisitatione sponsi. 105.b
 Animam etiam hic posse deo vniri. 103.b
 Animam implet solus Iesus. 123.b
 Animam sanctam non sinit deus absque consolatione viuere. 139.b
 Animae gemitus suspirantis ad aeternitatem. 20.b
 Animae suspirium ad caeleste regnum. 36.a
 Animae uisitatione a verbo, vnico sponso suo, defyderium. 43.a

Index.

Animae optima bona quae. 88.b
 Animae vnio cum deo, & de hac multa. 103.b
 Animae quare se subtrahit deus. 104.a
 Animae tristitia absente gratia. 103.b
 Animae quam bene sit gratia praesente. ibi.
 Animae ob dilationem gloriae gemitus. 108.b
 Animae meror & consolatio in deo. 150.a
 Animae duplex copunctio pro caelesti patria. ibi.b
 Animae exitus e corpore in loca cruciatuum, deque daemorum in eam insultu. 201.b
 Animo aequo simus in omnibus quae nobis accidunt. 59.a
 Angelicae salutationis virtus, & de hac exempla. 137.a
 Angelorum sanctorum in caelo laus. 85.a
 Anhelatio ad aeternam vitam. 98.b
 Anxietate animi quomodo quidam liberatus est. 6.a
 Apologus in fastosos, & inaniter tumidos. 2.a. in vita.
 Armatura Christi & sanctorum contra vitia. 94.b
 D. Augustinus, pauper. 65.a

B

Bella ab impiis varia aduersus patientiam piorum. 94.a
 Bella & pericula huius vitae varia. 130.b
 bellum primum mouit Lucifer in caelo. 131.a
 bellum Satanae aduersus hominem, secundum, & idem perpetuum. ibi.b
 bellum intestinum omnium longe molestissimum. 132.a
 bellum domesticum inter fratres. ibi.b
 beneficia nobis quanta in beneficio incarnationis Christi collata sunt. 112.a
 beneficia multa in domo dei Christianis conferuntur. 149.a
 beneficiorum dei praecipuorum catalogus. 112.a.b
 beneficium iustificationis quantum. 112.b
 beneficium dei omne, triplex. 113.a
 bibliotheca sedulo seruanda. 50.a
 bona promissa certantibus, quanta. 21.a
 bona omnia mundi contemnantur. 91.b
 bono boni sunt amici. 40.a
 bonorum tentationes. 157.a
 bonum summum & vltimus finis in vno deo collocandus. 87.a
 breuis res omnis sub caelo. 90.b
 beneficiorum dei multiplicium recordandum, 15.b

C

Canticum in laudem virginum. 194.a
 canticum de gaudiis caelestibus, & nouem choris angelorum. ibi.b
 canticum de virtute patientiae. ibi.
 caro nos aliorum trahit atque spiritus. 92.a
 caro parca ne pereat. 132.a
 carnales bestiae, iusti angelis, superbi daemionibus similes. 78.b
 castitas quibus artibus seruetur. 35.a
 castitatis laudes. 151.a
 castitas peculiare donum dei. ibi.
 castitas non ignora olim sub lege. ibi.
 castitas cunctis amabilis. ibi.b
 castitas qui custodiatur. 152.a
 cela alios, quae ex aequo facturus eris. 54.a
 cellae & sensuum exteriorum custodia. 37.a. & 45.b
 cellae utilitas. 46.a

Index

cella: in suescere quàm prodest	33. b	communicare frequenter, maxima est animæ reli-	
cellitæ boni dotes.	ibi.	giolæ consolatio	ibi.
cellicolæ quies à tumultu seculi	54. b	communicantibus dignè & deuotè, multa bona do-	
certandum aduersus quotidiana vitia.	88. b	nantur	26. a
charitas dei quid efficit, vbi inest	111. a	comunicans exemplo Christi se planè offerat deo,	
charitatis laus	75. b	& forma huiusce oblationis	27. a
charitatem veram quis habet	35. a	communicaturus discutiatur sese, & emendatius vi-	
charitatis specie caro se sæpe obtrudit	ibi.	uendi votum concipiat	26. b
christus, archetypus noster	7. a	communicaturus quanta diligentia se debeat præ-	
christus vbique sit scopus noster vnicus	13. a	parare	28. b
christus viam nobis ad cælum strauit	14. b	communio sacra non facile deserenda	27. b
christus, doctor incomparabilis	19. b	communione ex sacra vtilitas admiranda	25. b
christus, piscis assus, & fauus mellis	58. a	communione custodia sui quanta debet sequi	28. b
christus amicus noster intimus	63. a	communione tempore quanta sit nostri custodia	63. b
christus, paupertatis, humilitatis & patientiæ ex- plum	64. b	compunctiōnis cordis incitamenta	4. b
christus quàm pauper fuerit, declaratur	65. a	compatiendum pie infirmis	93. a
christus flos campi, & lilium conuallium	78. b	conscientia custodiatur tempore & loco	81. b
christus tribulatus occurrit cum cruce	135. b	conscientiæ bonæ lætitia	7. b
christus corona & præmium sanctorum omnium	142. a	conscientiæ examinatio sub finem diei	38. b
christus veritas, vincet	148. a	conscientiæ specialis discussio	ibi.
christus iudex tremendus, & de dæmonum aspe- ctu	201. b	conscientiæ bonæ gaudium in spiritu sancto	74. a
christi exemplo temporales miseriam æquanimiter ferendæ	14. b	confessio propriæ infirmitatis	15. a
christi inuitatio. Venite ad me, exponitur	24. b	confessio oris ex vera cordis contritione, vnicus noster nummus	38. b
christi verbum, cõsummatum est, de iis dici queat, qui se in totum abnegauerunt	56. b	confessorum sapientia, & cõtenentia religiosorum	122. b
christi incomparabilis & dignitas & dignatio	63. a	congregationis bonæ laus & fructus	114. b
christi doctrina & humilitas	99. a	consyderatio omnia vbique antecet	55. a
christi incarnationem meditari, quãtũ iuuet	142. b	consyderet homo seipsum	7. b
christi exemplo miseracionis affectus induendus	143. b	concupiscentiæ motus omnino non possunt cohi- beri	33. a
christi humilitas, miraculum omnium maximum	144. a	consolatio & tentatio alternant in piis viris	8. b
christi verbum, ego in interitu vestro, &c. quàm tremendum	202. a	consolatio infirmorum quæ esse debeat	59. a
christi humilitas	2. a in vita	consolatio in diuinis scripturis magna	ibi. b
christo fidere viriliter oportet	46. a	consolatio spiritualis hominis	ibi.
christo omnia debemus	5. a in vita	consolatio animæ quanta post susceptum Christũ.	63. a
christum habitare per fidem in cordibus nostris, quid	35. a	consolatio multorum speciatim	87. b
christum qui quomodo vel imitantur, vel hono- rant	77. a	consolatio animæ vera & interna	88. b
christum affligis, quoties peccas	89. a	consolatio & dulcedo in deo quanta	101. a
christum in lege, viri, Mariam scemina figurarunt	140. a	consolatio cuiusdam deuoti tentati	156. b
christophorus	col. x. in vita	consolatione indigni, verberibus dignissimi nobis habeamur	22. a
claustrum piscina est, & veluti stagnum quoddam	32. a eius dignitas. 50. b.	consolationes etiam diuinas assidue quærentes, mer- cenarij sunt	9. a
cenobium mari simile.	114. a	consolationes externæ contemnendæ	46. a. 109. b.
cognatio sincera, quæ	104. b	consolationes diuinæ nõ defunt in tẽtatione	74. a
collatio spiritualis, quàm vtilis	54. a	consolationis spiritualis defectus vnde veniat	63. a
collõqui de quibus bonum est	ibi.	constantes & perseueranteis oportet esse religiosos	124. b
colloquiis diuinis quis aptus	58. b	constantia & perseuerantia tecũ domus dei	148. b
colloquia bona vel mala quid efficiunt	47. a	contemptus nostri non contemnendus tantum, sed & amandus	19. a
colloquia nocturna damni quantum apportet	61. b	cõtempus mundi per memoriam mortis summo- rum virorum	202. b
colloquia intempestiua conscientiam onerant	62. a	contemplatio quid	196. a
colloquia bona mutuo miscenda	116. b	contra tedium obrepens inter precandum	34. a
commercium sanctorum quantum iuuet	73. a	conuersatio nostra sit intima	7. a
commercium sanctorum qui euaserunt meliores	73. a	cõuersandũ corã deo in veritate & humilitate	11. b
communicare sæpe quàm vtile	25. b	conuersandum cum quibus	53. b
communicando frequenter quid est quod fructũ vberiore non referimus	63. b	conuersio nostra ad deum, quotidiana sit	31. b
		conuersi recens ad dominum, sibi caueant à duo- bus.	131. a.
			conuersus

Alphabeticus.

conuersus vere quis	32. a	deo omnia committenda	19. a
cor eleuetur & dirigatur in deum	37. a	deo quomodo per omnia placeas	91. a
cor cum deo recolligendum	79. b	deum diligens animæ felicitas	85. b
cor vnindum deo	85. a	deus seruit nobis magis quàm nos illi	13. a
cor & os sedulo custodiantur	88. a	deus in omnibus ad eundem & consulendus	18. b
cor recolligitur oris silentio	ibi. b	deus per omnia nos exercet & probat	64. a
cor mundetur à vitiis & passionibus occultis.	ibi.	deus perpetuo laudandus ab omnibus per omnia	78. a
cor cautè custodiatur pro gratia internæ deuotio- nis	123. a	deus laudandus in paupertate deuotionis	ibi. b
cordis humani instabilitas	74. b. & 92. b	deus laudandus in omnibus	79. a
cordis vera pax in virtutibus	89. a	deus æternum laudandus	84. b
cordis & oris arcta sit custodia	91. a	deus animæ amanti est omnia	85. a
corpus Christi quanta reuerentia suscipiendum.	24. b	deus in omni opere bono laudandus	94. a
corpus Christi & sacra scriptura, duo maximè ne- cessaria animæ fidei	28. a	deus quid in se sit, nemo dicere queat: quid in no- bis, fortasse aliquis	96. b
creatura omnis negligatur, vt creator inueniatur.	17. b	deus ineffabilis, incomprehensibilis, interminabi- lis	97. a
credendum non omnibus	19. b	deus quomodo animam diligit	ibi.
crucis Christi amatores pauci	9. a	deus qualis sit hęc piis, eius nomina docent	103. a
crucis via, regia	ibi. b	deus quare se hęc animæ subtrahit	104. a
crucis via, nulla alia sanctorum, vtilior, aut altior.	ibi.	descendendum ad humilia, quando summa nos deserunt	21. b
crucis sanctæ signaculum triplex	92. a	desyderia cordis examinanda	13. a
crucis stupiti velut indomiti pulli alligari necesse habemus	117. a	desyderio in omni quomodo se gerat homo	14. a
crucis Christi dignitas	134. b	desyderium æternæ gloriæ	84. b
crucis Christi descriptio elegantissima	135. a	desyderium animæ quærentis deum	96. a
crucis Christi via, quæ	ibi.	delicias terrenas spernentibus, manna promittit deus	155. a
crucis signum quàm sit efficax, probatur exemplis	135. b	detractiōnis vitium inter vitia linguæ	64. b
cruci astandum cum Maria	138. b	deuota anima conformetur Christo	79. b
cruce suos probat Deus	134. a	deuoti per contraria probantur	79. a
crucem nemo non inuenit	9. b	deutorum ardens desyderium ad corpus Christi	29. a
crucem ferre quid	134. b	deuotionis gratia humilitate & sui abnegatione quæritur	ibi.
crux vnica ad regnum cælorum via	88. a	deuotionem ad deum diabolus interturbare niti- tur tristitia & acedia	63. b
crux in monasterio assumitur quotidie tollenda.	133. b	deuotionis gratia quærenda	73. b
crux monachorum, quæ	134. a	deuotionem & pacem quæ conferuent	158. b
cupiditas omnis abdicetur, vt libertas perfecta ha- beatur	17. b	deuotio non semper anxie desyderanda	159. a
curiosa vitetur inquisitio vitæ alterius	16. a	diaboli diuersæ tentationes & insidia	31. a
custodiæ sui inuigilandum	156. a. b	diabolum viri pij quæ exercent & fugent	113. b
	D.	diabolum vbique ferit discordiam	94. b
Andum est, quãdũ quid habemus.	52. b	dilectio ad sanctos, spiritualis	59. b
dauid regis deuotio in orando	90. b	dilecti dei benigna protectio & sufferentia animæ	105. a
dauid, rex, miles & monachus	146. b	diligens homo etiam in summis negociis inuenit tempus quo sibi vacet	53. a
defectus aliorum sufferendi	3. b	diligentia surgendi hora debita	37. b
defunctis bene precandum ante partum	38. a	disciplina claustralis in tribus	30. b
defunctum dominum suum quomodo quidam populo commendauit	92. a	disciplina quantum boni fructus paritur	ibi.
defunctorum memoria habenda	158. b	disciplina & scientia veritatis apprehendendæ, ne pereamus de via iusta	201. a
defunctorum meminisse in bonum, quantum pro- fit	ibi.	discretio in omni spirituali exercitio seruanda.	34. a
defuncti quibus modis liberantur ex igne purga- torio	ibi.	discretio vbique amplectenda	62. b
dei auxilium petendum, cum spe recipiendæ gra- tiæ	17. a	dispensatoris boni eruditio	51. b. & dein.
dei magna charitas & bonitas in sacramento altaris exhibetur homini	27. b	diuitibus & honoratis maximè instat diabolus.	93. b
dei longanimitas in expectando peccatores	71. b	doctrinæ duæ alta mente reponendæ	89. b
dei pietas erga suos	ibi.	doctrinæ vtilis, quãuis longæ, non minuunt silẽ- tium virtutem	61. a
dei verus amator quis	79. a	dorothea virgo & martyr	143. a
deo seruire quàm dulce est spreto mundo	13. a	dulcedinis quæ est in Christo, commendatio.	60. a.
deo in omnibus acquiescendum	14. b		
in deo super omnia quiescendum	15. a		

Index

E.	
E Lectos suos quare finit deus cadere	121.a
Elias typus paupertatis	64.a
Elisabetha hungara, pauper	65.b
Emendatio totius vite quomodo fiat	6.a
Emendationi summæ duo præcipue conducunt.	ibi.b
Euangelia quatuor, quatuor parietes domus dei	148.a
Eucharistia, & ad eius confirmationem tria miracula	186.a
Eucharistiæ sacrosanctæ dignitas	26.b
Exempla sanctorum parum vigilanter consideranda	3.b
Exemplum sumendum à melioribus, deteriora vitanda	47.a
Exemplum bonum, dandum	53.b
Exercitia omnia ad quem finem dirigenda	45.b
Exercitium ante sacram communionem	26.b
Exercitium quodque suo tempore fiat	32.b
Exercitium meditationis vite & passionis Christi quam vile & necessarium	35.a
Exercitia boni religiosi	44.a
Exhortatio verbis Christi ad sacram communionem	24.b
Exhortatio ad virtutes	36.b
Exhortatio ad virtutem ante diem mortis, cum amara recordatione illius neglectæ	199.a
Explicatio huius ex canticis, Manus meæ distillaerunt myrrham	156.b
Explicatio paraphrastica iuxta literam & spiritum huius ex cantico sponsæ, Introduxit me rex in cellaria sua	56.b. & dein
Explicatio mystica verbi Ezechie, In pace amaritudo mea amarissima	108.b
Exitus è cœnobio quam plenus periculi	115.a
F.	
F Amiliares tibi ne sint, quos imitari non debet	53.b
Familiaritas cum Iesu, quam bona	60.a. & 86.b
Felicitas quæ in cælis	127.b
Felicitas in cælesti Hierusalem quanta	147.a
Felicitas ex quanta in quantam decidimus miseriam	195.a
Feruor mentis quomodo queratur	30.b
Festa violantes reprehenduntur	147.b
Fidelitas quantum homini confert	52.a
Fidendum deo tempore egestatis	ibi.
Fidendum deo tempore angustiarum	75.a
Fiducia habenda deo, & ad hanc adhortatio	107.b
Flagella peccatorum, initium dolorum	127.a
Florentij vox de pietate	93.a
Florentij dictum de lectione sacræ scripturæ	92.a
Florentij vita	169.b
Fœminarum vitandum consortium	152.b
Fomes peccati Hiebusus est, qui non potest deleri	45.a
Formula vite fratrum	4.a in vita.
Fortium est fortiter reprehendi	182.b
Fragmenta sunt verba doctorum, & exempla bonorum, quæ colligi oportet	46.b
d. Francisci humilitas magna	90.b
d. Franciscus, paupertatis cultor	65.a
Fratris humilis boni mores	74.a
Frates quare canonici simul & regulares dicti in vita.	4.a

Fratrum concordia & melodia diuinæ laudis	113.b
Fratrum siue clericorum regularium instituta & incrementa	3.a & b. in vita.
Fruitionis diuinæ desiderium	108.a
Fuga conducit ad custodiam castitatis	152.b
Fugienda omnino monacho.	32.b.

G.	
G Audiorum cælestium consideratio	197.b
Gehennæ inferorum facies	197.a
Gemitus pro peccatis, oratio est	91.a
Gerardi vox de sensibus sacræ scripturæ	92.a
Gerardi magni vita	150.b. & dein.
Gratia occultanda sub humilitatis custodia	12.a
Gratia dei neque cum terrenorum neque cum sui amore esse potest	22.a
Gratia a natura summopere discernenda	22.a.b
Gratia siue charitas bonum electis proprium	23.a
Gratiæ dei effectus	22.b
Gratiæ dei dona erga animam	104.a
Gratiæ deo reddendæ per omnia	111.b & 120.a
Gratiarum actio de beneficiis	113.a
Gratitudo pro gratia exhibetur	9.a
Gravia omnia pro æterna vita toleranda	20.a

H.	
H Ippolyti duo in vita Tho. tit.	11.
Homini vnum apprimere necessarium	9.b
Homini vita quali quedam longa miseria	68.b
Homo habet abunde ex se, vnde seculi lætitiæ reprimat	4.b
Homo nõ habet neque quod de deo queratur, neque quod de se gloriatur	19.a
Homo nunquam non redeat ad sese	32.b
Honores, diuitiæ ac voluptates seculi, peccatorum omnium radices	48.a
Humanæ miseriæ consideratio	5.a
Humiliatio ac victoria sui	40.b
Humiles vocat Christus	90.a
Humilitate ascenditur, superbia descenditur	67.a
Humilitatem & castitatem prædicant etiam superbi & incesti	123.a
Humilis submissio, plenissima boni profectus	7.a
Humilis in aduersis confidit & stat	8.a
Humilis responsio meliores nos facit	45.b
Humilis & modesti mores & cogitatus, qui	67.b
Humilitas virtus in Christo singularis	41.a
Humilitas sola paupertatem amat	66.a
Humilitas radix & mater virtutum	78.a
Humilitas nunquam deferenda	90.a
Humilitas omneis satanæ conatus frangit	133.a
Humilitas, ædificii spiritualis fundamentum	41.a. & 147.b
Humilitatis commendatio	41.a
Humilitatis encomion	66. 67. & 68.a. & b.
Hymnus ad angelos & sanctos in cælo	194.b
ad Humilitatem & compunctionem exhortatio.	43.a.

I.	
I esus multifariam nunc adest dilectis suis.	60.a
Iesus vbi querendus	86.b
Iesus piis quid	111.b
Iesu amor quid præstet	8.a
Iesu benignitas miraculum omne superat	124.a
Iesus & Maria vt omnium humillimi in terris, ita omnibus sublimiores in cælo	138.a
Ieiuniorum per hebdomada ratio	168.a
Imaginationes	

Alphabeticus.

Imaginationes & cogitationes bonæ semper aliquæ habendæ in promptu aduersus malas	90.b
Impudicum omnia damnant	153.a
In mores nostri seculi	1.b. in vita
Incuratio apta deuotioni	167.b
Infirmas fratris sufferenda	40.a
Infirmorum habenda ratio, quæ ad solatia pertinet	59.b
Infirmorum consolatio quæ sit	59.a
Iniuriarum tolerantia	14.b
Iniuriæ ferendæ semper, inferendæ aut referendæ nunquam	157.b
Inobedientium & refractoriorum reprehensio	188. b
Inspiciens a stulto quid differat	202.a
Insidia hostis antiqui variæ	93.b
Instabilitatem vitæ monachus	125.a
Interna Christi locutio ad animam	10.b
Introduci in cellaria sponsi, mystice quid	57.b
Intentio recta ad Deum dirigenda	86.a
Ioannis baptiste humilitas	2.b. in vita
Ioannis euangelistæ humilitas	ibi.
Ioannis euangelistæ puritas & sublimitas	90.a
Iudicia dei occulta, consideranda ad deprimentæ elationem cordis.	13.b
Iudicia vana hominum non metuenda	18.b
Iudicia dei non disquirenda curiosius	23.b
Iudicij supremi consideratio	197.a.b
Iudicium temerarium, vitandum	3.a
Iudicium & pœnæ peccatorum	5.b
Iudicium dei, districtum	97.a
Iustificare nemo se querat coram domino	39.b
Iustus omnia refert in deum	91.a

L.	
L abor omnis nobis fiet leuior, collatus cum exemplis antiquorum ex sacris literis	56.b
Laboris præteriti recordatio suauius & vtilis in quiete & ocio	59.a
Lachrymarum piarum fructus	108.b
Lamentatio ob infirmitatem & inconstantiam in bono	98.a
Lapsus in verbis, facilis	19.b
Laudare indefinenter deum, opus angelorum & sanctorum	40.b
Laudari ac laudare vanè ne concupiscas	39.b
Laudetur deus in tribulatione	40.b
Laus dei ex ore iusti	91.a
Lazari pauperis & egeni patientia	83.a
Lectionis sacræ quos fructus gignit	123.b
Lectionis sacræ vtilitas	75.a
Lectionis quantum commodat	45.a
Librorum vfus	56.a
Libros accurate custodiri addebet	50.a. 163.b
Linguae obrectatorum ferendæ	17.a
Linguae laquei	62.b
Literis nauare operam ob aliud quiduis, quam vt saluus fias, quid proficit	185.b
Locus nusquam alibi tutus, quam in cælo	105.a
Longinus	1.a. in vita
Loquaces reprehenduntur	61.a
aduersus Loquacitatis pestem antidotus	62.a
Loquendi diu multumque assuetudo, tacendi votum remoratur	ibi.
Loqui minus necessarium, quam filere	63.a
ex Locutione proluxa detrimenta	61.b
Locutionis necessariæ prætextus quomodo tollatur.	62.a

Locutionis peccatum multiplex	62.a
Locutionem præcedat meditatio	83.b
Lucifer, quia silentium non tenuit, corrui	154.a
Luctandum cum concupiscentiis.	13.b
Loqui cui non liceat in confesso seniorum	54.a

M.	
M Aiorum consilium ambiendum in causis spiritualibus	54.a
mala pati, meriti maioris est, quam bona operari	70.b
mali nunquam non bonis admixti	117.b
malitia prauorum aduersus infonsis	94.a
manna absconditum	88.b
maria & Martha non seiungantur, conferuntur, commendantur	55.a
maria admonetur.	56.a
maria tepida increpatur	ibi.
maria & si Christo proxima, tamen alicubi reprehensibilis	ibi.
marie opus	55.b
à maria matre dei quid petendum	35.b
maria virgo gloriosa, salutanda	110.a
maria consolatur peccatores	111.a
maria, de eius commemoratione & veneratione multa	136.b & dein.
maria in omni tentatione inuocanda	35.b. & 137.a
maria nobis imitanda	138.b
maria nulli deest	ibi.
maria si diligatur, portus est peccatoribus tutissimus	139.b
maria templo Salomonis confertur	140.a
in maria plenitudo virtutum ex gratiæ plenitudine processit	151.b
maria tantum quater in euangelio locuta	153.b
marie præconia	111.a
marie humilitas	2.b in vita.
marie memoriam & dilectionem quid consequatur	139.a
marie nullus dies absque mœrore abiit	ibi.
marie dolor & mœror super filio quantus	ibi.
marie exemplo nobis ob multa dolendum	ibi.
marie meritorum excellentia & priuilegia	140.a
marie encomion eximium	141.b
marie diadema stellarum duodecim	ibi.
martha admonetur	55.b
marthæ opus	ibi.
marthæ consolatio	ibi.
marthæ & fidelis dispensatoris commendatio	56.b
Quam iucundus & placidus redit ad Martham, qui suauiter versatus est cum Maria	58.a
d. martinus pauper	65.a
martyr sine sanguine quis esse possit	122.a
martyrij species quædam est, sibi toties per obedientiam mori	56.b
martyrium & bellum continuum in monachismo	121.b
martyrum & pauperum idem præmium	122.a
matrona quædam filium primum planxit conuersum, post illi sibi que gratulata est conuersionem	49.a
meditatio in verbum Pauli, Mihi viuere Christus est &c.	35.b
meditatio quid	195.a
meditandi difficultas vnde	ibi.
meditatio post matutinas	45.b

Index

Remedium contra multiloquium	61.a	Silentii virtutes	ibidem.
Remedium aduersus spiritum blasphemiae & scrupos	196.b	Silentii bonum & fructus	153.b
Remedia contra vanam gloriam & laudem	88.b	Silendum nunquam in laude dei	154.a
Renasci in Christo, Christianeque inlitui, quantum sit	1.b. in vita.	Silentio præcipue diebus solennibus est opus	63.a
Renunciatio perfecta, quæ	149.b	Silentium cultos religionis	61.a
Reprobi pœnas vitiiis suis contrarias recipient	6.a	Silentium diuersis modis seruârunt, ac hodieque seruant patres	61.b
Respectus in deo fixus teneatur, vt cor stabile sit	18.a	Silentium non superstitio se obseruetur	61.a.b
Respuenda illico monacho	33.a	Silentium non omnes similiter obseruant	61.b
Rumoribus non indulgendum.	53.b.	Silentium ne custodiat homo, decipitur	64.b
	S	Silentium monacho in primis necessarium	63.a
Sacerdos tentatus exire e claustro, consolatione accipit a deo	49.a	In silentii laudem piorum virorum dicta	77.a
Sacerdotis dignitas, & eiusdem, si quidem pius fuerit, felicitas	26.b	Simplex intentio & pura affectio duæ alæ quibus euehimur in cœlum	7.b
Sacerdotibus quanta cura debet esse pietatis ac puritatis	28.b	Simplex animæ profectus in cruce christi quantus	91.a
Sacerdotia siue beneficia plura quis vnus habere tutò non potest	166.a	Solatio omni carere amemus propter deum	8.b
Sacerdotii inauguratio quàm fuit olim viris piis formidata	181.a. & 189.b	Solatio verum in deo solo querendum	14.a
Sacra scripturæ & corpus christi, res duæ fidelibus maxime necessariae	28.a	Solatio temporale amandetur	59.b
Sacra scriptura intellecta quantum profit	83.a	Solatio ambiendum cum Christo Iesu	60.a
Sacris scripturis capiendis ne se plus æquo vexet homo	ibidem.	Solatio diuinum non deest in tribulatione pro christo	81.a
Sacramenti corporis dñi nemo sit curiosus scrutator, sed fidei sensum suum subdat	30.a	Sollicitudo omnis in deo ponenda	14.a
Sancti non sunt inuicem contentiose aut anxie cõparandi, neque aliis alii præferendi.	23.b	Solitariis maxime in fidiatur diabolus	63.b
Sancti quomodo venerandi	36.a	Solitudine cordis supra se leuatur anima	147.a
Sancti in solitudine didicerunt, quod pòst docuerunt alios	154.b	Solitudinis & silentij amor	4.a
Sanctimonialis institutio, atque adeo cœnobitarũ omnium	142.b	Solitudinis commendatio	33.b. 58.b & 82.a
Sanctorum auxilium diligenter petendum	35.b	Solitudo & secretum amentur	59.a
Sanctorũ desiderũ in hoc mundo quod fuit	36.a	Solitudo amanda exemplo christi, & sanctorum patrum	153.b
Sanctorum aliquot catalogus, qui paupertatem amârunt	65.a	Solitudo, silentij parens & alumna	ibi.
Sanctorum exẽplo cõtra vitia fortiter certadũ	81.a	Somni hora quid agendum, quidque in lecto	59.a
Sanctorũ familiaritas & consuetudo ambienda	85.b	Spes omnis & fiducia in deo collocanda, in quo sunt omnia, & extra quem nihil	24.a
Sanctorum sublimium si nõ potes assequi virtutes summas, saltem aliorum humilia sectare	90.a	Spes in homine non collocanda	188.b
Salutationis angelicæ energia	110.b	Spiritualium sua vbique comitatur solitudo	60.b
Samuel obedientiæ exemplum	115.b	Spiritualibus cura est etiam tacere de mundo	61.b
Sãson captus, vincus & cæcat⁹ quid significet	152.b	Spiritualis homo secessum amat	59.b
Sapientia quanto scientiæ præstat	17.b	Spiritualiter editur & bibitur in cellariis christi	58.a
Sapientia vera apud deum querenda	73.a	Stabilitas in loco & ordine	81.a
Sapientis & spiritualis viri studium	122.b	Suauitas interna vtiliter subtrahitur	40.a
Satanæ conatus ad abducẽdũ nos à cõmuniõe	27.b	Subiectionis conditio quàm secura	188.b
Scandali occasiones vitandæ	53.b	Superbia & ambitio quàm noceant	176.b
Scientia secularis, vt vana, negligenda	19.b	Superbi semper à diabolo triumphantur.	31.b
Sciẽtia omnium maxima est scire se nihil scire	168.a		T
Scripturarũ arcanarũ reuelatio vnde peteda	54.a	Templo dei quinque addunt ornamentum	146.a
Scrutiniũ super dilecto, & donis gratiæ eius	104.a	Templo dei quæ conueniant mysticè	147.a
Secessus multum facit ad puritatem cordis	33.a	Templum dei qui petiit, faciat quod possit, itẽ nihil aliud quàm oret	146.b
Seculum fugiendum	73.a	Temporalibus occupato aspirandum est identidẽ ad cœlestia	58.a
Securitas in vnaquaque re vnde nascitur	4.b	Temporalium iactura faciẽda, quò spiritualia sint in tuto	19.b
Seniorum consilia humiliter audienda	115.a	Temporis nulla habenda ratio ad iter suscipiendum, aut aliud quiduis	166.a
Sermo diuinus audiendus & legendus	73.b	Temporis amissi deploratio	108.a
Seruus fidelis & prudens quis	52.a	Temporis inutiliter expensi lamentatio	ibi.
Seruus fidelis prudenti præstat	ibi.	Tenenda constanter monacho	32.b
Silentii exemplum in Dauid	61.a	Tentatio præcedens, signum consequentis consolationis	9.a
		Tentatio, omne atque vnicum negocium diaboli	133.a
		Tentatio maxima, non tentari	168.a
		Tentatio	

Alphabeticus.

Tentatio in hac vita, perpetua	18.a	Verba vbi multa, ibi frequenter egestas	63.a
Tentationes deuotorum	59.b	Verbi increati dignitas ac maiestas	42.b
aduersus Tentationes vigilandum & orandum	76.a. & 80.a.	Verbo opus ad capiendum verbum	42.b
Tentationes multæ, contra quas cautè se iuuenes custodire debent	126.a	in Verbo aeterno omnia possumus	ibidem
Tentationes tres, specie boni fallentes	176.b	Verbo facillè peccatur, facilius corde	64.b
Tentationibus resistendum, & quomodo	2.b	Verborũ insultu cooriente fidendum deo	20.a
Tentationibus carnalibus resistendi ars	152.b	Verbum dei, scutum aduersus omnia tela inimici	95.a
Tentationis incrementa	3.a	Veritas intus loquitur sine strepitu verborum	11.a
Tentationum maligni spiritus sub mortem hominis vera imago	184.a	Vericuli in cuiuslibet operis fronte legendi	95.a
Thomas Capensis ob quatuor deo obnoxio	1.b. i vita	Vestis, gestus & sermo arguunt hominem	115.a
Thomas Camp. tenuib. parentibus ortus.	2.a in vita	Via tutissima ad placendum deo	47.b
Thomas Camp. ad Florentiũ recipit sefe.	4.a in vita	Via pertingendi ad veram humilitatem	178.b
Thomas cœnobium ingreditur	5.a in vita	Vigilandum in oratione media nocte	45.b
Thomæ Campensis humilitas ac modestia	2.a i vi.	Vigilandum & laboradum contra tẽtationes	76.a
Thomæ Campensis patientia	2.b in vita	Vigilandum noctu	118.a
Thomæ Campensis operum laus	3.a in vita	in Vigilanteis in lecto, & oscitanteis in choro	ibi.
Tiburtius martyr	143.a	Vili nos æstimemus in conspectu dei	12.b
Timor dei homini infirmo necessarius	126.b	Virginitas & patientia absque charitate mantæ, & ingratae deo	141.b
Timor dei quid efficiat	ibidem	Viri dei quotidie martyres fiunt	123.a
Timor aeternæ pœnæ quantum iuuat contra vitia carnis, & superbiam mentis	80.a	Viri dei tutius inter hostes, quàm cum amicis versantur	176.b
Toleranda patienter monacho	32.b	Viriles & alacres simus aduersus diabolum	63.b
Trahi opus habemus	103.b	Virtutum multarum puritas	91.a
Tribulationes iustorum multæ pro regno dei	120.b	Virtutũ septem gẽmis ornemur in bona conuersatione	95.b
Tribulationis fructus	69.a	Virtutes quæ vbinam periclitentur	127.a
	V	Vita christi & sanctorum extra mundũ fuit	60.a
		Vitandi qui	53.b
		Vita huius miseriarum deploratio	15.a
		Vita aeternæ desiderium	20.a. b. 21.a. & 98.b
		Vita humanæ status triplex	78.b
		Vita præsentis breuitas & miseria	98.a
		Voces nobiliũ quorũdã dũ iã animã agerent	92.a
		Voluntate sola quis vincitur, aut vincit	132.a
		Voluntatis bonæ scutum contra hostes	93.b
		Vox memorabilis decedentis e vita	92.a. 179.b
		Vtimur rebus, fruimur deo	105.b

Indicis omnium operum Thomæ Campensis, finis.

Georgii Pirclzameri

Georgius Pirckamer presbyter Carthusiæ domus Nurebergæ humilis Prior, Magistro Petro Danhauffer orationes suas quàm deuotissimas offert.



Multas & varias artes quæ ad vitam bene beateque agendam faciunt, summa industria & diligentia conflatas conquistatasque iam olim nobis maiores nostri, charissime ac doctissime Petre, tradidere. Quæ omnes etsi ferat præ se quasi certatim eò tendere, vt plurimum generi hominum profint, tamē habere innatum atque instrum eas intelligimus quippiã, quo singulæ singulos præ cæteris diuersosque polliceri fructus videantur. Nanq; artes quidē alias necessitate sectamur, alias probamus vilitate. Alię verò quòd tantum circa res gratissimas versentur, in precio sunt. Quales autem hæc sint artes, non est opus te docere, ne in hoc prouerbium cadam quod Cicero in Hortensio dicit, Sũe docere Mineruã. Verum si reperas, Petre humanissime, ex omni maximarum numero artium nullam penitus inuenies, quæ non sprete reliquis, suos quosdam & proprios fines petat & contempletur. Aut si tandem comperias vllam, quæ cum huiusmodi sit, vt ea carere nullo pacto possis, tum & de se vtilitatem voluptati dignitati que coniunctam præster. Magno itaque & excellēti ingenio viri, cum sese doctrinæ penitus dedissent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & priuatis actionibus, ad inquirendæ veritatis studium contulerunt: quales fuerē, Hieronymus ecclesiæ doctor facundissimus, Aurelius Augustinus philosophorum in vtraque lingua doctissimus, ac diuus Ambrosius multarum scientiarum nō tam ornatum quàm sapientissimus: qui in diuina imagine dies suos quàm felicissimos finiuerē, relinquētes monumenta & antidota multiplicium voluminum, quibus sacram religionem docent, aperiant & pādunt. Sed cū ego animaduerto te Petre studiis poetarum & gentiliū deditum, quibus iam multis annis tuæ iuuentutis primitias accomodasti, haud possum amplius ferre, quin te ab his absterrea. Indoleo enim vehementer tuã indolem his studiis acquiescere, præsertim cum Christianum virum te profitearis, cui hæc gentilia minus honori quàm commodo sunt, & vnicuique religioso viro dedecori. Quo respectu in mētem iam pridem mihi venit, aggredi te, si morem gerere velles maturo consilio ac probo, te ab illis auocare, & veram philosophiam, quæ æterna est sapiētia, induere. Quæ multo melior, vtilior, gloriofiorque est, quàm illa ieiunãfictaque poetarum studia, ob quæ diuus Hieronymus virgis cæsus legitur, cum planē eadem non ad virtutem, sed ad argutam malitiã te erudiant. Moneo itaque te doctissime magister, rectius nūc iter intrare, quod tua ætate dignius, salubrius & felicius est futurum: de præceptis cælestibus ac diuinis, quibus mens tua ad cultum verę maiestatis instrui possit, cogitare. Cogitabis autem, si iussibus meis haud difficilem te præbebis. Nulla prorsus salubrior tibi est medela, quæ te in diuinam mentem sanctę trinitatis prouocare poterit, quàm si libros vitę Thomæ de Kempis legeris. Leges autē eodē cum voluptate, si curaueris vt tua auctoritate aneo opificio imprimantur. Inualuit superioribus diebus apud me, quòd ederes archerypos triūphantis Romæ p̄ nominis eternitate clarissimi ciuis Sebaldi Schreyerf. Res quidem est magna, docta, dignaque tanto viro, tam magnifico ac fortissimo in omni genere virtutis: sed nihil sanctius, nihil honestius, nihil deniq; religiosus pro republica Christiana condere poteris, q̄ curare vt hæc opera & libri Thomæ de Kempis, viri sanctimonia ac castitate præcipui, in vulgus exeāt, quæ multum satis Christianæ religioni accommodare poterunt, hæctenus derelicta velut ignis absconditus in venis silicū. Fuit reuera Thomas de Kempis p̄fessus monachus fratrum ordinis canonicorum regularium, vir sanctitate & doctrina eximius, parentibus mediocri fortunæ, matre humili genere, patre verò opifice, qui hisce libellis Plutonem furiasque infernales sæpenumero fugauit. Neque temere facis, si ea à tenebrarum sordibus in splendidam lectionum lucem reuocas, quæ aut ingenia prompta expeditaque ad salutis æternæ cupidinem, vtiliumque artium contemplationem celeri facilique compendio ducunt, aut homines deuotos religiososque à turpi ceterē agrēstique rerum imperitia vindicant. Quantum vero ædificatura sunt ea opera in omnibus religionis Christianæ viris maximis doctissimisque, nec dici nec scribi potest. Nec paruipendas hæc humanissime Petre propterea, quòd vulgari ac simplici stylo sunt condita. deus enim ipse optimus maximus hanc suorum apostolorum voluit esse naturam, vt lenocinatio verborum & orationis ornatu carerent, quòd simplex & nuda veritas esset luculentior, cum sacra Theologia satis per se ornata sit, ideoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrūpitur. Mendacium vero specie placet aliena, quæ per se corruptū vanescit ac desinit, nisi aliunde ornatu quæsito circumlitū fuerit ac politū. Verū venerabilis pater Thomas de Kempis nō eloquētię, sed veritatis fiducia hæc opera cōdēda aggressus est, & oratione que de tenui fonte emanat, lumine tamē suo clara & illustris apparet. Nã & in hoc philosophi & oratores, poetęque

Epistola cōmendatiua authoris, & operū eius.

etq; perniciosi sunt, quòd incautos animos irritare possunt suauitate sermonis, & carminum dulci modulatione currentium. Quæ de re à quouis docto hæc eadem diui Thomæ de Kempis opuscula haud negligenda sunt, doctissime Petre. Hanc apud maiores nostros potissimam lego causam sacram scripturam contemni, quòd communi & simplici sermone transeat. Sunt enim qui nihil legere vel audire, nisi expoliticum & disertum volunt. Nec quicquam hæere animis eorum potest, nisi quòd aures blandiori sono mulceat. Eloquentia enim seculo feruit. Populo se iactare, & in rebus malis plura gestit, vt vim suam monstret. Veritatem sæpius expugnare conatur, opes expetit, honores concupiscit, summum denique gradum dignitatis exposcit. Ergo hæc quasi humilia despicit, arcana tanquam contraria sibi fugit. Hinc est quòd nemo rem veritate, sed ornatu ponderat. Non credunt ergo diuinis, quia fucō carent. Nam & hoc accidit ei (scilicet Cypriano) qui erat ingenio facili, copioso, suauis, & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto, vt à quodam homine satis diserto vna immutata litera Caprianus vocaretur, quasi elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset. Hæc scribo ad te doctissime Petre, vt tibi ipsi persuadeas aliam, scilicet æternam post hanc vitam futuram, vt velis operam dare libris diuinis, & illis animum tuum recreare, voluptatemque illic petere, & nō in poetarum fabulis, quæ luxuriam ac turpissimam vitam edocent. Facies autem ea, si studiosus, in imprimendo opera Thomæ de Kempis fueris, curauerisque vt iusto emendatoque charactere imprimantur. Ad quæ vota felicissimos tibi impetrent dies, qui cum deo optimo maximo super æthera beatissima perenni que vita fruuntur. Vale, & iussibus meis rem appone. Ex Nuremberga. X VII. Kal. Martias. Anno M. CCCC. XCIII.

Iodocus Badius Ascensus omnibus pijs vereque Christianis animis, nec adhuc à sancta lectione ad fabulas auersis, in domino nostro Christo Iesu Salutem.



Conuenerunt me sæpicule, primū non futilibus argumentis, deinde religiosi precibus, ac demū non paruipendēdis, amatoris tamen, cōiucis, triū pietatis Christianæ & religiosæ obseruationis ordinū proceres, Benedictini diui Germani à pratis, Carthusiani è pomceriis Parisiensibus, & Cælestini Villænouæ apud Suesionē: quorū & similibus ego cōtemplatiuam illā vitam, sanctamque in cælestibus conuersationem, tribus Theologicis virtutibus, fidei, spei, & charitati, conferre soleo, vt mendicantium actiuam Cardinalibus. Conuenerunt, inquam, suo quique iure obnixè postulantes, vt pientissimi & optimæ memoriæ religiosi F. Thomæ Malleoli à Campis opera mellissua, & ad veram religionem vel maximè conducentia, prælo nostro iterum diuulganda committerem. Benedictini quidē commemorantes, quòd superiori anno quædam prædicti patris opuscula, præter cætera pia & parænetica in enchiridia & tomulos nostra opella curauerint imprimenda, operūque exemplum, quod ex Alemanica impressione vnicum habebant, in eorundem impressionem absuendum offerebant. Carthusiani autem causantes, quòd hæc opera integra à me sæpe frustra, licet iusto precio emunda petiuerint, excusante videlicet ea non extare venalia: adiiciētes præterea, eadem opera ad se quodam iure pertinere, nam vt è iam præmissa constat epistola, ipsi hæc primi curarunt in lucem emitenda, & vt è vita Gerardi Magni suo patebit loco, Carthusiani patres, & conuersionis illius magistri, & eruditionis & institutionis ipsius Thomæ per Forentium collegam, illius fuerunt causa. Porro Cælestini Villænouæ, vt dixi, cōnobitę, quòd exemplar attulerunt anxie tersum & castigatum, quatuorque libellis de disciplina claustrali in Germanica impressione desideratis, auctum, & iusta serie per omnia repositum. Quorum omnium (quod singulorum facile potuissent) rationibus victus, opus ad exemplar Suesionēse imprimendum suscepi, paucisque diebus ad calcem vsque perduxi. Admonitus item ab illis qui recognouerat, vt vitam authoris ex iis quæ aut ipse de se, aut alii de ipso scripserint, vel sodales alii quasi per manus tradiderint, & ad me vsque (nam perquisiui sedulo) pertulerint, prolixiori, & si valeam cultiore stylo colligam, facili obediui, sperans operę precium & re gratam me facturum, non illi solum, quanquam & illi, verum etiã mihi & studiosis omnibus, præsertim pueritiæ meæ institutoribus domus diui Hieronymi apud Gandauum fratribus, qui ex domini Florentii sodalitiō & schola, vt ex equo Troiano armati quamplurimi, prodierunt, & ob fraternam inter se charitatem, mutuamque obseruantiam, peculiari adhuc nomine fratres nuncupantur. Valete: & si vacat, vitam quam describendam aggredimur, perlegite.

In vitam beati Thomæ Malleoli Tituli.

- De nominis boni bono præfagio. Titulus I.
- De nomine authoris, & eius etymo ac interpretamento. Titulus II.
- De quatuor egregiis, vnde Plato diis gratias egit donis, & de totidem in Malleolum collatis eulogiis. Titulus III.
- De magnitudine beneficii quod inter Christianos pios natus & educatus est. Ti. IIII.
- De paupertatis excellentia, & eius amore à Thoma nostro ex parētibus ibibito. Ti. V.
- De modestiæ & humilitatis laude. Ti. VI.
- De patientiæ laude. Titulus VII.
- De Gerardo magno coinstitutore clericorū regularium qui Fratres dicuntur. Ti. VIII.
- De eorundem regula & incrementis. Ti. IX.
- De Thomæ ad eos accessu, & perspecta in eis religione. Ti. X.
- De exhortatione Thomæ ad religionē canonicā diui Augustini per Florentiū. Ti. XI.
- De eius professione, & reliqua vita. Ti. XII.

De nominis boni bono præfagio.

Titulus I.



Citum quidē est, & à multis laudatū Sapiētis illud præceptum, Curā habe de nomine bono, verū id ipsum nō tā de nomine cuiusq; proprio, quā de fama & præconio est intelligendū: quemadmodum & illud poetæ, Semp honos, nomenq; tuum laudēq; manebūt. Et illud alterum eiusdē, Dū nos aliquod nomēq; decusq; Gessim⁹. Quod nominis etymo, & quā bonæ famæ fragrantiam suauissimus Thomas Malleolus ita affecutus est, vt ob vitæ sanctitatē, & famę celebritatē, diuorū catalogo à grauisimo Carthusiani ordinis patre, in superiori epistola sit adscriptus, multisq; operū suorū exhortationibus sodales suos, vt idē asseq; admittantur, admonuit. Neq; ab re, quādoquidē, qd̄ præclare diuus pater Augustinus docuit, vt sua cuiusq; vita bona est ipsi ad salutē necessaria, ita optima cuiusq; fama pximo: vsq; adeo vt durus & inhumanus inter primos sit cēfendus, qui ad proximi institutionē, nomē bonū neglexerit. Verū de noīe, vt ad præfens facit etymon, etiā scita est magni illius Platonis sentētia, nominis celebritatem, & præclare indolis præfagiū nō parū ad humanā cōducere felicitatē. Siquidē, qd̄ vulgato canitur versiculo, Conueniunt rebus nomina sæpe suis.

Ex nomine nō leue præfagium futuri.

Adam. Eua.

Proinde rerū omnīū certissimus præconitor & iustissimus arbiter deus, p̄toplati Adamo & Eua, plurimiq; deinceps ab eis ortis, nomi-

na præfertim Hebraica rebus ipsis cōuenientissima indidit, vsq; adeo vt si eorū interpretamentum ignores, neque prophetias multas, velut psalmos, neq; cæteras intelligas scripturas. Quinetiam vt futuræ rei indicet mysterium, placitum est ei, vt qui prius hebraice Iacob, id est supplantator, è re vocatus erat, posterius Israel, id est deum videns nominetur. Et in euangelico mysterio eadem de causa vocatus est Petrus, qui prius Simeon aut Simon. Quam nominis mutationem pleriq; pontificum Romanorum, Petrique successorum imsecuti, id nominis assumpserunt, quod genio suo & præceptæ virtuti congruere putarint quammaxime, vnde sint Bonifacii, Clementes, Calisti, Innocentes, Pii, Sixti, Iulii, Leones, & id genus alii. Adde quod & matri suæ gloriosissimæ nomen ipsius officio appositisimum, Mariam, præimponendum mandauit. Et præcursori vtriusque parentis mirifico testimonio Ioanni ab Gabriele archangelo: est inditum, abs quo eodem & ipsius Seruatoris vocatum est nomen Iesus priusquam conciperetur in vtero. Cuius rationē apud Matthæum adnectens, inquit, Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis. Magna igitur apud Prouidentiam est nominum ratio, vsq; adeo vt quoniam diuinam ignoramus substantiam, in secundo decalogi præcepto cautū sit, Non assumes nomen domini deitui in vanū. Et, in oratione dominica statim in capite tanquā primū petēdū, Sanctificetur nomen tuū. Qd̄ & diua virgo ab eodē spiritu sancto, cuius superuētū grauida erat, edocta, cum magna & incōparabilia sibi à domino facta meminisset, pro iis quas summas reponere potuit gratias, Et sanctū, inquit, nomen eius. Magnū itē est in noīe futurę rei præfagiū, vsq; adeo vt in quibusdā vehemētē dubites, vtrum ante rem, an post rē & propter euentū rei talia illis nomina fuerint imposita: vt in duobus Hippolytis: q, vt nomē indicat, ab equis in diuersa dīstra cti & dissoluti sunt, sub magna quidem vtriusque constantiæ & fidei gloria, sed dissimili causa, inæqualique felicitate. Nam Thefei ille filius Phēdræ nouerçē à qua ad stuprum incestū interpellatus erat illecebris, nō minore visus est restitisse cōstata & cōtinētia, quā Iosephus ille Israelita dominæ suæ in Aegypto. Quocirca vt (si historia nō est) saltē fabulæ ferunt, stulta patris credulitate, & iniqua atq; improvida qui exorabilitate, nomini suo consonum tandē ptulit suppliciu, quale post multa secula fortissimus Christi martyr alter Hippolytus ob fidei & Christianę psuasōis præconiū. vtriq; tamē grauissimi authores tradūt ante facta illa tale fuisse nomē impositū. Et Christo-

Iacob.

Petrus.

Romani p̄uifices

Maria.

Ioanne

Iesus

Nomen domini.

Hippolyti duo

Christo-

Longin

Thomas Abyssus Geminus

Malleolus.

phorum itidem Christi martyrem cōstantissimum, quis non potius post rem quā ante rei exitum sic opinetur vocatum, cum non sit vero simile, ethnico & à re Christiana penitus abhorrenti tale nomen inditum, ab illis præfertim quibus Christus penitus iam tum erat ignotus? Quinetiam Longino pro Longino, aiunt, hastario illi nomen fuisse, qui in cruce domini hasta latus aperuit, cum ab hasta, seu (vt Hispani dicunt) lancea, quæ Græcis λόγῆ dicitur, nomē illud videatur deductum? Veruntamen in confesso est nomina quamplurimis imposita, quæ rebus ab ipsis gerendis certissima præ se ferrent præfagia, qualia sunt in hoc opere explicanda Gerardi Magni, Florentii, Ioannis Cacabi, & aliorum.

De nomine authoris & eius etymo ac interpretamento. Tit. II.

Ed quorsum, inquires, omnia ista? Nempe vt legentium (siqui lecturi sunt) animos rerum varietate non nihil resciam, vt que non illotis quod aiunt pedibus ad authoris nomina interpretāda ingrediar. Dicitur enim mirabili prouidentia operum sequentiū scriptor Thomas Malleolus à Campis seu Campensis, quæ nomina eiusdem professioni & vitæ institutis conueniunt aptissime. Nam secundum Græcam originem Tomas interpretatur sectus seu diuisus, secundum Hebraicam Thomas abyssus, & quod Græcis dicitur geminus, didymus. Sectus autem & penitus diuisus à teneris fuit vnguiculis à confortio humani generis hostium, mundi, carnis, dæmonum. Abyssus autem diuinæ contemplationis scrutinio, & Geminus integerrima dei & proximi charitate. Sectus præterea fuit & geminus, quia secundum interiorem hominem totus adhæsit deo, vnus factus cum illo: secundum exteriorem autem proximo, illius scribendo, prædicando, operando inferuens cōmodis. Sectus à mundo, quia vere dicere potuit, Mihi mundus crucifixus, & ego mundo. Viuere autem Christus est, & mori lucrum. Sectus à carne, quia vt eius ex scriptis patet, in carne præter carnem vixit, cum eius conuersatio esset in cælis, desiderium habentis dissolui, & esse cum Christo. Atque ita cum cogere tur corpore adhuc versari in terris, mente versatus est in cælis. Sectus præterea ab omni dæmoniorum commercio, vt quæ signo crucis, & inuocatione sanctissimorum Iesu & Marię nominum sæpius exegisset, & sanctissima vita, & optima exhortatione, & vitæ exemplo à toto cœnobio quasi exulare compulisset. Malleolus autem quod Teutonice & vernacula illi & mihi lingua Hemerkin dici-

tur, idcirco iusto præfagio est cognominatus, quod sanctissima cōuersatione, venerabili cōmitate, mellifluo alloquio, dulcissimo responso, piētissimis scriptis, opportunis exhortationibus, omnem mundi factum & malignitatem, omnis carnis illecebras & perulantias, omnis diaboli versutias & illusiones sic contudit, fregit & contriuit, vt si omnes eius sanctę vitæ sequaces, & dictis ac scriptis audientes essemus, plane de illis maximis humani nominis hostibus triumpharemus, & ita eos obrunderemus, vt eis nulla sit reliquā in nos insurgendi confidentia. Quinetiam hæreticos omnes ita Malleolus hic solida sapientia, nihil ambiguum aut catholicæ fidei suspectum asserēs, à scriptis suis Malleoli sono repulit; vt ad eius scripta ne aspiciere quidem audeant, vt qui nullam in eius male sentiendū anam arripere valeant. Cæterum quia iuxta illud apostolicum, Templum dei sanctum est, quod estis vos: ipse vere dici potest templum domini, & quasi Solomonis, immo Solomon ipse (Nam & sapiens & pacificus fuit, & sine querela vixit) potest de eo dici, quod tertii Regum sexto de Solomonis templo scriptum est, Et malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo domini cum ædificaretur, vt quasi per antiphrasim dicatur Tomas, veluti Tomos, id est sectio: vnde & securis & malleolus, cum nulla in eo fuerit sectio, id est nullū schisma, nulla à fraterna charitate diuisio, nullūque ab hoc malleolo murmur, & nulla querela in toto eius conuicta fuerint audita: Porro Campi, quos in diocesi Traiectensi habuit patriam, à capacitate sunt dicti: vnde & Capua Italica sine m litera. Neque tamē ab te Campi dicti, quod ample capiant. Sed quid Thomæ hoc capacius, in cuius pectore, vt in sanctiore quodam ærario, omnes virtutes, omnesque facrę literæ & artes bonæ (ad mensuram tamē) sunt reconditæ: vsque adeo vt quicquid eloqui vellet, è sacris literis illie reconditis depromeret, sicque ad eas alluderet, vt earum notitius lector ab ipso primū excogitatas putaret. Haftenus de nomine.

De quatuor egregiis vnde Plato diis gratias egit donis, & de totidem in Malleolum vltro collatis eulogiis. Tit. III.

Platonem illum prudētissimum, quē, vt quidam nuncupare non sunt veriti, diis gratias non vulgares egisse aiunt, quod homo natus est nō bellua, mas non foemina, Græcus nō barbarus, philosoph⁹, nō amusus nec indoct⁹. De quorum similibus beatissimus Thomas noster deo optimo maximo gratias agere potest. e iiii

Campi Thomæ patria.

Plato ob quatuor diis agebat gratias.

tuit & non semel egit, sed vt mox dicam, etiam de maioribus eidē in domino gloriari licuit. Neque enim id solum deo acceptum ferebat aut gratias agebat, quod homo esset, sed quod omnino esset, dicens in Hortulo rosarum ad semetipsum: Lauda creatorem qui te fecit hominem, & non bestiam: qui si muscam te fecisset, adhuc laudandus esset, & tibi bene fecisset. Non enim potest leo gloriari de fortitudine sua supra muscam & culicem, quia si leo potest altius clamare, non tamen potest tam alte volare. Significans vnicuique animanti quippiam in quo excellat esse datum, homini autem supra omnia. Neque de hoc magnifice in animo suo triumphauit, quod mas esset non foemina, sciens in futuro seculo, vbi neque nubent, ait dominus, neque nubentur, nullum inter marem & foeminam beatitudinis fore discrimen, multasque foeminas innumeris maribus preferendas. Vnde vt recitat in sermonibus ad nouitios, iussus est sodalium quidam de mysteriis Eucharistię hęstans, credere quę Hagne, Cecilia & Barbara credidissent. Quę foeminarum gloriam diua Iulitta apud Basilium magnum non tacuit. Non parui tamen beneficii loco deputauit, quod dignioris & firmitioris sexus honorem citra sua merita sortitus erat. Sed neque impatientius tulit quod non Gręcus sed Teuto esset natus, sciens nullum vere Christianum, & Christianis institutis ornatum, vbi cūq; terrarum natus sit, etiā si veritatem in patria, iusta ratione barbarum vocari. Eamque regionem in qua nasci contigit, supra cęteras florere eximia in Christum pietate, & mirifico monasticę religionis amore. Neque demum magni aestimauit philosophicum factum, aut secularem eruditionem, sciens sine illis, modō charitatem & pietatem colat, quemlibet supremam assequi posse beatitudinē, multosque a sincera pietate per literas immodicas auersos. Verum quatuor eulogiis atque benedictionibus iam grandior effectus mirifice in domino gauisus est. Primum quod inter Christianos natus, & Christianis sacris a primordio vitę initiatus est. Deinde quod Christianis ortus parentibus, & iis piis ac modicis. Tum quod pueritiā atque adolescentiā suam ab optimis viris & piētissimis contigerat institui. Ac demū quod monasticā vitā inter religiosissimos viros ageret. De quibus singulis libet altius ad bonorū exhortationē repetere.

De magnitudine beneficii dei, quod inter Christianos pius natus & conuersatus est.

Ti. IIII.

Grandior itaque factus, summi beneficii loco ab diuo Aurelio Augustino doctus censuit, quod recens natus Christiano ba-

ptissime esset renatus, & Christiana pietate, religione, fide, & persuasione a teneris vnguliculis cum a parentibus optimis, tum a sacerdotibus & tenellę ætatis præceptoribus institutus. Id siquidem a bono rerum aestimatore pluris est faciendum, quā seclusa fide obtinuisse aut Cręsi opes, aut Alexātri monarchiā, aut Solomonis sapientiam & gloriam. Non vit enim, quamplurimos bona indole præditos, beneque in moribus institutos, propterea perditos, quod Christiani non essent. Nam quis, vt ceteros taceam, armauit indulgentissimę Barbarę patrem in filiam, nisi mala persuasione de idolis a maioribus cultis? Quis Traianum, Decium, atque alios principes Romanos, quos alioqui dicunt fuisse non malos, in sanctissimos Christi martyres scire fecit? Nimirum eadem pessima de diis suis persuasio, per quam occidendo sanctos, & vita dignissimos, arbitrabantur sese obsequium præstare deo. Infelix profecto pater, & infelices principes sic a via veritatis aberrantes, vt quibus iustitię lumen non illuxit, & sol intelligentię non est ortus. Scriptum enim est, Nisi credideritis, non intelligetis. Felix cōtra Thomas noster, qui ab initio vitę, Christi sacris est illustratus, & præcipuis virtutibus ornatus, & qui ab adolescentia sua portauit iugum domini. At nunc si ad mores seculi nostri respicere vacet, videamur plerique omnes solo nomine Christiani, quinetiā in id peccare, quod sanctissimum Christi nomen sic assumimus in vanum. Vbi enim est nunc veritas Christiana no digna? vbi fides? vbi iustitia? vbi charitas illa maiorum nostrorum gemina? vbi sanctę vitę splendor? vbi vestium simplicitas? vbi vigilię? vbi ieiunia? Perierunt hæc, nisi in religiosis domibus, omnia, & in eorum locum successerunt teterrima vitiorum monstra, præsertim hac tempestate, suborta hæresi etiam in sacramenta Christi blasphemia, vsque adeo, vt quod Christus Iudæis interminabatur, iam ingruentibus Turcis verēdum sit nobis, vt malos male perdat, & vineam suam locet aliis agricolis (Christianis tamē, sed melioribus) qui reddant ei fructum temporibus suis. Verum quia optimi viri sanctissimam vitam, non fatyram scribendam recepi, non addam verbum amplius.

De paupertatis excellentia, & eius amore a Thoma nostro e parentibus imbibito.

Tit. V.

Secundo ingentis beneficii duxit loco, quod parentibus piis & iis modicis natus esset. Sicut enim authore Augustino, Ecclesia Stephani protomartyris precibus conuersionem debet Pauli, & authore Ambrosio, diuę Monichę

In Christo renatus, Christianis institutis, & tenellę ætatis præceptoribus institutus.

Thomas Campis tenentibus parentibus oritur.

Paupertatis excellentiam, Matth. 5.

In moribus nostris seculi.

nicę piētissimę matris lachrymis, Augustini: (nō enim fieri, inquit, potuit vt tantarum lachrymarū filius periret) ita Thomas debet parētibus, & nos Thomę, tot paupertatis, modestię seu humiliationis & patientię præconia, quę cū sæpe aliubi, tū in opere de tribus tabernaculis habentur maxima. Natus enim est patre opifice, cottidiano labore victū ægre quæritante Cāpis vrbe insigni in Traiectensi dicecesi, siue quod alij sentiunt, in agro Campano: matre autē, vt Carthusianus pater scriptum reliquit, humili genere, quod ego interpretor fortuna tenui, nam vt ipse in vita Florentij de se attestatur, receptus est patrocinio Florentij in domum matronę sanctę, deinde in domum pauperum clericorum, & vtrubiq; eleemosynis educatus. Piētissimę autem matris exhortationibus, sanctioris doctrinę, & per eam religionis, imbibit amorem. Paterna autem vita ad omnem laborē indurata, omni paupertate, modestiā, & tolerantia decorata, has tres præcipue induit virtutes. fere enim fit vt filij parentū insequantur mores. Quocirca eas in tribus collocavit tabernaculis, & in primo quidem paupertatem, nō ab re, quoniam dominus ipse noster omnium rerū cognitor perspicacissimus & censor equissimus, primos beatitudinis affectores definiuit, qui pauperes essent spiritu. Et in omnibus paradoxis & consiliis suis nihil tantopere commendauit, quanto paupertatem, & rerum omnium abdicationem, præuidens nimirum per opū incrementa & paupertatis cōtemptum, veram religionem & omnis honestatis amorem labefactatū iri. Quam rem ne demones quidē tacuerunt, vaticinantes & Lacedæmonicę & Romanę gentis imperia per diuitiarum luxum ad interitū ventura. Verum vt nō omnium erat olim adire Corinthum, ita nec omnium est agnoscere paupertatis, quippe vti Lucanus cecinit, nondum intellecta deorū munera. Omnes enim (vt Comicus inquit) ad rem fumus audiores, ideoque vt ad prouinciam penitus terribilem, & factu difficillimam, sed plane diuinā, Maronianus Euander, hospitem suū Aeneam hisce inuitat verbis: Aude hospes cōtēnere opes, & te quoque dignū finge deo. Quę verba acerrimo vir iudicio plurimi aestimat Seneca, non minoris a quouis christiano aestimanda. Sunt enim paradoxo illi dominico cōsona: Si vis perfectus esse, vade, & vade omnia quę habes, & da pauperibus. Perfectum enim sic esse est se fingere & efformare vt sit dignus deo: alioqui dicat dominus, Qui nō reliquerit omnia propter me, nō est me dignus. Vnde & angeli ad pastores: Et hoc vobis signū: Inuenietis infantē pannis involutū, & positū in præsepio. Quod signū nisi

diuinitatis sub panniculis latētis: Nā & viuentis & moriens nō habuit quod caput inclinaret.

De modestiā ac humilitatis laude. Ti. VI.

Tantum ergo absuit vt hunc paupertatis buccinatorem, modicorum parentū, aut toleratę per adolescentiam totam in opib; puerit vel poenituerit, vt se pauperissimum nō semel prædicarit, & paupertatis ac modestię amorem omnibus quāmaximo posset studio induxerit, multum in hoc instituto a vanissimo illorum factu discrepans, qui parentes & affines tenues agnoscere recusantes, si quem vel millesimo ramo dignitate aut diuitiis præditum, cognatum vel affinem habeant, illum semper in ore versant, similes (vt in apologis est) magni cuiusdam pontificis Mulo phaleris & stragulis superbo, qui ab equis sepe rogatus, quisnā illi pater fuisset, nescio, inquit, at auus maternus regius erat cursari? illius cretus semine, cui diuus Georgius cum draconem stererent, infidebat. At non ira Thomas paupertatem suam, & parētum modicitatem, vt rem gloria dignā prædicans, & sese per hoc humilians, insecutus vt opinor modestiā & candorem diui Perri apostolorum principis, cui cū Paulus in faciem restitisset, idq; ad corroborandam fidei libertatem scriptis cōmēdasset, adiciens in epistola ad Galatas, quia reprehensibilis erat: ipse non solum non inuidit ei aut scriptis eius, verum etiam vltro commēdauit in epistola posteriore sic scribēs: Sicut & charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit: sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de iis in quibus sunt quædā difficilia intellectu, quę indocti & instabiles deprauant. Neque id in hoc Thomamagnopere mirandum, vt qui norit eam virtutem in Christiana pietate plane heroicam censerit, cum eā ethnici ne nomine quidem tenus receperint, interpretantes eam abiectiōnem, & citra decorū extenuationem, quomodo, licet rarius, in sacris quoque literis nonnūquam accipitur. Iudæi vero eius efficaciam non ignorauerunt quidē, scientes dominū in orationem humilium respicere, & humiles saluos facere, vnde legimus humiliationē Hesteres, Judithis, Regisq; Niniuitarū & omnis populi: verum Christiani in ea excelluerunt, securi certissimum ductorem Christū ita dictitantem: Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. quam humilitatem ad nostri eruditionem multis cōprobauit argumentis. Primo, quia cū esset splendor paternę glorię, tamen formam serui etiā (vt Thomas dicit) mali accipiens, de virgine sanctissima quidem, sed de plusculis peccatoribus orta, nasci dignatus est, & perraro & coram paucis, nisi adiuratus, se si-

Thomas Campis humilitas ac modestia.

Apologus in fastos & vana tumidos.

Diui Perri humilitas.

z. Pet. 3.

Christi humilitas.

Thomas Campis quatuor de reb. sibi in domino gratulabatur.

lium dei, frequentissime autem filium hominis prædicauit, idq; numero vnitatis, vel quòd solam virginem agnosceret in terris parente, vel q; vnus hominis, videlicet Adami, & ita totius generis humani, cuius seruandi ergò venerat, sese profiteretur filium. Scimus enim totum, id est genus ipsam, vnitatis significari numero, vt pluralitatis partes, vt indicat terra & terra, mare & maria. Secundo quòd cum esset dominus dominatum, & regum rex omnium, sic cõuersatus est inter modicos ministros, vt qui ministraret, etiam traditoris sui minime incogniti pedes lauare dignatus. Tertio quòd gloriam suam nusquã quæsiuit, quanuis euangelista de eo scripserit, Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti, plenum gratiæ & veritatis. Sed quid per singula curram, cum tota eius vita sit modestiæ & humiliatiõis norma? Quinetiam sanctissima & ab omni labe purissima mater eius, qua citra deũ nec maius nec sanctius quicquam excogitari potest, humilitatis efficaciam agnoscens: Quia, inquit, respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes, humilitati nimirum acceptum ferens, quòd cæli & terræ dominum in virginali gestaret vtero, non virginali castitati, non integerrimæ charitati, non incõparabili spei ac fidei, nõ deniq; aliarum virtutum omnium consummationi: ideoq; mox paulò in cãtico eodem, Deposuit (inquit) potentes de sede, & exaltauit humiles. Præterea Baptista, pco & index domini Ioannes, quo inter natos mulierum nõ surrexerat maior, ingentis humiliationis præ se ferentia, verissima tamen confessione, cum facile populo persuadere potuisset se esse Christũ, confessus est & non negauit, confessus est quia nõ sum ego Christus, immo inquit, venit fortior me post me, cuius non sum dignus procubens soluere corrigiam calciamentorũ eius. Et ideo veniẽti ad se vt baptizaretur domino, ait: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Alter quoq; Ioannes peculiari quodam amore à domino dilectus, eumq; mutuo amore sic profecutus, vt totus charitatis igni inardesceret, in euangelio cum de dilecti diuinitate magnifice vbiq; loqueretur, deumq; de deo, & apud deum, & lumẽ de lumine illuminans omnem hominẽ, prædicaret, de se id modò expressit, quòd ab eo dilectus esset, nõ sui laudandi, sed grati in dilectum animi significandi gratia. Quocirca minus recipiam eos qui ipsum de se dixisse illud aiũt: Fuit homo missus à deo, cui nomẽ Ioannes, cum de Baptista manifeste dictũ sit, vt de quo propheta extabat: Ego vox clamantis in deserto, &c. In epistolis autem quanuis præcipuam de dilectione dei & pro-

Marie
Deiparæ
humilitas.

Ioã. Ba-
piste hu-
militas.

Ioã. Euã-
gelistæ
humilitas.

ximi nauaret operam, tamen sui humiliandi nõ immemor, Si dixerimus, inquit, quòd peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Nihil enim efficacius est ad pij animi humiliationem, q̃ se peccatorem fateri. At Paulus ipse, vas electionis, in tertiu vsq; cælum raptus, vbi arcana vidit, quæ non licet homini effari, cui magnitudo reuelationum facta est, qui euangelium quod prædicauit, non accepit neq; didicit ab homine, sed per reuelationẽ Iesu Christi: cui Iacobus Cephas & Ioannes columnæ ecclesiæ, dexteræ dederunt societatis: doctõr inquam ille incõparabilis gentium, quæ nõ emisit humiliandi sui testimonia? Paulus, inquit, seruus Iesu Christi, carnalis sum, venũdat? sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Fratres ego me nõ arbitror comprehensisse. Nouissimo autem omnium tanquam abortiuo visus est mihi dominus. Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiã dei. Et rursum: Iesus Christus venit in mūdum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, qui prius blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem illorũ qui credituri sunt illi in vitam æternã. Sed ad quid reliqua perscribam, cum omnia omnium apostolorũ & facta, & dicta & scripta, aut humilitatis sint testimonia, aut ad humiliationẽ exhortatoria: nec ab re, cum deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam.

De patientiæ laude. Tit. VII.

In eodem parentũ venerandi Thomæ turgurio, humiliq; casa, tertij quoq; tabernaculi præsidem, familiarem sibi fecit patientiam, quæ sanctæ perseuerantiæ parens est, cui vni laborum omnium reponitur merces & corona. Parum enim fuerit bene incepisse, nisi ad finem vsq; perduxeris. At qui à teneris vnguiculis & primis incunabulis in re tenui duriter educatus, viderit patrem assiduo labore, & in sudore vultus sui panem manducantem, matrem in educatione liberorũ sedulam, ad custodiam rei domesticæ attentam, in opere alacrem, in victu sobriam, in potu abstemiam, in verbis parcam, in factis pudicam, vix possit sentire, ne dicam reicere, laborum aut parsimonix duritiam. Quocirca Malleolus in paternis laribus ad omnem patientiam & inopiã tolerantiam institutus, facile cum esset Dauentriæ, eleemosynis ad literarum studia nutriendus, omnes labores, omnemq; inopiã pertulit. Qui etiam laborum suorum mercede se, geniumq; suum fraudans, præciũ scripturæ

Pauli hu-
militas.

Thomæ
Camp.
patientia.

Laus o-
perum
Thomæ
Campis.

pturæ suæ ad pedes præfecti pauperum in cõmunem alimoniam apposuit. Deinde cum sexennium totum ad religionis regularis specimen impenderet, quam non exhibebat patientiam? Adde quum religionem illam professus, tam esset in choro assiduus, tam in cohortandis sodalibus strenuus, tam in suscipiendis & consolandis peregrinis & hospitibus comis & benignus, tam denique in contemplandis diuinis seruens, quanta putas tolerantia, quantaque præditus fuerit patientia, qui tot horas nocturnæ quieti, & permixtæ interdium ab opere vacationi, suffurari potuerit, vt tot ad bonorum eruditionem & exhortationem libellos, quot hic videbimus, conscriberet, emendaret, emitteret? Quorum singuli, si eorum ad sacras literas cõformitatem aut allusionem, ad sanctorum patrum & ecclesiæ doctõrum placita, & eorum consensionem respexeris, videantur totam hominis vitam sibi vendicasse. E re igitur quam tam vtilem cognouit, tantopere in libellis suis extulit patientiam. Virtus nam vidua est, quam non patientia firmat. Vnde & dominus: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et poetã: Superanda omnis fortuna ferendo est. Quam rem felicissime affecti sunt omnes fidei christianæ martyres, esse etiam patiendos victores, & præcipui voti compotes. Felicia igitur beati huius Thomæ incunabula, in quibus concepit tot tantarumq; virtutum seminaria.

De Gerardo Magno coinstitutore clericorũ regularium seu fratrum diui Hieronymi ac Gregorij, sub quibus Thomas Malleolus bonas & sanctas literas & religionem didicit.

Tit. VIII.

Tertio non minoris existimauit felicitatis, sed ingentis vltroque à deo in se collocati beneficij, quòd ab optimis præceptoribus, sanctissime viuentibus, & optime tam verbis quam vitæ exemplo docentibus, pueritiam atque adulescentiam suam contigit institui. De quibus primum lubet paucis differere, quomodo & à quo instituti sint, & quæ eorum sint instituta. Deinde quomodo hic Thomas ad eos sese appulerit, & ab eis ad religionem animatus sit. Primum itaque quia videor operæ precium facturus, aut certe benevolentix meæ obtemperaturus, si paucis perscripsero sodalitiũ ac sanctam congregationem clericorum regularium, quos peculiari nunc Fratres vocant nomine, eorumq; institutores & instituta, vt partim ex Thomæ Malleoli monumentis collegi, partimque aut puer ipse vidi, aut ex optimis præceptoribus meis accepi Gandauĩ insigni Flandriæ oppi-

Ortus,
cunq; ac
instituta
congrega-
tionis
fratrum
sive cle-
ricorum
regula-
rium.

do in domo fratrum diui Hieronymi, id modo lubes tamen parergon aggredior. Anno igitur salutis humanæ millesimo trecentesimo & quadragesimo, natus est Dauentriæ, quæ vrbs clarissima est in territorio & diocesi Traiectensi, puer scitus, patre eiusdem vrbs ciue illustri & opulento, è familia Magnorum, qui vernacula sua groote dicuntur, quem christianis expiationibus iniciatum, & iustri baptismate purgatum, Gerardum curauit nuncupandum: & transactis primis infantix annis, literulis erudendum bonis viris tradidit: & vbi iam quindecimum (vt accepi) ætatis ageret annum, Parrhosios misit: vbi cum insigni laude bonarum artium adeptus est insignia, annum iam agens decimum octauum. Deinde aliquantisper illic cum theologis cõuersatus, cum esset acri ingenio, & indefatigabili studio præditus, supra modum profecit. Qua fama audita pater lætus ipsum domum reuocauit, vbi doctrinæ & eruditionis acceptæ omnibus mirificum dedit specimen, disputando, percunctando, interpretando & docendo, ita vt omnibus esset stupori. Nec contentus ea gloria adit Coloniam Agrippinam vrbe insignem, & bonarum artium academiã illustrem, splendidis vestibus, vt qui in amplo patrimonio natus & educatus fuerat, amictus: & illic modo cum doctis viris congressus, modo publice profitens ac prælegens, magnum nominis sui accepit incrementum. Accidit autem vt cū illic esset spectaculis publicis intentus, veniret ad eum quidam missus ab anachorita per reuelationem edocto, qui auriculam eius vellens, oraculum hoc instillauit, Non tibi Magne diu spectacula vana placebunt. Nanque vocare alio. Quæ verba non minus quàm Sybillæ folia veridica, licet ipse tunc parui faceret, mox tamen verissima comperit. Nam paulopost venerabilis quidã pater ac primus patrum Carthusianorũ Monichusen, id est monachorũ domus, insignis in Gelria, qui cum ipso Gerardo in literariis gymnasijs conuersatus fuerat, eiusq; ingenium, indolem, & doctrinam riorat, grauitè ferens virum tam doctum, & bono horoscopo boniq; parentibus natum, mundi vanitatibus irretiri, admonuit sodales vt secũ pro conuersione & respicientia cuiusdam amici sui orarent. & paulò post pro domus illius negociis curadis Traiectum vbi Gerardũ suum tunc agere audierat, se recipiens, peractis illis, Gerardum conuenit, & sanctis cohortationibus & admonitionibus, quas Malleolus noster graphice describit, a mundi pompis, carnis illecebris, & diaboli laqueis ad sanctioris vitæ amorem attraxit. Neque eum diu occu-

Comperit
diu vi-
te Gerar-
di Ma-
gni.

luit. nam paucis ex illo elapsis diebus, vestium luxum omnem reiecit, capillos in coronam rasi, indumentum piceum seu griseum & oblongum super cilicium asperrimum induit, & pro mitra magistrali capitium nigrum, redimiculo à tergo ad cincturam demisso illi que illigato accepit: & insuper, quoties egredendum erat, pallium in talos vsque demissum, sed viliori lanitio cõtextum, assumpsit. Quam vitæ mutatione ij qui nesciebant esse dexteræ excelsi, & qui cuiuscuius esset, imitari volebant, naso suspendentes acuto, irridebant, dicitantes hominem insania vexari. Ipse vero patientissime ferebat, gaudens quod dignus esset pro imitatione seruorum Christi contumeliam pati. Vt autem instructior esset ad vitam regularem ducendam, & aliis prædicandam, monasticos viros vitæ sanctimonia claros, & claustrali disciplina ad amissim institutos, sæpe visit ac consuluit, & plusculos dies Carthusiam Monasticæ domus in Gelria incoluit. Venerabilem quoque virum, & sanctitatis fama illustrem Ioannem Rusebrocum Vallisuiridis Canonicorum diui Augustini adhuc pauperum bonorum temporalium, sed cælestium prædicatorum, primarium, iuxta Bruxellas oppidum Brabantia perurbanum, inuisit. In quo doctrinæ exuberantiam opinione maiorem, & sancti spiritus charismata mirifica agnouit. A quo & eruditior, & ad sanctiorem vitam ducendam & prædicandam aliis animatior effectus, Dauëtriam rediit: vbi & religiosorum & sacerdotum bonorū & doctorum cõsilio ad prædicationem diuini verbi est accinctus, acerbissimus foeneratorum, adulterorum, sacerdotum concubinariorum, & plurium beneficiorum inutilium possessorum reprehensor, iuuentutis autem vtriusque sexus prudentissimus, ad castam vitam, mundani luxus & diabolicæ perfidiæ cõtemptum exhortator, per Traiectensem fere dicecësim etiam in Hollandia verbum dominicum seminans. Aedes autem paternas, atque omnes patrimonij sui fati opulenti facultates ad caste ac sancte secum viuere volenti exponit sustentationem. Vnde effectum est, vt breui magna vis sanctorum virginum ad ipsum conueniret, quibus addita peculiari domo, operis foeminini, nendi, texendi & similibus artibus vitam sobriam tutari iussit, donec in lege dominica & monastica vita instituta, quæ vel lent (volebant autem plurimæ) vestalem profiterentur vitam. Maior tamē bonorum puerorum ac pauperum clericorum vndique ad eum conuolauit numerus, quibus sanctorum librorum scribendi statis horis, hoc est studio literarum non necessariis, prouinciam assi-

gnauit, mercedem iustam singulis quidem reponens, sed non semel totam, vt sæpius venientes sæpius sanctas ad religionem exhortationes vnā cum pecuniola acciperent, & ne semel acceptam prodigaliter absumerent. Hoc itaque prædicandi, orandi, docendi, exhortandi, sanctissime & austerissime viuendi, & mudi, ac quicquid eius esset, contemnendi studio in eo perpecto, adhaerunt illi complures viri docti, inter quos præcipuus & inter primos venerabilis futurus pater Florentius Leiderdamus in confinio Hollandia ad sextum à Traiecto lapidem, claris & splendidis natalibus ortus, & liberalium artium in Pragensi apud Bohemos gymnasio tunc claro, & nondum hæresi (quæ adhuc cristam erigit) infecto, professor cum insigni laude effectus, in collegio diui Petri apud Traiectum canonicatum adeptus, omni pompa & opum splendore dimisso, sanctissimi Gerardi sodalitiū iniiit, à quo tandem omni ex parte probatus, quanquam inuitus ad sacerdotium est prouectus: & ecclesiæ sancti Lebuini Dauëtrienfis vicarius constitutus, toti clero, omni que populo præluxit eoque, vt à Magno ipso iam iamque naturæ legibus & fati concessuro, totius sodalitiij prædonom⁹ ac moderator sit electus. Obiit autem Magnus plenior sanctitatis quæ dierū Anno domini M. CCCLXXXIII. ætatis suæ XLIII. cum ingenti sanctæ vitæ præconio, quod nec chronicarij celebres reliquerunt tacitum. Sed priusquam ad superos transiret, ad religiosas domos extruendas opes animosque adiecerat: verum quod ipse præuentus morte nõ potuit, per successores effectum est, à quibus extructæ sunt domus duæ Canonicorum sub regula diui Augustini militantium nūc valde illustres, altera in Vvindheshem, altera in diuæ Hagnes monte iuxta Svvolas, vt latissime scripsit Malleolus.

De clericorum regularium qui vulgò Fratres dicuntur, institutis & incrementis.

Tit. IX.

Post transitum itaque Gerardi Magni, successor eius Florentius, fragilitatis humanæ neque ignarus neque immemor, vt sancta & salutaris illa institutio non statim intercederet, ex sodalium præsertim seniorum consilio, quam à Magno didicerat, formam viuendi omnibus sui sequacibus citra vorum seruandam præscripsit. Statuitque vt quàm proxime possent ad apostolorum & primæ Christi ecclesiæ vitam accederent, ita vt in tota congregatione esset cor vnum, & nullus quicquam sibi duceret aut diceret proprium. Nullus extra domum sacerdotia ambiret, nec vbiuis

Florētius
Leider-
damus
Gerardo
Magno
adheret.

vbiuis gentium aut beneficia ecclesiastica aut officia mūdana luci gratia. Domi autem qui digni inuenirentur, ad sacerdotia sancta non nummosa promouerentur. Omnes autem caste & in paupertate viuerent, in eo habitu quæ magnus instituerat. Nullus ostiatim mendicaret: & ne ad id paupertate cogerentur, cauit ne quisquam ocio indulgeret, sed omnes vbi docti essent, sacros libros scriberent, aut pueros docerent. Deum ipsi, & omnes quos erudirent, summa pietate venerentur & colerent. Proximum iusta charitate diligerent, & elemosynis indigentem iuxta facultatem fouerent. Ipsi autem inter se fraternam charitate coniuerent. Primario seu patri suo in omnibus licitis & honestis sine magna inquisitione audientes essent, vt qui summum in charitate & obedientia meritū reponerent. Omnia præterea lucra, siue ex communi siue ex priuato labore obuenerent, iuxta apostolicum institutum ad primarij ponerent pedes, nihil (si qua forte occasione sodalitiū dereliquerent) secum asportaturi. Qua forma ab eis suscepta, mirum in modum excreuerunt, ita vt colonias & quasi apum sanctorum examina ad totam fere Germaniam emitteret: sursum in Frisiam, Vvestphalam, & subsequentes paulatim prouincias: deorsum in Gelriam, Hollandiam, Brabantiam, Flandriam, & hisce diebus Cameracum vsque, vbi opera & accuratione eximia doctrinæ & laudatæ vitæ Parisiensis scholæ theologi Magistri Ioannis Standonci, honorabilem inceperunt academiam, missuri (si vero ducor augurio) propediem per omnem Galliam strenuus vineæ dominicæ colonos. Quod non esset magnopere mirandum iis qui eorum mores ac instituta, & quæ ex eis Christiana religio sumpserit incrementa, norint. Cuius rei Malleolus noster in proximo capite amplissimum perhibebit testimonium. Nam ex huiusmodi clericorum regularium ac fratrum congregatione in diuersis locis constituti sunt alij sanctorum monialium, alij pauperum religiosorum nondum sacerdotes habentium, patres, & confessionum auditores, sacramentorumque administratores. Ex discipulis autem & eorum auditoribus referta & sustentata sunt omnia veræ religionis coenobia, vt Thomas prædicat, Carthusiensium, Cisterciensium, Benedictinorum, & præcipue canonicorum diui Augustini: quos quasi bis canonem seruantes, iterato vocabulo Regulares vocant. Notra autem tempestate, vt ipse vidi, quàm plurimi è domo Gandauenſi ingressi sunt coenobia Minoritarum regulam sancti Francisci obseruantium, & Prædicatorum, & Carmelita-

Fratres
quare ca-
nonici
simul &
regula-
res dicuntur.

rum, qui duo illic antiquas & merito laudatas habent congregationes. Nam à pueritia mea vidi eos in ordinis sui obseruatione & sanctitatis splendore suauissimum ad populi ædificationem odorem Christo offerentes. Sed audiamus Malleolum ita de se capite primo de discipulis Florentij differentem.

De Thomæ Malleoli ad dictos fratres appulſu, & apud eos ædificatione.

Tit. X.

Cum igitur studij causa in annis adolescentiæ Dauëtriam peruenissem, quæ suū iter pergēdi ad regulares in Vvyndeſem. Ibi que inuentis fratribus canonicis regularibus cum germano meo, hortatu illius inductus sum adire summæ reuerentiæ virum magistrum Florentium Dauëtrienſis ecclesiæ vicarium, sacerdotemque deuorum, cuius fama dulcissima ad partes superiores iam ascenderrat, & in amorem sui mentem meam traxerat: quem frequens turba scholarium in diuinis rebus agentem commendare solebat. Visus enim & auditu iustus erat, atque omnium oculis gratiosus, vt pote verus dei cultor, & sanctæ matris ecclesiæ deuotissimus venerator. Venientem ergo ad præsentiam patris reuerendi, mox pietate motus, aliquantisper me secum in domo tenuit, & ad scholas instituit, datis insuper libris quibus me egere putauit. Demum hospitium cum quadam honesta & deuota matrona gratis impetrauit, quæ mihi & aliis multis clericis sæpius bene fecit. Adiunctus itaque tam deuoto viro & fratribus eius, quotidie deuotam eorum cõuersationem attendi & inspexi, & gauisus sum ac delectatus in bonis moribus eorum, & in verbis gratiæ quæ de ore humilium procedebant, quia nunquam prius tales homines tam deuotos & feruentes in charitate dei & proximi me vidisse memini: qui inter seculares viuentes, de seculari vita nihil habebant, nihilque de terrenis negociis curare videbantur. Nam domi quiete manentes, libris scribendis operam sollicitè dabant, sacris lectionibus & deuotis meditationibus frequenter insistentes, ad iaculatas orationes laboris tempore pro solamine recurrebāt. Mane etiam dictis matutinis horis ecclesiam visitabant, & inter missarum celebrationem, primitias oris sui & cordis suspiria deo libantes, puras manus & oculos mentis corpore prostrati leuabant ad cælum, precibus & lamentis deum sibi per hostiam salutarem reconciliari quærentes. Huius eximie congregationis primus institutor & spiritua- lis rector extitit dominus ac magister Florentius, virtutibus ornatus, & diuina sapientia &

Thomas
Camp.
ad Flo-
rentium
recipit
totè.

Forma
la vitæ
fratrum.

intelligentia in agnitione Christi refertus, sacrae apostolicae vitae cum suis presbyteris & clericis formam humilior imitando. Isti ergo cor unum & animam unam in deo habentes, singuli quae sua erant in commune conferebant, & simplicem victum ac vestitum accipientes, de castino cogitare vitabant. Sponte namque se deo dicantes, omnes rectori suo aut eius vicario obedire satagebant, & sanctam obedientiam pro summa regula tenentes, totis viribus se ipsos vincere, & passionibus resistere, ac motus propriae voluntatis frangere nitentur, rogantes in super feruenter, ut pro defectibus & negligentis suis seriose corriperentur. Idcirco gratia magna & vera deuotio erat in eis, & multos edificabat verbis & exemplis: atque patienter derisiones secularium ferentes, plures etiam ad seculi contemptum perducebat. Et qui antea illos despexerant, vitam eorum sine honore tanquam stultitiam existimantes, postea ad deum conuersi, & deuotionis gratiam experiti, veros dei seruos & amicos, palam illos conscientia perurgente fatebantur. Multi ergo viri ac mulieres mundana felicitate contempta conuersi sunt ad dominum, & consiliis dilecti patris domini Florentij innitentes, praecipua dominica seruare, & misericordiae opera Christiana deuotione in pauperes exercere studuerunt. Adiuuabant autem cum omnes fratres sui, verbum vitae retinentes, qui tanquam luminaria caeli in medio turbarum lucebant mundo senescenti. Quidam etiam sacerdotes scientia diuinae legis illustrati, strenue in ecclesia praedicabant, quorum ex praedicatione fideles populi in actibus piis exercendis & sermonibus sacris audiendis salubriter sunt instructi. Hec illic, & in vita Arnoldi quae habetur ca. XIIII, dicit sic, Eodem tempore adiuuante domino Florentio, & consulente, domum illam, (scilicet pauperum studentium) inhabitare coepi, & ferè per annum in congregatione illa cum Arnoldo permanens, simul una camera, unoque lecto ambo contenti. Ibi quippe didici scribere, & sacram scripturam legere, & quae ad mores spectant, deuotisque tractatus, audire. Ad seculi quoque contemptum fortius animabar, maxime dulci conuersatione fratrum, & pia admonitione Arnoldi quotidie adiutus & instructus. Quicquid tunc scribendo lucrari potui, in sumptus communes tradidi, & quod mihi defuit, larga pietas dilecti domini mei Florentij pro me persoluit, & paterne in omnibus subuenit. Haec & his similia in pluribus locis Thomas noster, quae ut ab eo scripta sunt, ideo sic reposui, ut ipsius testimonio probem quod assumpsit, ipsum summi

Arnoldus
Thomae
adeft.

beneficij loco deputasse, quod inter sanctos contigisset versari, & à talibus institui. Nunc paucis absoluamus reliqua.

De animatione Thomae nostri ad religionem
Canonicam Augustini. Tit. XI.

Quodam igitur die festo, peractis iam rite diuinis, cum Florentius alumnus suum Malleolum solito alacriorem adnotasset, vocatum ad se in cubiculum sic affari instituit: Thoma fili in domino charissime, tempus appetit quo constituendum est tibi genus vitae, qui & qualis & in quo genere esse velis. Iam enim ad Pythagoricae litterae biuium accedis. Vides quot in mundo sint erumnae, quot laquei, quot pericula & mala difficulter euitabilia. Et si forte quippiam in eo dulce aut delectabile visum, quod dulce est, quam citissime praeterit: at quae id ipsum sequitur poenitentia, aeternum manet. Saepè item & nobis & fratribus nostris admonentibus audiisti, de omni cogitato, dicto & facto, seuerissimo & infallibili iudicio Christo rationem esse reddendam. Credere enim oportet accedentem ad deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Statutum itaque est omnibus mori, & nescimus quando. tot enim nobis fata impendent, ut vere dictum sit, Nemo tam diuos habuit fauentes, crastinum ut posset sibi polliceri. Nam ut cecinit alter, Quis scit an adiciant hodiernae crastinae vitae tempora dii superi? Ast ubi cecideris, cauesperes amplius salutarem tibi dari poenitentiam. Iurauit enim angelus per viuentem in seculorum secula, quod tempus non erit amplius. Iuxta quod scriptum est: Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quemcunque locum ceciderit, illic erit. Neque id difficile creditu, quando nec è caelo deinceps vilius erit detrusio, nec ab inferno redemptio: & necesse est ut tandem ad alterutrum semper ibidem permansuri traducamur. Vae autem, & aeternum vae, iis qui ad infernum, quia qui minimis (cum nulla sint parua) illic vergebitur tormentis, grauiora feret, quam si ipse vnus à mundi constitutione vsque ad eiusdem consummationem omnes omnium viuentium cruciatus tulerit. Quamobrem clementissimus animarum nostrarum redemptor, & zelator optimus, Quid, inquit, prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animam vero suam patiatur detrimentum? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Ideoque saepe nos monuit, ut semper vigil-

Florentij
ad Thomam
parrhenis.

gilemus, quia non scimus diem neque horam. Quod ex abundantia miserationum suarum effecit, ne si horam sciremus, tardaremus ad eum conuerti. Couertamur ergo ad eum dum tempus habemus, ex corde nostro, & beati qui à teneris annis. Bonum enim est viro cum portauerit iugum domini ab adolescentia sua, & illi de se holocaustum fecerit, totumque incenderit, caput cum cauda, ne florem aetatis, mundo, carni & daemone impertitus, in ualida caudam deo recipiat. Est autem, ut saepe accepisti, via duplex ad salutem ducens: actiua altera, quae est Christum per bona opera demerentium: altera contemplatiuorum ad Christi pedes cum Maria sedentium, quorum & deo acceptior, & ipsis vtilior est prouincia. Siquidem domino desinente Maria optimam partem elegit, quae non auferretur ab ea. Vtrauis autem delegeris, tutius & rectius eam in claustro quam in mundo gesseris. Totus enim mundus in maligno positus est, plenus (ut Antonio visus est) laqueorum, & diuitiarum spinis oblitus, vsque adeo ut facilius sit camelum per foramen acus transire, quam diuitem caelos ingredi. Neque credas claustrales ocio languere. magnum enim opus est assidue deum orare & laudare, frequenter ieiunare, corpus in seruitutem redigere, vigilare, somnum interripere, & suis horis se etiam operibus manuum exercere. propterea ne putes eos actiuae vitae mercede fraudari. Sunt enim veluti infirmi ad sarcinas relictis, qui si pro certantibus & strenue agentibus orauerint, aequa erit pars descenditis ad praedium, & remanentis ad sarcinas: & similiter diuident. quae lex à Dauide magno constituta, in aeternam diem seruabitur. Audiens itaque sis domino dicenti, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni & sequere me. Neque dicas, Nihil pater quod vendam habeo. Nam te ipsum habes, corpus habes, voluntatem habes. haec offer domino, & regni caelorum mercedem reponet. quamquam ipsius sunt omnia, nec vno tantum nomine. Nam si ut verissime mellifluus inquit Bernardus, ipsi debemus nos & nostra omnia creationis nomine, quid redemptionis tam copiosae, ut ne gutta quidem in eo maneret sanguinis? Quid amoris in nos tam immensi, ut animam suam pro inimicis per mortem crucis poneret? Quid liberalitatis tanta, ut pro suis & sibi debitis aegre repositis hic centuplum restitueret, & vitam nihilominus aeternam conferat? Neque dubito quin beneuolus, gratus & memori sis in tam optime de nobis meritum animo. saepe enim perspexi in te pietatis indicia. Sed forsitan sciscitaberis quam po-

Christo
omnia
debem.

tissimum commendem religiosorum formulam, sunt enim plurimae, & omnes bonae. Sed iis qui à nobis sunt instituti, ea videtur optima, quae optimus pater noster Gerardus magnus, in ea saepe conuersatus, nobis moriens reliquit commendatissimam, Canonicorum videlicet sub canone diui patris Augustini viuentium, quorum (ut nosti) duo nuper eximus collegia. Ad haec optimus adulescens Thomas vix raris vocibus hiscere tandem potuit, Quod multis votis plures iam dies optavi pater, etiam sperandi ansam praebes. Quandoquidem enim in Vindeshem germanum habeo, vtrina faxit charitas tua, ut in mote diuae Agneris locum inter condiscipulos charissimos inueniam. Tentabo, inquit, & postredie dedit illi ad coenobij primarium literas.

De ingressu Thomae in domum religiosam,
& dereliqua vita eius in eadem. Tit. 12.

Aceptis itaque literis optimus adulescens ad dictum coenobium aduolauit, more apostolico ad primam vocationem dominum secutus, ne forte illud audiret, Vocauit, & renuisti. aut illud, Vocabis tu me in orationibus, sed non exaudiam te, quia renuisti vocem meam audire. Quasi sibi dictum putaret à poeta, Tolle moras, nocuit semper differre paratis. aut à propheta, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Quod quia Iudaei fecerunt, & Christum non receperunt, nouit quam pessime cum eis actum. Primarius autem lectis literis ingenti gaudio est intus quidem affectus, quia & puerum nouit, & sciuit neminem à Florentio commendari temere: vultu tamè seueriore ad bonum pueri ad pedes prostrati, Periculū, inquit, facia, in literis, moribus, valetudine tua, an onera nostra nobiscum perferre valeas. dataque manu ad reliquos nouitios produxit. At quauis in omnibus morigerum, & ad religionem aptissimum comperit, illius tamen professionem sexennium totum distulit, siue quod tunc cauebant quenquam adhuc rerum imperitum ad ignorantum rerum vota astringere, siue quod è re adulescentis existimabat, ipsum prius per omnia probare. Admissus ergo ad tantum ordinem, agnouit quartum illud quod supra tetigimus dei in se beneficium, de quo in soliloquio sine tractans illud apostolicum, Videte vocationem vestri &c. sic meminit: In me haec considero, qui contemptibilis & inutilis huic mundo, tua sancta vocatione ereptus sum de ipsius naufragio, & ad seruiendum tibi, etiam tuo merui sociari collegio. At ne retrorsum iterum abirem, voto me sponte astrinxi. Quod utique non meis meritis,

Thomas
cano-
bium in-
greditur

fed tuæ deputo prouidentia, de quo te magnifice laudo &c. In sodalitiū igitur sanctissimum admiffus, omnes depleuit religionis numeros, sic comis, sic affabilis omnibus, vt omnium suffragio fuppræfecturæ seu fuppriora-
tui licet renitēs præficeretur: verū quia propenfum ad eleemofynas viderūt, procuratorem rerum communium cōstituerunt. quam prouinciam diligenter quidē obiuit, fed quia à meditationibus sanctis, & à componendis optimis libris quos in manibus habemus, auocabatur, fupprioratui reftitutus est. Sæpe autem dum colloquendi, & familiarius cum fodalibus cōuerfandi comeatum habebat, perfenfit intus fe alloquentem dominum, atque honestiffime petita difcedēdi venia, Ab-eundum, inquit, mihi fratres est, nam est quicum in cella colloquēdum est. Quam rem illi ex sanctitatis eius opinione agnolcentes, faciles annuerunt. Quinetiā signa quædam quæ tacito nomine ad incerti preces facta recitat, ipfius precibus ostensa creduntur, vt illud de fugatione dæmonis per inuocationem sanctissimorum nominum Iesu & Mariæ, de libri periti in cella receptione, atque alia plufcula. Vixit autem in sanctiffima religione à prima admiffione vsque ad diem trāitus annos LXXI. atque ita (vt colligere licet) grādi ætate præditus. Nam dicit fe in adolefcentia Dauentriam veniffe, & septenniū sub Florentio steriffe. Quocirca si duodecim annorū Dauentriam est appulfus, nouendecim est in coenobiū admiffus, & XXV. professus. Atq; ita nonagenarius ad fuperos migravit, anno salutis M. CCCCLXXI. Quem calculum Spanhemensis non recipit, qui anno M. CCCCX. floruisse dicit. Migravit itaq; plenus dierum & sanctitatis: cuius sanctiffimæ vitæ & optimæ doctrinæ misericordiarū pater nos ita faciat imitatores, vt fimus & præmiorum confortes. Amen.

F I N I S.

CAPITA LIBRI PRIMI
De imitatione Christi, falso quondam
Cancellario Parisienfi ascripti.

De cōtemptu omniū vanitatū mundi.	Cap. i.
De humili sentire ac fcire fuiipfius, seu de fe ipfo.	Cap. ii.
De doctrina veritatis.	Cap. iii.
De prudentia in agendis.	Cap. iiii.
De lectione sanctarum scripturarum.	Cap. v.
De inordinatis affectionibus.	Cap. vi.
De vana spe & elatione fugienda.	Cap. vii.
De cauenda inimici familiaritate.	Cap. viii.
De obedientia & subiectione.	Cap. ix.
De cauenda superfluitate verborum.	Cap. x.
De pace acquirēda, & zelo proficiēdi.	Cap. xi.
De vtilitate aduersitatis.	Cap. xii.
De resistendo tentationibus.	Cap. xiii.
De temerario iudicio vitando.	Cap. xiiii.
De operibus ex charitate factis.	Cap. xv.
De sufferentia defectuum aliorum.	Cap. xvi.
De monastica vita.	Cap. xvii.
De exemplis sanctorum patrum.	Cap. xviii.
De exercitiis boni religiosi.	Cap. xix.
De amore solitudinis & silentij.	Cap. xx.
De compunctione cordis.	Cap. xxi.
De cōsideratione humanæ miseræ.	Ca. xxii.
De meditatione mortis.	Cap. xxiii.
De iudicio & poenis peccatorum.	Cap. xxiiii.
De feruente emendatione vitæ.	Cap. xxv.
De interna conuerfatione.	Cap. xxvi.
De humili submissione.	Cap. xxvii.
De bono & pacifico homine.	Cap. xxviii.
De pura mēte, & simplici intēctione.	Ca. xxix.
De propria cōsideratione.	Cap. xxx.
De læticia bonæ conscientia.	Cap. xxxi.
De amore Iesu super omnia.	Cap. xxxii.
De familiari amicitia Iesu.	Cap. xxxiii.
De carentia omnis solatij.	Cap. xxxiiii.
De gratitudine pro gratia dei.	Cap. xxxv.
De paucitate amatorum crucis.	Cap. xxxvi.
De regia via sanctæ crucis.	Cap. xxxvii.

F. Thomæ

F. Thomæ Malleoli à Campis de Imitatione Christi Liber Primus:
cuius capita iam posui.

De contemptu omnium vanitatū mundi,
Caput Primum.

Ioan. 8.



VI SEQVI-
tur me, nō ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ, dicit dominus. Hæc sunt verba Christi, quibus ammonemur, quatinus vitam eius & mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, & ab omni cæcitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrū sit in vita Iesu Christi meditari. Doctrina Christi omnes doctrinas sanctorū præcellit: & qui spiritū Christi haberet, absconditum ibi manna inueniret. Sed contingit q̄ multi ex frequenti auditu euangelij paruum desiderū sentiunt, quia spiritū Christi nō habent. Qui autē vult plene & fapide Christi verba intelligere, oportet vt totam vitā suam illi studeat conformare. Quid prodest tibi alta de trinitate disputare, si cæreas humilitate, vnde displiceas trinitatē? Vere alta verba non faciunt sanctum & iustum, sed virtuosa vita efficit deo charum. Opto magis sentire compunctionē, quā scire eius definitionem. Si scires totam bibliam exterius, & omnium philosophorum dicta, quid totum prodesset sine charitate & gratia? Vanitas vanitatū & omnia vanitas, præter amare deum, & illi soli seruire. Ista est summa sapiētia, per contemptum mundi tendere ad cælestia regna. Vanitas igitur est diuitias perituras querere, & in illis sperare. Vanitas quoque est honores ambire, & in altum se extollere. Vanitas est carnis desideria sequi, & illud desiderare, vnde postmodū grauius oportet puniri. Vanitas est longam vitam optare, & de bona vita parum curare. Vanitas est præsentem vitā solum attendere, & quæ futura sunt non præuidere. Vanitas est diligere quod cū omni celeritate transit, & illuc non festinare, vbi sempiternum gaudiū manet. Memento illius frequentem prouerbij, quia non fatiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Stude ergo cor tuum ab amore visibilibus abstrahere, & ad inuisibilia te transferre. Nā sequentes suā sensualitatem, maculāt conscientiam, & perdunt dei gratiam.

De humili sentire ac fcire fuiipfius.

Cap. 2.

OMnis homo naturaliter scire desiderat, sed sciētia sine timore dei quid importat? Melior est profecto humilis rusticus qui deo seruit, quā superbus philosophus qui se neglecto cursu cæli considerat. Qui bene seipsum cognoscit, sibiipfī vilescit, nec laudibus delectatur humanis. Si scire omnia quæ in mundo sunt; & non essem in charitate, quid me iuaret coram deo, qui me iudicaturus est ex facto? Quiesce à nimio sciendi desiderio, quia magna ibi inuenitur distractio & deceptio. Sciētēs libētē volūt videri, & sapiētēs dici. Multa sūt quæ scire, parū vel nihil animæ profunt. Et valde insipiēs est, qui aliis intendit, quā iis quæ salutē suā deseruiunt. Multa verba non fatiant animam, sed bona vita refrigerat mentem, & pura conscientia magnam præstat ad deum confidentiā. Quāto plus & melius scis, tanto grauius inde iudicaberis, nisi sanctius vixeris. Noli ergo extolli de vlla arte vel sciētia, sed potius time de data tibi notitia. Si tibi videtur quod multa scis & satis bene intelligis, scito tamen quod sunt multo plura quæ nescis. Noli altum sapere, sed ignorātiā tuam magis fatere. Quis vis te alicui præferre, cum plures doctiores te inueniantur, & magis in lege periti? Si vis vtiliter aliquid scire & discere, ama nesciri & pro nihilo reputari. Hæc est altissima & vtilissima lectio, suiipfius vera cognitio & despectio. De seipso nihil censere, & de aliis semper bene & alte sentire, magna sapientia est & perfectio. Si videris aliquem aperte peccare, vel aliqua grauiā perpetrare, non debes te tamen meliorem existimare, quia nescis quandiu possis in bono stare. Omnes fragiles fumus, sed tu neminem fragiliorem teipso censēbis.

De doctrina veritatis.

Cap. 3.

Felix, quem veritas per se docet, non per figuras & voces transeuntes, sed sicuti fe habet. Nostra opinio & noster sensus sæpe nos fallit, & modicum videt. Quid prodest magna caullatio de occultis & obscuris rebus, de quibus nō arguemur in iudicio, quia ignorauimus? Grandis insipiētia est quod neglectis vtilibus & necessariis, vltro intēdimus curiosis & dānosis. Oculos habentes, non videmus. Et quid curæ nobis de generibus & speciebus? Cui æternum verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur. Ex vno verbo omnia, & vnum loquuntur omnia, & hoc est principium, quod & loquitur nobis. Ioan. 8. Nemo sine illo intelligit, aut recte iudicat.

Cui omnia vnū sunt, & omnia ad vnum trahit, & omnia in vno videt, potest stabilis corde esse, & in deo pacificus permanere. O veritas deus, fac me vnum tecū in charitate perpetua. Tædet me sæpe multa legere & audire. In te est totum quod volo & desidero. Taceant omnes doctores, sileant vniuersæ creaturæ in conspectu tuo: tu mihi loquere solus. Quanto aliquis magis vnitus sibi & interiori simplicitate fuerit, tanto plura & altiora sine labore intelligit, quia desuper lumen intelligentiæ accipit. Purus simplex & stabilis spiritus, in multis operibus non dissipatur, quia omnia ad dei honorem operatur, & in se ociosus ab omni propria acquisitione esse nititur. Quid te magis impedit & molestat, quàm tua immortificata affectio cordis? Bonus & deuotus homo opera sua prius intus disponit, quæ foris agere debet. Nec illa trahunt eum ad desideria vitiosæ inclinationis, sed ipse inflectit ea ad arbitrium rectæ rationis. Quis habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere seipsum? Et hoc deberet esse negotium nostrum, vincere videlicet seipsum, & quotidie seipso fortiorem fieri, atque in melius aliquid proficere. Omnis perfectio in hac vita quandam imperfectionem sibi habet annexam, & omnis speculatio nostra quadam caligine non caret. Humilis tuipsum cognitio certior via est ad deum, quàm profunda scientiæ inquisitio. Non est culpanda scientia, aut quælibet simplex rei notitia, quæ bona est in se considerata & à deo ordinata, sed præferenda est semper bona conscientia, & virtuosa vita. Quia vero plures magis student scire quàm bene viuere, ideo sæpe errant, & pene nullum vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas, sicut ad mouendas quæstiones, non fierent tanta mala & scandala in populo, nec tanta dissolutio in cœnobiiis. Certe adueniente die iudicii, non quæretur à nobis quid legimus, sed quid fecimus, nec quàm bene diximus, sed quàm religiose viximus. Dic mihi vbi sunt modo omnes illi domini & magistri, quos bene nouisti dum adhuc viuerent, & in studiis florent? iam eorum præbendas alij possident, & nescio vtrum de eis recogitent. In vita sua aliquid videbantur, & modo de illis tacetur. O quàm cito transit gloria mundi. Vtinam vita eorum scientiæ ipsorum concordasset, tunc bene studuissent & legissent. Quamplurimi pereunt per vanam scientiam in seculo, qui parum curant de dei seruitio. Et quia magis eligunt magni esse quàm humiles, ideo euanescent in cogitationibus suis. Vere magnus

Rom. 1.

est, qui magnam habet charitatem. Vere magnus, est qui in se paruus est, & pro nihilo omnne culmen honoris ducit. Vere prudens est qui omnia terrena arbitratur ut stercore, ut ^{Philipp. 3.} Christum lucrifaciat. Et vere bene doctus est, qui dei voluntatem facit, & suam relinquit.

De prudentia in agendis. Cap. 4.

Non est credendum omni verbo nec instanti, sed caute & longanimitate res est secundum deum ponderanda. Proh dolor, sæpe malum facilius quàm bonum de alio creditur & dicitur, ita infirmi sumus. Sed perfecti viri non facile credunt omni enarranti, quia sciunt infirmitatem humanam ad malum procliuam, & in verbis satis labilem. Magna sapientia est non esse precipitem in agendis, nec pertinaciter in propriis sensibus stare. Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere, nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere. Cum sapiente & conscientioso viro consilium habe, & quære potius à meliore instrui, quàm tuas adinuationes sequi. Bona vita facit hominem sapientem secundum deum, & expertum in multis. Quanto quis in se humilior fuerit, & deo subiectior, tanto in omnibus erit sapientior & patientior.

De lectione sanctorum scripturarum.

Cap. 5.

Veritas est in scripturis sanctis querenda, non eloquentia. Omnis scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est. Quære potius debemus utilitatem in scripturis, quàm subtilitatem sermonis. Ita libenter deuotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, siue parua siue magna literaturæ fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non quæras quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende. Homines transeunt, sed veritas domini manet in æternum. Sine personarum acceptatione variis modis loquitur nobis deus. Curiositas nostra sæpe nos impedit in lectione scripturarum, cum volumus intelligere & discutere, vbi simpliciter esset tractandum. Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, & fideliter, nec vnquam velis habere nomen scientiæ. Interroga libenter & audiatæc verba sanctorum: nec displiceat tibi parabole seniorum, sine causa enim non proferuntur.

De inordinatis affectionibus. Cap. 6.

Quandocumque homo aliquid inordinate appetit, statim in se inquietus fit. Superbus & avarus nunquam quiescunt. Pauper & humilis spiritu in multitudine pacis conuersantur. Homo qui nondum perfecte in se mortuus est, cito

cito tæatur, & vincitur in paruis & vilibus rebus. Infirmitas in spiritu, & quodammodo adhuc carnalis ad sensibilia inclinatus, difficulter se potest à terrenis desideriis ex toto abstrahere. Et ideo sæpe habet tristitiam cum se subtrahit, leuiter etiam indignatur si quis ei resistit. Si autem affectus fuerit quod concupiscit, statim ex reatu conscientiæ grauatur, quia secutus est passionem suam, quæ nihil iuuat ad pacem quam quæsiuit. Resistendo igitur passionibus inuenitur vera pax cordis, non autem seruendo eis. Non est ergo pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, sed in seruido & spirituali.

De vana spe & elatione fugienda.

Cap. 7.

Vanus est qui spem suam ponit in hominibus, aut in creaturis. Non te pudeat aliis seruire amore Iesu Christi, & pauperem in hoc seculo videri. Non stes super teipsum, sed in deo spem tuam constitue. Fac quod in te est, & deus aderit bonæ voluntati tuæ. Non confidas in tua scientia, vel cuiusquam astutia viuentis, sed magis in dei gratia, qui adiuuat humiles, & de se præsumentes humiliat. Ne gloriaris in diuitiis si adfuit, nec in amicis quia potentes sunt, sed in deo qui omnia præstat, & seipsum super omnia dare desiderat. Non te extollas de magnitudine vel pulchritudine corporis, quæ modica infirmitate corrumpitur & defœdatur. Non placeas tibiipsi de habilitate aut ingenio tuo, ne displiceas deo, cuius est totum quicquid boni naturaliter habueris. Non te reputes aliis meliorem, ne forte coram deo deterior habearis, qui scit quid est in homine. Non superbas de operibus bonis, quia aliter sunt iudicia dei quàm hominum, cui sæpe displicet quod hominibus placet. Si aliquid boni habueris, crede de aliis meliora, ut humilitate conserues. Non nocet si omnibus te supponas: nocet autem plurimum, si vel vni te præponas. Iugis pax cum humili, in corde autem superbi zelus & indignatio frequens.

De cauenda nimia familiaritate.

Cap. 8.

Non omni homini reueles cor tuum: sed cum sapiente & timete deum age causam tuam. Cum iuuenibus & extraneis rarus esto. Cum diuitibus noli blandiri, & coram magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus & simplicibus, cum deuotis & morigeratis sociare, & quæ ædificationis sunt pertracta. Non sis familiaris alicui mulieri, sed in communi omnes bonas mulieres deo commenda. Soli deo & angelis eius opta familiaris esse, & hominum notitiam deuota. Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit.

Quandoque accidit ut persona ignota ex bona fama luceat, cuius tamen præsentia oculos intuentium obfuscat. Putamus aliquando aliis placere ex cõiunctione nostra, & incipimus magis displicere ex morum improbitate in nobis considerata.

De obedientia & subiectione.

Cap. 9.

Valde magnum est in obedientia stare, sub prælato viuere, & sui iuris non esse. Multo tutius est stare in subiectione, quàm in prælatura. Multi sunt sub obedientia magis ex necessitate quàm ex charitate, & illi poenam habent, & leuiter murmurant, nec libertatem mentis acquirunt, nisi ex toto corde propter deum se subiiciant. Curre huc vel illuc, non inuenies quietem, nisi in humili subiectione sub prælati regimine. Imaginatio locorum & mutatio multos fefellit. Verum est quod vnusquisque libenter agit pro sensu suo, & inclinatur ad eos magis qui secum sentiunt. Sed si deus est inter nos, necesse est ut relinquamus etiam quandoque nostrum sentire propter bonum pacis. Quis est ita sapiens, qui omnia plene scire potest? Ergo noli nimis in sensu tuo confidere, sed velis etiam libenter aliorum sensum audire. Si bonum est tuum sentire, & hoc ipsum propter deum dimittis, & alium sequeris, magis inde proficies. Audiui enim sæpe securius esse audire & accipere consilium, quàm dare. Potest enim cõtingere ut bonum sit vniuscuiusque sentire: sed nolle aliis acquiescere, cum id ratio aut causa postulat, signum est superbiæ & pertinaciæ.

De cauenda superfluitate verborum.

Cap. 10.

Cauetas tumultum hominum quantum potes, multum enim impedit tractatus secularium gestorum, etiam si simplici intentione proferantur. Cito enim inquinamur vanitate & captiuamur. Velle me pluries tacuisse, & inter homines non fuisse. Sed quare tam libenter loquimur & inuicem fabulamur, cum tamen raro sine læsione conscientiæ ad silentium redimus? Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab inuicem consolari quærimus, & cor diuersis cogitationibus fatigatum optamus releuare. Et multum libenter de his quæ multum diligimus vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui & cogitare. Sed proh dolor sæpe inaniter & frustra. Nam hæc exterior cõsolatio, interioris & diuinæ cõsolationis non modicum trimentum est. Ideo vigilandum est & orandum, ne tempus ociose transcat. Si loqui licet & expedit, quæ ædificabilia sunt loquere.

a ij

Malus vsus & negligentia profectus nostri, multum facit ad incustodiam oris nostri. Iuat tamè non parum ad profectum spiritua- lem deuota spiritualiù rerù collatio: maxime vbi pares animo & spiritu in deo sibi sociatur. De pace acquirenda, & zelo proficiendi.

Cap. 11.

Multam possemus pacem habere, si nõ vellemus nos cum aliorum dictis & factis, quæ ad nostram curam non spectat, occupare. Quomodo potest ille diu in pace manere, qui alienis curis se intermiscet? qui occasiones forinfecus querit? qui parũ vel raro se intrinfecus colligit? Beati simplices: quoniam multam pacem habebunt. Quare quidam sanctorum tam perfecti & contemplatiui fuerunt? Quia omnino seipsos mortificare ab omnibus terrenis desideris studuerunt: & ideo totis medullis cordis deo inhærere atque libere sibi vacare potuerunt. Nos quidem nimium occupamur propriis passionibus: & de transitoriis nimis sollicitamur. Raro etiam vnum vitium perfecte vincimus: & ad quotidianum profectum non accendimur: ideo frigidus & tepidus remanemus. Si esse- mus nobis ipsis perfecte mortui, & interius minime implicati: tunc possemus etiam diuina sapere, & de cælesti contemplatione aliquid experiri. Totum & maximum impedimentum est, quia non sumus à passionibus & concupiscentiis liberi: nec perfectam sanctorum viam conamur ingredi. Quando etiam modicum aduersitatis occurrit, nimis cito deiicimur: & ad humanas consolationes conuertimur. Si niteremur sicut viri fortes stare in prælio, profecto auxilium domini videremus super nos de cælo. Ipse enim certates & de gratia sua sperantes paratus est adiuuare, qui nobis certandi occasiones procurat, vt vincamus. Si tantum in istis exterioribus obseruantis profectum religionis ponimus: cito finem habebit deuotio nostra. Sed ad radicem securim ponamus, vt purgati a passionibus, pacificam mentem possideamus. Si omni anno vnum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur. Sed modo contrarium sæpe sentimus, vt meliores & puriores in initio cõuersionis nos fuisse inueniamus: quàm post multos annos professionis. Feruor & profectus noster quotidie deberet crescere, sed nunc pro magno videtur, si quis primi feruoris partem possit retinere. Si modicam violentiam nobis faceremus in principio, tunc postea cuncta possemus facere cum leuitate & gaudio. Graue est assueta relinquere: grauius est contra propriam voluntatem recedere. Sed si non vincis parua & leuia, quando superabis

Ardeat
conobis
ta profi-
ciedi de-
syderio.

difficiliora? Resiste in principio inclinatio- ni tuæ, & malam dedisce consuetudinem, ne forte paulatim ad maiorem te ducat difficul- tatem. O si aduerteres quantam tibi pacem & aliis lætitiã faceres teipsum bene habendo: puto quod sollicitior esses ad spirituale pro- fectum.

De vtilitate aduersitatis. Cap. 12.

Bonum est nobis quod aliquando habemus aliquas grauitates & contrarietates, quia sæpe hominem ad cor reuocant, quatenus se in exilio esse cognoscat, nec spem suam in aliqua re mundi ponat. Bonum est quod patiamur quandoque cõtradiçtores, & quod male & imperfecte de nobis sentiantur: etiam si bene agimus & intendimus. Ista sæpe iuuant ad humilitatem: & a vana gloria nos defendunt. Tunc enim melius interiorem testem deum quærimus, quando foris vilipendimur ab hominibus, & non bene nobis creditur. Ideo deberet se homo in deo totaliter firmare, vt non esset ei necesse multas consolationes quærere. Quando homo bonæ voluntatis tribulatur vel têtatur, aut malis cogitationibus affligitur, tunc deum sibi magis necessarium intelligit: sine quo nihil boni se posse deprehendit. Tunc etiam tristatur, gemit & orat pro miseris quas patitur. Tunc tædet eum diutius viuere, mortem optat inuenire, vt possit dissolui & cum Christo esse. Tunc etiam bene aduertit perfectam securitatem & plenam pacem in mundo constare non posse.

De resistendo tentationibus Cap. 13.

Quandiu in mundo viuimus, sine tribulatione & têtatione esse nõ possumus. Vnde in Iob scriptum est. Têtatio est vita ho- minis super terram. Ideo vnusquisque sollicitus esse debet circa tentationes suas: & vigilare in orationibus, ne diabolus locum inueniat decipiendi, qui nunquam dormitat, sed circuit quærens quem deuoret. Nemo tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquando têtationes & plene eis carere non possumus. Sunt tamen tentationes homini sæpe valde vtilis, licet molestæ sint & graues, quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur. Omnes sancti per multas tribulationes & tentationes transierunt, & profecerunt. Et qui bene tentationes sustinere nequiuerunt, reprobi facti sunt & defecerunt. Non est aliquis ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, vbi non sint tentationes vel aduersitates. Non est homo securus à tentationibus totaliter quandiu vixerit, quia in nobis est vnde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus. Vna tentatione seu tribulatione recedente, alia superuenit, & semper aliquid ad patiendũ habemus

Iob. 7.

Iudic. 8.

habemus: nam bonũ felicitatis perdidimus. Multi quærunt tentationes fugere: & grauius incidunt in eas. Per solam fugam non possumus vincere: sed per paciẽtiam & veram humilitatem omnibus hostibus efficimur fortiores. Qui tantummodo exterius declinat, nec radicem euellit, parum proficiet: immo citius ad eum tentationes rediẽt, & peius sentiet. Paulatim & per paciẽtiam cum longanimitate deo iuuante melius superabis: quàm cum duritia & importunitate propria. Sæpius accipe consilium in tentatione: & cum tentato noli durius agere: sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri. Initiũ omnium malarum tentationum, inconstantia animi & parua ad deum confidentia: quia sicut nauis sine gubernaculo hinc inde a fluctibus impellitur: ita homo remissus & suum propositum deserens varie tentatur. Ignis probat ferrum: & tentatio hominem iustum. Nescimus sæpe quid possumus: sed tentatio aperit quid sumus. Vigilandum est tamen præcipue circa initium tentationis: quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur: sed extra limen, statim vt pulsauerit, illi obuiatur. Vnde quidam dixit, Principiis obsta: sero medicina paratur, Cum mala per longas conualuere moras. Nã primo occurrit menti simplex cogitatio: deinde fortis imaginatio: postea delectatio & motus prauus & assensio. Sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto: dum illi non resistitur in principio. Et quanto diutius quis ad resistendum torpuerit, tanto in se quotidie debilius fit: & hostis contra eum potentior. Quidam in principio conuersionis suæ grauiores tentationes patiuntur: quidam autem in fine: quidam vero quasi per totam vitam suam male habent. Nonnulli satis leuiter tentantur, secundum diuinæ ordinationis sapiẽtiam & æquitatẽ, qui statum & merita hominum pensat: & cuncta ad electorum suorum salutem præordinat. Ideo non debemus desperare cum têtamur: sed eo feruentius deũ exorare, quatenus nos in omni tribulatione dignetur adiuuare: qui vtrique secundum dictum beati Pauli, talem faciet cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Humiliemus ergo animas nostras sub manu dei in omni tentatione & tribulatione: quia humiles spiritu saluabit & exaltabit deus. In têtationibus & tribulationibus probatur quantum profecerit: & ibi maius meritum existit, & virtus melius patescit. Nec magnum est si homo deuotus sit & feruidus, cum grauitatem non sentit: sed si tempore aduersitatis patienter se sustinet, spes magni

Ecd. 27.

Ouidi.

Tenta-
tionis
incre-
menta.

1. Co. 10.

1. Pet. 5.

Gal. 33.

profectus est. Quidam à magnis tentationibus custodiuntur, & in paruis quotidianis sæpe vincuntur: vt humiliati nunquã de seipsis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur.

De temerario iudicio vitando. Cap. 14.

Ad te ipsum oculos reflecte: & aliorum facta caueas iudicare. In iudicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, & facilliter peccat: seipsum vero iudicando & discutierido, semper fructuose laborat. Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter iudicamus: nam verum iudicium propter priuatum amorem facilliter perdimus. Si deus semp̄ esset pura intentio nostri desiderii: non tam facilliter turbaremur pro resistentia sensus nostri. Sed sæpe aliquid intus later, vel etiam foris concurrit, quod nos etiam pariter trahit. Multi occulte seipsos quærunt in rebus quas agunt: & nesciunt. Videtur etiam in bona pace stare: quando res pro eorum velle & sentire fiunt. Si autem aliter sit quàm cupiunt: cito mouetur & tristes fiunt. Propter diuersitatem sentionum & opinionum, satis frequenter oriuntur dissensiones inter amicos & ciues: inter religiosos & deuotos. Antiqua cõsuetudo difficulter relinquatur: & vltra proprium videre nemo libenter ducitur. Si rationi tuæ magis inniteris vel industriæ, quàm virtuti subiectiue Iesu Christi: raro & tarde eris illuminatus: quia deus vult nos recte sibi subici: & omnem rationem per inflammatum amorem transcendere.

De operibus ex charitate factis. Cap. 15.

Pro nulla re mundi & pro nullius hominis dilectione aliquod malum est faciendum: sed pro vtilitate tamen indigentis opus bonum aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim pacto opus bonum non destruitur: sed in melius commutatur. Sine charitate opus externum nihil prodest: quicquid autem ex charitate agitur, quantuncunq; etiam paruum sit & despectum, totũ efficitur fructuosum. Magis siquidẽ deus pensat ex quãto quis agit: quàm quantum quis facit. Multũ facit, qui multũ diligit. Multũ facit, qui re bene facit. Bene facit, qui magis cõmunitati quàm suæ voluntati seruit. Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas: quia carnalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus comoditatis raro abesse solent. Qui verã & perfectam charitatem habet, in nulla re seipsum quærunt: sed dei solummodo gloriã in omnibus fieri desiderat. Nulli etiã inuidet: quia nullũ priuatũ gaudiũ amat. Nec in seipso vult gaudere: sed in deo super omnia bona optat beatificari. Ne-

ciens & aptū quo bonis meditationibus insi-
 stas. Maximi sanctorū humana cōsolatio ubi
 poterāt, vitabant: & deo in secreto viuere eli-
 gebant. Dixit quidam. Quotiens inter hoīes
 fui: min⁹ homo redij. Hoc quippe sæpius ex-
 perimur, quādo diu confabulamur. Facilius
 est omnino tacere: q̄ verbo nō excedere. Fa-
 cilis est domi latere: q̄ foris se posse sufficere
 custodire. Qui igitur intendit ad interio-
 ra & spiritualia peruenire: oportet eum cum
 Iesu à turba declinare. Nemo secure apparet
 nisi qui libet later. Nemo secure loquitur:
 nisi qui libenter tacet. Nemo secure præest:
 nisi qui libenter subest. Nemo secure præci-
 pit: nisi qui libenter obedire didicit. Nemo
 secure gaudet: nisi qui bonæ cōscientiæ testi-
 moniū habet. Semper tamen sanctorū secu-
 ritas plena timoris dei extitit. Nec eo minus
 solliciti & humiles in se fuerunt: quia magis
 virtutibus & gratia emicuerunt. Prauorū au-
 tem securitas ex superbia & præsumptione
 oritur: & in fine in deceptionem sui vertitur.
 Nunq̄ promittas tibi securitatem in hac vi-
 ta: q̄ quis bonus videaris cōnobita, aut deuotus
 eremita. Sæpe meliores in æstimatiōe ho-
 minum grauius periclitati sunt, propter suā
 nimiam confidentiā. Vnde multis vtilius est,
 vt non penitus tentationibus careant, sed sæ-
 pius impugnentur: ne nimium securi sint, ne
 forte in superbiam eleuetur: ne etiam ad ex-
 teriores cōsolationes licentius declinent.
 O qui nunquā transitoriam lætitiā quære-
 ret, qui nunquam cum mundo se occuparet:
 quā bonam cōscientiam feruaret? O qui
 omnē vanam sollicitudinē amputaret, & dū-
 taxat salutaria ac diuina cogitaret, & totam
 spem suā in deo cōstitueret: quā magnam
 pacem & quietē possideret? Nemo dignus est
 cælesti cōsolatione: nisi diligenter se exercue-
 rit in sancta cōpunctione. Si vis cordetenus
 cōpungi: intra cubile tuum, & exclude tumultus
 mundi: sicut scriptum est. In cubilibus ve-
 stris compungimini. In cella inuenies, quod
 foris sæpius amittes. Cella cōtinuata dulce-
 scit: & male custodita tædium generat. Si in
 principio cōuersionis tuæ bene eam incolue-
 ris & custodieris: erit tibi postea dilecta ami-
 ca, & gratissimū solatium. In silentio & quie-
 te proficit anima deuota: & discit abscondita
 scripturarū. Ibi inuenit fluentia lachrimarū,
 quibus singulis noctibus se lauet & mundet:
 vt cōditori suo tanto familiarior fiat, quāto
 longius ab omni seculari tumultu degit. Qui
 ergo se abstrahit à notis & amicis: appropin-
 quabit illi deus cū angelis sanctis. Melius
 est latere & sui curam agere: quā se negle-
 cto signa facere. Laudabile est homini reli-

Seneca.

Securi-
 tas in v-
 naquaq;
 re vnde
 nascitur

Psal. 4.

gio raro foras ire: fugere videri, nolle etiā
 homines videre. Quid vis videre quod non
 licet habere? transit mundus, & concupiscen-
 tia eius. Trahunt desideria sensualitatis ad
 spatiandum: sed cum hora transferit, quid
 nisi grauitatem cōscientiæ & cordis disper-
 sionem reportas? Lætus exitus tristem sæ-
 pe reditum parit, & læta vigilia serotina, tri-
 ste mane facit. Sic omne carnale gaudium
 blande intrat: sed in fine mordet & perimit.
 Quid potes alibi videre, quod hic nō vides?
 Ecce cælum & terram, & omnia elementa:
 nam ex istis omnia sunt facta. Quid potes a-
 licubi videre, quod diu potest sub sole per-
 manere? Credis te forsitan fatiari: sed nō po-
 teris perire. Si cuncta videres præsentia,
 quid esset nisi visio vana? Leua oculos tuos
 ad deum in excelsis: & ora pro peccatis tuis
 & negligentis. Dimitte vana vanis: tu autem
 intende illis quæ tibi præcepit deus. Claude
 super te ostium tuum: & voca ad te Iesum di-
 lectum tuum. Mane cū eo in cella: quia non
 inuenies alibi tantam pacem. Si non exisses,
 nec quicquam de rumorib⁹ audisses: melius
 in bona pace permansisses. Ex quo noua de-
 lectat aliquando audire: oportet te exinde
 turbationem cordis tolerare.

De cōpunctione cordis. Cap. 21.

SI vis aliquid proficere, conserua te in ti-
 more dei: & noli esse nimis liber, sed sub
 disciplina cohibe omnes sensus tuos: nec in-
 eptē te tradas lætitiæ. Da te ad cordis cō-
 punctionem, & inuenies deuotionem. Cō-
 punctio multa bona aperit, quæ dissolutio
 cito perdere consuevit. Mirum est quod ho-
 mo possit vnquā perfecte lætari in hac vita:
 qui suum exiliū & tam multa pericula ani-
 mæ suæ considerat & pensat. Propter leui-
 tatem cordis & negligentiam defectuum no-
 strorum, non sentimus animæ nostræ dolo-
 res: sed sæpe vane ridemus, quando merito
 flere deberemus. Non est vera libertas, nec
 bona lætitia, nisi in timore dei cū bona cō-
 scientia. Felix qui abire potest omne im-
 pedimentum distractionis, & ad vnionem se
 redigere sanctæ cōpunctionis. Felix qui a
 se abdicat quicquid cōscientiam suam mac-
 culare potest vel grauare. Certa viriliter, con-
 fuetudo consuetudine vincitur. Si tu scis ho-
 mines dimittere, ipsi bene te dimittent tua
 facta facere. Non attrahas tibi res aliorum,
 nec te implices causis maiorum. Habe sem-
 per oculum super te primum: & admoneas
 te ipsum specialiter præ omnibus tibi dilectis.
 Si non habes fauorem hominum, noli pro-
 pterea tristari: sed hoc sit tibi graue, quod nō
 habes te satis bene & circumspecte, sicut de-

Habet
 homo ex
 se abun-
 de vnde
 lætitiā
 que mū-
 di est ab-
 iiciat.

cet

cet Dei feruum & deuotum religiosum con-
 uersari. Vtilius est sæpe & securius, quod ho-
 mo non habeat multas cōsolationes in hac
 vita, secundum carnem præcipue. Tamen
 quod diuinitus non habemus, aut rarius sen-
 timus, nos in culpa sumus, quia cōpunctio-
 nem cordis non querimus: nec vanas & ex-
 ternas cōsolationes omnino abiicimus. Co-
 gnosce te indignum diuina cōsolatione:
 sed magis dignū multa tribulatione. Quan-
 do homo perfecte est cōpunctus: tunc gra-
 uis & amarus est ei totus mundus. Bonus ho-
 mo sufficienter inuenit materiam dolendi
 & flendi. Siue enim se considerat, siue pro-
 ximum pensat, scit quia nemo sine tribula-
 tione hic viuit. Et quanto strictius sese con-
 siderat, tanto amplius doler. Materiæ iusti
 doloris & internæ cōpunctionis sunt pec-
 cata & vitia nostra, quibus ita inuoluti iace-
 mus, vt rorō cælestia contemplari valeamus.
 Si frequentius de morte tua quā de lon-
 gitudine vitæ cogitares, non dubium quin
 feruentius te emendares. Si etiam futuras
 inferni siue purgatorii pœnas cordialiter
 perpenderes: credo quod libenter laborem
 & dolorem sustineres, & nihil rigoris formi-
 dares. Sed quia ad cor ista non transeunt, &
 blandimenta adhuc amamus: ideo frigidi &
 valde pigri remanemus. Sæpe est inopia spi-
 ritus: vnde tam leuiter cōqueritur miserum
 corpus. Ora igitur humiliter ad dominū, vt
 det tibi cōpunctionis spiritū, & dic cū Pro-
 pheta. Ciba me domine pane lacrimarum, &
 potum da mihi in lacrimis in mensura.

Psal. 79.

De consideratione humanæ mi-
 seriae. Cap. 22.

MIser es vbicunque fueris, & quocunq;
 te verteris: nisi ad deum te cōuertas.
 Quid turbaris, quia non succedit tibi sicut
 vis & desideras? Quis est qui habet omnia se-
 cundum suam voluntatem? Nec ego, nec tu:
 nec aliquis hominum super terram. Nemo
 est in mundo sine aliqua tribulatione vel an-
 gustia, quanuis rex sit vel papa. Quis est qui
 melius habet? Vtiq; qui pro deo aliquid pa-
 ti valet. Dicunt multi imbecilles & infirmi,
 Ecce quā bonam vitam ille homo habet,
 quā diues, quā magnus, quā potens &
 excelsus? Sed attende ad cælestia bona, & vi-
 debis quod omnia ista tēporalia nulla sunt,
 sed valde incerta, & magis grauantiā, quia
 nunquam sine sollicitudine & timore pos-
 sidentur. Non est hominis felicitas habere
 temporalia ad abundantiam: sed sufficit ei
 mediocritas. Vere miseria est viuere super
 terram. Quanto homo voluerit esse spiritua-
 lior: tanto præsens vita fit ei amarior, quia

sentit melius, & videt clarius humanæ cor-
 ruptionis pondus. Nam comedere, bibere,
 vigilare, dormire, quiescere, laborare, & ca-
 teris necessitatib⁹ naturæ subiacere, vere ma-
 gna miseria est & afflictio homini deuoto:
 qui libenter esset absolutus & liber ab omni
 peccato. Valde enim grauatur interior ho-
 mo necessitatibus corporalibus in hoc mun-
 do. vnde propheta deuote precatur quatinus
 liber ab istis esse valeat, dicens. De necessita-
 tibus meis erue me domine. Sed vā non co-
 gnoscentibus suam miseriam, & amplius vā
 illis qui diligunt hanc miseriam & corrupti-
 bilem vitam. Nam intantum quidam hanc
 amplectuntur, licet etiam vix necessaria la-
 borando aut mendicando habeant: vt si hic
 possent semper viuere, de regno dei nihil cu-
 rarent. O infani, & infideles corde, qui tam
 profunde in terris iacent, vt nil nisi carnalia
 sapiāt. Sed miseri adhuc in fine grauitate sen-
 tiant, quā vile & nihilum erat quod ama-
 uerunt. Sancti autem dei & omnes deuoti a-
 mici Christi non attenderunt quæ carni pla-
 cuerunt, nec quæ in hoc tempore floruerūt:
 sed tota spes eorū & intentio ad æterna bo-
 na anhelabat. Ferebatur desiderium eorum
 ad mansura & inuisibilia, ne amore visibiliū
 traherentur ad infima. Noli frater amittere
 cōfidentiam proficiēdi ad spiritualia, adhuc
 habes tempus & horam. Quare vis pro-
 crahare propositum tuum? Surge: & in instāti
 incipe, & dic. Nunc tempus est faciendi: nūc
 tempus est pugnandi: nunc tempus aptum
 est emendandi. Quando male habes & tri-
 bularis: tunc tempus est promerendi. O-
 portet te transire per ignem & aquam, ante-
 quam venias in refrigerium. Nisi tibi vim fe-
 ceris: vitium non superabis. Quādiu istud
 fragile corpus gerimus, sine peccato esse nō
 possumus: nec sine tædio & dolore viuere.
 Libenter habemus ab omni miseria quie-
 tem: sed quia per peccatū perdidimus inno-
 centiam, amissimus etiam veram beatitudi-
 nem. Ideo oportet nos tenere patientiam, &
 dei expectare misericordiam: donec trāseat
 iniquitas hæc, & mortalitas absorbeat a vi-
 ta. O quanta fragilitas humana, quæ semper
 prona est ad vitia? Hodie confiteris peccata
 tua, & cras iterum perpetras confessā. Nunc
 proponis cauere, & post horā agis, quasi ni-
 hil proposuisses. Merito ergo nos ipsos hu-
 miliare possumus, nec vnquam aliquid ma-
 gni de nobis sentire, quia tam fragiles & in-
 stabiles sumus. Cito etiam potest perdi per
 negligentiam, quod multo labore vix tandem
 acquisitum est per gratiam. Quid fiet de no-
 bis adhuc in fine, qui tepescimus tam mane?

Psal. 24.

Psal. 65.

2. Cor. 5.

Væ nobis si sic volumus declinare ad quietem, quasi iam pax sit & securitas, cum nondum appareat vestigium veræ sanctitatis in nostra conuersatione. Bene opus esset quod adhuc iterum institueremur, tanquam boni nouitij ad mores optimos, si forte spes esset de aliqua futura emendatione, & maiori spiritali profectu.

De meditatione mortis. Cap. 23.

Valde cito hinc est migrandum. Vide ergo quomodo te habeas. Hodie homo est, & cras non cõparet. Cum autem sublatus fuerit ab oculis, cito etiam transit à mente. O hebetudo & duritia cordis humani, quod solum præsentia meditatatur, & futura non magis præuidet. Sic te in omni facto & cogitatu deberes tenere, quasi statim esses moriturus. Si bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres. Melius esset peccata cauere, quam mortem fugere. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? Cras est dies incerta, & qui scis an crastinum habebis? Quid prodest diu viuere, quando parum emendatur? Ah longa vita non semper emendat: sed sæpe culpam magis auget. Vtinam per unam diem bene essemus cõuersati in hoc mundo. Multi annos computat cõuersionis: sed sæpe paruus est fructus emendationis. Si formidolosum est mori, forsitan periculosius est diutius viuere. Beatus qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. Si vidisti aliquando hominem mori: cogita quod & tu per eandem viam transibis. Cum mane fuerit: puta te ad vesperum non peruenturum. Vespero autem facto, mane non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto, & taliter viue, vt nunquam te imparatum mors inueniat. Multi subito & improuise moriuntur:

Lucæ. 12.

nam hora qua non putatur, filius hominis venturus est. Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua præterita, & valde dolebis quod tam negligens & remissus fuisti. Quam felix & prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inueniri in morte? Dabit nanque magnam confidentiam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi, seruus desiderium in virtutibus proficiendi, amor discipline, labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio sui, & supportatio cuiuslibet aduersitatis pro amore Christi. Multa bona potes operari, dum sanus es: sed ægrotas nescio quid poteris. Pauci ex infirmitate emendantur: sic & qui multum peregrinantur, raro sanctificantur. Noli confidere super amicos & proximos, nec in futurum salutem

Felicem mortem quid facit

tua differas: quia citius obliuiscuntur tui homines, quam existimas. Melius est nunc tempestiue prouidere, & aliquid boni præmittere: quam super aliorum auxilio sperare. Si non es pro teipso sollicitus modo: quis erit pro te sollicitus in futuro? Nunc tempus est valde preciosum: sed pro dolor quod hoc vtilius non expendi, in quo promereri vales vnde æternaliter viuas. Veniet quando unum diem seu horam pro emendatione desiderabis, & nescio an impetrabis. Eia charissime de quanto periculo te poteris liberare, de quam magno timore eripere, si modo semper timoratus fueris, & de morte suspicaris. Stude nunc taliter viuere, vt in hora mortis valeas potius gaudere quam timere. Disce nunc mori mundo: vt tunc incipias viuere cum Christo. Disce nunc omnia contemnere: vt tunc possis libere ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per pœnitentiam, vt tunc valeas certam habere confidentiam. Ah stulte quid cogitas te diu viturum: cum nullum diem habeas hic securum? Quam multi decepti sunt: & insperate de corpore extracti? Quotiens audisti a dicentibus, quod ille gladio cecidit, ille submersus est: ille ab alto ruens ceruicem fregit: ille manducando obrigit, ille ludendo finem fecit: alius igne, alius ferro, alius peste, & alius latrocinio interiit, & sic omnium finis mors est, & vita hominum tanquam vmbra subito pertransit. Quis memor erit tui post mortem, & quis orabit pro te? Age age nunc charissime quicquid agere potes, quia nescis quando morieris: nescis etiam quid te post mortem sequetur. Dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales. Præter salutem tuam nihil cogites, solum quæ dei sunt cures. Fac nunc tibi amicos venerando dei sanctos, & eorum actus imitando, vt cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula. Serua te tanquam peregrinum & hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotiis. Serua cor liberum, & ad deum sursum erectum, quia non habes hic manentem ciuitatem. Illuc præces & gemitus quotidianos cum lacrimis dirige, vt spiritus tuus mereatur post mortem ad dominum feliciter transire. Amen.

Lucæ. 16

Heb. 13.

De iudicio & pœnis peccatorum. Cap. 24.

In omnibus rebus respice finem, & qualiter ante districtum iudicem stabis, cui nihil est occultum, qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit, sed quod iustum est iudicabit. O miserime & insipiens peccator, quid respondebis deo, omnia mala tua scienti, qui interdum formidas vultum

hominis

hominis irati? Vt quid non præuides tibi diem iudicij: quando nemo poterit per alium excusari vel defendi: sed vnusquisque sufficiens onus erit sibiipsum? Nunc labor tuus est fructuosus: æturus acceptabilis: gemitus exaudibilis: dolor satisfactorius & purgatiuus. Habet magnum & salubre purgatorium patiens homo: qui suscipiens iniurias plus dolet de alterius malitia, quam de sua iniuria: qui pro contrariantibus sibi libenter orat, & ex corde culpas remittit: qui veniam ab aliis petere non retardat: qui facilius miseretur, quam irascitur: qui sibiipsum violentiam frequenter facit: & carnem omnino spiritui subiugare conatur. Melius est modo se purgare, & vitia refecare: quam in futuro purganda referuare. Vere nos ipsos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus. Quid aliud ille ignis deuorabit, nisi peccata tua? Quanto amplius tibiipsum nunc parcis, & carnem sequeris: tanto durius postea lues, & maiorem materiam cõburendi referuas. In quibus homo peccauit: in illis grauius punietur. Ibi acidiosus ardentibus stimulis pungentur: & gulosi ingenti fame ac siti cruciabitur. Ibi luxuriosi & voluptatum amatores ardenti pice & fetido sulphure perfundentur. Et sicut furiosi canes præ dolore inuidiosi vlulabunt. Nullum vitium erit, quod suum proprium cruciatum non habeat. Ibi superbi omni cõfusione replebuntur: & auari miserima egestate ardebunt. Ibi erit vna hora grauior in pœna, quam hic centum anni in amarissima pœnitentia. Ibi nulla requies est, nulla cõsolatio damnatis. Hic tamen interdum celsam ad laboribus: & amicorum fruimur solatiis. Esto modo sollicitus & dolens pro peccatis tuis: vt in die iudicij sis securus cum beatis. Tunc enim iusti stabunt in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt & deprefferunt. Tunc stabit ad iudicandum, qui modo se subiicit humiliter iudicij hominum. Tunc magnam fiduciam habebit pauper & humilis: & pauebit vndique superbus. Tunc videbitur sapiens in hoc mundo fuisse, qui pro Christo didicit stultus & despectus esse. Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpeffa: & omnis iniquitas oppilabit os suum. Tunc gaudebit omnis deuotus: & moerebit omnis irreligiosus. Tunc plus exultabit caro afflicta: quam si in deliciis fuisset semper nutrita. Tunc splendebit habitus vilis: & obtenebrescet vestis subtilis. Tunc plus laudabitur pauper culum domicilium: quam deauratum palatium. Tunc plus iuuabit constans patientia: quam omnis mundi potentia. Tunc amplius exaltabitur simplex obedientia: quam

reprobi pœnas iustis suis contrarias recipient.

sap. 5.

Psalm. 106.

omnis secularis astutia. Tunc plus lætificabit pura & bona cõscientia: quam docta philosophia. Tunc plus ponderabit cõtemptus diuitiarum: quam totus thesaurus terrigenarum. Tunc magis consolaberis super deuota oratione: quam super delicata comestione. Tunc potius gaudebis de seruato silentio: quam de longa fabulatione. Tunc plus valebunt sancta opera: quam multa pulchra verba. Tunc plus placebit stricta vita & ardua pœnitentia, quam omnis delectatio terrena. Disce nunc in modico pati, vt tunc à grauioribus valeas liberari. Hic primo proba, quid possis pati postea. Si nunc tam parum non vales sustinere: quomodo poteris tunc æterna tormenta sufferere? Si modo modica passio tam impatientem efficit: quid gehenna tunc faciet? Ecce vere non potes duo gaudia habere: delectari hic in mundo, & postea regnare in celo cum Christo. Si vsque in hodiernum diem semper in honoribus & voluptatibus vixisses: quid totum tibi profuisset, si iam in instanti mori cõtingeret? Omnia ergo vanitas præter amare deum, & illi soli seruire. Qui enim deum ex toto corde amat: nec mortem, nec supplicium, nec iudicium, nec in infernum metuit: quia perfectus amor securum accessum ad deum facit. Quem autem adhuc peccare delectat: non mirum si mortem & iudicium timeat. Bonum tamen est: vt si necdum amor à malo te renocat, saltem timor gehennalis coerceat: qui vero timorem dei postponit, diu stare in bono non valebit: sed diaboli laqueos citius incurret.

De feruenti emendatione totius vitæ. Cap. 25.

Esto vigilans & diligens in dei seruitio, & cogita frequenter ad quid venisti, & cur seculum reliquisti. Nonne vt deo viueres, & spiritalis heres? Igitur ad profectum ferueas: quia mercedem laborum tuorum in breui recipies: nec erit tunc amplius timor aut dolor in finibus tuis. Modicum nunc laborabis: & magnam requiem, immo perpetuam lætiam inuenies. Si tu permanferis fidelis & feruidus in agendo: deus proculdubio erit fidelis & locuples in retribuendo. Spem bonam retinere debes, quod ad palmam peruenies: sed securitatem capere non oportet, ne torpeas aut elatus fias. Cum enim quidam anxius inter metum & spem frequenter fluctuaret, & quadam vice moerore confectus in ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostrauisset: hæc intra se reuoluit dicens. O si scirem quod adhuc perseveraturus essem. Statimque audiuit intus diuinum responsum: Quid si hoc scires, facere velles? Fac nunc, quod tunc

Quidam quod anxietate animi liberatus est.

facere velles: & bene securus eris. Moxque consolatus & confortatus, diuinæ se commisit voluntati: & cessauit anxia fluctuatio: noluitque curiose inuestigare vt sciret quæ sibi essent futura: sed magis studuit inquirere quæ esset voluntas dei beneplacens & perfecta, ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. Spera in domino, & fac bonitatem, ait propheta: & inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius. Vnum est quod multos à profectu & feruenti emendatione retrahit: horror difficultatis, seu labor certaminis. Enimuero illi maximè præ aliis in virtutibus proficiunt: qui ea, quæ sibi magis graua & contraria sunt, virilius vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit & gratiam meretur ampliore: vbi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat. Sed non omnes æque multum habent ad vincendum & mortificandum. Diligens tamen æmulator valentior erit ad proficiendū: etiā si plures habeat passiones, quàm alius bene morigeratus, minus tamē feruēs ad virtutes. Duo specialiter ad magnā emendationē iuuant: videlicet subtrahere se violenter ab eo ad quod natura vitiose inclinatur: & feruenter instare pro bono quo amplius quis indiget. Illa etiā studeas magis cauere & vincere, quæ tibi frequentius in aliis displicent. Vbi que profectū tuum capias: vt si bona exempla videas vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraueris: caue ne idem facias, aut si aliquando fecisti, citius emendare te studeas. Sicut oculus tuus alios cōsiderat: sic iterum ab aliis notaris. Quàm iucundum & dulce est videre feruidos & deuotos fratres bene morigeratos & disciplinatos. Quàm triste est & graue videre inordinate ambulantes: quia ea ad quæ vocati sunt non exercent. Quàm nociuum est negligere vocationis suæ propositum: & ad non commissa sensum inclinare. Memor esto arrepti propositi: & imaginem tibi propone crucifixi. Bene verecundari potes, inspecta vita Iesu Christi: quod nondum magis illi te conformare studuisti, licet diu in vita fuisti. Religiosus qui se intentē & deuotē in sanctissima vita & passione domini exercet: omnia vtilia & necessaria sibi, abundanter ibi inueniet: nec opus est vt extra Iesum aliquid melius quærat. O si Iesus crucifixus in cor nostrum veniret: quàm cito & sufficienter docti essemus? Religiosus feruidus omnia bene portat & capit quæ illi iubentur. Religiosus negligens & tepidus habet tribulationem super tribulationem; & ex omni parte patitur angustiam, quia interiori consolatione ca-

ret: & exteriorē quærere prohibetur. Religiosus extra disciplinam viuens graui ruinæ patet. Qui laxiora quærit & remissiora, semper in angustiis erit: quia aut vnum aut reliquum ipsi displicebit. Quomodo faciunt tam multi alij religiosi, qui satis arctati sunt sub disciplina claustrali? Raro excurrunt, abstracte viuunt, pauperrime comedunt, grosse vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilat, mane surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt: & se in omni disciplina custodiunt. Attende Cartusienfes, Cistercienses, & diuersæ religionis monachos ac moniales, qualiter omni nocte ad psallendum domino surgunt: & ideo turpe est vt tu audeas in tam sancto opere pigritari: vbi tanta multitudo religiosorum incipit deo iubilare. O si nihil aliud faciendum incumberet: nisi dominum deum nostrum toto corde & ore laudare. O si nunquam indigeres comedere nec bibere nec dormire: sed semper posses deum laudare: & solummodo spiritualibus studiis vacare: tunc multo felicior esses quàm modo, cum carni ex qualicunque necessitate seruis. Vtinam nō essent istæ necessitates, sed solummodo spirituales animæ refectioes: quas heu satis raro degustamus. Quando homo ad hoc peruenit, quod de nulla creatura consolationem sibi quærit: tunc ei deus primo perfecte sapere incipit: tunc etiam bene contentus de omnium euentu rerum erit: tunc nec pro magno lærabitur, nec pro modico contristabitur: sed ponit se integre & fiducialiter in deo, qui est ei omnia in omnibus: cui nihil vti que perit nec moritur: sed omnia ei viuunt, & ad nutū incunctanter deseruiunt. Memento semper finis: & quod perditum non redit tempus. Sine sollicitudine & diligentia nunquam acquies virtutes. Si incipis tepescere: incipies male habere. Si auem dederis te ad feruorem, inuenies magnam pacem, & senties leuiorem laborem, propter dei gratiā & virtutis amorem. Homo feruidus & diligens ad omnia est paratus. Maior labor est resistere vitiis & passionibus, quàm corporalibus insudare laboribus. Qui paruos non vitat defectus, paulatim labitur ad maiores. Gaudebis semper vespere, si diem expendas fructuose. Vigila super te ipsum, excita te ipsum, admone te ipsum: & quicquid de aliis sit, non negligas te ipsum. Tantum proficies, quantam tibi ipsi vim intuleris.

De interna conuersatione. Cap. 26.
Regnum dei intra vos est, dicit dominus. Conuerte te ex toto corde tuo ad dominum, & relinque hunc miserum mundum:

dum: & inueniet anima tua requiem. Discite exteriora contemnere, & ad interiora te dare, & videbis regnum dei in te venire. Est enim regnum dei pax & gaudium in spiritu sancto, quod non datur impiis. Veniet ad te Christus ostendens tibi consolationem suā, si dignam illi intus paraueris mansionem. Omnis gloria eius & decor ab intra est, & ibi complacet sibi. Frequens illi visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda nimis. Eia anima fidelis præpara huic sponso cor tuum: quatinus ad te venire & in te habitare dignetur. Sic enim dicit. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & ad eū veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Da ergo Christo locū, & cæteris omnibus nega introitum. Cum Christum habueris, diues es & sufficit tibi. Ipse erit prouisor tuus, & fidelis procurator in omnibus: vt nō sit opus in hominibus sperare. Homines enim cito mutantur, & deficiunt velo ceter, Christus autem manet in æternum, & altat vsque in finem firmiter. Non est magna fiducia ponenda in homine fragili & mortali, etiam si vtilis sit & dilectus, neque tristitia multa capienda ex hoc, si interdum aduerferetur & contradicat. Qui hodie tecum sunt, cras contra te esse possunt, & econuerso sæpe vt aura vertuntur. Pone totam fiduciam tuā in domino, & sit ipse timor tuus & amor tuus. Ipse pro te respondebit, & faciet bene sicut optimum fuerit. Non habes hic manentem ciuitatem, & vbi cunque fueris, extraneus es & peregrinus, nec requiem aliquando habebis, nisi Christo intime fueris vnitus. Quid hæc circūspicis; cum iste non sit locus tuæ requiectionis? In cælestibus debet esse habitatio tua, & in transitu cuncta terrena sunt aspicienda. Transeunt omnia, & tu cum eis pariter. Vide vt non inhæreas, ne capiaris & peareas. Apud altissimum sit cogitatio tua: & deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur. Si nescis alta speculari & cælestia, requiesce in passione Christi: & in facris vulneribus eius libenter habita. Si enim ad vulnera & preciosa stigmata Iesu deuote confugis, magnam in tribulatione conformationem senties: nec multum curabis hominum despectiones, facilliterque verba detrahentium perferes. Christus fuit etiam in hoc mūdo despectus, & in maxima necessitate à notis & amicis inter opprobria derelictus. Christus pati voluit & despici, & tu audes de aliquo conqueri? Christus habuit aduersarios & oblocutores: & tu vis omnes habere amicos & benedictores? Vnde coronabitur pa-

trientia tua, si nil aduersitatis occurrerit? Si nihil cōtrarium vis pati, quomodo eris amicus Christi? Sustine cum Christo & pro Christo, si vis regnare cum Christo. Si semel perfecte introisses in interiora Iesu, & modicū de ardente eius amore sapuisses, tūc de proprio commodo vel incommodo nihil vel modicum curares: sed de opprobrio illato gauderes, quia amor Iesu facit hominem seipsum contemnere. Amator Iesu verus & internus & liber ab affectionibus inordinatis, potest se ad deum libere conuertere, & eleuare se supra seipsum in spiritu, ac frui tue quiescere. Cui sapiunt omnia prout sunt, nō vt dicuntur aut æstimantur: hic vere sapiens est, & doctus magis à deo quàm ab hominibus. Qui ad interna scit ambulare, & modicū res exteras ponderare, non requirit loca, nec tempora expectat ad habenda deuota exercitia. Homo internus cito se recolligit, quia nunquam se totum ad exteriora effundit. Non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria, sed sicut res eueniunt, sic se illis accommodat. Qui intus bene dispositus est & ordinatus, non curat mirabiles & peruersos hominum gestus. Tantum homo impeditur & distrahitur, quātum sibi res attrahit. Si recte tibi esset, & bene purgatus esses: omnia tibi in bonum cederent & profectum. Ideo multa tibi displicent & te sæpe cōturbant: quia adhuc non es tibi ipsi perfecte mortuus, nec segregatus ab omnibus terrenis. Nihil sic maculat & implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis. Si renuis consolari exterius, poteris speculari cælestia, & frequenter interius iubilare.

De humili submissione. Cap. 27.
Non magnipendas quis pro te vel cōtra te sit: sed hoc age & cura, vt deus te cum sit in omni re quā facis. Habe conscientiam bonam, & deus bene te defensabit. Quæ enim adiuuare voluerit, ei nullius peruersitas nocere poterit. Si tu scis tacere & pati, videbis proculdubio auxilium domini. Ipse non uit tempus & modum liberādi te, & ideo debes te illi resignare. Dei enim est adiuuare, & ab omni cōfusione liberare. Sæpe valde prodest ad maiorem humilitatem conferuandā, quod defectus nostros alij sciūt & redarguūt. Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc facilliter alios placat, & leuiter satisficit sibi irascentibus. Humilem deus protegit & liberat, humilem diligit & consolatur. Humili homini se inclinat, humili largitur gratiam magnam: & post suam depressionem leuat ad gloriam. Humili sua secreta reuelat, & ad se dulciter trahit & inuitat. Humilis

Psal. 36.

Quinam in primis in virtute proficiant.

Emendationi summa duo precipue conducunt.

Monachi negligens in supplicium.

Probi monachi summa lachrima.

Rom. 14.

Intima sit conuersatio nostra.

Ioan. 14.

Ioan. 12.

Christus archetypus nostri.

Humilis submissio boni profectus plenissima.

accepta contumelia & confusione, satis bene est in pace: quia stat in deo, & non in mundo. Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

De bono & pacifico homine. Cap. 28.
Pone te primo in pace, & tunc alios poteris pacificare. Homo pacificus plus prodest quam bene doctus. Homo passionatus etiam bonum in malum trahit, & facilliter malum credit. Bonus pacificus homo omnia ad bonum conuertit. Qui bene in pace est, de nullo suspicatur. Qui autem male contentus est & commotus, variis suspicionibus agitur. Nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit. Dicit sæpe quando dicere non deberet, & omittit quod sibi magis facere expediret. Cōsiderat quod alij facere tenentur, & negligit ad quod ipse teneatur. Habe ergo primum zelum super teipsum, tunc zelare poteris etiā iuste proximum tuum. Tu bene facta tua scis excusare & colorare, & aliorum excusationes non vis recipere. Iustius esset vt te accusares, & fratrem tuum excusares. Si portari vis, porta & alium. Vide quā longē es adhuc à vera charitate & humilitate, quæ nulli nouit indignari, vel irasci, nisi tantum sibiipsi. Non est magnum cum bonis & mansuetis conuersari, hoc enim omnibus naturaliter placet, & vnusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit. Sed cum duris ac peruersis & indisciplinatis aut nobis contrariantibus pacifice posse viuere, magna gratia est, & laudabile nimis virileque factum. Sed sunt qui seipsum in pace tenent, & cum aliis etiam pacē habent. Et sunt qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt. Aliis sunt graues, sed sibi sunt semper grauiorē. Et sunt qui seipsum in pace retinent: & ad pacem alios reducere student. Est tamen tota pax nostra in hac misera vita potius in humili sufferentia ponenda, quā in non sentiendo contraria. Qui melius scit pati, pacem tenebit maiorem. Ille est victor sui, & dominus mundi, amicus Christi, & hæres cæli.

Vera pax nostra q̄ hic sit.

Simplex intentio & pura affectio ad deum, q̄ subuehimur in cæli.

De pura mente, & simplici intentione. Cap. 29.
Dvabus aliis homo subleuatur à terrenis, simplicitate scilicet & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit deum, puritas apprehendit & gustat. Nulla bona te impediēt, si liber intus ab omni inordinato affectu fueris. Si nihil aliud quā dei beneplacitum & proximi utilitatem intendis & quæris, interna libertate frueris. Si rectum cor tuum esset, tūc omnis creatura speculum vitæ & liber sanctæ doctrinæ esset. Non est creatura tam parua &

vilis, quæ bonitatem dei non repræsentet. Si tu esses intus bonus & purus: tunc omnia sine impedimento videres & bene caperes. Cor purum penetrat cælum & infernum. Qualis vnusquisque intus est, taliter iudicat exterius. Si est gaudium in mundo, hoc vtique possidet puri cordis homo: & si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius nouit mala conscientia. Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem, & totum candens efficitur: sic homo ad deum se integre conuertens à torpore exiit, & in nouum hominem transmutatur. Quando homo incipit tepesce re, tunc paruum metuit laborem, & libenter externam accipit consolationem. Sed quando perfecte incipit se vincere, & viriliter in via dei ambulare, tunc minus ea reputat, quæ sibi prius graua esse sentiebat.

De sui ipsius consideratione. Cap. 30.
Non debemus nobis ipsis nimis credere, quia sæpe nobis gratia deest & sensus. Modicum lumen est in nobis, & hoc cito per negligentiam amittimus. Sæpe etiam non aduertimus, quod tam cæci intus sumus. Sæpe male agimus, & peius excusamus. Ex passione interdum mouemur, & zelum putamus. Parua in aliis repræhendimus, & nostra maiora pertransimus. Satis cito sentimus & ponderamus quod ab aliis sustinemus, sed quantum alij à nobis sustinent, non aduertimus. Qui bene & recte sua ponderaret, non esset quod de alio grauiter iudicaret. Internus homo sui ipsius curam omnibus anteponit. Et qui sibi ipsi diligenter intendit, facilliter de aliis tacet. Nunquam eris internus & deuotus, nisi de aliis silueris, & ad teipsum specialiter respexeris. Si tibi & deo totaliter intendis, modicum te mouebit quod foris percipis. Vbi es, quando tibi ipsi præsens non es? Et quando omnia percurristi, quid te neglecto profecisti? Si desideras habere pacem, & vnionem veram, oportet quod omnia quæ ad te non pertinet postponas, & te solum præ oculis habeas. Multum proinde proficies, si te feriatum ab omni temporali cura conserues. Valde deficiēs, si aliquid temporale reputaueris. Nil altum, nil magnum, nil gratum, nil acceptum tibi sit, nisi pure deus aut de deo sit. Totum vanum existima, quicquid consolationis occurrat de aliqua creatura. Amans deum anima, sub deo despicit vniversa. Solus deus æternus & immensus implens omnia, solatium est animæ, & vera cordis lætitia.

De lætitia bonæ conscientie. Cap. 31.
Gloria boni hominis testimonium bonæ conscientie est. Habe bonam conscientiam, & semper habebis lætitiā. Bona conscientia

Sap. 17.

Esaiæ. 57.

2. Reg. 16.

2. Cor. 10.

conscientia valde multa potest portare: & valde læta est inter aduersa. Mala conscientia semper timida est & inquieta. Suauiter requiesces, si te cor tuum non repræhenderit. Noli lætari, nisi cum benefeceris. Mali nunquam habent veram lætitiā, nec internam sentiunt pacem, quia non est pax impiis, dicit dominus. Et si dixerint, in pace sumus, non venient super nos mala, & quis nobis nocere audebit? Ne credas eis, quonia repente exurgit ira dei, & in nihilum rediguntur actus eorum: & cogitationes eorum peribunt. Gloria in tribulatione non est graue amanti. Sic enim gloriari, est in cruce domini gloriari. Breuis gloria, quæ ab hominibus datur & accipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientia eorum: & non in ore hominum. Iustorum lætitia de deo & in deo est: & gaudium eorum de veritate. Qui veram & æternam gloriam desiderat, temporalem non curat. Et qui temporalem quærit gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare conuincitur cælestem. Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia. Facile erit contentus & pacatus, cuius conscientia munda est. Non es sanctior si lauderis, nec vilior si vitupereris. Quod es, hoc es: nec maior dici vales, quā deo teste sis. Si attendis quid apud te sis intus: non curabis quid de te loquatur foris. Homo videt in facie, deus autem in corde. Homo considerat actus: deus verò pēsat intentiones. Bene semper agere, & modicum de se tenere, humilis animæ indicium est. Nolle consolari ab aliqua creatura, magnæ puritatis & internæ fiduciæ signum est. Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quærit: liquet quod se deo totaliter commisit. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est (ait beatus Paulus) sed quem deus commendat. Ambulare cum deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, status est interni hominis.

De amore Iesu super omnia. Cap. 32.
Beatus qui intelligit quid sit amare Iesum: & contemnere seipsum propter Iesum. Oportet dilecta pro dilecto relinquere, quia Iesus vult solus super omnia amari. Dilectio creaturæ fallax & instabilis: dilectio Iesu fidelis & perseverabilis. Qui adheret creaturæ, cadet cū labili: qui amplectitur Iesum, firmabitur in æuum. Illum dilige & amicum tene tibi, qui omnibus recedentibus te non derelinquet, nec patietur in fine perire. Ab hominibus oportet te aliquando separari, siue velis siue nolis. Teneas te apud Iesum viuens & moriens, & illius fidelitati te commit-

te: qui omnibus deficientibus solus potest te iuuare. Dilectus tuus talis est naturæ, vt alienum non velit admittere: sed solus vult cor tuum habere, & tanquā rex in proprio throno sedere. Si scires te bene ab omni creatura euacuare: Iesus vellet libenter tecum habitare. Pene totum perditum inuenies, quicquid extra Iesum in hominibus posueris. Non cōfidas nec innitaris super calamum vento-sum, quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos fœni cadet. Cito decipieris, si ad externam hominum apparentiam tantū aspexeris. Si enim tuum in aliis quæris solatium & lucrum, senties sæpe detrimentum. Si quæris in omnibus Iesum, inuenies vtique Iesum. Si autem quæris teipsum, inuenies etiam teipsum, sed ad tuam perniciem. Plus enim homo nocius est sibi, si seipsum quærit & non Iesum, quā totus mūdus & omnes sui aduersarij.

De familiari amicitia Iesu. Cap. 33.
Qvando Iesus adest, totum bonum est, nec quicquam difficile videtur. Quādo verò Iesus non adest, totum durum est. Quando Iesus intus non loquitur, consolatio vilis est. Si autem Iesus vnū tantū verbum loquitur, magna consolatio sentitur. Nonne Maria Magdalena statim surrexit de loco in quo fleuit, quando Martha illi dixit: Magister adest, & vocat te? Fœlix hora, quando Iesus vocat de lacrimis ad gaudium spiritus. Quā aridus & durus es sine Iesu, quā insipiens & vanus si cupis aliquid extra Iesum? Nonne hoc est maius damnum, quā si totum perderes mūdum? Quid potest mūdus conferre sine Iesu? Esse sine Iesu grauis est infernus, & esse cum Iesu dulcis paradisus. Si fuerit tecum Iesus, nullus poterit nocere inimicus. Qui inuenit Iesum, inuenit thesaurum bonum, immo bonum super omne bonum. Et qui perdit Iesum, perdit nimis multum, & plusquam totum mundum. Pauperimus est, qui viuat sine Iesu. Ditissimus, qui bene est cum Iesu. Magna ars est scire conuersari cum Iesu: & scire Iesum tenere, magna prudentia. Esto humilis & pacificus: & erit tecum Iesus. Sis deuotus & quietus, & manebit tecum Iesus. Potes cito fugare Iesum, & gratiam eius perdere, si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaueris, & perdideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres amicū? Sine amico non potes bene viuere: & si Iesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Farue igitur agis, si in aliquo altero confidis & lætaris. Eligendū est magis totum mundum habere contrarium, quā Iesum offensum. Ex omnibus ergo

Esai. 40.

Iesu amor qd præstat.

Ioan. 15.

2. Cor. 1.

conscientia

charis, sit Iesus dilectus specialis. Diligantur omnes propter Iesum: Iesus autem propter seipsum. Solus Iesus Christus singulariter est amandus, qui solus bonus & fidelis inuenitur præ omnibus amicis. Propter ipsum & in ipso tam amici quam inimici tibi sint chari: & pro omnibus his exorandus est, ut omnes ipsum cognoscant & diligant. Nunquam cupias singulariter laudari & amari, quia hoc solius dei est, qui similem sibi non habet. Nec velis quod aliquis in corde suo tecum occupetur: neque tu cum alicuius occuperis amore, sed sit Iesus in te & in omni bono homine. Esto purus & liber intus, sine alicuius creaturæ implicamento. Oportet te esse mundum, & purum cor ad deum gerere, si vis vacare & videre quam suavis est dominus. Et reuera ad hoc non peruenies, nisi gratia eius fueris præuentus & attractus, ut omnibus euacuatis & dimissis, solus cum solo vnieris. Quando enim gratia dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia: & quando recedit, tunc pauper & infirmus erit, & quasi tatum ad flagella relictus. In his non debes deiici nec desperare: sed ad voluntatem dei æquanimiter stare, & cuncta superuenientia tibi ad laudem Iesu Christi perpeti, quia post hyemem sequitur æstas, post noctem redit dies, & post tempestatem serenitas magna.

De carentia omnis solatij. Cap. 34.
Non est graue humanum contemnere solatium, cum adest diuinum. Magnū est valde diuino tanquam humano posse carere solatio, & pro honore dei libenter exilium cordis velle sustinere: & in nullo seipsum querere, nec ad proprium meritum respicere. Quid magni est si hilaris sis, & deuotus adueniente gratia? Optabilis cunctis hæc hora. Satis suauiter equitat, quem gratia dei portat. Et quid mirum, si onus non fertur, qui portatur ab omnipotente, & ducitur à summo ductore? Libenter habemus aliquid pro solatio: & difficulter homo exiit à seipso. Vicit sanctus martyr Laurentius seculū cum suo sacerdote, quia omne quod in mundo delectabile videbatur, despexit: & dei summi sacerdotem Sixtum quem maxime diligebat, pro amore Christi etiam à se tolli clementer ferebat. Amore igitur creatoris amorem hominis superauit, & pro humano solatio diuinum beneplacitum magis elegit. Ita & tu aliquem necessarium & dilectum amicū pro amore dei discere relinquere. Nec grauiter feras cum ab amico derelictus fueris, sciens quoniam oportet nos omnes tandem ab inuicem separari. Multum & diu oportet hominem in seipso certare, antequā

Solatium
omni ca
rere ame
mus pro
pter Deū

discat seipsum plene superare, & totum affectum suum in deum trahere. Quando homo stat super seipsum, facile labitur ad consolationes humanas. Sed verus Christi amator & studiosus sectator virtutum, non cadit super consolationes, nec querit tales sensibiles dulcedines, sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duos sustinere labores. Cum igitur spiritualis consolatio à deo datur, cum gratiarum actione accipere eam, sed dei munus intellige esse, non tuum meritum, & noli extolli. Noli nimium gaudere nec inaniter presumere, sed esto potius humilior ex dono, cautior quoque & timorator in cunctis actibus tuis, quoniam transibit hora illa, & sequetur tentatio. Cum ablata fuerit consolatio, non statim desperes, sed cum humilitate & patientia expecta caelestem visitationem, quia potens est Deus ampliolem tibi donare consolationem. Istud non est nouum nec alienum viam dei expertis, quia in magnis sanctis & in antiquis prophetis fuit talis sæpe alternationis modus. Vnde quidam presentiam dei gratia dicebat: Ego dixi in abundantia mea, non mouebo in æternum. Absente autem gratia quid in se fuerit expertus, adiungit dicens. Auertisti faciem tuam à me: & factus sum conturbatus. Inter hæc tamen nequaquam desperat, sed instantius dominū rogat & dicit. Ad te domine clamabo, & ad deum meum deprecabor. Denique orationis suæ fructum reportat, & se exauditum testatur dicens. Audiuit dominus & miseratus est mei, dominus factus est adiutor meus. Sed in quo? Conuertisti (inquit) planctum meum in gaudium mihi: & circumdedisti me læticia. Si sic actum est cum magnis sanctis, non est desperandum nobis infirmis & pauperibus, si interdum in frigiditate & interdum in feruore sumus, quoniam spiritus venit & recedit secundum suam voluntatis beneplacitum. Vnde beatus Iob ait. Visitas eum diluculo: & subito probas illum. Super quid igitur sperare possum, aut in quo confidere debeo, nisi in sola magna misericordia dei, & in sola spe gratiæ caelestis? Siue enim adsint homines boni, siue deuoti fratres & amici fideles, siue libri sancti vel tractatus pulchri, siue dulcis catus & hymni: omnia hæc modicū iuuant & modicū sapiunt quando desertus sum à gratia, & in propria paupertate relictus. Tunc non est melius remedium, quam patientia & abnegatio mei in voluntate dei. Nunquā inueni aliquem tam religiosum & deuotū, qui non habuerit interdum gratiæ subtractionem, aut non senserit feruoris diminutionem. Nullus sanctus fuit unquā tam alte raptus & illuminatus, qui prius vel

In viri
piis con
solatio
& tenta
tio alter
nant.
Psal. 29.

Ioan. 3.
Iob. 7.

Tentatio
precedens
signum
consequens
conso
lationis.
Apo. 2.

Iob. 5.

vel postea non fuit tentatus. Non enim dignus est alta dei cōtemplatione, qui pro deo non est exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim sequentis consolationis, tentatio præcedens esse signum. Nam tentationibus probatis caelestis promittitur consolatio. Qui viderit (inquit) dabo ei edere de ligno vitæ. Datur autem consolatio diuina, ut homo fortior sit ad sustinendum aduersa. Sequitur etiam tentatio, ne se eleuet de bono. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua est, ideo non cesses præparare te ad certamen, quia à dextris & à sinistris sunt hostes qui nunquam quiescunt, De gratitudine pro gratia. Cap. 35.

Quid queris quietem, cum natus sis ad laborem? Pone te ad patientiam magis quam ad consolationem, & ad crucem portantam magis quam ad læticiam. Quis enim secularium non libenter consolationem & læticiam spiritualem acciperet, si semper obtinere posset? Excedunt enim spirituales consolationes omnes mundi delicias & carnis voluptates. Nam omnes deliciae mundanae, aut turpes sunt, aut vanae. Spirituales vero deliciae solae iucundae sunt & honestae, ex virtutibus progenitae, & à deo puris infusae mentibus. Sed istis diuinis consolationibus nemo semper pro suo affectu frui valet, quia tempus tentationis non diu cessat. Multum autem contraria est supernae visitationi falsa libertas animi, & magna confidentia sui. Deus bene facit consolationis gratiam dando, sed homo male agit non totum deo cum gratiarum actione retribuendo. Et ideo non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quod ingrati sumus auctori, nec totū refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia digne gratias referenti, & aufertur ab elato quod dari solet humiliori. Nolo consolationem quæ mihi aufert compunctionem, nec affectu cōtemplationem quæ ducit in elationem. Non enim omnne altum sanctum: nec omnne desiderium purum: nec omnne dulce bonum: nec omnne charū gratum deo. Libenter accepto gratiā vnde humilior semper & timorator inueniatur, atque ad relinquendum me paratior fiam. Doctus dono gratiæ, & eruditus subtractionis verbere, non sibi audebit quicquam boni attribuere, sed potius se pauperē & nudū confitebitur. Da deo quicquid dei est, & tibi asseribe quod tuum est, hoc est, deo gratias pro gratia tribue, tibi autē soli culpā, & dignā poenā pro culpa deberi scietas. Pone te semper ad infimū, & dabitur tibi summum: nam summū non stat sine infimo. Summi sancti apud deū, minimi sunt apud se: & quāto gloriosiores, tāto in se humiliores. Pleni veritate & gratia caele

sti non sunt inanis gloriae cupidi. In deo fundati & confirmati, nullo modo possunt esse elati: & qui deo totū ascribunt quicquid boni acceperunt, gloriam ab inuicē non querunt, sed gloriam quæ à solo deo est volūt, & deum in se & in omnibus sanctis laudari super omnia cupiunt, & semper in idipsum tendunt. Esto igitur gratus in minimo: & eris dignus maiora accipere. Sit tibi minimū etiam pro maximo, & magis contēptibile pro speciali dono. Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parū, aut munus vile videbitur. Non enim paruum est, quod à summo deo donatur. Etiam si poenas & verbera dederit, gratū esse debet: quia semper pro salute nostra facit quicquid nobis aduenire permittit. Qui gratiā dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia dei data, patiens pro sublata: oret ut redeat: cautus sit & humilis ne amittat.

De paucitate amatorum crucis Christi.

Cap. 36.

Habet Iesus nūc multos amatores regni sui caelestis: sed paucos baiulatores suæ crucis. Habet multos desideratores consolationis: sed paucos tribulationis. Plures inuenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ. Omnes cupiunt cum eo gaudere: sed pauci volunt pro ipso aliquid sustinere. Multi sequuntur Iesum vsque ad fractionem panis: sed pauci vsque ad bibendū calicem passionis. Multi miracula eius venerantur: sed pauci ignominiam crucis sequuntur. Multi Iesum diligunt, quādiu aduersa non contingunt. Multi illum laudant & benedicunt, quādiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt. Si autē Iesus se abscōderit, & modicū eos reliquerit, aut in querimoniam aut in deiectionem nimiam cadunt. Qui autē Iesum propter Iesum, & non propter suam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione & angustia cordis, sicut in summa consolatione benedicunt: & si nūquam eis consolationem dare vellet, ipsum tamen semper laudarent, & semper ei gratias agere vellēt. O quātū potest amor Iesu purus, nullo proprio cōmodo vel amore permixtus? Nōne omnes mercenarij sunt dicēdi, qui consolationes semper querunt? Nonne amatores sui magis quā Christi probantur, qui sua cōmoda vel lucra semper meditantur? Vbi inuenitur talis, qui velit deo seruire gratis? Raro inuenitur tā spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus. Nam verū spiritu pauperē, & ab omni creatura nudū, quis inueniet? Procul & de vltimis finibus precū eius. Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est: & si fecerit poenitentiam magnam, adhuc exiguum est. Et si apprehēderit omnem sciētiam, ad-

Conso
lationes e
tiam di
uinas ac
sicutē q
rentes,
mercenari
rij iunt.

huc lōge est: & si habuerit virtutē magnā, & deuotionem nimis ardentē, adhuc multum ipsi deest: vnū scilicet quod ipsi summē necessarium est. Quid illud? Vt omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat: nihilq; de priuato amore retineat. Cumq; omnia fecerit quæ faciēda nouerit: nihil se fecisse sentiat. Nō grande pōderet, quod grande æstimari possit: sed in veritate seruum inutile se pronunciet, sicut veritas ait: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Tunc vere pauper & nudus spiritu esse poterit: & cum propheta dicere: **Lucæ. 17.** Quia vnicus & pauper sum ego. Nemo tamē isto ditior, nemo liberior, nemo potentior, qui se & omnia scit relinquere, & ad infimū se ponere.

De regia via sanctæ crucis. Cap. 37.

Lucæ. 9. **D** Vrus videtur multis hic sermo, Abnega temetipsum, tolle crucē tuam, & sequere Iesum. Sed multo durius erit audire illud extremum verbum: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Qui enim modo libenter audiunt & sequuntur verbum crucis: tunc non timebunt ab auditione mala æternæ damnationis. Hoc signum crucis erit in cælo, cum dominus ad iudicandum venerit. Tūc omnes serui crucis, qui se crucifixo cōformauerunt in vita, ad Christum accedent iudicē cum magna fiducia. Quid igitur times tollere crucē, per quā itur ad regnum? In cruce salus, in cruce via, in cruce protectio ab hostibus, in cruce infusio supernæ suauitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudiū spiritus, in cruce virtus summa, in cruce perfectio sanctitatis. Nō est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in cruce. Tolle ergo crucē tuā, & sequere Iesum, & ibis in vitam æternā. Præcelsit ille baiulans sibi crucem, & mortuus est pro te in cruce, vt & tu tuam portes crucē, & mori affectes in cruce: Quia si commortuus fueris, etiam cum illo pariter viues: & si socius fueris poenæ, eris & gloriæ. Ecce in cruce totum constat, & in moriendo totum iacet, & non est alia via ad vitam & ad veram internam pacem, nisi via sanctæ crucis & quotidianæ mortificationis. Ambula quō vis, quare quodcumq; volueris, & non inuenies altiorē viam supra, nec securiorē viam infra, nisi viam sanctæ crucis. Dispone & ordina omnia secundū tuū velle & videre, & nō inuenies nisi semper aliquid pati debere aut spē aut inuite: & ita crucē semp inuenies. Aut enim in corpore dolorē senties: aut in anima spiritus tribulationē sustinebis. Interdum à deo relinqueris: interdum à proximo exercitaberis: & quod amplius est, sæpe tibi-

Vnū necessarium est.

Lucæ. 17.

Psal. 24.

Lucæ. 9.

Matt. 23

Psal. 111.

Ioan. 19.

Nulla via excelentior, nulla tuator quā crucis Christi.

metipsi grauis eris: nec tamē aliquo remedio vel solatio liberari seu alleuari poteris: sed donec deus voluerit, oportet vt sustineas. Vult enim deus vt tribulationē sine cōsolatione pati discas, vt ipsi totaliter te subiicias, & humilior ex tribulatione fias. Nemo ita cordialiter sentit passionem Christi, sicut is cui cōtigerit similia pati. Crux igitur semper parata est, & vbiq; te expectat. Non potes effugere quocumque cucurreris: quia quocumque iueris, te ipsum tecum portas, & semper te ipsum inuenies. Conuerte te supra, conuerte te infra, cōuerte te extra, cōuerte te intra, & in his omnibus inuenies crucē, & necesse est te vbiunque sis tenere patiētiam, si internā vis habere pacē, & perpetuā promereri coronā. Si libēter crucem portas, portabit te, & deducet te ad desideratum finē: vbi scilicet finis patiendi erit, quāuis hic nō erit. Si inuite portas, onus tibi facis, & te ipsum magis grauas, & tamen oportet vt sustineas. Si abiicias vnā crucē: aliam proculdubio inuenies, & forsā grauiorem. Credis tu euadere, quod nullus mortalium potuit præterire? Quis sanctorum in mundo sine cruce & tribulatione fuit? Nec enim dominus noster Iesus Christus vna hora sine dolore passionis fuit quandiu in hoc mundo vixit. Oportebat, ait, Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriā suam. Et quomodo tu aliam viā quæris, quā hanc regiā viā quæ est via sanctæ crucis? Tota vita Christi crux fuit & martyrium, & tu tibi quæris quietem & gaudiū? Erras, erras, si aliud quæris quā pati tribulationes, quia tota ista vita mortalis plena est miseriis, & circumsignata crucibus. Et quanto altius quis in spiritu profecerit, tanto grauiores cruces sæpe inuenit: quia exilij sui poena magis ex amore crescit. Sed tamen iste sic multipliciter affectus non est sine leuamine cōsolationis: quia fructum sibi maximum sentit accrescere ex suffeferentia suæ crucis. Nā dum spē illi se subiicit, omne onus tribulationis in fiduciam diuinæ cōsolationis conuertitur. Et quanto caro magis afflictione atteritur, tātō amplius spiritus per internam gratiam roboratur. Et nonnunquam intantum confortatur ex affectu tribulationis & aduersitatis ob amorem conformitatis crucis Christi, vt se sine dolore & tribulatione esse non vellet, quoniam tanto se acceptiorem deo credit, quanto plura & grauiora pro eo ferre potuerit. Non est illud virtus hominis, sed gratia Christi, quæ tanta potest & agit in carne fragili, vt quod naturaliter semper abhorret & fugit, hoc feruore spiritus aggrediatur & diligat. Non est

Crucem nemō inuenit.

Luc. 24.

Rom. 8.

2. Cor. 12.

Act. 9.

secundum hominem crucem portare, crucē amare, corpus castigare, & seruituti subiicere, honores fugere, contumelias libenter sustinere, seipsum despiciere, & despici optare, aduersa quæque cum damnis perferri, & nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare. Si ad te ipsum respicis, nihil huiusmodi ex te poteris: sed si in domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cælo, & subiicientur ditioni tuæ mundus & caro. Sed nec inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus, & cruce Christi signatus. Pone te ergo sicut bonus & fidelis seruus Christi ad portandum viriliter crucē domini tui, pro te ex amore crucifixi. Præpara te ad toleranda multa aduersa & varia incōmoda in hac misera vita, quia sic tecum erit vbiunque fueris, & sic reuera cum inuenies vbiunque latuerit. Oportet ita esse, & nō est remedium euadendi à tribulatione malorum & dolore, quā vt patiaris. Calicē domini affeātanter bibe, si amicus eius esse, & partē cum eo habere desideras. Cōsolationes deo committe, faciat ipse cum talibus sicut sibi magis placuerit. Tu verò pone te ad sustinendum tribulationes, & reputa eas maximas cōsolationes: quia nō sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam promerendam, etiam si solus omnes posses sustinere. Quando ad hoc veneris quōd tribulatio tibi dulcis est & sapit pro Christo, tunc bene tecū esse existima: quia inuenisti paradysum in terra. Quandiu tibi pati graue est, & fugere quæris, tandiu male habebis, & sequetur te vbi que fuga tribulationis. Si ponis te ad quod esse debes, videlicet ad patiendum & moriendum: fiet cito melius, & pacem inuenies. Etiam si rapus fueris in tertium cælum cum Paulo: nō es propterea certus de nullo contrario patiendo. Ego (inquit Iesus) ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Pati ergo tibi remanet, si Iesum diligere & perpetuo illi seruire placet. Vtinam dignus esses pro nomine Iesu aliquid pati. Quā magna gloria remaneret tibi, quanta exultatio omnibus sanctis dei, quanta quoque ædificatio esset proximi? Nam patientiam omnes commendant, quanuis pauci tamen pati velint. Merito deberes libenter modicum pati pro Christo, cum multi grauiora patiantur pro mundo. Scias pro certo, quōd morietem te oportet ducere vitam. Et quanto quisque sibi plus moritur, tanto magis deo viuere incipit. Nemo aptus est ad compræhendendum cælestia, nisi se submiserit ad portandum pro Christo aduersa. Nihil deo acceptius, nihil tibi salubrius in isto mundo, quā libenter pati pro Christo. Et si eligendum tibi esset,

magis optare deberes pro Christo aduersa pati, quā multis cōsolationibus recreari, quia Christo similior esses, & omnibus sanctis eius magis conformis. Non enim stat meritum nostrum & profectus status nostri in multis suauitatibus & cōsolationibus, sed potius in magnis grauitatibus & tribulationibus perferendis. Si quidem aliquid melius & vtilius salutis hominum quā pati fuisset, Christus vtique verbo & exemplo ostendisset. Nam & sequentes se discipulos, omnesque eum sequi cupientes manifeste ad crucem portandā hortatur, & dicit. Si quis vult venire post me: abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Omnibus ergo perlectis & scrutatis, sit ista finalis conclusio, Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei.

Finitur Primus.

Incipit Secundus, cuius hæc sunt capita.


De interna Christi ad animam fidelem allocutione. Cap. i.
 Quōd veritas intus loquitur sine strepitu verborum. Cap. ii.
 Quōd verba dei cum humilitate sunt audienda, & quōd multi ea nō ponderāt. Cap. iii.
 Oratio ad implorandam deuotionis gratiā. Cap. iiiii.
 Quōd in veritate & humilitate corā deo cōuersandum est. Cap. v.
 De mirabili effectu diuini amoris. Cap. vi.
 De probatione veri amatoris. Cap. vii.
 De occultanda gratia sub humilitatis custodia. Cap. viii.
 De vili æstimatione sui sub oculis dei. Cap. ix.
 Quōd omnia ad deum sicut ad finem vltimum sunt referenda. Cap. x.
 Quōd spreto mundo dulce est seruire deo. Cap. xi.
 Quōd desideria cordis examinanda sunt & moderanda. Cap. xii.
 De informatione patientiæ, & luctamine aduersus concupiscentias. Cap. xiii.
 De obedientia humilis subditi ad exemplum Iesu Christi. Cap. xiiii.
 De occultis dei iudiciis considerandis, ne extollamur in bonis. Cap. xv.
 Qualiter standum sit ac dicendum in omni re desiderabili. Cap. xvi.
 Oratio pro beneplacito dei perficiendo. Cap. xvii.
 Quōd verum solatium in solo deo est querendum. Cap. xviii.

b ij

Quòd omnis sollicitudo in deo est ponenda. Cap. xix.
 Quòd temporales miseriae, Christi exemplo æquanimiter sunt ferendæ. Cap. xx.
 De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens proberur. Cap. xxi.
 De cõfessione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miseris. Cap. xxii.
 Quòd in deo super omnia bona & dona requiescendum est. Cap. xxiii.
 De recordatione beneficiorum dei multiplicium. Cap. xxiiii.
 De quatuor magnam importantibus nobis pacem. Cap. xxv.
 Oratio cõtra cogitationes malas. Cap. xxvi.
 Oratio pro illuminatione mētis. Cap. xxvii.
 De euitatione curiosæ inquisitionis super alterius vita. Cap. xxviii.
 In quibus firma pax cordis, & verus profectus consistit. Cap. xxix.
 De eminetia liberæ mentis, & q̄ supplex oratio magis meretur quàm lectio. Cap. xxx.
 Quòd priuatus amor à summo bono maxime retardat. Cap. xxxi.
 Oratio pro purgatione cordis & cælesti sapientia obtinenda. Cap. xxxii.
 Contra linguas obrectatorum. Cap. xxxiii.
 Qualiter instante tribulatione deus inuocandus est & benedicendus. Cap. xxxiiii.
 De diuino auxilio petendo, & de confidentia recuperandæ gratiæ habenda. Cap. xxxv.
 De neglectu omnis creaturæ, vt creator possit inueniri. Cap. xxxvi.
 De abnegatione suiipsius, & abdicatione omnis cupiditatis. Cap. xxxvii.
 De instabilitate cordis, & de intentione finali ad deum habenda. Cap. xxxviii.
 Quòd amati deum, deus sapiat super omnia & in omnibus. Cap. xxxix.
 Quòd nulli est securitas à tentatione in hac vita. Cap. xl.
 Contra vana hominum iudicia. Cap. xli.
 De pura & integra resignatione sua ad obtinendam cordis libertatem. Cap. xlii.
 De bono regimine in externis, & recurfu ad deum in periculis. Cap. xliiii.
 Ne homo sit importunus in negociis. C. xliiii.
 Quòd homo nihil boni ex se habeat, & de nullo gloriari possit. Cap. xlv.
 De vero contemptu omnis temporalis honoris. Cap. xlvi.
 Quòd pax non est ponenda in hominibus. Cap. xlvii.
 Contra vanam & secularem scientiam. Cap. xlviii.
 Non attrahendo aut vendicando sibi res exteriores. Cap. xlix.

Quòd non omnibus credendū est, & de facili lapsu verborum. Cap. l.
 De confidentia in deo habenda quando insurgunt verborum iacula. Cap. li.
 Quòd omnia graui pro æterna vita sunt toleranda. Cap. lii.
 De die æternitatis, & de huius vitæ angustiis. Cap. liii.
 De desiderio æternæ vitæ, & quanta sint legitime certantibus bona promissa. Cap. liiii.
 Qualiter homo desolatus debeat se in manus dei offerre. Cap. lv.
 Quòd humilibus insistendum est operibus cum deficitur à summis. Cap. lvi.
 Quòd homo nõ existimet se cõsolatione dignum, sed magis verberibus. Cap. lvii.
 De gratia dei quæ non miscetur iis qui terrena sapiunt. Cap. lviii.
 De diuersis & penè contrariis motibus naturæ & gratiæ. Cap. lix.
 De corruptione naturæ humanæ, & efficacia gratiæ diuinæ. Cap. lx.
 Quòd nosipos abnegare, & Christum imitari debemus per crucem. Cap. lxi.
 Vt homo nõ sit nimis deiectus quãdo labitur in aliquos errores aut defectus. Cap. lxii.
 De altioribus rebus & occultis iudiciis dei non scrutandis. Cap. lxiii.
 Quòd omnis spes & fiducia nostra in solo deo est figenda. Cap. lxiiii.

De interna Christi locutione ad animam fidelem. Cap. i.



Avdiam quid loquatur in me dominus deus. Beata anima, quæ dominum in se loquentem audit, & de ore eius verbum consolationis accipit. Beatæ aures, quæ auram diuini suffurri suscipiunt, & de mundi huius suffurationibus nihil aduertunt. Beatæ planè aures, quæ non vocem foris sonantem, sed interius auscultant veritatem loquentem & docentem. Beati oculi, qui exterioribus clausi, interioribus autem sunt intenti. Beati qui interna penetrant, & ad capienda arcana cælestia magis ac magis per quotidiana exercitia se student præparare. Beati qui deo vacare gestiunt, & ab omni impedimento seculi se excutiunt. Animaduerte hæc anima mea, & claude sensualitatis tuæ ostia: vt possis audire quid in te loquatur dominus deus tuus. Hæc dicit dilectus tuus: Salus tua ego sum: pax tua, & vita tua. Serua te apud me, & pacem

Psal. 84.

& pacem inuenies. Dimitte omnia transitoria, & quere æterna. Quid sunt omnia temporalia, nisi seductoria? Et quid iuuant omnes creaturæ, si fueris à creatore deserta? Omnibus ergo abdicatis, creatori tuo te redde placitam ac fidelem: vt veram valeas apprehendere beatitudinem.
 Quòd veritas intus loquitur sine strepitu verborum. Cap. 2.
Loquere domine, quia audit feruus tuus. ^{1 Reg. 3.} Seruus tuus sum ego: da mihi intellectū, vt sciam testimonia tua. Inclina cor meum in verba oris tui, sicut vt ros eloquium tuum. ^{Exod. 20.} Dicebant olim filij Israel ad Moysem, Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Non sic domine, non sic oro: sed magis cum Samuele propheta humiliter ac desideranter obsecro. Loquere domine, quia audit feruus tuus. Nõ loquatur mihi Moyse aut aliquis ex prophetis, sed potius tu loquere domine deus, inspirator & illuminator omnium prophetarum, quia tu solus sine eis potes me perfecte erudire: illi autem sine te nihil proficient. Possunt quidem verba sonare, sed spiritum non conferunt. Pulcherrime dicunt: sed te tacente cor non accendunt. Literas tradunt: sed tu sensum aperis. Mytheria proferunt: sed tu referas intellectum signatorum. Mandata edicunt: sed tu iuuas ad perficiendū. Viam ostendunt: sed tu confortas ad ambuladum. Illi foris tantum agunt: sed tu corda instruis & illuminas. Illi exterius rigant: sed tu fecunditatem donas. Illi clamant verbis: sed tu auditui intelligentiam tribuis. Non ergo loquatur mihi Moyse, sed tu domine deus meus æterna veritas, ne forte moriar, & sine fructu efficiar. Si fuero tantum foris admonitus, & intus nõ accensus, ne sit mihi ad iudicium verbum auditum & non factum, cognitum nec amatum, creditū & non seruatum. Loquere igitur domine, quia audit feruus tuus. Verba enim vitæ æternæ habes. Loquere mihi ad qualescunque animæ meæ consolationem, & ad totius vitæ meæ emendationem: ad tuam autē gloriam, & perpetuum honorem.
 Quòd verba dei cum humilitate sunt audienda, & quòd multi ea non ponderat. Cap. 3.
Avdī fili mi verba mea, verba suauissimi, omnium philosophorū & sapientium huius mundi scientiam excedētia. Verba mea spiritus & vita sunt: nec humano sensu pensanda. Non sunt ad vanam complacentiā trahenda: sed in silentio audiēda, & cū omni humilitate atq; affectu magno suscipiēda. Et dixi. Beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eū, vt mitiges ei à die-

Ioan. 6.

Psal. 93.

bus malis, & non desoletur in terra. Ego (inquit dominus) docui prophetas ab initio, & vsque nunc non cesso omnibus loqui: sed multi ad vocem meam surdi sunt & duri. Plures mundum libentius audiunt quàm deum, facilius sequuntur carnis suæ appetitū quàm dei beneplacitum. Promittit mundus temporalia & parua, & seruitur ei auiditate magna. Ego promitto summa & æterna: & torpescūt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus seruit & obedit, quanta mundo & dominis eius seruit? Erubescere Sidon, ait mare. ^{Esai. 23.} Et si causam quæris, audi quare. Pro modica ^{Mundus seducens seruiti} præbēda longa via curritur, & pro æterna ^{amatur,} vita vix à multis pes semel à terra leuatur. Vile ^{Deus beans.} precium quaritur: pro vno numismate interdum turpiter litigatur, & pro vana re & parua promissione die noctuque fatigari nõ timetur. Sed pro dolor, pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubescere ergo serue piger & querulose, quòd illi paratiores inueniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem, quàm tu ad veritatem. Illi quidem à spe sua saepe frustrantur: sed promissio mea neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod promisi dabo, quod dixi implebo, si tamen vsque in finem fidelis in dilectione mei quis permanferit. Ego remunerator sum omnium bonorum, & fortis probator omnium deuotorum. Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter: erunt enim in tempore tentationis valde necessaria. Quod non intelligis cum legis: cognosces in die visitationis. Dupliciter soleo dilectos visitare, tentatione scilicet, & consolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego, vnam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa. Qui habet verba mea & spernit ea: habet qui iudicet eum in nouissimo die.
 Oratio ad implorandam deuotionis gratiam. Cap. 4.
Domine deus meus omnia bona mea tu es. Et quis ego sum, vt audeā ad te loqui? Ego sum pauperrimus seruulus tuus, & abiectus vermiculus: multo pauperior & contempribilior, quàm scio & dicere audeo. Memēto tamē domine quia nihil sum, nihil habeo, nihilque valeo. Tu solus bonus iustus & sanctus, tu omnia potes, omnia præstas, omnia imple: solū peccatorem inanem relinquens. Reminiscere miserationū tuarum domine: & imple cor meū gratia tua, qui nõ vis vacua esse opera tua. Quomodo possū me tolerare in hac misera vita, nisi me cõfortauerit miser-

cordia & gratia tua? Noli auertere faciem tuam a me, noli uisitationem tuam prolongare, noli consolationem tuam subtrahere: ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi. Domine doce me facere uoluntatem tuam, doce me coram te digne & humiliter conuersari: quia sapientia mea tu es: qui in ueritate me cognoscis, & cognouisti antequam fieret mundus, & antequam natus essem in mundo.

Quod in ueritate & humilitate coram deo conuersandum est. Cap. 5.

Fili ambula coram me in ueritate, & in simplicitate cordis tui quere me semper. Qui ambulat coram me in ueritate, tutabitur ab incurribus malis, & ueritas liberabit eum a seductionibus & detractionibus iniquorum. Si ueritas te liberauerit, uere liber eris, & non curabis de uanis hominum uerbis. Domine uerum est sicut dicis: ita quaeso mecum fiat. Ueritas tua me doceat, ipsa me custodiat, & usque ad salutarem finem me conducat. Ipsa me liberet ab omni affectione mala & inordinata dilectione, & ambulabo tecum in magna cordis libertate. Ego te docebo (ait ueritas) quae recta sunt & placita coram me. Cogita peccata tua cum displicentia magna & mœrore: & nunquam reputes te aliquid esse propter opera bona. Reuera peccator es, & multis passionibus obnoxius & implicatus. Ex te semper ad nihil tendis: cito laberis, cito uinceris, cito turbaris, cito dissolueris. Non habes quicquam unde possis gloriari: sed multa unde te debeas uilificare, quia multo infirmior es, quam uales comprehendere. Nihil ergo magnum tibi uideatur ex omnibus quae agis. Nihil grande, nihil preciosum & admirabile, nihil reputatione appareat dignum: quia nihil altum, nihil uere laudabile & desiderabile, nisi quod aeternum est. Placeat tibi super omnia aeterna ueritas, displiceat tibi super omnia maxima tua uilitas. Nihil sic timeas, nihil sic vituperes & fugias sicut uicia & peccata tua, quae magis displicere debent, quam quaelibet rerum damna. Quidam non sincere coram me ambulant, sed quadam curiositate & arrogantia ducti uolunt secreta mea scire, & alta dei intelligere, se & suam salutem negligentes. Hi saepe in magnas tentationes & peccata propter suam superbiam & curiositatem me eis aduersante labuntur. Time iudicia dei, expauesce iram omnipotentis. Noli discutere opera altissimae sed tuas iniquitates perferutare, in quibus uidelicet deliquisti, & quam multa bona neglexisti. Quidam solum portant suam deuotionem in libris, quidam in imaginibus, quidam autem in signis exterioribus & figuris. Quidam habent

me in ore, sed modicum in corde. Sunt & alij qui intellectu illuminati, & affectu purgati, ad aeterna semper anhelant, de terrenis grauius audiunt: necessitatibus naturae dolenter inferunt. Et hi sentiunt quid ueritatis spiritus loquatur in eis: quia docet eos terrena despicere, & amare caelestia, mundum negligere, & caelum tota die ac nocte desiderare.

De mirabili effectu diuini amoris. Cap. 6.

Benedico te pater caelestis, pater domini mei Iesu Christi, quia mei pauperis dignatus es recordari. O pater misericordiarum, & deus totius consolationis, gratias ago tibi, qui me indignum omni consolatione, quandoque tua recreas uisitatione. Benedico te semper & glorifico, cum uigilanti filio tuo & spiritu sancto paraclito in saecula saeculorum. Eia domine deus amator sancte meus: cum tu ueneris in cor meum, exultabunt omnia interiora mea. Tu es gloria mea, & exultatio cordis mei: tu spes mea & refugium meum in die tribulationis meae. Sed quia adhuc debilis sum in amore, & imperfectus in uirtute: ideo necesse habeo a te confortari & consolari: propterea uisita me saepius, & instrue disciplinis sanctis. Libera me a passionibus malis, & sana cor meum ab omnibus affectionibus inordinatis & uitiis, ut intus sanatus & bene purgatus, aptus efficiar ad amandum, fortis ad patiendum, stabilis ad perseverandum. Magna res est amor, magnum omnino bonum, quod solum leue facit omne onerosum, & fert aequaliter omne inaequale. Nam onus sine onere portat, & omne amarum dulce ac sapidum efficit. Amor Iesu nobilis ad magna operanda impellit, & ad desideranda semper perfectiora excitat. Amor uult esse sursum: nec uillis infimis rebus detineri. Amor uult esse liber, & ab omni mundana affectione alienus, ne internus eius impediatur affectus: ne per aliquod commodum temporale implicationes sustineat, aut per incommodum succumbat. Nihil dulcius est amore, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucundius, nihil plenius, nihil melius in caelo & in terra: quia amor ex deo natus est: nec potest nisi in deo super omnia creata quiescere. Amans uolat, currit, latatur, liber est & non tenetur, dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus, quia in uero summo super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit & procedit. Non respicit ad dona, sed ad donantem se conuertit super omnia bona. Amor modum sepe nescit: sed super omnem modum feruecit. Amor onus non sentit, labores non reputat, plus affectat quam

ualet,

ualet, de impossibilitate non causatur: quia cuncta sibi posse & licere arbitrat. Valet igitur ad omnia, & multa implet & effectui mancipiat, ubi non amans deficit & iacet. Amor uigilat: & dormiens non dormitat. Fatigatus non lassatur, arctatus non coarctatur, territus non conturbatur, sed sicut uiuax flamma & ardens facula sursum erumpit, secureque pertransit. Si quis amat, nouit quid haec uox clamet. Magnus clamor in auribus dei est: ipse ardens affectus animae, quae dicit, Deus meus amor meus, tu totus meus, & ego totus tuus. Dilata me in amore: ut discam interiori cordis ore degustare quam suauis sit amare, & in amore liquefieri & natari. Teneam amore uadens supra me praenimio feruore & stupore. Cantem amoris canticum, sequar te dilectum meum in altum: deficiat in laude tua anima mea iubilans ex amore. Amem te plus quam me, nec me nisi propter te: & omnes in te, qui uere amant te, sicut iubet lex amoris lucet ex te. Est amor uelox, sincerus, pius, iucundus, & amoenus: fortis, patiens, fidelis, prudens, longanimis, uiriliter, & seipsum nunquam querens. Vbi enim seipsum aliquis querit, ibi ab amore cadit: Est amor circumspectus, humilis, & rectus: non mollis, non leuis, nec uanis intendens rebus: sobrius, castus, stabilis, quietus, & in cunctis sensibus custoditus. Est amor subiectus & obediens praeteritis: sibi uilis & despectus, deo deuotus & gratificus: confidens & sperans semper in eo, etiam cum sibi non sapit deus: quia sine dolore non uiuitur in amore. Qui non est paratus omnia pati, & ad uoluntatem stare dilecti: non est dignus amator appellari. Oportet amantem omnia dura & amara propter dilectum libenter amplecti: nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

De probatione veri amatoris. Cap. 7.

Fili non es adhuc fortis & prudens amator. Quare domine? Quia propter modicam contrarietatem defecis a conceptis, & nimis uide consolationem queris. Fortis amator stat in tentationibus: nec callidis credit persuasionibus inimici. Sicut in prosperis ei placeo, ita in aduersis non displiceo. Prudens amator non tam donum amantis considerat, quam dantis amorem. Affectum potius attendit quam censum: & infra dilectum omnia data ponit. Nobilis amator non quiescit in dono, sed in me super omne donum. Non est ideo totum perditum, si quandoque minus bene de me uel de sanctis meis sentis quam uelles. Affectus ille bonus dulcis quem interdum percipis, effectus gratiae praesentis est, & quidam praegustus patriae caelestis: super quo non nimium innitendum est, quia uadit & uenit.

Fortis amor probatione probatur.

Certare autem aduersus incidentes malos animi motus, suggestionemque spernere diaboli, insigne est uirtutis & magni meriti. Non ergo te conturbent alienae phantasiae de quacunque materia ingestae. Forte serua propositum, & intentionem rectam ad deum. Non est illusio quod aliquando in excelsum subito raperis: & statim ad ineptias solitas cordis reuerteris. Illas enim inuite magis pateris quam agis: & quando displicent & reniteris, meritum est & non perditio. Scito quod antiquus inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, & ab omni deuoto exercitio euacuare: a sanctorum scilicet cultu, a pia passionis meae memoria, a peccatorum uili recordatione, a proprii cordis custodia, & a firmo proposito proficiendi in uirtute. Multas malas cogitationes ingerit, ut tedium tibi faciat & horrorem, ut ab oratione reuocet & sacra lectione. Displicet ipsi humilis confessio, & si possit, a communione cessare faceret. Non credas ei, neque cures illi: licet saepius tibi deceptionis tetenderit laqueos. Ipsi imputa, cum mala ingerit & immunda. Dicit illi: Vade immunde spiritus, erubescere miser. Valde immundus es tu: qui talia inferis auribus meis. Discede a me seductor pessime, non habebis in me partem ullam: sed Iesus tecum erit tanquam bellator fortis, & tu stabis confusus. Malo mori, & omnem poenam subire, quam tibi consentire. Tace & obmutescere, non audiam te amplius, licet mihi plures moliaris molestias. Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? Dominus protector uitae meae: a quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra: non timebit cor meum. Dominus adiutor meus & redemptor meus. Certa tanquam miles bonus: & si interdum ex fragilitate corruis, resume uires fortiores prioribus, confides de ampliori gratia mea. Et multum praecave a uana complacentia & superbia. Propter hoc multi in errorem ducuntur, & in caecitatem pene incurabilem quandoque labuntur. Sit tibi in cautela & perpetua humilitatem ruina haec superborum de se stulte praesumentium.

De occultanda gratia sub humilitatis custodia. Cap. 8.

Fili, uilius est tibi & securius deuotionis gratiam abscondere, nec in altum te efferre, nec multum inde loqui, neque multum ponderare: sed magis temetipsum despicere, & tanquam indigno datam timere. Non est isti affectioni tenacius inherendum, quae citius potest mutari in contrarium. Cogita in gratia, quam miser & inops esse soles sine gratia. Nec est in eo tantum spiritualis

b iij

vita profectus, cum consolationis habueris gratiam, sed cum humiliter & abnegate patienterque tuleris eius subtractione: ita quod tunc ab orationis studio non torpeas, nec reliqua opera tua ex usu facienda omnino dilabi permittas, sed ut optime potueris & intellexeris, libenter quod in te est facias, nec propter ariditatem seu anxietatem mentis quam sentis, te totaliter negligas. Multi enim sunt, qui cum non bene eis successerit, statim impatientes sunt aut desides. Non enim semper est in potestate hominis via eius, sed dei est dare & consolari quando vult, & quantum vult, & cui vult: sicut sibi placuerit, & non amplius. Quidam incauti propter deuotionis gratiam seiplos destruxerunt, quia plus agere voluerunt, quam potuerunt, non pensantes suae paruitatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quam rationis iudicium. Et quia maiora praesumpserunt quam deo placitum fuit, idcirco gratiam cito perdiderunt. Facti sunt inopes & viles relictis, qui in caelum posuerunt nidum sibi: ut humiliati & depauperati discant non in alis suis volare, sed sub penis meis sperare. Qui adhuc noui sunt & imperiti in via domini, nisi consilio discretorum se regant, facilius decipi possunt & elidi. Quod si suum sentire magis sequi quam alius exercitatis credere volunt: erit eis periculosus exitus, si tamen trahi a proprio conceptu noluerint. Raro sibi ipsi sapientes, ab aliis regi humiliter patiuntur. Melius est modicum sapere cum humilitate & parua intelligentia, quam magni scientiarum thesauri cum vana complacentia. Melius est tibi minus habere, quam multum unde posses superbiere. Non satis discrete agit qui se totum laetitiae tradit, obliuiscens pristinae inopiae suae, & casti timoris domini qui timet gratiam oblatam amittere. Non etiam satis virtuose sapit, qui tempore aduersitatis & cuiusquam grauitatis nimis desperare se gerit, & minus fidenter de me quam oportet recogitat ac sentit. Qui tempore pacis nimis securus esse voluerit, saepe tempore belli nimis deiectus & formidolosus reperitur. Si scires semper humilis & modicus in te permanere, nec non spiritum tuum bene moderari ac regere, non incideres tam cito in periculum & offensam. Consilium bonum est, ut feruoris spiritu concepto, mediteris quid futurum sit abscedente lumine. Quod dum contigerit, recogita & denuo lucem posse reuerti, quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam ad tempus subtraxi. Utilior est enim saepe talis probatio, quam si semper prospera pro tua haberes voluntate. Nam merita non sunt ex hoc aestimanda, si quis plures visiones aut consolationes habeat, vel si

Hier. 10.

peritus sit in scripturis, aut in altiori ponatur gradu: sed si vera fuerit humilitate fundatus, & diuina charitate repletus, si dei honorem pure & integre semper quaerat, si seipsum nihil reputet, & in veritate despiciat, atque ab aliis etiam despici & humiliari magis gaudeat quam honorari.

De vili aestimatione sui ipsius in oculis dei
Cap. 9.

Loquar ad dominum meum, cum sum puluis & cinis. Si me amplius reputa uero, ecce tu stas contra me, & dicunt testimonium verum iniquitates meae, nec possum contradicere. Si autem me vilifica uero, & ad nihilum redegero, & ab omni propria reputatione defecero, atque sicut sum pulueriza uero: erit mihi propicia gratia tua, & vicina cordi meo lux, & omnis aestimatio quantum lacunae minima in valle nihilitatis meae submergetur, & peribit in aeternum. Ibi ostendes me mihi quid sum, quid fui, & quo deueni: quia nihil sum, & nesciui. Si mihi ipsi relinquo, ecce nihil & tota infirmitas. Si autem subito me respexeris, statim fortis efficior, & nouo repleor gaudio. Et mirum valde quod sic repente subleuor, & tam benigne a te complector, qui proprio pondere semper ad ima feror. Facit hoc amor tuus gratis praeueniens me, & in tam multis subueniens necessitatibus, a grauius quoque custodiens me periculis, & ab innumeris (ut vere dicam) eripiens malis. Me si quidem male amando, me perdidisti: & te solum quaerendo & pure amando, me & te pariter inueni, atque ex amore tui profundius ad nihilum me redegi: quia tu o dulcissime facis mecum supra meritum omne, & supra id quod audeo sperare vel rogare. Benedictus sis deus meus, quia licet ego omnibus bonis sum indignus, tua tamen nobilitas & infinita bonitas nunquam cessat bene facere etiam ingratis, & longe a te aueris. Conuerte nos ad te, ut simus grati, humiles, & deuoti: quia salus nostra tu es, virtus & fortitudo nostra.

Quod omnia ad deum sicut ad finem ultimum sunt referenda. Cap. 10.

Fili ego debeo esse finis tuus supremus & uel timatus, si uere desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sapius ad seipsum, & ad creaturas male incuruatus. Nam si te ipsum in aliquo quaeris, statim in te deficis & arescis. Omnia ergo ad me principaliter referas, quia ego sum qui omnia dedi. Sic singula considera, sicut ex summo bono manantia: & ideo ad me tanquam ad suam originem cuncta sunt reducenda. Ex me pusillus & magnus, pauper

Gen. 18.

Vbi que
Christus
sit scop
nofter
vnicus.

pauper & diues tanquam ex fonte uiuo aquam hauriunt uiam, & qui mihi sponte & libere deseruiunt, gratiam pro gratia accipient. Qui autem extra me uoluerit gloriari, vel in aliquo priuato bono delectari, non stabilietur in uero gaudio, neque in corde suo dilatabitur, sed multipliciter impediatur & angustiabitur. Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini uirtutem meam attribuas, sed totum da deo, sine quo nihil habet homo. Ego totum dedi, ego totum iterum habere uolo, & cum magna distractione gratiarum actiones requiro. Haec est ueritas, qua fugatur gloriae uanitas. Et si intrauerit caelestis gratia & uera charitas, non erit aliqua inuidia, nec contractio cordis, neque priuatus amor occupabit. Vincit enim omnia diuina charitas, & dilatat omnes animae uires. Si recte sapis, in me solo gaudebis, in me solo sperabis: quia nemo bonus nisi solus deus, qui est super omnia laudandus, & in omnibus benedicendus.

Quod spreto mundo dulce est seruire deo.
Cap. 11.

Psal. 30.

Nunc iterum loquar domine, & non si lebo, dicam in auribus dei mei, domini mei, & regis mei qui est in excelsis. O quam magna multitudo dulcedinis tuae domine, quam abscondisti timentibus te. Sed quid es amantibus, quid toto corde tibi seruientibus? Vere ineffabilis dulcedo contemplationis tuae, quam largiris amantibus te. In hoc maxime ostendisti mihi dulcedinem charitatis tuae, quia cum non essem, fecisti me: & cum errarem longe a te, reduxisti me ut seruirem tibi, & praecipisti ut diligam te. O fons amoris perpetui, quid dicam de te? Quo modo potero tui obliuisci, qui mei dignatus es recordari? Etiam postquam contabui & perij, fecisti ultra omnem spem misericordiam cum seruo tuo, & ultra omne meritum, gratiam & amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista? Non enim omnibus datum est, ut omnibus abdicatis seculo renuncient, & monasticam vitam assumant. Nunquid magnum est ut tibi seruiam, cui omnis creatura seruire tenetur? Non magnum mihi uideri debet seruire tibi, sed potius hoc mihi magnum & admirandum apparet, quod tam pauperem & indignum dignaris in seruum recipere, & dilectis seruis tuis adunare. Ecce omnia tua sunt quae habeo, & unde tibi seruiro. Veruntamen uiceueris tu magis mihi seruis quam ego tibi. Ecce caelum & terra quae in ministerium hominis creasti, praesto sunt, & faciunt quotidie quaecunque mandasti. Et hoc parum tibi uisum est, quin etiam angelos in ministerium hominis ordinasti. Transcendit autem haec omnia, quod tu ipse seruire homini di-

De ser-
uit nobis
magis
quam nos
illi.

gnatus es, & te ipsum ei daturum promisti. Quid dabo tibi pro omnibus istis innumeris bonis? Utinam possem tibi seruire cunctis diebus uita meae. Utinam vel uno die dignum seruitium exhibere sufficerem. Vere tu es dignus omni seruitio, omni honore, & laude aeterna. Vere dominus meus es, & ego pauper seruus tuus, qui totis uiribus teneor tibi seruire, nec unquam in laudibus tuis deo fastidire. Sic uolo, sic desidero, & quicquid mihi deest, tu digneris supplere. Magnus honor, magna gloria tibi seruire, & omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam magnam, qui sponte se subiecerint tuae sanctissimae seruituti. Inuenient suauissimam sancti spiritus consolationem, qui pro amore tuo omnem carnalem abiecerint delectationem. Consequentur magnam cordis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur uiam, & omnem mundanam neglexerint curam. O grata & iucunda dei seruitus, qua homo ueraciter efficitur liber & sanctus. O sacer status religiosi famulatus, qui hominem angelis reddit aequalem, deo placibilem, demonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum & semper optandum seruitium, quo summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur sine fine mansurum.

Quod desideria cordis examinanda sunt & moderanda. Cap. 12.

Fili oportet te adhuc multa addiscere quae necdum bene didicisti. Quae sunt haec domine? Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum, & tuus amator non sis, sed meae uoluntatis cupidus emulator. Desideria te saepe accendant, & vehementer impellunt, sed considera an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis mouearis. Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomodo cunquē ordinauero. Si autem de proprio quaestu aliquid latet, ecce hoc est quod te impedit & grauat. Caue ergo ne nimium innitaris super desiderio praconcepto, me non consulto, ne forte postea poeniteat aut displiceat quod primo placuit, & quasi pro meliore zelasti. Non enim omnis affectio quae uidetur bona, statim est sequenda, sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda. Expedit interdum refrenatione uti etiam in bonis studiis & desideriiis, ne per importunitatem mentis distractione incurras, ne aliis per indisciplinacionem scandalum generes, vel etiam per resistantiam aliorum subito turberis & corruas. Interdum uero oportet uolentia uti, & uiriliter appetitui sensitio contraire, nec aduerrere quid uelit caro & quid non uelit, sed hoc magis fata-

gere, vt subiecta sit etiam nolens, spiritui. Et tādū castigari debet & cogi feruituti subesse, donec parata sit ad omnia, paucisque contēta esse discat, & simplicibus delectari, nec cōtra aliquod inconueniens miffitare.

De informatione patientiæ, & luctamine aduersus concupiscentias. Cap. 13.

Domine deus, vt audio, patientia est mihi valde necessaria. multa enim in hac vita accidunt cōtraria. Nam qualitercunque ordinauero de pace mea, non potest esse sine bello & dolore vita mea. Ita est fili. Non autem volo te talem quærere pacem, quæ temptationibus careat, aut contraria non sentiat: sed tunc æstima te pacē inuenisse, cum fueris variis tribulationibus exercitatus, & in multis contrarietatibus probatus. Si dixeris te non multa posse pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorij? De duobus malis semper minus est eligendum. Vt ergo æterna futura supplicia possis euadere, mala presentia studeas pro deo æquanimiter tolerare. An putas quod homines seculi huius nihil aut parum patiantur? Nec hoc inuenies, etiam si delicatissimos quæreris. Sed habent (inquis) multas delectationes, & proprias sequuntur voluntates, ideoque parum ponderant suas tribulationes. Esto quod ita sit vt habeant quicquid voluerint, sed quādiu putas durabit? Ecce quemadmodum fumus deficient abundantes in seculo, & nulla erit recordatio præteritorū gaudiorum. Sed & cum adhuc viuunt, non sine amaritudine & tædio ac timore in eis quiescunt. Ex eadem nanque re vnde sibi delectationē concipiunt, inde doloris pœnam frequenter recipiūt. Iuste illis fit, vt qui inordinate delectationes quærunt & sequuntur, non sine amaritudine & confusione eas expleant. O quā breues, quā falsæ, quā inordinatæ & turpes omnes sunt. Veruntamen præ ebrietate & cæcitate non intelligunt, sed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum mortem animæ incurrunt. Tu ergo fili post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.

Psal. 36.

Ecclesi. 18.

Psal. 36.

Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Etenim si veraciter vis delectari, & abundantius à me consolari, ecce in contemptu omnium mundanorum & in abscissione omnium infimarum delectationum erit benedictio tua, & copiosa reddetur tibi consolatio. Et quanto plus te ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto in me suauiores & potentiores consolationes inuenies. Sed primo non sine quadam mentis tristitia & labore certaminis ad has pertinges. Obsistet inolita consuetudo, sed meliori cōsuetudine deuincetur. Remurmurabit caro, sed spiritus fer

uore frenabitur. Instigabit te & exacerbabit serpens antiquus, sed oratione fugabitur, insup & labore vili aditus ei magnus obstruetur.

De obedientia humilis subditi ad exemplum Iesu Christi. Cap. 14.

Fili, qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit à gratia. Et qui quærir habere priuata, amittit communia. Qui nō libenter & sponte suo superiori se subdit, signum est quod caro sua necdum perfecte illi obediat, sed sæpe recalcitrat & murmurat. Discite ergo celeriter superiori tuo te submittere, si carnem tuam optas subiugare. Citius nanque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit deua status. Non est molestior & peior animæ hostis, quā corpus tuum nō bene concordans spiritui. Oportet omnino verum te assumere tuū ipsius contemptum, si vis præualere aduersus carnem & sanguinē. Quia adhuc nimis inordinate te diligis, ideo plenē te resignare aliorum voluntati trepidas. Sed quid magnum si tu, qui puluis es & nihil, propter deum te subdis homini, quādo ego omnipotēs & altissimus qui cuncta creauit ex nihilo, me homini propter te humiliter subieci? Factus sum omnium humillimus & infimus, vt tuam superbiam mea humilitate vinceres. Discite obtēperare puluis, discite humiliare terra & limus, & sub omnium pedibus incuruare. Discite voluntates tuas frangere, & ad omnem subiectionem te dare. Exardescet cōtra te, nec patiaris tumorē in te viuere, sed ita subiectū & paruulum te exhibe, vt omnes super te ambulare possint, & sicut lutū platearū conculcare. Quid habes homo inanis conueri? Quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui totiens deum offendisti, & totiens infernum meruisti? Sed pepercit tibi oculus meus, quia preciosa fuit anima tua in conspectu meo, vt cognosceres dilectionem meam, & gratus semper beneficiis meis existeres, & ad veram subiectionē & humilitatē te iugiter dares, patiēterque proprium contemptum ferres.

De occultis dei iudiciis considerandis, ne extollamur in bonis. Cap. 15.

In tonas super me iudicia tua domine, & timore concutis omnia ossa mea, & expauescit anima mea valde. Sto attonitus & confido quia cæli nō sunt mūdi in cōspectu tuo. Si in angelis reperisti prauitatē, nec tamē percussisti, qd fiet de me? Ceciderūt stelle de cælo, & ego puluis quid præsumo? Quorū opera videbātur laudabilia, ceciderūt ad infima: & qui comedebāt panē angelorū, vidi siliquis delectari porcorū. Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam domine retrahas. Nulla sapientia prodest, si gubernare desistas. Nulla iuuat

Iob. 15.
Iob. 4.

fortitudo, si conseruare desinas. Nulla secunda castitas, si eam non protegas. Nulla propria prodest custodia, si non adsit tua sacra vigilia. Nam relictū mergimur & perimus, visitati vero viuimus & erigimur. Instabiles quippe fumus, sed per te cōfirmamur: tepefcimus, sed à te accendimur. O quā humiliter & abiectē mihi de me ipso sentiēdum est, quā nihil pendendum, si quid boni videar habere? O quā profunde me submittere debeo sub abyssalibus iudiciis tuis domine, vbi nihil aliud me esse inuenio quā nihil & nihil? O pondus immensum, o pelagus intranshatabile, vbi aliud nihil de me reperio, quā in toto nihil. Vbi est ergo latebra gloriæ? Vbi confidentia de virtute cōcepta? Absorpta est omnis gloriatio vana in profunditate iudiciorum tuorum super me. Quid est omnis caro in conspectu tuo? Nūquid gloriabitur lutum contra formantem se? Quomodo potest erigi vaniloquio, cuius cor in veritate subiectū est deo? Non eū totus mundus eriget, quē veritas subiecit: nec omnium laudatium ore mouebitur, qui totam spem suam in deo firmavit. Nam & ipsi qui loquuntur, ecce omnes nihil, & deficient cum sonitu verborum. Veritas autem domini manet in æternum.

Esa. 29.

Qualiter standum sit ac dicendum in omni re desiderabili. Cap. 16.

Fili sic dicas in omni re. Domine si tibi placitum fuerit, fiat hoc ita. Domine si fuerit honor tuus, fiat hoc in nomine tuo. Domine si mihi videris expedire, & vtile esse probaueris, tunc da mihi hoc vti ad honorē tuum. Sed si mihi nociuum fore cognoueris, nec animæ mee salutari prodesse, aufer à me tale desiderium. Non enim omne desiderium à spiritu sancto est, etiam si homini videatur rectum aut bonum. Difficile est pro vero iudicare vtrum spiritus bonus an alienus te impellat ad desiderandum hoc vel illud, an etiā ex proprio mouearis spiritu. Multi in fine sunt decepti, qui primo bono spiritu videbātur inducti. Igitur semper cum timore dei & cordis humilitate desiderandum est & petendum quicquid desiderabile menti occurrir, maximeque cum propria resignatione mihi totum committendum est, atque dicendum, Domine tu scis qualiter melius est, fiat hoc vel illud sicut volueris. Da quod vis, & quātū vis, & quando vis. Fac mecum sicut scis, & sicut tibi magis placuerit, & maior honor tuus fuerit. Pone me vbi vis, & libere age mecum in omnibus. In manu tua ego sum, gyra & reuersa me per circuitū. En ego seruus tuus paratus ad omnia, quoniam non desidero mihi viuere, sed tibi, vt inam digne & perfecte.

Oratio pro beneplacito dei perficiendo.

Cap. 17.

Concede mihi benignissime Iesu gratiā tuam, vt mecum sit & mecum laboret, mecumque vsque in finē perseueret. Da mihi semper desiderare & velle quod tibi magis acceptū & charius placet. Tua voluntas mea sit, & mea voluntas tuam sequatur semper, & optime ei concordet. Sit mihi vnum velle & nolle tecum, nec aliud posse velle ac nolle, nisi quod tu vis & non vis. Da mihi omnibus mori quæ in mundo sunt, & propter te amare contēni & nesciri in hoc seculo. Da mihi super omnia desiderata in te quiescere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies. Extra te dura sunt omnia & inquieta. In hac pace in idipsum, hoc est in te vno summo & æterno bono, dormiam & requiescam. Amen.

Quod verum solatium in solo deo quærendum. Cap. 18.

Quicquid desiderare vel cogitare possum ad solatium meum, non hic expecto, sed in posterum. Quod si omnia solatia mundi solus haberē, & omnibus deliciis frui possem, certum est quod diu durare non possent. Vnde non poteris anima mea plene cōsolari, nec perfecte recreari, nisi in deo cōsolatore pauperum, & susceptore humilium. Expecta modicum anima mea, expecta diuinum promissum, & habebis abundantiam omnium bonorum in cælo. Si nimis inordinate ista appetis presentia, perdes æterna & cælestia. Sint tēporalia in vsu, æterna in desiderio. Non potes aliquo bono temporali satiari, quia ad hæc fruenda non es creata. Etiā si omnia bona creata haberes, nō posses esse felix & beata: sed in deo qui cuncta creauit, tota beatitudo tua & felicitas consistit, non qualis videtur & laudatur à stultis mūdi amatoribus, sed qualem expectant boni Christi fideles, & prægustant interdum spirituales ac mundi corde, quorum conuersatio est in cælis. Vanum est & breue omne humanum solatium. Beatum & verum solatiū, quod intrus à veritate percipitur. Deuotus homo vbi que secum fert consolatorem suum Iesum, & dicit ad eum: Adesto mihi domine Iesu in omni loco & tempore. Hæc mihi sit consolatio, libēter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta probatio pro summo solatio. Non enim in perpetuum irascēris, neque in æternum comminaberis.

Psal. 102.

Quod omnis sollicitudo in deo ponenda est. Cap. 19.

Fili sine me tecum agere quod volo, ego scio quid expediat tibi. Tu cogitas ut homo, in multis sentis sicut tibi humanus suadet affectus. Domine verum est quod dicis. Maior est sollicitudo tua pro me, quam omnis cura quam ego possum gerere pro me. Nimis enim casualiter stat, qui non proicit omnem sollicitudinem suam in te. Domine dummodo voluntas mea recta & firma ad te permaneat, fac de me quicquid tibi placuerit. Non enim potest esse nisi bonum, quicquid de me feceris. Si me vis esse in tenebris, sis benedictus: & si me vis esse in luce, sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, sis benedictus: & si me vis tribulari, æque sis semper benedictus. Fili sic oportet te stare, si mecum desideras ambulare. Ita promptum debes esse ad patientiendum, sicut ad gaudendum. Ita libenter debes esse inops & pauper, sicut plenus & diues. Domine libenter patiar pro te, quicquid uolueris venire super me. Indifferenter uolo de manu tua bonum & malum, dulce & amarum, lætum & triste suscipere, & pro omnibus mihi contingentibus gratias agere. Custodi me ab omni peccato, & non timebo mortem nec infernum. Dummodo in æternum me non proicias, nec deas me de libro uitæ, non mihi nocere quicquid uenerit tribulationis super me.

In omnibus acquiescendum Deo.

Quod temporales miseria Christi exemplo æquanimiter sunt ferenda. Cap. 20.

Fili, ego descendi de cælo pro tua salute, suscepi tuas miseras non necessitate, sed charitate trahente, ut patientiam disceres, & temporales miseras non indignanter ferres. Nam ab hora ortus mei usque ad exitum in cruce, non defuit mihi tolerantia doloris. Defectum rerum temporalium magnum habui, multas querimonias de me frequenter audiui, confusiones & opprobria benigne sustinui, pro beneficiis ingratitudinem recepi, pro miraculis blasphemias, pro doctrina reprehensiones. Domine quia fuisti patiens in uita tua, in hoc maxime implendo præceptum patris tui, dignum est ut ego miserimus peccator secundum uoluntatem tuam patienter sustineam, & donec ipse uolueris, onus corruptibilis uitæ pro salute mea portem. Nam etsi onerosa sentitur præsens uita, facta est tamen iam per gratiam tuam longe mitior, atque exemplo tuo & sanctorum tuorum uestigii, infirmis tolerabilior, & clarior, sed & multo magis consolatoria, quam olim in lege ueteri fuerat, cum porta cæli clausa persisteret, & obscurior etiam uia ad cælum uidebatur, & quando tam pauci regnum cælorum querere curabant. Sed neque qui tunc iusti erant & saluandi, ante passionem tuam & sa-

Christus uiam nobis ad cælum strauit.

cræ mortis debitum cæleste regnum poterat introire. O quætas tibi gratias teneor referre, quod rectam & bonam uiam dignatus es mihi & cunctis fidelibus ad æternum regnum tuum ostendere? Nam uita tua uia nostra, & per sanctam patientiam ambulamus ad te, qui es corona nostra. Nisi tu nos præcessisses & docuisses, quis sequi curaret? Heu quam multi longe retroque manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent? Ecce adhuc tepescimus auditis tot signis tuis & doctrinis: quid fieret si tantum lumen ad sequendum te non haberemus?

De tolerantia iniuriarum, & quis uerus patiens probetur. Cap. 21.

Quid est quod loqueris fili? Cessa cõqueri, considerata uita & passione aliorum sanctorum. Nõdum usque ad sanguinem restitisti. Parum est quod tu pateris, in comparatione eorum qui tam multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam grauiter tribulati, tam multipliciter probati & exercitati. Oportet te igitur aliorum grauiora ad mentem reducere, ut leuius feras tua minima. Et si tibi minima non uidentur, uide ne hoc tua faciat impatientia. Siue tamẽ parua siue magna sint, stude cuncta patienter ferre. Quanto melius te ad patientiendum disponis, tãto sapientius agis, & amplius promereri, & feres leuius, animo & usu ad hoc nõ segniter paratis. Nec dicas, non ualeo hoc ab homine tali pati, nec huiuscemodi mihi patienda sunt, graue enim intulit damnum, & impropere mihi quæ nunquam cogitauerat: sed ab alio libenter patiar, & sicut patienda uidero. Insuper est talis cogitatio, quæ uirtutem patientiæ non considerat, nec a quo coronanda erit, sed magis personas & offensas sibi illatas perpendit. Non est uerus patiens, qui non uult pati nisi quantum sibi uisum fuerit, & a quo sibi placuerit. Uerus autem patiens nõ attendit a quo homine, utrum a prælato suo, an ab aliquo æquali aut inferiori, utrum a bono & sancto uiro, an peruerso & indigno exercetur, sed indifferenter ab omni creatura, quantumcunque & quotienscunque ei aliquid aduersi acciderit, totum hoc gratanter de manu dei accipit, & ingens lucrum deputat, quia nihil apud deum quantumlibet paruus, pro eo tamen passum, poterit sine merito transire. Esto igitur expeditus ad pugnam, si uis habere uictoriam. Sine certamine non poteris uenire ad patientiæ coronam. Si pati non uis, recusas coronari. Si autem coronari desideras, certa uiriliter, sustine patienter. Sine labore nõ tenditur ad requiem, nec sine pugna peruenitur ad uictoriam. Fac mihi domine possibile per gratiam, quod mihi impossibile uidetur per naturam. Tu scis quod modicum possum pati, &

Heb. 12.

Verè patiens abs quouis amat exerceri.

ti, & quod cito deiicior leui exurgente aduersitate. Efficiatur mihi quælibet exercitatio tribulationis pro nomine tuo amabilis & optabilis, nam pati & vexari pro te ualde salubre est animæ meæ.

De confessione propriæ infirmitatis, & huius uitæ miseris. Cap. 22.

Confitebor aduersum me iniustitiam meam. Sæpe parua res est quæ me deiicit & contristat. Propono fortiter agere, sed cum modica tentatio uenerit, magna mihi fit angustia. Ualde uilius quandoque res est, unde grauis tentatio prouenit: & dum puto me aliquantum tutum, cum non sentio, inuenio me nonnunquam ex leui statu penè deiictum. Vide ergo domine humilitatem meam, & fragilitatem tibi uindictæ notam. Miserere mei, & eripe me de luto ut non infigar, ne permaneam deiectus usquequaq. Hoc est quod me frequenter reuerberat, & coram te confundit, quod tam labilis sum, & infirmus ad resistendum passionibus. Et si non omnino ad confessionem trahit, tamen mihi etiam molesta & grauis est earum infectio, & tædet ualde sic quotidie uiuere in lite. Ex hoc nota fit mihi infirmitas mea, quia multo facilius irruunt abominandæ semper phantasiæ quam discedunt. Utinam fortissime deus Israel, zelator animarum fidelium, respicias serui tui laborẽ & dolorẽ, assistaque illi in omnibus ad quæcunque perrexerit. Robora me cælesti fortitudine, ne uetus homo misera caro spiritui nedum plene subiecta ualeat dominari, aduersus quam certare oportebit, quandiu spiratur in hac uita miserissima. Heu qualis est hæc uita, ubi non desunt tribulationes & miseria, ubi plena laqueis & hostibus sunt omnia? Nam una tribulatio seu tentatione recedente, alia accedit: sed adhuc priore durante conflictu, alia plures superueniunt & insperata. Et quomodo potest amari uita habens tantas amaritudines, & tot subiecta calamitatibus & miseris? Quomodo etiam dicitur uita, tot generans mortes & pestes? Et tamen amatur, & delectatur in ea multis queritur. Reprehenditur frequenter mundus, quod fallax sit & vanus, nec tamen facile relinquitur, quia concupiscentiæ carnis nimis dominantur. Sed alia trahunt ad amandum, alia ad contemnendum. Trahit ad amorẽ mundi desiderium carnis, desiderium oculorum, & superbia uitæ, sed poenæ ac miseriæ sequentes ea, odium mundi pariunt & tedium. Sed vincit pro dolor delectatio praua mentem mundo deditam: & esse sub sentibus delicias reputat, quia dei suauitatem, & internam uirtutis amoenitatem,

Psal. 68.

Deprecatio ac querimonia apud deum propriam infirmitatis cõfitearis ac miseriarum huius uitæ persequi.

Iob. 30.

nec uidit, nec gustauit. Qui autem mundum perfecte contemnunt, & deo uiuere sub sancta disciplina student, isti diuinam dulcedinem ueris abrenuntiatoribus promissam non ignorat, & quam grauiter mundus errat, & uariè fallitur, clarius uident.

Quod in deo super omnia bona & dona requiescendum est. Cap. 23.

Super omnia & in omnibus requiesce anima mea in domino semper, quia ipse est sanctorum æterna requies. Da mihi dulcissime & amabilissime Iesu in te super omnem creaturam requiescere, super omnem salutem & pulchritudinem, super omnem gloriam & honorem, super omnem potestatem & dignitatem, super omnem scientiam & subtilitatem, super omnes diuitias & artes, super omnem letitiam & exultationem, super omnem famam & laudem, super omnem suauitatem & consolationem, super omnem spem & promissionem, super omne meritum & desiderium, super omnia dona & munera quæ potes dare & infundere, super omne gaudium & iubilationem quam potest mens capere & sentire: denique super omnes angelos & archangelos, & super omnem exercitum cæli, super omnia uisibilia & inuisibilia, & super omne quod tu deus meus non es, quia tu deus meus super omnia optimus. Tu solus altissimus, tu solus potentissimus, tu solus sufficientissimus & plenissimus, tu solus suauissimus & solatiofissimus, tu solus pulcherrimus & amabilissimus, tu solus nobilissimus & gloriosissimus super omnia, in quo cuncta bona simul & perfecta sunt, & semper fuerunt & erunt: atque ideo minus est & insufficiens quicquid præter te ipsum mihi donas, aut de te ipso reuelas uel promittis, te nõ uiso nec plene adepti: quoniam quidem non potest cor meum ueraciter requiescere, nec totaliter contentari, nisi in te requiescat, & omnia dona omnemque creaturam transcendat. O mi dilectissime sponse Iesu Christe, amator purissime, dominator uniuersæ creature, quis mihi det penas ueræ libertatis ad uolandum & pausandum in te? O quando ad plenum dabitur uacare mihi, & uidere quam suauis es domine deus meus? Quando ad plenum recolligam me in te, ut præ amore tui non sentiam me, sed te solum super omnem sensum & modum in modo non omnibus noto? Nunc autem frequenter gemo, & infelicitatem meam cum dolore porto, quia multa mala in hac ualle miseriarum occurrunt, quæ me sæpius conturbant, contristant & obnubilant, sæpius impediunt & distrahunt, alliciunt & implicant, ne liberum habeam accessum ad te, & ne iucun-

dis fruar amplexibus preſto ſemper beatis ſpiri-
tibus. Moueat te ſuſpirium meum, & defola-
tio multiplex in terra. O Ieſu ſplendor eter-
næ gloriæ, ſolamen peregrinantis animæ, a-
pud te eſt os meū ſine voce, & ſilentium meū
loquitur tibi. Vſquequo tardat venire domi-
nus meus? Veniat ad me pauperculum ſuum:
& lætum faciat. Mittat manum ſuā, & me mi-
ſerū eripiat de omni anguſtia. Veni, veni, quia
ſine te nulla erit læta dies aut hora, quia tu læ-
titia mea, & ſine te vacua eſt menſa mea. Miſer-
ſum, & quodammodo incarceratus & compe-
dibus grauatus, donec lumine præſentia tuæ
meretricias, ac libertati dones, vultumque ami-
cabilem demonſtres. Querant alij pro te a-
liud quodcunque liberit, mihi aliud interim
nil placet nec placebit, niſi tu deus meus ſpes
mea, ſalus æterna. Non reticebo nec depreca-
ri ceſſabo, donec gratia tua reuertatur, mihiq;
tu intus loquaris, Ecce aſſum. Ecce ego ad te,
quia inuocaſti me. Lacrimę tuæ, & deſiderium
animę tuæ, humiliatio tua, & contritio cordis
inclinauerunt me, & adduxerunt ad te. Et di-
xi. Domine inuocaui te, & deſideraui frui te,
paratus omnia reſpuere propter te. Tu enim
prior excitaſti me, vt quærerē te. Sis ergo be-
nedictus domine, qui feciſti hanc bonitatem
cum ſeruo tuo, ſecundum multitudinē mi-
ſericordiæ tuæ. Quid habet vltra dicere ſer-
uus tuus corā te, niſi vt humiliet ſe valde an-
te te, memor ſemper propriæ iniquitatis & vi-
litate? Non enim eſt ſimilis tui in cunctis mi-
rabilibus cæli & terræ. Sunt opera tua bona
valde, iudicia vera, & prouidentia tua regun-
tur vniuerſa. Laus ergo tibi & gloria ô patris
ſapientia, te laudet & benedicat os meum, ani-
ma mea, & cuncta creata ſimul.

De recordatione beneficiorum dei mul-
tiplicium. Cap. 24.

Aperi domine cor meū in lege tua, & in
præceptis tuis doce me ambulare. Da
mihi intelligere voluntatem tuam, & cum ma-
gna reuerentia ac diligenti conſideratione be-
neſicia tua tam in generali quā in ſpeciali
memorari, vt digne tibi deinceps valeam gra-
tias referre. Verum ſcio & confiteor, nec pro
minimo puncto me poſſe debitas gratiarum
laudes perſoluere. Minor ego ſum omnibus
bonis mihi præſtitis: & cum tuam nobilitatem
attendo, deficit præ magnitudine illius ſpiri-
tus meus. Omnia que in anima habemus & in
corpore, & quecunque exterius, vel interius na-
turaliter vel ſupernaturaliter poſsidemus, tua
ſunt beneficia, & te beneficium, pium, ac bonū
commendant, à quo bona cuncta accepimus.
Eſt alius plura, alius pauciora accepit, omnia

tamen tua ſunt, & ſine te nec minimum ha-
beri poſteſt. Ille qui maiora accepit, non po-
teſt merito ſuo gloriari, nec ſuper alios extol-
li, nec minori inſultare, quia ille maior & me-
lior, qui ſibi minus adſcribit, & in regratiando
humilior eſt atque deuotior. Et qui omnibus
viliorem ſe exiſtimat, & indigniorem ſe iudi-
cat, aptior eſt ad percipiendum maiora. Qui
autem pauciora accepit, contriſtari non de-
bet, nec indignanter ferre, neque ditiori inui-
dere, ſed te potius attendere, & tuam bonita-
tem maxime laudare, quod tā affluenter, tam
gratis, tam libenter ſine perſonarū acceptio-
ne tua munera largiris. Omnia ex te, & ideo
in omnibus eſ laudandus. Tu ſcis quid vni-
cuique donari expediat: & cur iſte minus & il-
le amplius habeat, non noſtrum, ſed tuum eſt
hoc diſcernere, a quod quem ſingulorum defi-
nita ſunt merita. Vnde domine deus pro ma-
gno etiam reputo beneficio, non multa habe-
re vnde exterius & ſecundum homines laus &
gloria appareat: Ita vt conſiderata quis pau-
peritate & vilitate perſonæ ſuę, nō modo nul-
lam grauitatem aut triſtitiā vel deiectionē
inde concipiat, ſed potius conſolationem &
hilaritatem magnam, quia tu deus pauperes &
humiles atque huic mundo deſpectos tibi ele-
giſti in familiares & domeſticos. Teſtes ſunt
ipſi apoſtoli tui, quos principes ſuper omnem
terram conſtituiſti. Fuerunt tamen ſine que-
rela conuerſati in mundo, tam humiles & ſim-
plices ſine omni malitiā & dolo, vt etiam pa-
tri contumelias gauderent pro nomine tuo, &
quæ mundus abhorret, ipſi amplecterentur
affectu magno. Nihil ergo amatorem tuum &
cognitorem beneficiorum tuorum ita læti-
ficare debet, ſicut voluntas tua in eo, & bene-
placitum æternæ diſpoſitionis tuæ, de qua tā-
tum contentari debet & conſolari, vt ita libe-
ter velit eſſe minimus, ſicut aliquis optaret
eſſe maximus: & ita pacificus & contentus in
nouiſſimo, ſicut in loco primo: atque ita li-
benter deſpicibilis & abiectus, nullius quoque
nominis & famæ, ſicut cæteris honorabilior
& maior in mundo. Nam voluntas tua & a-
mor honoris tui omnia excedere debet, &
plus eum cōſolari, magiſque ei placere, quā
omnia beneficia ſibi data vel danda.

De quatuor magnam importantibus pa-
cem. Cap. 25.

Fili, nūc docebo te viā pacis & veræ liber-
tatis. Fac domine quod dicis, quia hoc
mihi gratū eſt audire. Stude fili alterius potius
facere voluntatē quā tuam. Elige ſemper minus
quā plus habere. Quære ſemper inferiorē locū
& omnibus

& omnibus ſubeſſe. Opta ſemper & ora vt vo-
luntas dei integre fiat. Ecce talis homo ingre-
ditur ſines pacis & quietis. Domine fermo
tuus iſte breuis multum in ſe continet perfe-
ctionis. Paruus eſt dictu, ſed plenus ſenſu, &
vber in fruſtu. Nā ſi poſſet à me fideliter cu-
ſtodiri, non poſſet tam facilis in me turbatio
oriri. Nam quotiens me impacatum ſentio
& grauātū, ab hac doctrina me receſſiſſe inue-
nio. Sed tu qui omnia potes, & animæ profe-
ctum ſemper diligis, adauge maiorē gratiam,
vt poſſim tuum complere ſermonem, & meā
perficere ſalutem.

Oratio contra cogitationes malas.

Cap. 26.

Domine deus meus ne elongeris à me,
deus meus in auxilium meum reſpice,
quoniam inſurrexerunt in me variæ cogita-
tiones, & timores magni affligentes animam
meam. Quomodo pertranſibo illæſus? quo-
modo perfringā eas? Ego (inquit) ante te ibo,
& glorioſos terræ humiliabo. Aperiā ianuam
carceris, & arcana ſecretorum reuelabo tibi.
Fac domine vt loqueris, & fugiant à facie tua
omnes iniquæ cogitationes. Hæc ſpes & vni-
ca conſolatio mea, ad te in omni tribulatio-
ne confugere, tibi conſidere, te ex intimo in-
uocare, & patienter conſolationem tuam ex-
pectare.

Oratio pro illuminatione mentis.

Cap. 27.

Clarifica me bone Ieſu claritate æterni
luminis, & educ de habitaculo cordis
mei tenebras vniuerſas. Cohibe euagationes
multas, & elide vim facientes tentationes. Pu-
gna fortiter pro me, & expugna malas beſtias,
concupiſcentias dico illecebrosas, vt fiat pax
in virtute tua, & abundantia laudis tuæ reſo-
net in aula ſancta, hoc eſt conſcientia pura.
Impera vērīs & tempeſtatibus: dic mari, quie-
ſce. dic aquiloni, ne flaueris. & erit tranquilla-
tas magna. Emitte lucem tuam & veritatem
tuam, vt luceant ſuper terram, quia terra ſum
inanis & vacua, donec illumines me. Effunde
gratiam tuam deſuper, perfunde cor meū ro-
re cæleſti, miniſtra deuotionis aquas ad irri-
gandam faciem terræ, ad producendum fru-
ctum bonum & optimum. Eleua mentē præ-
ſam mole peccatorum, & ad cæleſtia totum
deſiderium meum ſuspende, vt guſtata ſuaui-
tate ſupernæ felicitatis, pigeat de terrenis cog-
itare. Rape me & eripe me ab omni creaturæ
indurabili conſolatione, quia nulla res
creata appetitum meum plenariē valet quie-
tare & conſolari. Iunge me tibi inſeparabili
dilectionis vinculo, quoniam tu ſolus aman-
ti ſufficis, & abſque te friuola ſunt vniuerſa.

De euitatione curioſæ inquisitionis ſu-
per alterius vita. Cap. 28.

Fili, noli eſſe curioſus, nec vacuas gere ſol-
licitudines. Quid hoc vel illud ad te? Tu
me ſequere. Quid enim ad te, vtrum ille ſit ta-
lis vel talis, aut iſte ſic agit vel loquitur? Tu
non indiges reſpondere pro aliis, ſed pro te-
ipſo rationem reddes. Quid ergo te implicat?
Ecce ego omnes cognoſco, & cuncta quæ ſub
ſole ſiūt, video, & ſcio qualiter cum vnoquo-
que ſit, quid cogitet, quid velit, & ad quem fi-
nem tendat eius intentio. Mihi igitur com-
mittenda ſunt omnia: tu vero ſerua te in bo-
na pace, & dimitte agitantē agitare quantum
vouerit. Veniet ſuper eum quicquid fecerit
vel dixerit, quia me fallere non poſteſt. Nō ſit
tibi curæ de magni nominis vmbra, non de
multorum familiaritate, nec de priuata ho-
minū dilectione. Iſta enim generant diſtra-
ctiones, & magnas in corde obſcuritates. Li-
benter loquerer tibi verbum meum, & abſcō-
dita reuelarem, ſi aduentum meum diligēter
obſeruares, & oſtium cordis mihi aperires. Eſto
prouidus, & vigila in orationibus, & humilia
te in omnibus.

In quibus firma pax cordis & verus pro-
fectus conſiſtit. Cap. 29.

Fili, ego locutus ſum: Pacem relinquo vo-
bis, pacem meam do vobis: nō quomo-
do mundus dat, ego do vobis. Pacem omnes
deſiderāt, ſed quæ ad veram pacem pertinēt,
non omnes curant. Pax mea cum humilibus
& manſuetis corde. Pax tua erit in multa pa-
tientia. Si me audieris, & vocem meam ſecu-
tus fueris, poteris multa pace frui. Quid igi-
tur faciam? In omni re attende tibi quid fa-
cias & quid dicas, & omnem intentionem tuā
ad hoc dirige, vt mihi ſoli placeas, & extra me
nihil cupias vel quæras: ſed & de aliorum di-
ctis vel factis nil temere iudices, nec rebus ti-
bi non commiſiſis te implicet: & poterit fieri
vt parum vel raro turberis. Nunquam autem
ſentire aliquam turbationem, nec pati aliquā
cordis vel corporis moleſtiam, non eſt præ-
ſentis temporis, ſed ſtatus æternæ quietis. Nō
ergo exiſtimes te veram pacem inueniſſe, ſi
nullam ſenſeris grauitatem: nec tunc totum
eſſe bonum, ſi nemiſenſeris aduerſatum:
nec hoc eſſe perfectum, ſi cuncta ſiunt ſecun-
dum tuum affectum. Neque tunc aliquid ma-
gni te reputes, aut ſpecialiter dilectum exiſti-
mes, ſi in magna fueris deuotione atque dul-
cedine, quia in iſtis non cognoſcitur verus a-
mator virtutis, nec in iſtis conſiſtit profectus
& perfectio hominis. In quo ergo domine?
In offerendo te ex toto corde tuo voluntati
diuinæ, non quærendo que tua ſunt, nec in

Ioan. 14.

Pacē ve-
rā quid
donet.

Profectus
verus in
quo con-
sistit.

paruo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita vt vna æquali facie in gratiarum actione permanes inter prospera & contraria, omnia æqua lance pensando. Si fueris tã fortis & longanimis in spe, vt subtrahat in- teriori consolatione, etiam ad ampliora sus- tinenda cor tuum præparaueris, nec te iusti- ficaueris, & vt sanctum laudaueris, quasi hæc tãta pati non deberes, sed me in omnibus dis- positionibus meis iustificaueris, tunc in vera & recta via pacis ambulabis, & spes indubita- ta erit, quod rursus in iubilo faciem meam sis visurus. Quod si ad plenum tui ipsius cõtemp- tum perueneris, scito quod tunc abundan- tia pacis perfrueris secundum possibilitatem tui incolatus.

De eminentia liberæ mētis quam supplex oratio magis meretur q̄ lectio. Cap.30.

Oratio
ad impe-
trandam
libertatē
ac puri-
tatem
cordis.

Domine hoc opus est perfecti viri, nun- quam ab intentione cælestium animū relaxare, & inter multas curas quasi sine cura transire, non more torpentis, sed prærogati- ua quadam liberæ mentis, nulli creaturæ in- ordinata affectione adhærendo. Obsecro te piissime deus meus, præserua me à curis huius vitæ, ne nimis implicer: à multis necessitati- bus corporis, ne voluptate capiar: ab vniuer- sis animæ obstaculis, ne molestiis fractus dei- ciar. Non dico ab his rebus quas toto affectu ambit vanitas mundana, sed ab his miseriis quæ animam serui tui communi maledicto mortalitatis pœnaliter grauant & retardant, ne in libertatem spiritus quotiens liberit va- leat introire. O deus meus dulcedo ineffabi- lis, verte mihi in amaritudinem omnem con- solationem carnalem ab æternorum amore me abstrahentem, & ad se intuitu cuiusdam boni delectabilis præsentis male alliciētem. Nō me vincat deus meus, non me vincat ca- ro & sanguis, non me decipiat mundus & bre- uis gloria eius, non me supplantet diabolus & astutia illius. Da mihi fortitudinem resisten- di, patientiam tolerandi, constantiam perse- uerandi. Da pro omnibus mundi consolatio- nibus suauissimam spiritus tui vnctiōem, & pro carnali amore, tui nominis infunde amo- rem. Ecce cibus, potus, vestis, ac cætera uten- silia ad corporis sustentaculum pertinentia, feruenti spiritui sunt onerosa. Tribue talibus fomentis temperatē vti, non desiderio nimio implicari. Abicere omnia non licet, quia na- tura sustentāda est. Requirere autem superflua & quæ magis delectant, lex sancta prohibet, nam aliàs caro aduersus spiritum insol esce- ret. Inter hæc quæso manus tua meregat & doceat, ne quid nimium fiat.

Quod priuatus amor à summo bono maxime retardat. Cap.31.

Fili, oportet te dare totum pro toto, & ni- hil tui ipsius esse. Scito quod amor tui- ipsius magis nocet tibi, quàm aliqua res mū- di. Secundum amorem & affectum quem ge- ris, quælibet res plus vel minus adhæret. Si fuerit amor tuus purus, simplex & bene ordi- natus, eris sine captiuitate rerum. Noli con- cupiscere quod non licet habere. Noli habere quod te potest impedire, & libertate interiori priuare. Mirum quod nō ex toto fundo cor- dis te ipsum mihi cõmittis cum omnibus quæ desiderare potes vel habere. Quare vano mo- rore cõsumeris? Cur superfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitū meū, & nullū patieris de- trimentum. Si quæris hoc vel illud, & vo- lueris esse ibi vel ibi propter tuum commo- dum & proprium beneplacitū magis habend- um, nunquam eris in quietudine, nec liber à sollicitudine, quia in omni re reperitur ali- quis defectus, & in omni loco erit qui aduer- setur. Inuat igitur nō quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta & decisa ex corde radicitus. Quod nō tãtum de censu aeris & diuitiarum intelligas, sed de honoris etiam ambitu, ac vanæ laudationis desiderio, quæ omnia trāseunt cum mundo. Munit parum locus, si deest spiritus feruoris. Nec diu stabit pax illa quæ sita forinsecus, si vacat à vero fundamento status cordis: hoc est, nisi steteris in me. Permutare te potest, sed non meliorare. Nam occasione orta & acce- pta, inuenies quod fugisti, & amplius.

Oratio pro purgatione cordis, & cælesti sapientia. Cap.32.

Confirma me deus per gratiā sancti spi- ritus. Da virtutē corroborari in interio- ri homine, & cor meū ab omni inutili sollici- tudine & angore euacuare, nec variis deside- riis trahi cuiuscunque rei vilis aut preciosæ, sed omnia inspicere sicut transeuntia, & me pariter cum illis transiturum, quia nihil per- manens sub sole, vbi omnia vanitas, & affli- ctio spiritus. O quàm sapiens qui ita consi- derat. Da mihi domine cælestem sapientiam, vt discam te super omnia quærere & inueni- re, super omnia sapere & diligere, & cætera se- cundum ordinem sapientiæ tuæ prout sunt intelligere. Da prudenter declinare blandiē- tem, & patienter ferre aduersantem: quia ma- gna sapientia nō est moueri omni vento ver- borum, nec aurem male blandienti præbere syreni. Sic enim in coepta pergitur via secure. Contra linguas obrectatorum.

Cap.33.

Fili,

Fili, non ægre feras si quidā de te male sen- ferint, & dixerint quod non libenter au- dias. Tu deteriora de teipso sentire debes, & neminē inferiorem te credere. Si ambulas ad intra, non multum ponderabis volantia ver- ba. Est non parua prudentia silere in tempore malo, & introrsus ad me conuerti, nec huma- no iudicio disturbari. Non sit pax tua in ore hominum, siue enim bene siue male inter- pretati fuerint, non es ideo alter homo. Vbi est vera pax, & vera gloria? Nonne in me? Et qui non appetit hominibus placere, nec displi- cere timet, multa profuerit pace. Ex inordi- nato amore & vano timore oritur omnis in- quietudo cordis, & distractio sensuum.

Pax vera
vbi.

Qualiter instante tribulatione deus inuocandus est & benedicendus.

Cap.34.

Sit nomen tuum domine benedictū in se- cula, qui voluisti hanc tentationē & tribu- lationem venire super me. Non possum eam effugere, sed necesse habeo ad te confugere, vt me adiuues, & in bonum mihi conuertas. Do- mine modo sum in tribulatione, & non est cordi meo bene, sed multum vexor à præsen- ti passione. Et nunc pater dilecte quid dicam? Deprehensus sum inter angustias, saluifica me ex hora hac. Sed propterea veni in hanc ho- ram, vt tu clarificeris, cum fuero valde humi- liatus, & per te liberatus. Complacere tibi do- mine vt eruas me: nam ego pauper quid age- re possum, & quod ibo sine te? Da patien- tiam domine etiam hæc vice. Adiuua me deus meus, & non timebo quantumcunque gra- uatus fuero. Et nunc inter hæc quid dicam? Domine fiat voluntas tua. Ego bene merui tribulari & grauari. Oportet vtique vt susti- neam, & vnam patienter, donec transeat tempestas, & melius fiat. Potens est autem omnipotens manus tua etiam hanc tentatio- nem à me auferre, & eius impetum mitigare, ne penitus succumbam, quemadmodum & prius sæpe egisti mecum deus meus misericor- dia mea. Et quanto mihi difficilius, tanto tibi facilius est hæc mutatio dexteræ excelsi.

De diuino petendo auxilio, & con- fidentia recuperandæ gratiæ.

Cap.35.

Fili, ego dominus confortans in die tribu- lationis. Venias ad me, cum tibi non fue- rit bene. Hoc est quod maxime impedit con- solationem cælestem, quia tardius conuertis te ad orationem. Nam antequam me inten-

te roges, multa interim solatia quæris, & re- creas te in externis. Ideoque fit vt parum o- mnia profint, donec aduertas quia ego sum qui eruo sperantes in me: nec est extra me valens auxilium, neque vtile consilium, sed neque durabile remedium. Sed iam resum- pto spiritu post tempestatem reconualesce in luce miserationum mearum, quia prope sum, dico dominus, vt restaurem vniuersa non solum integre, sed & abundanter & cumu- late. Nunquid mihi quicquam est difficile? aut ero similis dicenti & non facienti? Vbi est fides tua? Sta firmiter & perseueranter. Esto longanimis & vir fortis, veniet tibi consola- tio in tempore suo. Expecta me, expecta, veniam & curabo te. Tentatio est quæ te vexat, & formido vana quæ te exterrit. Quid importat sollicitudo de futuris contingenti- bus, nisi vt tristitiam super tristitiam ha- beas? Sufficit diei malicia sua. Vanum est & inutile de futuris conturbari vel gratulari, Matt. 6. quæ forte nunquam euenient. Sed huma- num est huiusmodi imaginationibus illudi, & prauis adhuc animi signum tam leuiter tra- hi à suggestionem inimici. Ipse enim non cu- rar an veris an falsis illudat & decipiat, & vtrum præsentium amore, an futurorum for- midine prosternat. Non ergo turbetur cor tuum, neque formidet. Crede in me, & in misericordia mea habeto fiduciam. Quando tu te elongatum existimas à me, sæpe sum propinquior. Quando tu existimas totum perditum, tunc sæpe magis merendi instat lucrum. Non est totum perditum, quando res accidit in contrarium. Non debes iudi- care secundum præsens sentire, nec sic gra- uitati alicui vndecunque venienti inhærere, & accipere tanquam omnis spes sit ablata emergendi. Noli putare te derelictum ex to- to, quanuis ad tempus miserim tibi aliquam tribulationem, vel etiam optatam subtraxe- rim consolationem. sic enim transitur ad regnum cælorum. Et hoc sine dubio magis expedit tibi & cæteris seruis meis, vt exerci- temini aduersis, quàm si cuncta ad libitū habe- retis. Ego noui cogitationes absconditas, quia multū expedit pro salute tua, vt interdū sine sapore relinquare, ne forte eleueris in bono successu, & tibi ipsi placere velis in eo quod nō es. Quod dedi, auferre possum, & restituere cū mihi placuerit. Cum dederō, meum est: cum subtraxero, tuum non tuli: quia meū est omne datum bonum, & omne donum perfectum. Si tibi immifero grauitatē, aut quilibet con- trarietatē, non indigneris, neque cõcidat cor tuum. Ego cito subleuare possum, & omne

c

onus in gaudium transmutare. Veruntamen iustus sum, & commendabilis multum, cum sic facio tecū. Si recte sapis & in veritate aspicias, nunquam debes propter aduersa tam deiecte contristari, sed magis gaudere & gratias agere, immo hoc vnicum reputare gaudium quod affligens te doloribus non parco tibi. *Iob. 6.*
 Sicut dilexit me pater, & ego diligo vos, dixi dilectis discipulis meis, quos utique non misi ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina: non ad honores, sed ad despectiones: non ad ocium, sed ad labores: non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum in patientia. *Ioan. 15.*
 Horum memento fili mi verborum. *ibidem.*

De neglectu omnis creaturæ vt creator possit inueniri.
 Cap. 36.

Domine adhuc bene indigeo maiori gratia, si debeat illuc peruenire, vbi me nemo poterit, nec vlla creatura impedire. Nā quandiu res aliqua me retinet: non possum libere ad te volare. Cupiebat libere volare qui dicebat, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Quid simplici oculo quietius, & quid liberius, nil desideranti in terris? Oportet igitur omnem pertransire creaturam, & seipsum perfecte deferere, ac in excessu mentis stare, & videre te omnium conditorem cum creaturis nil commune habere. Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intēdere diuinis. Ideo enim pauci inueniuntur contemplatiui, quia pauci sciunt se à perituris creaturis ad plenum sequestrare. Ad hoc magna requiritur gratia, quæ animā leuet, & supra seipsum rapiat. Et nisi homo sit in spiritu eleuatus, & ab omnibus creaturis liberatus, ac deo totus vnitus, quicquid scit, quicquid etiā habet, nō est magni ponderis. Diu paruus erit & in terra iacebit, qui aliquid magni æstimat, nisi solum vnum immensum æternum bonū. Nam quicquid deus non est, nihil est, & pro nihilo computari debet. Est quippe in magna differentia sapientia illuminati & deuoti viri, & sciētia literati & studiosi philosophi. Multo nobilior est illa doctrina, quæ desurfum ex diuina influētia manat, quam quæ laboriose humano acquiritur ingenio. Plures reperiuntur contemplationem desiderare, sed quæ ad eam requiruntur, non student exercere. Est & magnum impedimentum, quod in signis & in rebus sensibilibus statur, & parum de perfecta mortificatione habetur. Nescio quid est, & quo spiritu ducimur, & quid prætendimus qui spirituales dici vide-

Sapientia quanto potior est scientia.

mur, quod totum laborem, & ampliorē sollicitudinē pro transitoriis & vilibus rebus agimus, & de interioribus nostris vix rarō plene recollectis sensibus cogitamus. Prō dolor statim post modicum recollectionem foras erūpimus, nec opera nostra districta examinatione trutinamus. Vbi iacent affectus nostri, non attendimus, & quā impura sint omnia nostra, non deploramus. Omnis quippe caro corruperat viam suā, & ideo sequebatur diluuium magnū. Cum ergo interior affectus non ster corruptus sit: necesse est vt actio sequens, index carentiæ interioris vigoris, corrumpatur. Ex puro corde procedit fructus bonæ vitæ. Quātū quis fecerit quæritur, sed ex quāta virtute agit, nō tā studiose pensatur. Si fuerit fortis, diues, pulcher, habilis, vel bon⁹ scriptor, bonus cantor, bonus laborator, inuestigatur: q̄ pauper sit spiritu, quā patiens & mitis, quā deuotus & intern⁹, à multis taceretur. Natura, exteriora hominis respicit, gratia ad interiora se conuertit. Illa frequēter fallitur, ista in deo sperat, vt non decipiatur.

De abnegatione sui, & abdicatione omnis cupiditatis.
 Cap. 37.

Fili, non potes perfectā possidere libertatem, nisi totaliter abneges te metipsum. Cōpediti sunt omnes proprietarii, & sui ipsius amatores, cupidi, curiosi, gyrouagi, quærentes semper mollia, non quæ Iesu Christi, sed sæpe hoc fingētes, & componentes quod non stabit. Peribit enim totū quod non est deo ortum. Tene breue, & consummatum verbū. Dimitte omnia, & inuenies omnia. Dimitte cupiditatem, & inuenies requiem. Hoc mente pertracta, & cū impleueris, omnia intelliges. Domine hoc non est opus vnus diei, nec ludus paruulorum: immo in hoc breui includitur omnis perfectio religiosorum. Fili nō debes auerti, nec statim deiici audita via perfectorum, sed magis ad sublimiora prouocari, & saltem ad hæc ex desiderio suspirare. Vtinā sic tecū esset, & ad hoc peruenisses, vt tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum pure stares, & eius quem tibi prapofui patris. Tunc mihi valde placeres, & tota vita tua cum gaudio & pace transiret. Habes adhuc multa relinquere, quæ nisi mihi ex integro resignaueris, non acquies quod postulas. Suadeo tibi à me emere aurum ignitum, vt locuples fias, id est sapientiam cælestem omnia infima conculcantem. Postpone terrenam sapientiam, omnemque humanam & propriā complacētiā. Dixi viliora tibi emēda pro preciosis & altis

Apo. 3.

& altis in rebus humanis. Nam valde vilis ac parua & pene obliuioni tradita videtur vera & cælestis sapientia, non sapiens alte de se, nec magnificari quærens, quam multi orētenui prædicant, sed vita longe dissentiūt. Ipsa tamē est preciosa margarita à multis abscondita.

De instabilitate cordis, & de intentione finali ad deum habenda. Cap. 38.

Fili, noli credere affectui tuo qui nunc est, cito mutabitur in aliud. Quādiu vixeris, mutabilitati subiectus eris etiam nolens, vt modo lætus, modo tristis, modo pacatus, modo turbatus, nunc deuotus, nunc indeuotus, nunc studiosus, nunc acidiosus, nunc grauis, nunc leuis inueniaris. Sed stat super hæc mutabilia sapiens & bene doctus in spiritu, non attendens quid in se sentiat, vel qua parte stet ventus instabilitatis, sed vt tota intentio mentis eius ad debitum & optatum proficiat finem. Nam sic poterit vnus & idem inconcussusque permanere, simplici intentionis oculo per tot varios euentus ad me imprætermisise directo. Quāto autē purior fuerit intentionis oculus, tanto constantius inter diuersas itur procellas. Sed in multis caligat oculus puræ intentionis. Respicitur enim cito in aliquod delectabile quod occurrit, & raro totus liber inuenitur à nœuo propriæ acquisitionis. Sic Iudæi olim venerant in Bethaniam ad Martham & Mariam, non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent. Mundandus est ergo intentionis oculus, vt sit simplex & rectus, atq; vltra omnia varia, quæ media sunt, ad me dirigendus.

Ioan. 12.

Quod amanti sapit deus super omnia, & in omnibus. Cap. 39.

Ecce deus meus & omnia. Quid volo amplius, & quid felicius desiderare possum? O sapidum & dulce verbum, sed amanti verbum, non mundum, nec ea quæ in mundo sunt, deus meus & omnia. Intelligenti facis dictum est, & sæpe repetere iucundum est amanti. Te siquidem præsentē iucunda sunt omnia, te autem absente amarescunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam, lætitiāque festiuam. Tu facis bene sentire de omnibus, & in omnibus te laudare, nec potest aliquid sine te diu placere, sed si debet gratū esse & bene sapere, oportet gratiam tuam adesse, & condimento tuæ sapientiæ condiri. Cui tu sapis, quid ei recte non sapiet? Et cui tu non sapis, quid ei ad iucunditatem esse poterit? Sed deficiunt in sua sapientia mundi sapientes, & qui carnem sapiunt, quia ibi plurima vanitas, & hic mors inuenitur. Qui autem te per contemptum mundanorum & carnis

mortificationem sequuntur, verē sapientes esse cognoscuntur, quia de vanitate ad veritatem, de carne ad spiritum trāsferuntur. Istis sapit deus, & quicquid boni inuenitur in creaturis, totum referunt ad laudem sui conditoris. Dissimilis tamen & multum dissimilis sapor creatoris & creaturæ, æternitatis & temporis, lucis increatæ & lucis illuminatæ. O lux perpetua cuncta creata transcendens lumina, fulgura coruscationem de sublimi penetrantem omnia intima cordis mei. Purifica, lætifica, clarifica, & viuifica spiritum meum cum eius potentiis, ad inhærendum tibi iubilosis excessibus. O quando veniet hæc beata & desiderabilis hora, vt tua me saties præsentia, & sis mihi omnia in omnibus? Quādiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit. Adhuc prō dolor viuūt in me vetus homo, non est totus crucifixus, non est perfecte mortuus. Adhuc concupiscit fortiter aduersus spiritum, bella mouet intestina: nec regnum animæ patitur esse quietum. Sed tu qui dominaris potestati maris, & motum fluctuum eius mitigas, exurge, adiuua me. Dissipa gentes quæ bella volunt: contere eas in virtute tua. Ostende quæso magnalia tua, & glorificetur dextera tua, quia non est spes alia nec refugium mihi, nisi in te domine deus meus. *Psal. 88.*
Psal. 64.

Quod non est securitas à tentatione in hac vita. Cap. 40.

Fili, nunquam tutus es in hac vita, sed quoad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, à dextris & à sinistris impugnaris. Si ergo non vteris vndique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere. Insuper si non ponis cor tuum fixē in me, cum mera voluntate cuncta patiēdi propter me, non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertingere beatorum. Oportet te ergo viriliter omnia pertrāsire, & potenti manu vt aduersus obiecta. Nam vincenti datur *Apo. 2.*
 manna, & torpētī relinquitur multa miseria. Si quæris in hac vita requiem, quomodo tūc peruenies ad æternam? Non ponas te ad multam requiem, sed ad magnam patientiam. Quære veram pacem, non in terris, sed in cælis: non in hominibus, nec in cæteris creaturis: sed in deo solo. Pro amore dei debes omnia libenter subire: labores scilicet & dolores, tentationes, vexationes, anxietates, necessitates, infirmitates, iniurias, oblocutiones, reprehensiones, humiliationes, cōfusiones, correctiones, & despectiones. Hęc iuuāt ad virtutē, hęc probāt Christi tyronē, hęc fabricāt celestē coronā. Ego reddam æternā mercedē pro breui labore, & infinitam gloriā pro transito-

Liber secundus

ria confusione. Putas quòd semper habebis pro tua voluntate consolationes spirituales? Sancti mei non habuerunt tales, sed multas grauitates & tétationes varias, magnaſque deſolationes, ſed patienter ſuſtinuerunt in omnibus, & magis ſunt confiſi deo quàm ſibi, ſcientes quòd non ſunt condignæ paſſiones huius tēporis ad futuram gloriam promerēdam. Vis tu ſtatim habere, quod multi poſt la chrymas & magnos labores vix obtinuerunt? Expecta dominum, viriliter age, & confortare: noli diffidere, noli diſcedere, ſed corpus & animam expone conſtanter pro gloria dei. Ego reddā pleniffime. Ego tecum ero in omni tribulatione.

Contra vana hominum iudicia.

Cap. 41.

Fili, iacta cor tuum firmiter in domino, & humanum ne metuas iudicium, vbi te conſciētia pium reddi & inſontem. Bonum eſt & beatum totaliter pati: nec hoc erit graue humili cordi, & deo magis quàm ſibi ipſi cōfidenti. Multi multa loquuntur, & ideo parua fides eſt adhibēda. Sed & omnibus ſatis eſſe non eſt poſſibile. Etſi Paulus omnibus ſtuduit in domino placere, & omnibus omnia factus eſt, tamē etiā pro minimo duxit quòd ab humano die iudicatus fuerit. Egit ſatis pro aliorum ædificatione & ſalute, quantum in ſe erat & poterat, ſed ne ab aliis aliquando iudicaretur vel non deſpiceretur, cohibere non potuit, ideo totum deo commiſit qui totum nouerat: & patientia & humilitate contra ora loquentium iniqua, ac etiā vana ac mēdoſa cogitantium atque pro libito ſuo quæque iactantium, ſe defendit. Reſpōdit tamen interdum, ne in firmis ex ſua taciturnitate generaretur ſcandalum. Quis tu, vt timeas à mortali homine iudicari? Hodie eſt, & cras non comparet. Deum time, & hominum terrores non expaueſces. Quid poteſt aliquis in te verbis aut iniuriis? Sibi potius nocet quàm tibi: nec poterit iudicium dei eſſugere quicumque eſt ille. Tu habe deum præ oculis, & noli contēdere verbis queruloſis. Quòd ſi ad præſens videris ſuccumbere, & confuſionem pati quam non meruiſti, ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam, ſed ad me potius reſpice in cælum, qui potens ſum eripere ab omni confuſione & iniuria, & vnicuique reddere ſecundum opera ſua.

De pura & integra reſignatione ſui ad obtinendam cordis libertatē. Cap. 42.

Fili, relinque te, & inuenies me. Sta ſine electione & omni proprietate, & ſemper lucraberis. Nā & adiuicietur tibi amplior gratia ſtatim vt te reſignaueris, nec reſumpſeris. Do-

mine quotiens me reſignabo, & in quibus me relinqūā? Sēper & in omni hora, ſicut in paruo, ſic & in magno. Nihil excipio, ſed in omnib⁹ te nudatū inueniri volo. Alioquin quomodo poteris eſſe meus, & ego tuus, niſi fueris ab omni propria volūtate intus & foris ſpoliat⁹? Quāto celerius hoc agis, tanto melius habebis. Et quāto plenius & ſincerius, tāto pl⁹ mihi placebis, & amplius lucraberis. Quidā ſe reſignant, ſed cū aliqua exceptione. Nō enim plene deo confiſcūt, ideo prouidere ſibi fatigūt. Quidā etiā primo totū offerunt, ſed poſtea tentatione pulſante ad propria redeunt, ideo minime in virtute proficiūt. Hi ad verā puri cordis libertatē & iucundē familiaritatis meę gratiā non pertingent, niſi integra reſignatione & quotidiana ſui imolatione prius facta, ſine qua non ſtat nec ſtabit vno fructiva. Dixi tibi ſapiffime, & nūc iterū dico, Relinque te, reſigna te: & fruēris magna interna pace. Da totū pro toto, nil require, nil repete. Sta pure & inheſitanter in me, & habebis me. Eris liber in corde, & tenebræ non cōculcābūt te. Ad hoc conare, hoc ora, hoc deſidera, vt ab omni proprietate poſſis expoliari, & nudus nudū Ieſum ſequi: tibi mori, & mihi eternaliter viuere. Tunc deſiciēt omnes vanę phātaſiæ, conturbationes iniquæ, & curæ ſuperfluæ. Tūc etiam recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur.

De bono regimine in externis, & reſcurſu ad deum in periculis. Cap. 43.

Fili, ad iſtud diligēter tendere debes, vt in omni loco, actione ſeu occupatione externa ſis interius liber, & tui ipſi⁹ potēs, & ſint omnia ſub te, & tu non ſub eis, vt ſis dominus actionū tuarū, & reſtor, non ſeruus, nec emptiti⁹, ſed magis exēptus, veruſque hebræus in ſortē ac libertatē trāſiēs filiorū dei, qui ſtāt ſuper præſentia & ſpeculātur æterna, q̄ tranſitoria intuentur ſiniſtro oculo & dextro celeftia: quos tēporalia non trahūt ad inheſendū, ſed trahūt ipſi ea magis ad bene ſeruiēdū, prout ordinata ſunt à deo, & inſtituta à ſummo opifice, qui nil inordinatū reliquit in ſua creatura. Si etiam in omni euentu ſtas, non in aparētia externa, nec oculo carnali luſtras viſa vel audita, ſed mox in qualibet cauſa intras cū Moyſe in tabernaculū ad conſulendū dominum, audies nonnūquam diuinum reſpōſum rediens inſtruct⁹ de multis præſentibus & futuris. Semper enim Moyſes reſcurſum habuit ad tabernaculum pro dubiis & queſtionibus ſoluendis, fugit que ad orationis adiutorium pro periculis & improbitatibus hominū ſubleuandis. ſic & tu confugere debes in cordis tui ſecretarium, diuinum intentius implorādo

do ſuffragium. Propterea nanque Iofue & filij Iſrael à Gabaonitis leguntur decepti, quia os domini non prius interrogauerunt, ſed nimium creduli dulcibus ſermonibus, falſa pietate deluſi ſunt.

Ne homo ſit importunus in negociis.

Cap. 44.

Fili, cōmitte mihi ſemper cauſam tuam, & ego bene diſponam in tēpore ſuo. Expecta ordinationē meam, & ſenties inde profectum. Domine ſatis libēter omnes res tibi cōmitto, quia parū poteſt cogitatio mea proficere. Vtinam non multū adheſerēt futuris euentibus, ſed ad beneplacitū tuum me incunſtanter offerre. Fili mi ſape homo re aliquam vehementer cogitat, quam deſiderat, ſed cum ad eam peruenerit, aliter incipit ſentire, quia affectiones circa idē non ſunt durabiles, ſed magis de vno ad aliud impellunt. Non eſt ergo minimū etiam in minimis ſe relinquere. Verus profectus hominis eſt abnegatio ſui ipſius, & homo abnegatus valde liber eſt & ſecurus. Sed antiquus hoſtis omnib⁹ bonis aduerſans, à tentatione non ceſſat, & die noctuque graues molitur inſidias, ſi forte in laqueum deceptionis poſit præcipitare incautum. Vigilate ergo & orate, dicit dominus, vt non intretis in tentationem.

Quòd homo nihil boni ex ſe habet, & de nullo gloriari poteſt. Cap. 45.

Domine quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis quia viſitas eū? Quid promeruit homo, vt dares illi gratiam tuam? Domine quid poſſum conqueri ſi deſeris me? aut quid iuſte obtēdere poſſum, ſi quod peto nō feceris? Certe hoc in veritate cogitare poſſum & dicere, Domine nihil ſum, nihil poſſum, nihil boni ex me habeo, ſed in omnibus deſicio, & ad nihil ſemper tēdo. Et niſi à te ſero adiutus & interius informat⁹, totus efficior tepidus & diſſolutus. Tu autem domine ſemper idē ipſe es, & permanes in eternū, ſemper bonus, iuſtus & ſanctus: bene, iuſte ac ſanctē agēs omnia, & diſponens in ſapientia. Sed ego qui ad deſectum magis pronus ſum quàm ad profectum, non ſum ſemper in vno ſtatu perdurans, quia ſeptē tēpora mutantur ſuper me. Verūtamen cito melius fit cū tibi placuerit, & manum porrexeris adiutricē, quia tu ſolus ſine humano ſuffragio poteris auxiliari, & in tantū cōfirmare, vt vultus meus amplius in diuerſa nō mutetur, ſed in te vno cor meū cōuertatur, & quieſcat. Vnde ſi bene ſcīre oēm humanam cōſolationē abiicere ſiue propter deuotionē adipiſcēdam, ſiue propter neceſſitatē qua cōpellor te querere, quia nō eſt homo qui me cōſoletur, tūc merito poſſem de gratia

tua ſperare, & de dono nouę cōſolationis exultare. Gratias tibi, vnde totū venit, quotienſcunque mihi bene ſuccedit. Ego autē vanitas & nihilū ante te, incōſtans homo & infirmus. Vnde ego poſſum gloriari, aut cur appeto reputari? Nāquid de nihilo? Et hoc vaniſimū eſt. Vere ſanis gloria mala peſtis, vanitas maxima, quia à vera trahit gloria, & celefti ſpoliat gratia. Dū enim homo cōplacet ſibi, diſplicet tibi: dū inhiat laudibus humanis, priuatur veris virtutibus. Eſt autē vera gloria & exultatio ſancta, gloriari in te & non in ſe, gaudere in nomine tuo, non in virtute propria, nec in aliqua creatura delectari, niſi propter te. Laudetur nomē tuum, non meū: magnificetur opus tuū, nō meum: benedicatur nomē ſanctū tuū, nihil autē attribuatur mihi de laudib⁹ hominū. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei. In te gloriabor & exultabo tota die, pro me autē nihil, niſi in infirmitatibus meis. Quærant Iudei gloriam quæ ab inuicē eſt, ego hanc requiram quæ à ſolo deo eſt. Oīs quidē gloria humana, omnis honor tēporalis, oīs altitudo mūdana æternæ glorię tuæ cōparata, vanitas eſt & ſtultitia. O veritas mea & miſericordia mea deus meus, trinitas beata, tibi ſoli laus virtus honor & gloria, per infinita ſeculorum ſecula. Amē.

De contēptu omnis temporalis honoris.

Cap. 46.

Fili, noli tibi attribuere ſi videas alios honorari & eleuari, te autem deſpici & humiliari. Erige cor tuum ad me in cælum, & nō cōtriftabit te contēptus hominum in terris. Domine in cecitate ſumus, & vanitate cito ſeducimur. Si me inſpicio, nunquam mihi facta eſt iniuria ab aliqua creatura, vnde nec iuſte habeo conqueri aduerſum te. Quia autē frequenter & grauitè peccaui tibi, merito armatur cōtra me omnis creatura. Mihi igitur iuſtē debetur confuſio & contēptus, tibi autem laus honor & gloria. Et niſi me ad hoc præparaue-ro, quòd velim libenter ab omni creatura deſpici & relinqui, atque penitus nihil videri, nō poſſum interius pacificari & ſtabiliri, nec ſpiritualiter illuminari, neque plene tibi vniri.

Quòd pax non eſt ponenda in hominibus. Cap. 47.

Fili, ſi ponis pacem tuā in aliqua perſona propter tuum cōſentire & cōiutere, inſtabilis eris & impacatus. Sed ſi reſcurſum habes ad ſemper viuētē & manentē veritatem, non contriftabit te amicus recedens aut moriens. In me debet amici dilectio ſtare, & propter me diligendus eſt quiſquis bonus viſus eſt, & multum charus in hac vita. Sine me nō valet

nec durabit amicitia, nec est vera & munda dilectio, quam ego nō copulo. Ita mortuus debet esse talibus affectionibus dilectorū hominum, vt quantum ad te pertinet, sine omni humano optares esse confortio. Tāto homo deo magis appropinquat, quanto ab omni solatio terreno longius recedit. Tanto etiam altius ascendit ad deum, quanto profundius in se descendit, & plus sibiipſi vileſcit. Qui autē aliquid boni sibi attribuit, gratiā dei in se venire impedit, quia gratia spiritus sancti cor humane semper querit. Si scires te perfectē annihilare, atq; ab omni humano & creato amore euacuare, tunc deberem in te cum magna gratia emanare. Sed quando tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi aspectus creatoris. Disce te in omnibus propter creatorem vincere, tum ad diuinam valebis cognitionem pertingere. Quantumcunque modicum sit, si inordinate diligitur & respicitur, retardat a summo bono, & viciat.

Contra vanam & secularem scientiam.

Cap. 48.

Fili, non moueāt te pulchra & subtilia dicta hominum. Non enim est regnum dei in sermone, sed in virtute. Attende verba mea quæ corda accendunt, & mentes illuminant, inducunt compunctionē, & variam ingerunt consolationem. Nunquā ad hoc legas verbū, vt doctior aut sapientior possis videri, sed stude mortificationem vitiorum, quia amplius tibi proderit, q̄ noticia multarum difficultium questionum. Cum multa legeris & cognoueris, ad vnum semper oportet redire principiū. Ego sum qui doceo hominem scientiā, & clariorem intelligentiam paruulis tribuo, q̄ ab homine possit doceri. Cui ego loquor, cito sapiens erit, & multum in spiritu proficiet. Væ illis qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihi seruiendi parum curant. Veniet tempus, quando apparebit magister magistrorum Christus, dominus angelorum, cunctorum auditorus lectiones, hoc est singulorum examinaturus conscientias, & tunc scrutabitur Hierusalem in lucernis: & manifesta erunt abscondita tenebrarum, tacebuntque argumēta linguarum. Ego sum qui humilem puncto eleuo mentem, vt plures æternæ veritatis capiat rationes, quā si quis decem annis studuisset in scholis. Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum. Ego sum qui doceo terrena despiciere, præsentia fastidire, æterna querere, æterna sapere, honores fugere, scandala sufferre, omnem spem in me ponere, extra me nil cupere, & super omnia arden-

Sop̄. i.
1. Cor. 4.
Christus,
doctor
incompa-
rabilis

ter me amare. Nam quidam amando me intime, didicit diuina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quā in studendo subtilia. Sed aliis loquor communia, aliis spiritualia, aliquibus in signis & figuris dulciter appareo, quibusdam vero in multo lumine reuelo mysteria. Vna vox librorum, sed non omnes æque informant, quia intus sum doctor veritatis, cordis scrutator, cogitationū intellectus, actionū promotor, distributor singulis sicut dignum iudicauero.

De non attrahendo sibi res exteriores.

Cap. 49.

Fili, in multis oportet te esse incium, & æstimate te tanquam mortuum super terram, & cui totus mundus crucifixus sit. Multa etiā oportet surda aure pertransire, & quæ tuæ pacis sunt magis cogitare. Vtilius est oculos a rebus displicentibus auertere, & vnicuique suum sentire relinquere, quā contentiosis sermonibus deseruire. Si bene steteris cū deo, & eius iudiciū aspexeris, facilius te victū portabis. O domine quonam deuenimus? Ecce damnus defletur temporalis, pro modico questu laboratur & curritur: & spirituale detrimentum in obliuionem transit, & vix sero reditur. Quod parum vel nihil prodest, attenditur: & quod summe necessarium est, negligenter præteritur, quia totus homo ad externa defluit: & nisi cito respiscat, libens in exterioribus iacet.

Quod non omnibus est credendum, & de facili lapsu verborum. Cap. 50.

DA mihi auxiliū domine de tribulatione, quia vana salus hominis. Quā sæpe ibi non inueni fidem, vbi me habere putauit? Quotiens etiā ibi reperi, vbi minus præsumpsit? Vana ergo spes in hominibus, salus autem iustorum in te deus. Benedictus sis domine deus in omnibus quæ accidunt nobis. Infirmi sumus & instabiles, cito fallimur & permutamur. Quis est homo qui ita caute & circumspecte in omnibus se custodire valet, vt aliquando in aliqua deceptione vel perplexitate non inueniatur? Sed qui in te domine confidit, ac simplici te ex corde querit, non tam facile labitur. Et si inciderit in aliquam tribulationem: quocunque etiam fuerit implicatus, citius per te eruetur, aut a te consolabitur, quia tu non deseris in te sperantē vsque in finē. Rarus fidus amicus i cūctis amici perferas pressuris. Tu domine tu solus es fidelissimus in omnibus, & præter te nō est alter talis. O q̄ bene sapuit illa aīa sancta quæ dixit, mēs mea solidata est & in Christo fundata. Si ita mecū foret, nō tā facilius timor humanus me sollicitaret,

Iactura
faciendū
tempora-
liū, quod
spiritua-
lia sunt
in tuto.

Psal. 59.

Psal. 115.
Matt. 10.
Mich. 7.
Mar. 13.

sollicitaret, nec verborū iacula mouerēt. Quis omnia præuidere, quis præcauere futura mala sufficit? Si præuisa sepe etiam lædunt, quid improuisa nisi grauiter feriunt? Sed quare mihi misero non melius prouidi? Cur etiam tam facile aliis credidi? Sed homines sumus, nec aliud q̄ fragiles homines sumus, etiā si angeli a multis estimamur & dicimur. Cui credā domine, cui credā, nisi tibi? Veritas es, qui nō fallis, nec falli potes. Et rursum: Omnis homo mendax, infirmus, instabilis & labilis, maxime in verbis, ita vt statim vix credi debeat quod recte in facie sonare videtur. Quā prudēter præmonuisti cauendū ab hominibus, & quod inimici hominis domestici eius, nec credendū si quis dixerit Ecce hic, aut ecce illic. Doctus sum damno meo, & vitam ad cautelam maiorē, & non ad insipientiam mihi. Cautus esto (quidā ait) cautus esto, serua apud te quod dico. Et dum ego sileo, & absconditū credo, nec ille silere potest quod silendum petiit, sed statim prodit me & se, & abit. Ab huiusmodi fabulis & incautis hominibus protege mē domine, ne in manus eorū incidam, nec vnquam talia committam. Verbum verum & stabile da in os meū, & linguam callidam longe fac a me. Quod pati nolo, omnimode cauere debeo. O quā bonū & pacificū de aliis silere, nec indifferēter omnia credere, neque de facili vltius effari: paucis seipsum reuelare, te semper inspectorem cordis querere, nec omni vento verborū circumferri, sed omnia intima & externa secundū tuæ beneplacitū voluntatis optare perfici. Quā tutum pro cōseruatione cælestis gratiæ humanam fugere apparatus, nec appetere quæ foris admirationē videntur præbere, sed ea tota sedulitate sectari, quæ vitæ emendationē dant & feruorē? Quā multis nocuit virtus scita, ac prope laudata? Quā sane profuit gratia silentio seruata in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur & malitia?

De confidentia in deo habenda quando insurgunt verborū iacula. Cap. 51.

Fili, sta firmiter, & spera in me. Quid enim sunt verba, nisi verba? Per aerē volant, sed lapidē non lædunt. Si reus es, cogita q̄ te libenter velis emēdare. Si nihil tibi conscius es, pēsa quod velis libenter pro deo hoc sustinere. Parum est vt vel verba interdū sustineas, qui necdū fortia verbera tolerare vales. Et quare tam parua tibi ad cor transeūt, nisi quia adhuc carnalis es, & homines magis q̄ oportet attendis? Nam quia despici metuis, reprehendi pro excessibus non vis, excusationum vmbracula queris. Sed inspic te melius, & agnosces quod viuit adhuc in te mundus, & vanus amor placendū hominibus. Cum enim vexari refugis &

confundi pro defectibus, constat vtiq; quod nec vere humilis sis, nec vere mūdo mortuus, nec tibi mundus crucifixus. Sed audi verbum meum, & non curabis decem milia hominum verba. Ecce si cuncta contra te dicerētur, quæ fingi malitiosissime possent, quid tibi nocerēt, si omnino transire permitteres, nec pluris quā festucam penderes? Nunquid vel vnū capillum tibi extrahere possent? Sed qui cor intus non habet, nec deum præ oculis, faciliter verbo mouetur vituperationis. Qui autem in me confidit, nec proprio iudicio itare appetit, absque humano terrore erit. Ego enim sum iudex & cognitor omnium secretorum: ego scio qualiter res acta est: ego iniuriatē noui & sustinetem. A me exiit verbum istud, me permittente hoc accidit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Ego reum & innocentem iudicabo, sed occulto iudicio vtunque antē probare volui. Testimonium hominum sæpe fallit, meum iudiciū verum est: stabit, & nō subuertetur. later plerunque, & paucis ad singula patet, nunquam tamē errat, nec errare potest, etiam si oculis insipientium non rectum videatur. Ad me ergo recurrēdum est in omni iudicio, nec proprio innitendum arbitrio. Iustus enim nō cōturbabitur, quicquid a deo ei acciderit. Etiam si iniuste aliquid cōtra eum prolatum fuerit, nō multum curabit. Sed nec vane exultabit si per alios rationabiliter excusetur. Pensat nanque quod ego sum scrutans corda & renes, qui non iudico secundum faciem & humanam apparentiam. Nam sæpe in oculis meis reperitur culpabile, quod hominum iudicio creditur laudabile. Domine deus iudex iuste, fortis & patiens, qui hominum nostri fragilitatē & prauitatē, esto robur meum, & tota fiducia mea. Non enim mihi sufficit consciētia mea. Tu nosti quod ego nō noui, & ideo in omni reprehensione me humiliare debui, & mansuete sustinere. Ignosce ergo mihi propitius quoties non egi, & dona iterū gratiam amplioris sufferētis. Melior est enim mihi tua copiosa misericordia ad cōsecutionē indulgentiæ, q̄ mea opinata iustitia pro defensione latentis consciētis. Etsi nihil mihi conscius sum, tamē in hoc me iustificare nō possum, quia remota misericordia tua, nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuēs. Quod omnia grauiā pro æterna vita sunt toleranda. Cap. 52.

Fili, nō frangāt te labores quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te deiciant vsquequaq; sed mea promissio in omni euentu te roborēt & cōsoletur. Ego sufficiens sum ad reddendū supra oēm modū & mensurā. Nō hic diu laborabis: nec semp graueris

Prou. 12.

Apo. 2.

1. Co. 4.

Psal. 142

doloribus. Expecta paulisper, & videbis ce-
 rem finem malorum. Veniet vna hora, quando
 cessabit omnis labor & tumultus. Modicum est
 & breue omne quod transit cum tempore. Age
 ergo quod agis, fideliter: labora in vinea mea,
 ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, gema,
 tace, ora, sustine viriliter contraria: digna est
 his omnibus & maioribus preliis vita aeterna.
 Veniet pax in die vna quae nota est domino,
 & erit non dies neque nox, huius scilicet tem-
 poris, sed lux perpetua, claritas infinita, pax
 firma, & requies securae. Non dices tunc, quis
 me liberabit de corpore mortis huius? nec cla-
 mabis, heu mihi quia incolatus meus prolon-
 gatus est: quonia praecipitabitur mors, & salus
 erit indefectiua, anxietas nulla, incuditas bea-
 ta, societas dulcis & decora. O si vidisses san-
 ctorum in caelo coronas perpetuas, quanta
 quoque nunc exultant gloria, qui huic mun-
 do olim contemptibiles, & quasi vita ipsa in-
 digni putabatur: profecto te statim humilia-
 res vsque ad terram, & affectares potius omni-
 bus subesse, quam vni praeesse: nec huius vitae
 lantos dies concupisceres, sed magis pro deo
 tribulari gauderes: & pro nihilo inter homi-
 nes computari, maximum lucrum duceres. O
 si tibi haec scirent, & profunde ad cor trans-
 irent, quomodo auderes vel semel conqueri?
 Nonne pro vita aeterna cuncta laboriosa sunt
 toleranda? Non est paruum quid lucrari aut
 perdere regnum dei. Leua igitur faciem tuam
 in caelum. Ecce ego & omnes sancti mei me-
 cum, qui in hoc seculo magnum habuere cer-
 tamen, modo gaudent, modo consolantur,
 modo securi sunt, modo requiescunt: & sine
 fine mecum in regno patris mei permanebunt.

De die aeternitatis, & huius vitae an-
 gustiis. Cap. 53.

Superbae ciuitatis mansio beatissima. O
 dies eternitatis clarissima, quam nox non
 obscurat, sed summa veritas semper irradiat,
 dies semper laeta, semper securae, & nunquam
 statum mutans in contraria. O vna dies illa
 illuxisset, & cuncta haec temporalia finem ac-
 cepissent. Lucet quidem sanctis perpetua cla-
 ritate splendida, sed non nisi a longe & per spe-
 culum peregrinantibus in terra. Norunt caeli
 ciues quam gaudiosa sit illa, gemunt exules si-
 lii. Eue quod amara & taediosa sit ista. Dies hu-
 ius temporis parui & mali, pleni doloribus &
 angustiis, vbi homo multis peccatis inquina-
 tur, multis passionibus irretitur, multis timo-
 ribus stringitur, multis curis distenditur, multis
 curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus
 implicatur, multis erroribus circumfunditur,
 multis laboribus atteritur, tetationibus graua-
 tur, deliciis eneruatur, egestate cruciatur. O

Gemitus
 animae
 aspirantis
 ad aeter-
 nitatem.

quando finis horum malorum? quando liberabor a
 misera seruitute vitiorum? Quando memorabor
 domine tui folius? quando ad plenum laetabor in-
 te? Quando ero sine omni impedimento, & in
 vera libertate, sine omni grauamine metis &
 corporis? Quando erit pax solida, pax imper-
 turbabilis & securae, pax in? & foris, pax ex om-
 ni parte firma? Iesu bone quando stabo ad vi-
 dendum te? quando contemplantur gloria reg-
 ni tui? quando eris mihi omnia in omnibus?
 O quando ero tecum in regno tuo, quod praeparasti
 dilectis tuis ab aeterno? Relictus sum
 pauper & exul in terra hostili, vbi bella quo-
 tidiana, & infortunia maxima. Consolare ex-
 iltum meum, mitiga dolorum meum, quia ad te
 suspirat omne desiderium meum. Nam onus
 mihi totum est, quicquid mundus hic offert ad
 solatium. Desidero te intime frui, sed nequeo
 apprehendere. Opto inherere caelestibus, sed de-
 primunt res temporales, & immortalitatem pas-
 siones. Me te omnibus rebus superesse volo,
 carni autem inuitem subesse cogor. Sic ego infel-
 ix homo tecum pugno, & factus sum mihi
 metipsum grauis, dum spiritus sursum, & caro
 quaerit esse deorsum. O quid intus patior, dum
 mente caelestia tracto, & mox carnalium turba
 occurrit oranti? Deus meus ne elogeris a me,
 neque declines in ira a seruo tuo. Fulgura co-
 ruscationem tuam, & dissipa eas: mitte sagittas
 tuas, & conturbetur omnes phantasiae inimici.
 Recollige sensus meos ad te. Fac me obliuisci
 omnium mundanorum. Da cito abire &
 contemnere omnia phantasmata vitiorum.
 Succurre mihi aeterna veritas, vt nulla me mo-
 ueat vanitas, adueni caelestis suauitas, & fugiat
 a facie tua omnis impuritas. Ignosce quoque
 mihi & misericorditer indulge quoties praeter
 te aliud in oratione reuoluo. Cofiteor et-
 enim vere, quod valde distrahe me consueui
 habere. Na ibi multotiens non sum, vbi cor-
 poraliter sto aut sedeo, sed ibi magis sum,
 quod cogitationibus feror. Ibi sum, vbi cogi-
 tatio mea est. Ibi est frequenter cogitatio
 mea, vbi est id quod amo. Hoc mihi cito oc-
 currit, quod naturaliter delectat, aut ex visu
 placet. Vnde tu veritas aperte dixisti: Vbi est
 thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Si caelum di-
 ligo, libenter de caelestibus penso. Si mundum
 amo, felicitatibus mundi congaudeo, & de ad-
 uersitatibus eius tristor. Si carnem diligo, quae
 carnis sunt sepiissime imaginor. Si spiritum a-
 mo, de spiritualibus cogitare delector. Quae-
 cunque enim diligo, de his libenter loquor &
 audio: atque talium imagines ad domum me-
 cum reporto. Sed beatus ille homo, qui pro-
 pter te domine omnibus creaturis abeundi li-
 centiam tribuit, qui naturam vim facit, & concu-
 piscencias

Mat. 6

cupiscencias carnis feruore spiritus crucifigit,
 vt ferentata consciencia puram tibi orationem
 offerat, dignusque sit angelicis interesse cho-
 ris, omnibus terrenis foris & intus exclusis.

De desiderio aeternae vitae, & quanta sint
 certantibus bona promissa. Cap. 54.

Fili, cum tibi desiderium aeternae beatitu-
 dinis desuper infundi sentis, & de taber-
 naculo corporis exire concupiscis, vt clari-
 tatem meam sine vicissitudinis vmbra con-
 templari possis, dilata cor tuum, & omni de-
 siderio hanc sanctam inspirationem suscipe.
 Redde amplissimas superne bonitati gratias,
 quae sic tecum sic dignanter agit, clementer
 visitat, ardentem excitat, potenter subleuat, ne
 proprio pondere ad terrena labaris. Neque
 enim hoc cogitatu tuo aut conatu accipis,
 sed sola dignatione supernae gratiae & diuini
 aspectus, quatinus in virtutibus & maiori
 humilitate proficias, & ad futura certamina
 te praepares, mihi que toto cordis affectu ad-
 herere, ac feruenti voluntate studeas. defer-
 uire. Fili saepe ignis ardet: sed sine fumo flama
 non ascendit. Sic & aliquorum desideria
 ad caelestia flagrant, & tamen a tentatione
 carnalis affectus liberi non sunt. Idcirco nec
 omnino pure pro honore dei agunt, quod
 tam desideranter ab eo petunt. Tale est &
 saepe tuum desiderium, quod insinuasti fore
 tam importunum. Non enim est hoc pu-
 rum & perfectum, quando propria commodi-
 tate est infectum. Pete non quod tibi est de-
 lectabile & commodum, sed quod mihi ac-
 ceptabile est atque honorificum: quia si re-
 cte iudicas, meam ordinationem tuo deside-
 rio & omni desiderato praeferre debes, ac se-
 qui. Noui desiderium tuum, & frequentes
 gemitus audiui. Iam velles esse in libertate
 gloriae filiorum dei. Iam te delectat domus
 aeterna, & caelestis patria gaudio plena: sed
 nondum venit hora ista: sed est adhuc aliud
 tempus, belli videlicet tempus, laboris & pro-
 bationis. Optas summo repleti bono: sed no-
 potes hoc assequi modo. Ego sum, expecta
 me, dicit dominus, donec veniat regnum
 dei. Probandus es adhuc in terris, & in mul-
 tis exercitandus. Consolatio tibi interdum
 dabitur: sed copiosa faticitas non concedetur.
 Confortare igitur & esto robustus tam in
 agendo quam in patiendo naturae contra-
 ria. Oportet te nouum induere hominem, &
 in alterum virum mutari. Oportet te saepe
 agere quod non vis, & quod vis oportet te re-
 linquere. Quod aliis placet, processum habe-
 bit: quod tibi placet, ultra non proficiet.
 Quod alij dicunt, audietur: quod, tu dicis pro
 nihilo computabitur. Perent alij & accipiet,

rom. 8.

tu petes nec impetrabis. Erunt alij magni in
 ore hominum, de te autem tacebitur. Aliis
 hoc vel illud committetur, tu autem ad ni-
 hil vtilis iudicaberis. Propter hoc & natura
 quandoque contristabitur, & magnum cer-
 tamen sustinebit. Sed magnum bonum inde
 consequeris, si silens haec portaueris. In his
 & similibus multis probari solet fidelis domi-
 ni seruus, qualiter se abnegare & in omnibus
 se frangere quauerit. Vix est aliquid tale in
 quo tantum moneri indiges, quantum in non
 videri, & pati quae voluntati tuae aduersa
 sunt, maxime autem cum disconuenientia
 & quae minus vtilia tibi apparent, fieri iubetur.
 Et quia non audes resistere altiori po-
 testati sub domino constitutus, ideo durum
 tibi videtur ad nutum alterius ambulare, &
 omne proprium sentire omittere. Sed pensa
 fili horum laborum celerem finem, atque
 praemium nimis magnum, & non habebis
 inde grauamen, sed fortissimum patientiae
 tuae solamen. Nam & pro modica hac volu-
 tate quam nunc sponte deseris, habebis sem-
 per voluntatem tuam in caelis. Ibi quippe
 inuenies omne quod volueris, omne quod
 desiderare potes. Ibi aderit tibi totius facultas
 boni, sine timore amittendi. Ibi volun-
 tas tua semper tecum, nil cupiet extraneum
 vel priuatum. Ibi nullus resistet tibi, nemo
 de te coqueretur, nemo impediet, nil obuia-
 bit: sed cuncta desiderata simul erunt praesentia,
 totumque affectum tuum reficient, &
 adimplebunt vsque ad summum. Ibi reddat
 gloriam pro contumelia perpeffa, pallium
 laudis pro moerore, pro loco nouissimo se-
 dem regni in secula. Ibi apparebit fructus
 obedientiae, gaudebit labor poenitentiae, & hu-
 milis subiectio coronabitur gloriose. Nunc
 ergo te inclina humiliter sub omnium ma-
 nibus, nec sit curae quis hoc dixerit vel iusse-
 rit: sed hoc magnopere curato, vt siue praer-
 latus siue minor aut aequalis aliquid a te ex-
 pofcerit vel innuerit, pro bono totum acci-
 pias, & sincera voluntate studeas adimplere.
 Quaeat alius hoc, alius illud, gloriatur ille in
 illo, & iste in isto, laudenturque milles in
 mille, tu autem nec in isto nec in illo, sed in
 tuipfius gaude contemptu, & in mei solius
 beneplacito ac honore. Hoc optandum est
 tibi, vt siue per vitam siue per mortem, deus
 semper in te glorificetur.

Qualiter homo desolatus debeat in ma-
 nus dei se offerre. Cap. 55.

Domine deus sancte pater sis nunc & in
 aeternum benedictus, quia sicut vis fa-
 ctum est, & quod facis, bonum est. Laetetur in
 te seruus tuus: non in se, nec in aliquo alio,

quia tu solus læticia vera, tu spes mea, & corona mea: tu gaudium meum, & honor meus domine. Quid habet seruus tuus, nisi quod à te accepit etiam sine merito suo? Tua sunt omnia quæ dedisti, & quæ fecisti. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, & contristatur anima mea nonnunquam vsque ad lachrymas, quãdoque etiã conturbatur ad se propter imminentes passiones. Desidero pacis gaudium, pacem filiorum tuorum flagito, qui in lumine consolationis à te pascuntur. Si das pacem, si gaudium sanctum infundis, erit anima serui tui plena modulatione, & denota in laude tua: sed si te subtraxeris sicut sæpissime soles, non poteris currere viam matorum tuorum: sed magis ad tundendum pectus genua incuruantur, quia non est illi sicut heri & nudius tertius, quando splendebat lucerna tua super caput eius, & subvmbra alarum tuarum protegebatur à tentationibus irruentibus. Pater iuste, & semper laudande, venit hora vt probeatur seruus tuus. Pater amande, dignum est vt hora hac patiatur pro te aliquid seruus tuus. Pater perpetuo venerande, venit hora quam ab æterno præciebas affuturam, vt ad modicum temporis succumbat foris seruus tuus, viuat vero semper apud te intus. Paululum vilipendatur, humilietur, & deficiat coram hominibus, passionibus conteratur & languoribus, vt iterum tecum in aurora nouæ lucis resurgat, & in cælestibus clarificetur. Pater sancte tu sic ordinasti & sic voluisti, & hoc factum est quod ipse præcepisti. Hæc est enim gratia ad amicum tuum, pati & tribulari in mundo pro amore tuo, quotiescunque, à quocunque, & quandocunque id permiseris fieri. Sine consilio & prouidentia tua & sine causa nihil fit in terra. Bonum mihi domine quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas, & omnes elationes cordis atque præsumptiones abiiciam. Vtile mihi quod confusio cooperuit faciem meam, vt te potius quam homines ad consulendum requiram. Didici etiam ex hoc inscrutabile iudicium tuum expauescere, qui affligis iustum cum impio, sed non sine æquitate & iustitia. Gratias tibi quia non pepercisti malis meis: sed attriuiti me verberibus amaris, infligens dolores, & immitens angustias foris & intus. Non est qui me confoletur ex omnibus qui sub cælo sunt, nisi tu domine deus meus, cælestis medicus animarum, qui percutis & sanas, deducis ad inferos & reducis. Disciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit. Ecce pater dilecte in manibus tuis ego sum, sub virga correctionis tuæ me inclino: percutite dorsum meum &

collum meum, vt incuruem ad voluntatem tuam, tortuositatem meam. Fac me pius & humilem discipulum, sicut bene facere contueuisti, vt ambulem ad omnem nutum tuum. Tibi me & omnia mea ad corrigendum commendo. melius est hic corripiri, quam in futuro. Tu scis omnia & singula, & nil te latet in humana conscientia. Antequam fiant nostri ventura, & non opus est tibi vt quis te doceat aut admoneat de his quæ geruntur in terra. Tu scis quid expedit ad profectum meum, & quantum conducit tribulatio ad rubiginem vitiorum purgandam. Fac mecum secundum desideratum beneplacitum tuum: & ne despicias peccaminosam vitam meam, nulli melius nec clarius quam tibi soli notam. Da mihi domine hoc scire quod sciendum est, hoc amare quod amandum est, hoc laudare quod tibi summe placet, hoc reputare quod tibi preciosum apparet, hoc vituperare quod oculis tuis sordescit. Non me sinas secundum visionem oculorum exteriorum iudicare, neque secundum auditum aurium hominum imperitorum sententiare: sed in iudicio vero de visibilibus & spiritualibus discernere, atque super omnia voluntatem beneplaciti tui semper inquirere. Falluntur sæpe hominum sentus in iudicando, falluntur & amatores seculi visibilia tantummodo amando. In quo est homo inde melior, quod reputatur ab homine maior? Fallax fallacè, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat, & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam quantum vnusquisque est in oculis tuis, tantum est, & non amplius, ait humilis sanctus Franciscus.

Quod humilibus insistendum est operibus cum deficitur à summis. Cap. 56.

Fili, non vales semper in feruentiori desiderio virtutum stare, nec in altiori gradu contemplationis consistere: sed necesse habes interdum ob originalem corruptelam ad inferiora descendere, & onus corruptibilis vitæ etiam inuite cum tædio portare. Quandiu mortale corpus geris, tandiu senties & grauamè cordis. Oportet ergo sæpe in carne de carnis onere gemere, eò quod non vales spiritualibus studiis & diuinæ contemplationi indefinenter inhaerere. Tunc expedit tibi ad humilia & exteriora opera confugere, & in bonis actibus te recreare, aduetum meum & supernam visitationem firma fiducia expectare, exilium tuum & ariditatem mentis patienter sufferre, donec iterum à me visiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. Nam faciam te laborum obliuisci, & interna quiete perfrui. Expandam coram te

prata

prata scripturarum, vt dilatato corde currere incipias viam mandatorum meorum, & dicas. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

Quod homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus.

Cap. 57.

Domine non sum dignus consolatione tua, nec spirituali visitatione, & ideo iuste mecum agis, quando me inopem & desolatam relinquis. Si enim instar maris lachrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. Vnde nihil dignus sum quam flagellari & puniri, quia grauius & sæpe te offendi, & in multis valde deliqui. Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione: sed tu clemens & misericors deus, qui non vis perire opera tua, ad ostendendum diuitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ tuæ, etiã præter omne proprium meritum dignaris cõsolari seruum tuum supra humanum modum. Tuæ enim consolationes non sunt sicut humanæ confabulationes. Quid egi domine, vt mihi conferres aliquam cælestem consolationem? Ego nihil boni me egisse recolo: sed semper ad vitia pronum, & ad emendationem pigrum fuisse. Verum est, & negare non possum. Si aliter dicerem, tu stares contra me, & non esset qui defenderet. Quid merui pro peccatis meis, nisi infernum & ignem æternum? In veritate confiteor quoniam dignus sum omni ludibrio & contemptu: nec decet me inter deuotos tuos commorari. Et licet hoc ægre audiam, tamen aduersum me pro veritate peccata mea arguam, vt facilius misericordiæ tuæ merear impetrare. Quid dicam reus & omni cõfusione plenus? Nō habeo os loquedi, nisi hoc tantum verbum, Peccaui domine, peccaui, miserere mei, ignosce mihi. Sine me paululum, vt plagam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. Et quid tam maximè à reo & misero peccatore requiris, nisi vt conteratur & humiliet se pro delictis suis? In vera contritione & cordis humiliatione nascitur spes veniæ, reconciliatur perturbata conscientia, reparatur gratia perdita, tuetur homo à futura ira, & occurrunt sibi in osculo sancto deus & poenitens anima. Humilis peccatorum contritio acceptabile tibi est domine sacrificium, longe suauius fragrans in conspectu tuo quam thuris incensum. Hoc est gratium etiam vnguentum quod sacris pedibus tuis infundi voluisti, quia cor contritum & humiliatum nunquam despexisti. Ibi est lo-

Prata 50.

cus refugij à facie iræ inimici: ibi emundatur & abluatur quicquid aliunde contractum est & inquinatum.

De gratia, dei quæ non miscetur terrena sapientibus. Cap. 58.

Fili, preciosa est gratia mea, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abiicere ergo oportet omnia impedimèta gratiæ, si optas eius infusionem suscipere. Pete secretum tibi, ama solus habitare tecum. Nullius require confabulatione: sed magis ad deum deuotam effunde precè, vt compunctam teneas mentem, & puram cõscientiam. Totum mundum nihili æstima, deo vacare omnibus exterioribus antepone. Non enim poteris mihi vacare, & in transitoriis pariter delectari. A notis & charis oportet elongari, & ab omni temporali solatio mentem tenere priuatam. Sic obsecrat beatus Apostolus Petrus, vt tanquam aduenas & peregrinos in hoc mundo se contineat Christi fideles. O quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo? Sed sic segregatum cor habere ab omnibus æger necdum capit animus: nec animalis homo nouit interni hominis libertatè. Attamen si vere velit esse spiritualis, oportet eum renuciare tam remotis quam propinquis, & à nemine magis cauere quam à seipso. Si temetipsum perfecte viceris, cætera facilius subiugabis. Perfecta nanque victoria est, de semetipso triũphare. Qui enim semetipsum subiectum tenet, vt sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor est sui, & dominus mundi. Si ad hunc apicem scandere gliscis, oportet viriliter incipere, & securim ad radicem ponere, vt euellas & destruas occultam & inordinatam inclinationem ad teipsum & ad omne priuatum & male bonum. Ex hoc vitio quod homo semetipsum nimis inordinate diligit, pene totum pendet quicquid radicaliter vincendum est. Quo deuicto & subacto malo, pax magis & tranquillitas erit continuo. Sed quia pauci sibiipsi perfecte mori laborant, nec plene extra se tendunt, propterea in se implicati remanent, nec supra se in spiritu eleuari possunt. Qui autem liberè mecum ambulare desiderat, necesse est vt omnes prauas & inordinatas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ priuato amore concupiscenter inhaereat.

De diuersis motibus naturæ & gratiæ.

Cap. 59.

Fili, diligenter aduerte motus naturæ & gratiæ, quia valde contrariè & subtiliter mouentur, & vix nisi à spirituali & intime illu-

Gratia
Dei cum
amore
sui non
est.

1. Pet. 2.

Motus
Naturæ
atq; Gra-
tiæ vigi-
lâter exa-
minandi
sunt.

minato homine discernuntur. Omnes quidē bonum appetunt, & aliquid boni in suis diētis vel factis præcedunt, ideo sub specie boni multi falluntur. Natura callida est, & multos trahit, illaqueat & decipit, & se semper pro fine habet. Sed gratia simpliciter ambulat, & ab omni specie mala declinat, fallacias non præterdit, & omnia pure propter deum agit, in quo & finaliter requiescit. Natura nō spōte vult mori, nec premi nec supari, nec subesse, nec subiugari. Gratia vero studet mortificationi propriæ, resistit sensualitati, quærit sub iici, appetit vici, nec propriam libertatem fūgi, sub disciplina amat teneri, nec alicui cupit dominari, sed sub deo semper viuere, stare & esse, atque propter deū omni humanæ creaturæ humiliter parata est inclinari. Natura pro suo commodo laborat, & quid lucri ex alio sibi proveniat attendit. Gratia autem non quid sibi vtile & commodum sit, sed quod multis proficiat, magis considerat. Natura libenter honorem & reuerentiam accipit. Gratia vero omnem honorem & gloriam deo fideliter attribuit. Natura confusionem timet & contemptum. Gratia autem gaudet pro nomine Iesu contumeliam pati. Natura ocium amat & quietem corporalem. Gratia autem vacua esse non potest, sed libenter amplectitur laborem. Natura quærit curiosa habere & pulchra, & exhorret vilia & grossa. Gratia vero simplicibus delectatur & humilibus, aspera non aspernatur: nec vetustis refugit indui pannis. Natura respicit temporalia, gaudet ad lucra terrena, tristatur de damno, irritatur leui iniuriæ verbo. Sed gratia attendit æterna, non inhæret temporalibus: nec in perditione rerum turbatur, neq; verbis durioribus acerbatur, quia thesaurum suum & gaudium in cælo, vbi nil perit, constituit. Natura cupida est, & libentius accipit quàm donat, amat propria & priuata. Gratia autem pia est & cōmunis, vitat singularia, cōtentatur paucis, beatius iudicat dare quàm accipere. Natura inclinatur ad creaturas, ad carnē propriā, ad vanitates, & discursus. Sed gratia trahit ad deum & ad virtutes, renunciat creaturis, fugit mundum, odit carnis desideria, restringit euagationes, erubescit in publico apparere. Natura libenter aliquod solatium habet externum, in quo delectetur ad sensum. Sed gratia in solo deo quærit consolari, & in summo bono super omnia visibilia delectari. Natura totum agit propter lucrum & commodum proprium, nihil gratis facere potest: sed aut æquale aut melius, aut laudem aut fauorem pro benefactis consequi sperat, & multum ponderari sua gesta & dona cōcupiscit. Gra-

tia vero nil temporale quærit: nec aliud præmiū quàm deum solum pro mercede postulat: nec amplius de temporalibus necessariis desiderat, nisi quantū illa sibi ad affectionē æternorum valeat deseruire. Natura gaudet de amicis multis & propinquis, gloriatur de nobili loco & ortu generis, arridet potētibus, blāditur diuitibus, applaudit similibus. Gratia autē inimicos diligit: nec de amicorū turba extollitur: nec locum nec ortū natalium reputat, nisi virtus maior ibi fuerit. Fauet magis pauperi quàm diuiti, cōpatitur plus innocētī quàm potēti, congaudet veraci non fallaci, exhortatur semp bonos, meliora charisimata æmulari, & filio dei per virtutes assimilari. Natura de defectu & molestia cito conqueritur, gratia constanter fert inopiam. Natura omnia ad se reflectit, pro se certat, & arguit. Gratia autem ad deum cuncta reducit, vnde originaliter emanat: nihil boni sibi ascribit, nec arrogāter præsumit: non contendit, nec suam sententiā aliis præfert: sed in omni sensu & intellectu æternæ sapiētīæ ac diuino examini se submittit. Natura appetit scire, & noua & secreta audire: vult exterius apparere, & multa per sensus experiri: desiderat agnosci, & sapere, vnde laus & admiratio pcedit. Sed gratia non curat noua nec curiosa percipere, quia totum hoc de vetustate corruptionis est ortum, cum nihil nouum & durable sit super terram. Docet itaque sensus restringere, vanam complacentiam & ostentationem deuitare, laudanda & digne miranda humiliter abscondere, & de omni re & de omni scientia vtilitatis fructum atque dei laudem & honorem quærere. Nō vult se nec sua prædicari: sed deum in donis suis optat benedicere: qui cuncta ex mera charitate largitur. Hæc gratia supernaturale lumen & quoddam dei spirituale donum est, & proprie electorum signaculum, & pignus salutis æternæ, quæ hominem de terrenis ad cælestia amāda sustollit, & de carnali spiritualē efficit. Quanto igitur natura amplius premitur & vincitur, tātō maior gratia infunditur, & quotidie nouis visitationibus interior homo secundum imaginem dei reformatur.

De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diuinæ. Cap. 60.

Domine deus meus qui me creasti ad imaginem & similitudinem tuam, cōcede mihi hanc gratiam, quàm ostēdisti mihi tam magnam & necessariam ad salutem, vt vincam pessimam naturam meam trahētem ad peccata & in perditionē. Sētio enim in carne mea legē peccati contradicentē legi mētis meæ, & captiuū me ducentem ad obediendū sensua-

Gratia
Dei esse
dus.

Rom. 7.

sensua-

sensualitati in multis: nec possum resistere passionibus eius, nisi assit tua sanctissima gratia cordi meo ardentem infusa: opus est gratia tua, & magna gratia, vt vincatur natura ad malum semper prona ab adolescentia sua. Nam per primum hominē Adam lapsa & vitata per peccatum in omnes homines pœna huius maculæ descendit, vt ipsa natura quæ bona & recta à te condita fuit, pro vitio iam & infirmitate corruptæ naturæ ponatur, eò quòd motus eius sibi relictus ad malum & inferiora trahat. Nam modica vis quæ remansit, est tanquam scintilla quædam latens in cinere. Hæc est ipsa ratio naturalis circumfusa magis caligine, adhuc iudicium habens boni & mali, veri falsique distantiam, licet impotēs sit adimplere omne quod approbat: nec pleno iam lumine veritatis, nec sanitate affectionum suarum potitur. Hinc est deus meus quòd condelector legi tuæ secundum interiorem hominem, sciens mandatum tuum esse bonum, iustum & sanctum, arguens etiam omne malum & peccatum fugiendum: carne autem seruo legi peccati, dum magis sensualitati obedio quàm rationi. Hinc est quòd velle bonum mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Hinc sæpe multa bona propono, sed quia gratia deest ad adiuuandum infirmitatem meam, ex leui resistētia resilio & deficio. Hinc accidit quòd viam perfectionis agnosco, & qualiter agere debeam, clare satis video: sed proprio corruptionis pondere pressus ad perfectiora non assurgo. O quàm valde est mihi necessaria domine gratia tua, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum? Nam sine ea nihil possum facere, omnia autem possum in te confortante me gratia. O vere cælestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda. Nihil artes, nihil diuitiæ, nihil pulchritudo vel fortitudo, nihil ingenium vel eloquentia valent apud te domine sine gratia. Nam dona naturæ bonis & malis sunt communia, electorum autem proprium donum est gratia siue dilectio, qua insigniti digni habentur vita æterna. Tantum eminet hæc gratia, vt nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantumlibet alta speculatio aliquid æstimetur sine ea. Sed neq; fides neque spes neque aliæ virtutes tibi acceptæ sunt sine charitate & gratia. O beatissima gratia, qua pauperem spiritu virtutibus diuitem facis, & diuitem multis bonis humilem corde reddis. Veni, descende ad me, reple me mane consolatione tua, ne deficiat prælasitudine & ariditate mentis anima meā. Ob-

Gene. 3.

Natura
simplici-
ter, pro
Natura
infecta &
vitata
ponitur.
Ratio
naturalis.

Rom. 7.

Gratia
siue cha-
ritas, bo-
num ele-
ctorum
propriū.

secro domine, vt inueniam gratiam in oculis tuis, sufficit enim mihi gratia tua, cæteris non obtentis quæ desiderat natura. Si fuero tentatus & vexatus tribulationibus multis, non timebo mala, dum mecum fuerit gratia tua. Ipsa fortitudo mea, ipsa consilium confert & auxilium. Cunctis hostibus potentior est, & sapientior vnueris sapientibus. Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrice timoris, nutrix deuotionis, productrix lachrymarū. Quid sum sine ea, nisi aridum lignum, & stirps inutilis apta ad euacuandum? tua ergo me domine gratia semper præueniat & sequatur, & bonis operibus iugiter præstet esse intentum per Iesum Christum filium tuum.

Quod nos ipsos abnegare, & Christum imitari debemus per crucem. Cap. 61.

Fili, quantum à te vales exire, tantum in me poteris transire. Sicut nihil foris concupiscere, internam pacem facit: sic se interiorius relinquere, deo coniungit. Volo te ad discere perfectam abnegationem tui in voluntate mea, sine contradictione & querela. Sequere me, ego sum via veritas & vita. Sine via non itur, sine veritate non cognoscitur, sine vita non viuatur. Ego sum via quam sequi debes, veritas cui credere debes, vita quæ sperare debes. Ego sum via inuolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata. Si manseris in via mea, cognosces veritatem, & veritas liberabit te, & apprehendes vitam æternam. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si vis veritatem cognoscere, crede mihi. Si vis perfectus esse, vende omnia. Si vis esse discipulus meus, abnega te ipsum. Si vis beatam vitam possidere, præsentem vitam contemne. Si vis exaltari in cælo, humilia te in mundo. Si vis regnare mecum, porta crucem mecum. Soli enim serui crucis inueniunt viam beatitudinis & veræ lucis. Domine Iesu Christe, quia arcta erat vita tua, & mundo despecta, dona mihi tecum mundi despectum imitari. Non enim maior est seruus domino suo, nec discipulus super magistrum. Exerceatur seruus tuus in vita tua, quia ibi est salus mea, & sanctitas vera. Quicquid extra eam lego vel audio, non me recreat nec delectat plene. Fili, quia hæc scis & legisti omnia, beatus eris si feceris ea. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ipse est qui diligit me: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum, & faciam eum sedere mecum in regno patris mei. Domine Iesu sicut dixisti & promisisti, sic vtique fiat, & mihi pro-

Ioan. 14.

Matt. 19.

Ibidem.

Luc. 9.

Luc. 6.

Ioan. 14.

mereri contingat. Suscepi de manu tua crucem, portabo eam vsque ad mortem, sicut inposuisti mihi. Vere vita boni monachi crux est, & dux paradisi. Inceptum est, retro abire non licet: nec relinquere oportet. Eia fratres pergamus simul, Iesus erit nobiscum. Propter Iesum suscepimus hanc crucem, propter Iesum perseueremus in cruce. Erit adiutor noster, qui est dux noster & p̄cessor. En rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter: nemo metuat terrores. Simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, vt fugiamus à cruce.

Vt homo non sit nimis deiectus quando in aliquos labitur defectus.

Cap. 62.

Fili, magis placent mihi patientia & humilitas in aduersis, quam multa consolatio & deuotio in prosperis. Vt quid te contristat paruum factum aut contra te dictum? Et si amplius fuisset, commoueri non debuisses. sed nunc dimitte transire: non est primum nec nouum: nec vltimum erit, si diu vixeris. Satis virilis es, quandiu nil obuenit aduersi: bene etiam consulis, & alios nosti roborare verbis: sed dum ad ianuam tuam venit repentina tribulatio, deficiis consilio & robore. Attende magnam fragilitatem tuam, quam sapius experiris in modicis obiectis. Tamen pro salute tua ista fiunt. Cum autem contingunt, propone vt optime nosti, ex corde ea compescere: & si te tetigerit aduersitas, non tamen deiciat, nec diu implicet. Saltem sustine patienter si non potes gaudenter. Etiam si minus libenter audis, & indignationem sentis, reprime te: nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire, vnde paruuli scandalizentur. Cito conquiescet commotio excitata, & dolor internus reuertente gratia dulcorabitur. Adhuc viuo ego dicit dominus, iuuare te paratus, & solito amplius consolari, si confisus fueris mihi, & me deuote inuocaueris. Animæ quior esto, & ad maiorem sustentiam accingere. Non est totum frustratum, si te sapius percipis tribulatum, vel grauitentatum. Homo es & non deus, caro es & non angelus. Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere, quando hoc defuit angelo in cælo, & primo homini in paradiso, qui non diu steterunt? Ego sum qui moerentes erigo sospitate, & suam cognoscentes infirmitatem ad meam proueho diuinitatem. Domine benedictum sit verbū tuum, dulce super mel & fauū ori meo. Quid facerem in tantis tribulationibus & angustis meis, nisi confortares tuos sanctis sermoni-

Psal. 118.

bus? Dummodo tandem ad portum salutis perueniam, quid curæ est quæ & quanta passus fuero? Da finem bonum, da foelicem ex hoc mundo transitum. Memento mei deus meus, & dirige me recto itinere in regnum tuum. Amen.

De altioribus rebus & occultis iudiciis dei non scrutandis. Cap. 63.

Fili, caueas disputare de altis materiis, & de occultis dei iudiciis, Cur iste sic relinquitur, & ille ad tantam gratiam assumitur, cur etiā iste tantum affigitur, & ille tam eximie exaltatur. Ista omnem humanam facultatem excedunt: nec ad inuestigandum iudicium diuinum vlla ratio præualet vel disputatio. Quando ergo hæc tibi suggerit inimicus, vel etiam quidam curiosi inquirunt homines, responde illud propheta. Iustus es domine, & rectum iudicium tuum. Et illud. Iudicia dominivera iustificata in semetipsa. Iudicia dei metuenda sunt, non discutienda, quia humano intellectui sunt incomprehensibilia. Noli etiam inquirere vel disputare de meritis sanctorum, quis alio sanctior, aut maior fuerit in regno cælorum. Talia generant sæpe lites & contentiones inuicem, nutriunt quoque superbiam & vanam gloriam, vnde oriuntur inuidiæ & dissensionem, dum iste illum sanctum, & alius alium conatur superbe præferre. Talia autem velle scire & inuestigare, nullum fructum afferit: sed magis sanctis displicet, quia non sum deus dissensionis sed pacis, quæ pax magis in humilitate vera, quam in propria exaltatione consistit. Quidam zelo dilectionis trahuntur ad hos vel ad illos ampliori affectu: sed humano potius quam diuino. Ego sum qui cunctos condidi sanctos, ego donavi gratiam, ego præstiti gloriam. Ego noui singulorum merita, ego præueni eos in benedictionibus dulcedinis meæ, ego præsciui dilectos ante secula. Ego eos elegi de mundo, non ipsi me præelegerunt. Ego vocaui per gratiam, attraxi per misericordiam, ego per duxi eos per tentationes varias: ego infudi consolationes magnificas, ego dedi perseuerantiam, ego coronaui eorum patientiam, ego primum & nouissimū agnosco, ego omnes inæstimabili dilectione amplector, ego laudandus sum in omnibus sanctis meis, ego super omnia benedicendus sum & honorandus in singulis, quos sic gloriose magnificavi & prædestinaui sine vllis præcedentibus propriis meritis. Qui ergo vnum de minimis meis cōtempserit, nec magnum honorat, quia pusillum & magnum ego feci. Et qui derogat alicui sanctorū, derogat mihi & cæteris omnibus in regno cælorū. Omnes vnum

Iudicia Dei non disquiré da curiosi.

Psal. 118. Psal. 118.

Sancti Dei homines non inuicem contentiose conferenda.

1. Cor. 14.

Psal. 29.

1. Ioan. 3.

Sap. 6.

vnum sunt per charitatis vinculum: idem sentiunt, idem volunt, & omnes in vnum se diligunt. Adhuc autem (quod multo altius est) plus me quam se & sua merita diligunt. Nam supra se rapti, & extra propriam dilectionem tractati, toti in amore mei perungunt, in quo & fruitiue quiescunt. Nihil est quod eos auertere possit aut deprimere, quippe qui æterna veritate pleni, igne ardescunt inextinguibilis charitatis. Taceant igitur carnales & animales homines de sanctorum statu differere, qui non norunt nisi priuata gaudia diligere. Demunt & addunt pro sua inclinatione, non prout placet æternæ veritati. In multis est ignorantia, eorum maxime qui parum illuminati raro aliquē perfecte dilectionem spirituali diligere norunt. Multi adhuc naturali affectu & humana amicitia ad hos vel ad illos trahuntur: & sicut in inferioribus se habent, ita & de cælestibus imaginantur. Sed est distantia incomparabilis inter ea quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati viri per reuelationē supernam speculantur. Cane ergo fili de istis curiosi tractare, quæ tuam scientiam excedunt: sed hoc magis sarage & intende, vt vel minimus in regno dei queas inueniri. Et si quispiam sciret quis alio sanctior esset, vel maior haberetur in regno cælorū, quid ei hæc notitia prodesset, nisi se ex hac cognitione coram me humiliaret, & in maiore nominis mei laudē exurgeret? Multo acceptius deo facit, qui de peccatorum suorum magnitudine & virtutum suarum paruitate cogitat, & quam longe à sanctorum perfectione distat, quam is qui de eorum maioriore vel paruitate disputat. Melius est sanctos deuotis precibus & lachrymis exorare, & eorum gloriosa suffragia humili mēte implorare, quam eorum secreta vana inquisiti one perscrutari. Illi bene & optime cōtentantur, si homines scirent cōtentari, & vaniloquia sua compescere. Non enim gloriatur de propriis meritis, quippe qui sibi nil bonitatis ascribunt, sed totum mihi, quoniam ipsi cuncta ex infinita charitate mea donauit. Tāto amore diuinitatis & gaudio supereffluētī replentur, vt nihil eis desit gloriæ, nihilque possit deesse felicitatis. Omnes sancti quāto altiores in gloria, tāto humiliores in seipsis, & mihi viciniore, & dilectiores existunt: ideoque habes scriptum, quia mittebāt coronas suas ante deum, & ceciderunt in facies suas coram agno, & adorauerunt viuētē in secula seculorum. Multi inquirunt quis maior sit in regno dei, qui ignorat an cum minimis erunt digni cōputari. Magnū est vel minimum esse in cælo, vbi omnes magni sunt, quia omnes filij dei voca-

Apo. 4.

buntur & erunt. Minimus erit in mille, & peccator ceterum annorum morietur. Cum enim quererent discipuli, quis maior esset in regno cælorum, tale audierunt responsum: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum. Væ eis, qui cum paruulis humiliare se sponte dedignatur, quoniam humilis ianua regni cælestis eos non permittet intrare. Væ etiam diuitibus, qui habent hic consolationes suas, quia pauperibus intrantibus in regnum dei, stabunt foris eiulantes. Gaudete humiles, & exultate pauperes, quoniam vestrum est regnum dei, si tamē in veritate ambulatis.

Quod omnis spes & fiducia in solo deo est figenda. Cap. 64.

Domine quæ est fiducia mea quā in hac vita habeo, aut quod maius solatiū meū ex omnibus apparentibus sub cælo? Nonne tu domine deus meus, cuius misericordiæ non est numerus? Vbi mihi bene fuit sine te, aut quando male esse potuit præsentē te? Malo pauper esse propter te, quam diues sine te. Ego potius tecum in terra peregrinari, quam sine te cælū possidere. Vbi tu, ibi cælum: atque ibi mors & infernus, vbi tu non es. Tu mihi in desiderio es, & ideo post te gemere & clamare & te orare necesse est. In nullo denique possum plene cōfidere, qui in necessitatibus auxiliatur opportunis, nisi in te solo deo meo. Tu es spes mea & fiducia mea, tu cōsolator meus & fidelissimus in omnibus. Omnes quæ sunt quærunt, tu salutē meam & profectum meū solummodo prætendis, & omnia in bonum mihi cōuertis. Etiam si variis tentationibus & aduersitatibus exponas, hoc totum ad utilitatem meam ordinas, qui mille modis dilectos tuos probare cōsueuisti. In qua probatione non minus diligere debes & laudari, quam si cælestibus consolationibus me repletes. In te ergo domine deus pono totam spem meam & refugium, in te omnem tribulationem & angustiam meam constituo, quia rotum infirmum & instabile inuenio, quicquid extra te conspicio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarij adiuuare poterunt, neque prudentes consiliarij responsum vile dare, neque libri doctorum consolari, nec aliqua preciosa substantia liberare, nec locus aliquis secretus contutari, si tu ipse non assistas, iuues, cōfortes, consolers, instruas & custodias. Omnia nanque quæ ad pacem videntur esse & foelicitatem habendam, te absente nihil sunt, nihilque foelicitatis in veritate conferunt. Finis ergo omnium bonorū

Matt. 18.

Luc. 6.

Spes omnium ac fiducia in Deo vno collocanda, in quo sunt omnia, & extra quem nihil.

Phillip. 2.

& altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tu es, & in te super omnia sperare, fortissimū folatium seruorum tuorum. Ad te sunt oculi mei, in te confido deus meus misericordiarum pater. Benedic & sanctifica animā meā benedictione cælesti, vt fiat habitatio sancta tua, & sedes æternæ gloriæ tuæ, nihilque in tēplo tuo indignitatis inueniatur, quod oculos tuæ maiestatis offendat. Secundum magnitudinem bonitatis tuæ, ac multitudinem miserationum tuarum respice in me, & exaudi orationem pauperis serui tui longe exulantis in regione vmbrae mortis. Protege & conserva animam seruuli tui inter tot discrimina vitæ corruptibilis. ac comitante gratia tua dirige per viam pacis ad patriam perpetuæ claritatis. Amen.

Explicit liber Secundus.

Incipit libellus de sacramentis: cuius hæc sunt capita.

Exhortatio ad sacram corporis Christi susceptionem.

Cum quanta reuerentia Christi corpus sit suscipiendum. Cap. i.

Quod magna bonitas & charitas dei in hoc sacramento exhibetur homini. Cap. ii.

Quod vtile sit sæpe communicare. Cap. iii.

Quod multa bona præstantur deuote & digne communicantibus. Cap. iiii.

De dignitate huius sacramenti, & status sacerdotalis. Cap. v.

Interrogatio de exercitio faciēdo ante sacrā communionem. Cap. vi.

De discussione propriæ conscientia, & emendationis proposito. Cap. vii.

De oblatione Christi in cruce, & propria sui resignatione. Cap. viii.

Quod debemus nos & omnia nostra deo offerre, & pro omnibus orare. Cap. ix.

Quod sacra communio de facili non est relinquenda seu prætermittenda. Cap. x.

Quod corpus Christi & sacra scriptura sint animæ fideli maxime necessaria. Cap. xi.

Quod magna diligentia se debeat communicaturus Christo præparare. Cap. xii.

Quod toto corde anima deuota Christi vnionem in sacramento affectare debet. Cap. xiii.

De quorundam deuotorum ardenti desiderio ad corpus Christi. Cap. xiiii.

Quod gratia deuotionis humilitate & sui abnegatione acquiritur. Cap. xv.

Quod necessitates nostras Christo aperire, &

eius gratiam postulare debemus. Cap. xvi. De ardenti amore & vehementi affectu suscipiendi Christum, Vox discipuli. Cap. xvii. Ne homo sit curiosus scrutator huius sacramenti, sed humilis imitator Christi, subdēdo sensum sacræ fidei. Cap. xviii.

Deuota exhortatio ad sacram corporis Christi communionem.

Vox Christi.



Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, dicit dominus. Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Accipite & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

Cum quanta reuerentia Christi corpus sit suscipiendum. Cap. i.

Hæc sunt verba tua Christe veritas æterna, quanuis non vno tempore prolata, nec vno in loco conscripta. Quia ergo tua sunt verba, gratanter mihi & fideliter cuncta sunt accipienda. Tua sunt, & tu ea protulisti: & mea quoque sunt, quia pro salute mea edidisti. Libenter suscipio ea ex ore tuo, vt ætius inferantur cordi meo. Excitat me verba tantæ pietatis, plena dulcedinis & dilectionis: sed terrent me delicta propria, & ad capiēda tanta mysteria me reuerberat impura conscientia. Prouocat me dulcedo verborum tuorum: sed onerat me multitudo vitiorum meorum. Iubes vt fiducialiter ad te accedam, si tecum velim habere partem: vt immortalitatis accipiam alimoniam, si æternam cupiam obtinere vitam & gloriam. Venite (inquis) ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. O dulce & amabile verbum in ore peccatoris, quo tu domine deus meus egenum & pauperem inuitas ad communionem tui sanctissimi corporis. Sed quis ego sum domine, vt ad te præsumam accedere? Ecce cæli cælorum te non capiūt, & tu dicis, venite ad me omnes? Quid sibi vult ista piissima dignatio, & tam amabile inuitatio? Quomodo ausus ero venire, quia nihil boni mihi conscius sum? Vnde possum præsumere? Quomodo te introducā in domum meam, qui sapius offendi benignissimam

gnissimam faciem tuam? Reuerentur angeli & archangeli, metuunt sancti & iusti, & tu dicis, venite ad me omnes? Nisi tu domine hoc diceres, quis verum esse crederet? & nisi tu iuberes, quis accedere attentaret? Ecce Noe vir iustus in arca fabrica centum annis laborauit, vt cum paucis saluaretur, & ego quomodo me poterō vna hora præparare vt mūdi fabricatorem cum reuerentia sumā? Moyses famulus tuus, magnus & specialis amicus tuus, arcam ex lignis impubilibus fecit, quam & mundissimo vestiuit auro, vt tabulas legis in eis reponeret: & ego putrida creatura audebo te conditorem legis, ac vitæ datorem, tam facile suscipere in corpore meo peccatis subdito? Solomon sapientissimus regum Israel magnificum templum septem annis in laudem nominis tui ædificauit, & octo diebus festum dedicationis eius celebrauit, mille hostias pacificas obtulit, & arcam fœderis clangore buccinæ & iubilo in locum sibi præparatum solemniter collocauit, & ego infelix & pauperimus hominum quomodo te in domum meam introducā, qui vix mediam expendere deuote noui horam, & vtinam vel semel dignè ferè mediā? O mi deus, quantum illi ad placēdum tibi agere studuerunt? Heu quam pusillū est quod ago, quam breue expleo tempus, cum me ad communicandum dispono, raro totus collectus, rarissime ab omni distractione purgatus. Et certe in tua salutaris deitatis præsentia nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla etiam occupare creatura, quia nō angelum sed angelorum dominum suscepturus sum hospitio. Est tamen valde magna distātia inter arcam fœderis cum suis reliquiis, & mundissimum corpus tuum cum suis ineffabilibus virtutibus: inter legalia illa sacrificia futurorum præfiguratiua, & verā tui corporis hostiā, omnium antiquorū sacrificiorum cōpletiuā. Quare igitur nō magis ad tuam venerabilem inardesco præsentia? cur nō maiori me præparo sollicitudine ad tuā sanctā sumēda, quādo illi antiqui sancti patriarchæ & prophetæ reges quoque & principes cū vniuerso populo tantū deuotionis demonstrarunt affectum erga cultum diuinū? Saltauit deuotissimus rex Dauid coram arca dei totis viribus, recolebens beneficia olim indulta patribus, fecit diuersi generis organa, psalmos edidit, & cantari instituit cum læticia, cecinit & ipse frequenter in citharā, spiritus sancti afflatus gratia docuit populum Israel toto corde deū laudare, & ore consono diebus singulis benedicere & prædicare. Si tanta agebatur tunc deuotio, ac diuinæ laudis extitit recordatio coram arca

testamēti, quanta nunc mihi & omni populo Christiano habēda est reuerētia & deuotio in præsentia sacramēti, in sumptione excellentissimi corporis Christi? Currunt multi ad diuersa loca pro visitandis reliquiis sanctorū, & mirantur auditis gestis eorum, ampla ædificia tēplorum inspiciunt, & osculantur sericis & auro inuoluta sacra ossa ipsorum: Et ecce tu præsens es hic apud me in altari deus meus, sanctus sanctorum, creator omnium, & dominus angelorum. Sæpe in talibus vidēdis est curiositas hominum, & nouitas inuisorū, & modicus reportatur emēdationis fructus, maxime vbi est tā leuis sine vera cōtritione discursus. Hic autē in sacramento altaris totus præsens es deus meus & homo Christus Iesus, vbi & copiosus percipitur æternæ salutis fructus, quotiescūque fueris dignè ac deuote susceptus. Ad istud verō nō trahit leuitas aliqua, nec curiositas aut sensualitas: sed firma fides, deuota spes, & sincera charitas. O inuisibilis cōditor mundi deus, quā mirabiliter agis nobiscū, quā suauiter & gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in sacramento sumēdum proponis. Hoc nanque omnē intellectum superat, hoc specialiter deuotorum corda trahit, & accendit affectum. Ipsi enim veri fideles tui, qui totam vitam suam ad emendationem disponunt, ex dignissimo sacramento magnam deuotionis gratiam & virtutis amorem frequenter recipiunt. O admirabilis & abscondita gratia sacramenti, quam norunt tantum Christi fideles, infideles autem & peccatis seruientes experiri non possunt. In hoc sacramento confertur spiritualis gratia, & reparatur in anima virtus amissa, & per peccatum deformata redit pulchritudo. Tāta est aliquando hæc gratia, vt ex plenitudine collatæ deuotionis nō tantum mens, sed & labile & caducum corpus vires sibi præstitas sentiat ampliores. Dolendum tanem valde & miserandum super tepiditate & negligentia nostra, quod non maiori affectu trahimur ad Christum sumēdum, in quo tota spes saluandorum consistit & meritum. Ipse est enim sanctificatio nostra, & redemptio nostra: ipse consolatio viatorum, & sanctorum æterna fruitio. Dolendum itaque valde, quod multi tam parum hoc salutare mysterium aduertunt, quod & cælum ipsum lætificat, & mundum conseruat vniuersum. Heu cæcitas & duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere, & ex quotidiano vsu etiam ad inaduertentiam diffuere. Si enim hoc sanctissimum sacramentum in vno tantum celebraretur loco, & ab vno tantum

Nota ad gumen-tum.

Multi peregrinantur religio-nis ergo verū fructu.

consecraretur sacerdote in mundo, quanto putas desiderio ad illum locum, & talem dei sacerdotem homines afficerentur, vt diuina mysteria celebrari audirēt? Nunc autē multi facti sunt sacerdotes, & in multis locis offertur Christus, vt tanto maior appareat gratia & dilectio dei ad hominem, quanto latius est sacra communio diffusa per orbem. Gratias tibi bone Iesu pastor æterne, qui nos pauperes & exules dignatus es preciosō corpore & sanguine tuo reficere, & ad hæc mysteria percipienda etiam proprij oris tui alloquio inuitare dicendo: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quod magna bonitas & charitas dei in hoc sacramento exhibetur homini. **Cap. 2.**

Sper bonitate tua & magna misericordia tua domine confisus, accedo æger ad medicū & saluatorem, esuriens & sitiens ad fontem vitæ, egenus ad regem cæli, seruus ad dominum, creatura ad creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem. Sed vnde hoc mihi, vt venias ad me? Quis ego sum, vt præstes mihi te ipsum? Quomodo audet peccator coram te apparere? Et quomodo tu dignaris ad peccatorem venire? Tu nosti seruū tuum, & scis quia nil boni in se habet, vnde hoc illi præstes. Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco bonitatem tuam, laudo pietatem, & gratias ago propter nimiam charitatem. Propter temetipsum enim hoc facis, non propter mea merita, vt bonitas tua mihi magis innotescat, charitas amplior ingeratur, & humilitas perfectius commendetur. Quia ergo tibi hoc placet, & sic fieri iussisti, placet & mihi dignatio tua, & vtinam iniquitas mea non obsistat. O dulcissime & benignissime Iesu, quanta tibi reuerentia & gratiarum actio cum perpetua laude pro susceptione sacri corporis tui debetur, cuius dignitatem nullus hominum explicare potens inuenitur? Sed quid cogitabo in hac communiōe, in accessu ad dominum meum, quem debite venerari nequeo, & tamē deuote suscipere desidero? Quid cogitabo melius & salubrius, nisi me ipsum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem exaltādo supra me? Laudo te deus meus & exalto in æternum. Despicio me, & subiicio tibi, in profundū vilitatis meæ. Ecce tu sanctus sanctorum, & ego sordes peccatorum, & tu inclinas te ad me, qui non sum dignus ad te respicere. Ecce tu venis ad me, tu vis esse mecum, tu inuitas ad conuiuium tuum, tu mihi dare vis cælestem cibum, & panem angelorū ad manducandum, non alium sane quā me ipsum, panem viuum qui de cælo descen-

disti, & das vitam mundo. Ecce vnde dilectio procedit, qualis dignatio illucescit, quā magna gratiarum actiones & laudes tibi pro his debentur. O quā salutare & vtile consilium tuum cum istud instituis, quā suauē & iucundum conuiuium, cum te ipsum in cibum donasti? O quā admirabilis operatio tua domine, quā potens virtus tua, quā infallibilis veritas tua? Dixisti enim & facta sunt omnia, & hoc factum est quod ipse iussisti. Mira res & fide digna, ac humanum vincens intellectum, quod tu domine deus meus verus deus & homo sub modica specie panis & vini integer contineris, & sine consumptione à sumente manducaris. Tu domine vniuersorum, qui nullius habes indigentiam, voluisti per sacramentum tuum habitare in nobis. Conserua cor meum & corpus meum immaculatum, vt læta & pura conscientia sepius valeam tua celebrare mysteria, & ad meam perpetuam accipere salutem, quā ad tuum præcipue honorem & memoriale perenne sanxisti & instituis. Lætare anima mea, & gratias age deo pro tam nobili munere & solatio singulari, in hac lachrymarū valle tibi relicto. Nam quotiens hoc mysterium recolis, & Christi corpus accipis, totiens tuæ redemptionis opus agis, & particeps omnium meritorum Christi efficeris. Charitas etenim Christi nunquam minuitur, & magnitudo propitiationis eius nūquam exhauritur. Ideo noua semper mentis renouatione ad hoc disponere te debes, & magnū salutis mysterium attentā consideratione p̄sare. Ita magnum, nouum & iucundum tibi videri debet cum celebras aut missam audis, ac si eodem die Christus primū in vterum virginis descendens homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur & moreretur.

Quod vtile sit sæpe communicare. Cap. 3.

Ecce ego venio ad te domine, vt bene mihi sit ex munere tuo, & lætificer in cōuiuio sancto tuo, quod parasti in dulcedine tua pauperi deus. Ecce in te est totū quod desiderare possum & debeo, tu salus mea & redērio, spes & fortitudo, decus & gloria. Lætifica ergo hodie animā serui tui, quoniā ad te domine Iesu animā meā leuauī. Desidero te nūc deuote ac reuerēter suscipere, cupio te in domū meā introducere, quaten⁹ cū Zachæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahæ cōputari. Anima mea corpus tuū cōcupiscit, cor meū tecū vniri desiderat. Trade te mihi, & sufficit. Nā præter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, & sine visitatione tua viuere non valeo. Ideoque oportet me frequenter

quenter ad te accedere, & in viaticum salutis meæ recipere, ne forte deficiam in via, si fuero cælesti fraudatus alimonia. Sic enim tu misericordissime Iesu prædicans populis, & varios curans languores, aliquando dixisti: **Matt. 15.** Nolo eos ieiunos dimittere in domū suam, ne deficiant in via. Age igitur hoc modo mecum, qui te pro fidelium consolatione in sacramento reliquisti. Tu es enim suauis refectio animæ, & qui te digne manducauerit, particeps & hæres erit æternæ gloriæ. Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpe laboro & pecco, tam cito torpesco & deficio, vt per frequentes orationes & confessiones, & facram tuū corporis perceptionem me renouem, mundem, & accendam, ne forte diutius abstinendo, à sancto proposito defluam. **Gene. 3.** Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua, & nisi succurrat diuina medicina, labitur homo mox ad peiora. Retrahit ergo sancta communio à malo, & cōforrat in bono. Si enim modo tam sæpe negligens sum & tepidus, quando communico aut celebro, quid fieret si medelam non fumerem, & tam grande iuuamen non quærerem? Et licet omni die non sim aptus, nec ad celebrandum bene dispositus, dabo tamen operam congruis temporibus diuina percipere mysteria, ac tantæ gratiæ participem me exhibere. Nam hæc est vna principalis fidelis animæ consolatio, quandiu peregrinatur à te in mortali corpore, vt sit sæpius memor dei sui, dilectum suum deuota suscipiat mente. O mira circa nostræ pietatis dignatio, quod tu domine deus creator & viuificator omnium spirituum, ad pauperulam dignaris venire animam, & cum tota deitate tua ac humanitate, eius impinguare esuriem. O felix mens & beata anima, quæ te dominum deum suum meretur deuote suscipere, & in tua susceptione, spiritali gaudio repleti. O quā magnum suscipit dominum? Quā dilectum inducit hospitem? Quā iucundum recipit socium, quā fidelem acceptat amicum, quā speciosum & nobilem amplectitur sponsum præ omnibus dilectis & super omnia desiderabilia amandum? Sileant à facie tua dulcissime dilecte mi, cælum & terra, & omnis ornatus eorum, quoniam quicquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitatis: nec ad decorem tuū peruenient **Psal. 146** nō omnis, cuius sapientiæ non est numerus. Quod multa bona præstantur deuote & digne communicantibus. **Cap. 4.**

Domine deus meus præueni seruū tuū in benedictionibus dulcedinis tuæ, vt

ad tuum magnificentum sacramentum digne & deuote merear accedere. Excita cor meum in te, & à graui torpore exue me. Visita me in salutari tuo ad gustandum in spiritu tuam suauitatē, quæ in hoc sacramento tanquā in fonte plenarie later. Illumina quoque oculos meos ad intuemdum tantū mysterium, & ad credendum illud indubitata fide me roborā. Est enim operatio tua, non humana potentia: tua sacra institutio, non hominis adinuentio. Non enim ad hæc capienda & intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quæ angelicam etiam subtilitatem transcendunt. Quid ergo peccator indignus terra & cinis de tanto alto sacro secreto potero inuestigare & capere? Domine in simplicitate cordis, in bona firma fide & in tua iussione ad te cum spe & reuerentia accedo, & vere credo quod tu præsens es hic in sacramento deus & homo. Vis ergo vt te suscipiam, & me ipsum tibi in charitate vniam. Vnde tuam precor clemētiam, & specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam, vt totus in te liquefiam, & amore perfluam, atque de nulla aliena consolatione amplius me intromittam. Est enim hoc altissimum & dignissimum sacramentū, salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones frenantur, tentationes vincuntur ac minuuntur, gratia maior infunditur, virtus incepta augetur, fides firmatur, spes roboratur, & charitas ignescit ac dilatur. Multa nanquē bona largitus es & adhuc sæpius largiris in sacramento dilectis tuis deuote communicantibus, deus meus susceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, & totius dator consolationis internæ. Nam multam ipsis consolationem aduersus varias tribulationes infundis, & de imo deiectionis propriæ ad spem tuæ protectionis erigis, atque noua quadam gratia eos intus recreas & illustras, vt qui anxij primum fuerant, & sine affectione se ante communionem senserant, postea refecti cibo potuque cælesti, in melius se mutatos inueniant. Quod idcirco cum electis tuis ita dispensanter agis, vt veraciter agnoscant & patenter experiantur, quod nihil ex semetipsis habeant, & quid bonitatis ac gratiæ ex te consequantur, quia ex semetipsis frigidum duri ac indeuotum, ex te autem feruentem, alacrem, & deuoti esse merentur. Quis enim ad fontem suauitatis humiliter accedens, non modicum suauitatis inde reportat? Aut quis iuxta ignem cōpiosum stans, non parum caloris inde percipit? Et tu fons es semper plenus &

Vtilis ex sac synaxi admiranda.

Psal. 67

Psal. 87

Luc. 19

superabundans, ignis iugiter ardens, & nunquam deficiens. Vnde si mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec vsque ad fatietatem potare, apponam tamen os meum ad foramen caelestis fistulae, vt saltem inde guttulam modicam capiam ad refocillandum sitim meam, & non penitus exarescam. Etsi necdum totus caelestis & tam ignitus vt Seraphin & Cherubin esse possim, conabor tamen deuotioni insistere, & cor meum preparare vt vel modicam diuini incēdij flammam ex humili sumptione viuifici sacramenti conquiram. Quicquid autem mihi deest, bone Iesu saluator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ego quidem laboro in sudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor & premor, & non est qui adiuuet, non est qui liberet, & saluum faciat, nisi tu domine deus saluator meus, cui committo me & omnia mea, vt me custodias, & perducas in vitam aeternam. Suscipe me in laudem & gloriam nominis tui, qui corpus tuum & sanguinem in cibum & potum mihi parasti. Praesta domine deus salutaris meus, vt cum frequentatione mysterij tui, crescat meae deuotionis affectus.

Mat. II.

De dignitate huius sacramēti, & status sacerdotalis. Cap. 5.

SI haberes angelicam puritatem, & sancti Ioannis baptistae sanctitatem, non esses dignus hoc sacramentum accipere nec tractare. Non enim hoc meritis debetur hominum, quod homo consecret & tractet Christi sacramentum, & sumat in cibum panem angelorum. Grande mysterium & magna dignitas sacerdotum, quibus datum est quod angelis non est concessum. Soli nanque sacerdotes in ecclesia rite ordinati, potestatem habent celebrandi, & corpus Christi consecrandi. Sacerdos quidem minister est dei, vtens verbo dei per infusionem & institutionem dei. Deus autem ibi principalis est auctor, & inuisibilis operator: cui subest omne quod voluerit, & paret omne quod iusserit. Plus ergo credere debes deo omnipotenti in hoc excellentissimo sacramento, quam proprio sensui aut alicui signo visibili. Ideoque cum timore & reuerentia ad hoc opus est accedendum. Attende igitur & vide cuius ministerium tibi traditum est per impositionem manus episcopi. Ecce sacerdos factus es & ad celebrandum consecratus, vide nunc vt

Dignitas & fidelitas sacerdotis boni ac pii.

fideliter & deuote in suo tempore deo sacrificium offeras, & teipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleuiasti onus tuum: sed arctiori iam alligatus es vinculo disciplinae, & ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conuersatio non cum popularibus & communibus hominum viis, sed cum angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra. Sacerdos sacris vestibus indutus Christi vices gerit, vt deum pro se & pro omni populo suppliciter & humiliter roget. Habet nanque ante se & post dominicae crucis signum, ad memorandum iugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat, vt Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi feruenter studeat. Post se cruce signatus est, vt aduersa quaelibet illata ab aliis clementer pro deo toleret. Ante se crucem gerit, vt propria peccata luceat. Post se, vt aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter deum & peccatorem constitutum esse sciat: nec ab oratione nec ab oblatione sancta torpescat, donec gratiam & misericordiam impetrare mereatur. Quando sacerdos deuote celebrat, deum honorat, angelos laetificat, ecclesiam aedificat, viuos adiuuat, defunctis requiem praestat, & sese omnium bonorum participem efficit.

Interrogatio de exercitio faciēdo ante hanc sacram communionem. Cap. 6.

CUm tuam dignitatem domine, & meam vilitatem penso, valde contremisco, & in meipso confundor. Si enim non accedo, vitam fugio: & si indigne me ingero, offensam incurro. Quid ergo faciam deus meus auxiliator meus & consolator in necessitatibus? Tu doce me viam rectam, propone breue aliquod exercitium sacrae communioni congruum. Vtile est enim scire qualiter scilicet deuote ac reuerenter tibi praeparare debeam cor meum ad recipiendum salubriter tuum sacramentum, seu etiam celebrandum tam magnum & diuinum sacrificium.

De discussione propriae conscientiae, & emendationis proposito. Cap. 7.

Super omnia cum summa humilitate cordis & supplici reuerentia, cum plena fide & pia intentione honoris dei, ad hoc sacramentum celebrandum, tractandum & sumendum oportet dei accedere sacerdotē. Diligenter examina conscientiam tuam, & pro posse tuo vera contritione & humili confessione eam munda & clarificata vt nihil graue habeas aut scias quod

quod te remordeat, & liberum accessum impediatur. Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali, & pro quotidianis excessibus magis in speciali doleas & gemas. Et si tempus patitur, deo in secreto cordis cunctas confitere passionum tuarum miseriae. Ingemisce & dole quod adhuc ita carnalis sis & mundanus, tam immortificatus a passionibus, tam plenus concupiscentiarum motibus, tam incustoditus in sensibus exterioribus, tam saepe multis vanis phantasias implicatus, tam multum inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora, tam leuis ad risum & dissolutionem, tam durus ad fletum & compunctionem, tam promptus ad laxiora & carnis commoda, tam segnis ad rigorem & feruorem, tam curiosus ad noua audienda & pulchra intuenda, tam remissus ad humilia & abiecta amplectenda, tam cupidus ad multa habenda, & tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum, tam inconsideratus in loquendo, tam incontinens ad tacendum, tam incompressus in moribus, tam importunus in actibus, tam effusus super cibum, tam surdus ad dei verbum, tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem, tam vigilans ad fabulas, tam somnolentus ad vigilias sacras, tam festinus ad finem, tam vagus ad attendendum, tam negligens in horis perfoluendis, tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando, tam cito distractus, tam raro tibi bene collectus, tam subito commotus ad iram, tam facilis ad alterius displicentiam, tam pronus ad iudicandum, tam rigidus ad arguendum, tam laetus ad prospera, tam debilis in aduersis, tam saepe multa bona proponens, & modicum ad effectum perduicens. His & aliis defectibus tuis cum dolore & magna displicentia propriae infirmitatis confessis ac deploratis, firmum statum propositum semper emendandi vitae tuam, & in melius proficiendi. Deinde cum plena resignatione & integra voluntate offer teipsum in honorem nominis mei in ara cordis tui holocaustum perpetuum, corpus tuum scilicet & animam mihi fideliter committendo, quatenus sic digne merearis ad offerendum deo sacrificium accedere, & sacramentum corporis salubriter suscipere. Non est enim oblatio dignior & satisfactio maior pro peccatis diluendis, quam seipsum pure & integre cum oblatione corporis Christi in missa & in communionem deo offerre. Si homo fecerit quod in se est, & vere poenituerit, quotiescunque pro venia & gratia me accesserit, viuo ego dicit dominus, quia nolo mortem peccatoris, sed magis vt

Eze. 18.

conuertatur & viuat, quoniam peccatorum eius non recordabor amplius: sed cuncta ipsi remissa erunt.

De oblatione Christi in cruce, & propria cuiusque eidem resignatione. Cap. 8.

Sicut ego meipsum expansis in cruce manibus & nudo corpore pro peccatis tuis deo patri sponte obtuli, ita vt nihil in me remaneret quin totum in sacrificium diuinae placationis transiret: ita debes & tu temetipsum mihi voluntarie in oblationem puram & sanctam quotidie in missa ex omnibus viribus & affectibus tuis quanto intimius vales offerre. Quid magis a te requiro, quam vt te studeas mihi ex integro resignare? Quicquid praeter te ipsum das, nihil curo, quia non quero datum tuum, sed te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis praeter me: ita nec mihi placere poterit quicquid dederis, te non oblato. Offer te mihi, & da te totum pro deo, & erit accepta oblatio. Ecce ego me totum obtuli patri pro te, dedi etiam totum corpus meum & sanguinem in cibum, vt totus tuus essem, & tu meus permaneres. Si autem in te ipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos vnio. Ideo omnia opera tua praecedere debet spontanea tui in manus dei oblatio, si libertatem consequi vis & gratiam. Ideo tam pauci illuminati & liberi intus efficiuntur, quia seipsum ex toto abnegare nesciunt. Est firma sententia mea, nisi quis renunciauerit omnibus, non potest meus esse discipulus. Tu ergo si optas meus esse discipulus, offer teipsum mihi cum omnibus affectibus tuis.

Luc. 14.

Quod nos & omnia nostra deo debemus offerre, & pro omnibus orare. Cap. 9.

Domine omnia tua sunt, quae in caelo sunt & in terra. Desidero meipsum tibi in spontaneam oblationem offerre, & tuus perpetuo permanere. Domine in simplicitate cordis mei offero meipsum tibi hodie in seruum sempiternum, in obsequium & sacrificium laudis perpetuae. Suscipe me cum hac sancta oblatione tui preciosi corporis quam tibi hodie in praesentia angelorum inuisibiliter assistentium offero, vt sit pro me & pro cuncto populo tuo in salutem. Domine offero tibi omnia peccata & delicta mea quae commisi coram te & sanctis angelis tuis, a die quo primum peccare potui vsque ad diem hanc, super placabili al-

Oblatio nis formula, quae de se, qui communicat, facere debet Deo

tari tuo: vt tu omnia pariter incendas & cō-
buras igne charitatis tuæ, & deleas vniuersas
maculas peccatorum meorū, & conscientiam
meam ab omni delicto emundes, & resti-
tuas mihi gratiam tuam, quam peccando
amisi, omnia mihi plene indulgendo, & in
osculum pacis me misericorditer assu-
mendo. Quid possum agere pro peccatis
meis, nisi humiliter ea confitendo, & lamen-
tando, & tuā misericordiā incessanter depre-
cando? Deprecor te exaudi me propitius,
vbi asto coram te deus meus. Omnia pecca-
ta mea mihi maxime displicent. Nolo ea vn-
quam amplius perpetrare, sed pro eis doleo
& dolebo quandiu vixero, paratus pœnitenti-
am agere, & pro posse satisfacere. Dimitte
mihi deus dimitte mihi peccata mea, propter
nomen sanctum tuum salua animam meam,
quam precioso sanguine tuo redemisti. Ecce
committo me misericordiæ tuæ, resigno me
manibus tuis: age mecū secundū bonitatē
tuam, non secundū meam malitiam & ini-
quitate. Offero tibi omnia bona mea, quā-
uis valde pauca & imperfecta, vt tu ea emen-
des & sanctifices, vt ea grata habeas, & accepta
tibi facias, & semper ad meliora trahas,
necnon ad beatum & laudabilem finem me
pigrum & inutilem homuncionem perdu-
cas. Offero quoque tibi omnia desideria de-
uotorum, necessitates parentum, amicorum,
fratrum, sororum, omniumque charorum
meorum, & eorum qui mihi vel aliis propter
amorem tui benefecerunt, & qui orationes &
missas pro se suisque omnibus dici à me de-
siderauerunt & petierunt, siue in carne ad-
huc viuant siue iam seculo defuncti sint, vt
omnes sibi auxilium gratiæ tuæ, opem con-
solationis, protectionem à periculis, libera-
tionem à pœnis aduenire sentiant, & vt ab
omnibus malis erepti gratias tibi magnifi-
cas læti persoluant. Offero etiam tibi preces
& hostias placationis, pro illis specialiter qui
me in aliquo læserunt, contristauerunt aut
vituperauerunt, vel aliquod damnum vel
grauamen intulerunt: pro his quoque omni-
bus quos aliquando contristauit, conturba-
ui, grauauit, & scandalizauit, verbis factis scie-
ter & ignoranter, vt nobis omnibus pariter
indulgeas peccata nostra & mutuas offen-
siones. Aufer domine à cordibus nostris om-
nem suspicionem, indignationem, iram &
discepcionem, & quicquid potest charita-
tem lædere, & fraternam dilectionem mi-
nuere. Miserere miserere domine misericordiam
tuam poscentibus, da gratiam indigentibus,
& fac nos tales existere, vt simus digni
gratia tua perfrui, & ad vitam proficia-

mus æternam. Amen.

Quòd sacra communio de facili non est
relinquenda seu prætermittenda.

Cap. 10.

F Requenter recurrendum est ad fontem
gratiæ & diuinę misericordiæ, ad fontē
bonitatis & totius pietatis, quatenus à passio-
nibus tuis & vitis curari valeas, & contra
vniuersas tentationes & fallacias diaboli for-
tior atque vigilantior effici merearis. Inimicus
sciens fructum & remedium maximum
in sacra communione positum, omni modo
& occasione nititur fideles & deuotos, quan-
tum præualeat, retrahere & impedire. Cum
enim quidam sacra communioni se aptare
distant, peiores satanæ immisiones pati-
untur. Ipse enim nequam spiritus (vt in
Iob scribitur) venit inter filios dei, vt solita
eos nequitia perturbet, aut timidos nimium
reddat & perplexos, quatinus affectum eor-
um minuat, vel fidem impugnando aufe-
rat, si forte aut omnino communionem re-
linquant, aut cum tempore accedant. Sed non
est quicquam curandum de versutis & phā-
tasis illius quantumlibet turpibus & horri-
dis: sed cuncta phantasmata in caput eius
sunt retorquenda. Contemnendus est perfidus
& deridendus, nec propter insultus eius
& commotiones quas suscitatur, sacra est omit-
tenda communio. Sæpe etiam impedit nimia
sollicitudo pro deuotione habenda, &
anxietates quædam de confessione facienda.
Age secundū consilium sapientum, & depone
anxietatem & icrupulum, quia gratiam dei
impedit, & deuotionem mentis destruit. Pro-
pter aliquam paruam tribulationem vel gra-
uitatem, sacram ne dimittas communionē:
sed vade citius confiteri, & omnes offensio-
nes alij libenter indulge. Si vero tu aliquem
offendisti, veniam humiliter precare, & deus
libenter indulgebis tibi. Quid prodest diu
tardare confessionem, aut sacram differre
communione? Expurga te cum primis, ex-
spue velociter venenum, festina accipere re-
medium, & senties melius quàm si diu di-
stuleris. Si hodie propter illud dimittis,
cras forsitan illud magis eueniet, & sic diu
posses à communionem impediri & magis ine-
ptus fieri. Quanto ergo citius vales, à præ-
senti grauitate & inertia te excutias, quia ni-
hil prodest diu anxari, diu cum turbatione
transire, & ob quotidiana obstacula se à diui-
nis sequestrare: immo plurimum nocet diu
communione protelare, nam & grauē tor-
porem consuevit inducere. Pro dolor, quidā
tepidi & dissoluti moras consistendi libenter
accipiunt, & communionem sacram idcirco
differre

Satanæ
conatus
ad abdu-
cendum
nos à cō-
muniō-
ne.
Iob. 1.

differre cupiunt, ne ad maiorem sui cu-
stodiam se dare teneantur. Heu quàm mo-
dicam charitatem & debilem deuotionem
habent, qui sacram communionem tam
faciliter postponunt? Quàm felix ille & deo
acceptus habetur, qui sic viuit, & tali pu-
ritate conscientiam suam custodit, vt e-
tiam omni die communicare paratus &
bene affectus esset, si ei liceret, & sine no-
ta agere posset? Siquis interdum abstinet
humilitatis gratia, aut legitima impediē-
te causa, laudandus est de reuerentia. Si au-
tem torpor obreperit, seipsum excitare de-
bet, & facere quod in se est, & dominus
aderit desiderio ipsius, pro bona voluntate,
quam specialiter respicit. Cum vero legi-
time præditus est, habebit semper bonam
voluntatem, & piam intentionem com-
municandi, & sic non carebit fructu sacra-
menti. Potest enim quilibet deuotus omni
die & omni hora ad spiritualement Christi
communione salubriter & sine prohibi-
tione accedere, & tamen certis diebus &
statuto tempore corpus sui redemptoris
cum affectuosa reuerentia sacramentaliter
debet suscipere, & magis laudem dei & ho-
norem prætere, quàm suam consolationem
quærere. Nam totiens mystice com-
municat, & inuisibiliter reficitur, quotiens in-
carnationis Christi mysterium passionemque
deuoterecolit, & in amore eius accenditur.
Qui aliter se non preparat, nisi instante festo,
vel consuetudine compellente, sæpius impar-
ratus erit. Beatus qui se domino in holocau-
stum offert, quotiens celebrat aut communi-
cat. Non sis in celebrando nimis prolixus,
aut festinus: sed serua bonum commu-
nem modum cum quibus viuis. Non de-
bes aliis generare molestiam & tædium, sed
communem seruare viam secundum ma-
iorum institutionem, & potius aliorum in-
feruire vtilitati, quàm propriæ deuotioni
vel affectui.

Quòd corpus Christi & sacra scri-
ptura sint animæ fideli ma-
xime necessaria.

Cap. 11.

O Dulcissime domine Iesu, quanta est dul-
cedo deuotæ animæ tecum epulantis in
conuiuio tuo, vbi ei non alius cibus mandu-
candus proponitur, nisi tu vnicus dilectus
eius, super omnia desideria cordis eius desi-
derabilis. Et mihi quidem dulce foret in præ-
sentia tua ex intimo affectu lachrymas fun-
dere, & cum pia Magdalena pedes tuos la-

chrymis irrigare. Sed vbi est hæc deuotio? vbi
lachrymarum sanctarum copiosa effusio?
Certe nō conspectu tuo & sanctorum ange-
lorum tuorum totum cor meum ardere de-
beret, & ex gaudio flere. Habeo enim te in sa-
cramento vere præsentem, quanuis aliena
specie occultatum. Nam in propria & diuina
claritate te conspiciere oculi mei ferre non
possent: sed neque totus mundus in fulgore
gloriæ maiestatis tuæ subsisteret. In hoc er-
go imbecillitati meæ consulis, quòd te sub
sacramento abscondis. Habeo vere & adoro
quem angeli adorant in cælo: sed ego adhuc
interim in fide, illi autem in specie, & sine
velamine. Me oportet contentum esse lumina
veræ fidei, & in ea ambulare, donec aspi-
ret dies æternæ claritatis, & vmbre figura-
rum inclinentur. Cum autem venerit quod
perfectum est, cessabit vsus sacramentorum,
quia beati in gloria cælesti non egent me-
dicamine sacramentali. Gaudent enim sine
fine in præsentia dei, facie ad faciem gloriam
eius speculantes: & de claritate in claritatem
abyssalis deitatis transformati, gustant car-
nem verbum dei factum, sicut fuit ab initio,
& manet in æternum. Memor horum mira-
bilibus, graue mihi si tædium etiam quodlibet
spirituale solatium, quia quandiu domi-
num meum aperte in sua gloria non video,
pro nihilo duco omne quod in mundo
conspicio & audio. Testis es tu mihi deus,
quòd nulla me potest res consolari, nulla
creatura quietare, nisi deus meus quem de-
sidero æternaliter contemplari. Sed non est
hoc possibile durante me in hac mortali-
tate. Ideo oportet vt me ponam ad ma-
gnam patientiam, & meipsum in omni de-
siderio tibi submittam. Nam & sancti tui
domine qui tecum iam in regno cælorum
exultant, in fide & patientia magna, dum
viuerent, aduentum gloriæ tuæ expecta-
bant. Quod illi crediderunt, ego credo:
quod illi sperauerunt, ego spero: quòd illi
peruenerunt, per gratiam tuam me ventu-
rum confido. Ambulabo interim in fide,
exemplis confortatus sanctorum. Habeo
etiam libros sanctos pro solatio vitæ &
speculo, atque super hæc omnia sanctissi-
mum corpus tuum pro singulari remedio,
& refugio. Duo namque mihi necessaria quàm
maxime sentio in hac vita, sine quibus
mihi importabilis foret ista miserabilis vi-
ta. In carcere corporis huius detentus, duo-
bus me egere fateor: cibo scilicet, & lu-
mine. Dedisti itaque mihi infirmo sa-
crum corpus tuum ad refectiōem mentis
& corporis, & posuisti lucernam pedibus
d iij

Mensas duas nobis instruit Ecclia.

meis verbum tuum. Sine his duobus bene vivere nō possem. nam verbum dei lux est animæ, & sacramentum tuum panis vitæ. Hæc possunt etiā dici mensæ duæ, hinc & inde in gazophylacio sanctæ ecclesiæ positæ. Vna mensa est sacri altaris, habes panem sanctum, id est corpus Christi preciosum. Altera est diuinæ legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, & firmiter vsque ad interiora velaminis vbi sunt sancta sanctorum, perducens. Gratias tibi domine Iesu lux lucis æternæ pro doctrinæ sacræ mensa, quā nobis per seruos tuos prophetas & apostolos aliosque doctores ministrasti. Gratias tibi creator & redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cœnam parasti magnam: in qua non agnum typicum, sed tuum sanctissimum corpus & sanguinem proposuisti manducandum: lætificas omnes fideles conuiuio sacro & calice inebrians saluari, in quo sunt omnes delicia paradisi, & epulantur nobiscum angeli sancti, sed suauitate feliciori. O quā magnum & honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & cæteris ministrare? O quā mundæ debent esse manus illæ? Quā purum os, quā sanctum corpus, quā immaculatum erit cor sacerdotis, ad quem totiens ingreditur auctor puritatis? Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum & vtile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi accipit sacramentum. Oculi eius simplices & pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ & in cælum eleuatæ, quæ creatorem cæli & terræ solent contrectare. Sacerdotibus spiritualiter in lege dicitur: Sancti estote, quoniā ego sanctus sum dominus deus vester. Adiuuet nos gratia tua omnipotens deus, vt qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac deuote tibi in omni puritate & conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitæ cōferuari vt debemus, concede nobis tamen digne flere mala quæ gessimus, vt in spiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis proposito, tibi feruentius decetero deseruire valeamus.

Sacerdotibus quæta cura debet esse pietatis ac puritatis.

Quod magna diligentia se debeat communicaturus Christo præparare.
Cap. 12.

Ego sum puritatis amator, & dator omnium sanctitatis. Ego cor purum quero, & ibi est locus requietionis meæ. Para mihi cœnaculum grande stratum, & faciam apud

te pascha cum discipulis meis. Si vis vt veniam ad te, & apud te maneam, expurga vetus fermentum, & munda cordis tui habitaculum. Exclue totum seculum & omnem vitiorum tumultum, sede tanquam passer solitarius in tecto, & cogita excessus tuos in amaritudine animæ tuæ. Omnis nanque amans suo dilecto amatori optimum & pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum. Scito tamen te non posse satisfacere huic præparationi ex merito tuæ actionis, etiā si per integrum annum te præparares, & nihil aliud in mente haberes. Sed ex sola pietate & gratia mea permitteris ad mensam meam accedere, ac si mendicus ad prandium vocaretur diuitis, & ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficiis eius, nisi se humiliando & regratiando. Fac quod in te est, & diligenter facito, non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore & reuerentia & affectu accipe corpus dilecti domini dei tui dignantis ad te venire. Ego sum qui vocauit, ego iussi fieri, ego supplebo quod tibi deest: veni & suscipe me. Cum gratiam deuotionis tribuo, gratias age deo tuo, non quia dignus es, sed quia tui miserus sum. Si non habes, sed magis aridum te sentis, insiste orationi, ingemisce & pulsa: nec desistas donec merearis micam aut guttam gratiæ salutaris accipere. Tu mei indiges, non ego tui indigeo. Nec tu me sanctificare venis: sed ego te sanctificare & meliorare venio. Tu venis vt ex me sanctificeris, & mihi vnaris, vt nouam gratiam recipias, & de nouo ad emendationem accendaris. Noli negligere hanc gratiam, semper præpara cum omni diligentia cor tuum, & introduce ad te dilectum tuum. Oportet autē vt non solum te præpares ad deuotionem ante communionem: sed vt etiam sollicitè te conserues in ea post sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quā deuota præparatio prius. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo quippe valde indispotus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. Caue à multiloquio, mane in secreto, & fruire deo tuo. Ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre nō potest. Ego sum cui te totum dare debes, ita vt iam vltra non in te, sed in me absque omni sollicitudine viuas.

Custodia sit post communionem, quæta debet esse.

Quod toto corde anima deuota Christi vnionē in sacramento affectare debet.
Cap. 13.

Quis

Cant. 8.

Eccl. 45.

Prou. 3.

Sap. 16.

Deut. 4.

Psal. 30.

Quis mihi det domine, vt inueniam te solum, & aperiam tibi totum cor meum, & fruar te sicut desiderat anima mea, & iā me nemo despiciat, nec vlla creatura me moueat vel respiciat, sed tu solus mihi loquaris & ego tibi, sicut solet dilectus ad dilectum loqui, & amicus cum amico conuiuari? Hoc oro, hoc desidero, vt tibi totus vniar, & cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham, magisque per sacram communionem ac frequentē celebrationem cælestia & æterna sapere discam. Ah domine deus, quando ero tecum totus vnitus & absorptus, meique totaliter oblitus? Tu in me, & ego in te, & sic nos pariter in vnum manere concede. Vere tu es dilectus meus electus ex milibus, in quo cōplacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ suæ. Vere tu pacificus meus, in quo pax summa, & requies vera, extra quem labor & dolor & infinita miseria. Vere tu es deus absconditus, & consiliū tuum non est cum impiis, sed cum humilibus & simplicibus sermo tuus. O quā suauis est domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuā in filios demonstrares, pane suauissimo de cælo descendente illos reficere dignaris. Vere nō est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu deus noster ades vniuersis fidelibus tuis, quibus ob internū solatium & cor erigendum in cælum, te tribuis ad edendum & fruendum. Quæ est enim alia gens tā incluta sicut plebs christiana, aut quæ creatura sub cælo dilecta, vt anima deuota ad quam ingreditur deus, vt pascat eam carne sua gloriosa? O ineffabilis gratia, ô admirabilis dignatio, ô amor immensus homini singulariter impenfus. Sed quid retribuam domino pro gratia ista, pro charitate tam eximia? Non est aliud quod gratius donare queam, quā vt cor meum deo meo totaliter tribuā, & intime coniungam. Tunc exultabūt omnia interiora mea, cum perfecte fuerit vnita deo anima mea. Tunc dicet mihi: Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum. Et ego respondebo illi, Dignare domine manere mecum, ego volo libenter esse tecum, hoc est totum desiderium meum, vt cor meum tibi sit vnitum.

De quorundam deuotorum ardenti desiderio ad corpus Christi. Cap. 14.

Quā magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te? Quando recordor deuotorum aliquorum ad sacramentū tuū domine cum maxima deuotione & affectu accedentium, tunc sapius in meipso confundor, & erubescor quod ad altare tuū & sacræ cōmunionis mēsam tam tepide & frigide accedo, quod ita aridus & sine affectione cordis maneo, & quod non sum

totaliter accensus coram te deo meo, nec ita vehementer attractus & affectus, sicut multi deuoti fuerunt, qui præ nimio desiderio communionis, & sensibili cordis amore, à fletu se non potuerunt continere, sed ore cordis & corporis pariter ad te deum fontem viuū medullitus inhiabant, suam esuriem non valentes aliter tēperare nec satiare, nisi corpus tuū cum omni iucunditate & spiritali auiditate accepissent. O vere ardens fides eorū, probabile existens argumentum sacræ presentie tuæ. Isti enim veraciter cognoscūt dominum suum in fractione panis, quorum cor tam valide ardet in eis de Iesu ambulante cum eis. Longe est à me sæpe talis affectus & deuotio, tam vehemens amor & ardor. Esto mihi propitius Iesu bone dulcis & benigne: & concede pauperi medico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra cōmunionem sentire, vt fides mea magis cōualescat, spes in bonitate tua proficiat, & charitas semel perfecte accensa & cæleste manna experta nunquam deficiat. Potens est autem misericordia tua etiam gratiam desideratam mihi prestare, & in spiritu ardoris cum dies beneficii tui aduenerit, me clementissime visitare. Etenim licet tanto desiderio tam spiritalium deuotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua illius magni inflāmati desiderij desiderium habeo, orans & desiderans omnium talium feruidorū amatorum tuorū participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

Quod gratia deuotionis humilitate & suis ipsius abnegatione acquiritur.

Cap. 15.

Oportet te deuotionis gratiam instantè & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conseruare, studiose cum ea operari, ac deo tempus & modum supernæ visitationis donec veniat committere. Humiliare præcipue te debes cum parum aut nihil deuotionis interius sentis, sed non nimium deiici, nec inordinate contristari. Dat sæpe deus in vno breui momento, quod longo negauit tempore. Dat etiam quandoque in fine, quod in principio orationis largiri distulit. Si semper cito gratia daretur, & pro voto adesset, non esset infirmo homini bene portabile. Propterea in bona spe & humili patientia expectanda est deuotionis gratia. Tibi tamen & peccatis tuis imputa, cum non datur, vel etiam occulte tollitur. Modicum quandoque est quod gratiam impedit & abscondit, si tamen modicum & non potius grande dici debeat, quod tantū bonum prohibet. Et si hoc ipsum modicum

vel grande amoueris, & perfecte viceris, erit quod petisti. Statim nanque vt te deo ex toto corde tradideris, nec hoc vel illud pro tuo libito seu velle queſieris, sed integre te in ipſo poſueris, vnitum te inuenies & pacatum, quia nil ita bene ſapient & placebit, ſicut beneplacitum diuinæ voluntatis. Quisquis ergo intentionē ſuā ſimplici corde ſurſum ad deū leua- uerit, ſeq; ab omni inordinato amore ſeu diſ- plicetia cuiuſlibet rei creatę euacuauerit, aptiſ- ſimus gratiæ percipiendę, ac dignus deuotio- nis munere erit. Dat enim dominus tibi bene- dictionē ſuā, vbi vaſa vacua inuenerit. Et quā- to perfectius quis in ſimilibus renūciauerit, & magis ſibi ipſi per contēptum ſui moritur, tanto gratia celerius venit, copioſius intrat, & altius liberum cor eleuat. Tunc videbit & affluet & mirabitur & dilatabitur cor eius in ipſo, quia manus domini cum eo, & ipſe ſe poſuit tota- liter in manu eius vſque in ſeculum. Ecce ſic benedicetur homo qui quærit deum in toto corde ſuo, nec in vanum accipit animam ſuā. Hic in accipiendo ſacram euchariftiam, ma- gnā promeretur diuinæ vnionis gratiā, quia non respicit ad propriam deuotionem & cō- ſolationem, ſed ad dei gloriam & honorem.

Eſa. 60.

Quòd neceſitates noſtras Chriſto aperire, & eius gratiā poſtulare debemus. **Ca. 16.**

O Dulciſſime atque amabiliſſime domine quem nunc deuote deſidero ſuſcipere, tu ſcis infirmitatem meā & neceſſitatem quā patior, in quantis malis & vitiis iaceo, quā ſape ſum grauatus, tētatus, turbatus, & in- quinaſ. Pro remedio ad te venio, pro conſola- tione & ſubleuamine te deprecor. Ad omnia ſciētē loquor, cui manifeſta ſunt omnia in- teriora mea, & qui ſolus poteſ me perfecte cō- ſolari & adiuuare. Tu ſcis quibus bonis indi- geo præ omnibus, & quā pauper ſum in vir- tutibus. Ecce ſto ante te pauper & nudus, gra- tiam poſtulans, & miſericordiam implorans. Reſice eſurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meā claritate præſentię tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia graua & contraria in patientiam, omnia in- firma & creata in contemptum & obliuionem. Erige cor meum ad te in cælum, & ne dimit- tas me vagari ſuper terram. Tu ſolus mihi ex hoc iam dulceſcas vſque in ſeculū, quia tu ſo- lus cibus & potus meus, amor meus, & gaudiū meum, dulcedo mea, & totum bonum meum. Vtinam me totaliter ex tua præſentia accen- das, comburas, & in te tranſmutes, vt vnus te- cum efficiar ſpiritus per gratiā internæ vnio- nis, & liquefactionem ardentis amoris. Nec

1. Cor. 6.

patiaris me ieiunium & aridum à te recedere, ſed operare mecum miſericorditer, ſicut ſæ- pius operatus es cum ſanctis tuis mirabiliter. Quid mirum ſi totus ex te igneſcerem, & in me ipſo deſicerem, cum tu ſis ignis ſemper ar- dens, & nunquam deſiciens, amor corda puri- ficans, & intellectum illuminans?

De ardenti amore & vehementi affe- ctu ſuſcipiēdi Chriſtum. Vox di- ſcipuli. **Cap. 17.**

Cum ſumma deuotione & ardenti amo- re, cū toto cordis affectu & ſeruore de- ſidero te domine ſuſcipere, quemadmodum multi ſancti & deuota perſonæ in communi- cando te deſiderauerunt, qui tibi maxime in ſanctitate vitæ placuerunt, & in ardentiffima deuotione fuerunt. O deus meus amor æter- nus, totum bonum meum, felicitas intermi- nabilis, cupio te ſuſcipere cum vehementiffi- mo deſiderio & digniffima reuerentia, quam aliquis ſanctorum vnquam habuit & ſentire potuit. Et licet indignus ſum omnia illa ſen- timenta deuotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac ſi omnia illa gratiffime inflammata deſideria ſolus haberē. Sed quecunque poteſt pia mens concipere & deſiderare, hæc omnia tibi cum ſumma reue- rentia, veneratione intima ac fauore præbeo & offero. Nihil opto mihi reſeruare, ſed me & omnia mea tibi ſponte & libentiſſime immo- lare. Domine deus meus, creator meus & redē- ptor meus, cum tali affectu, reuerētia, laude & honore, cum tali gratitudine, dignitate & amo- re, cū tali fide, ſpe, & puritate te affecto ho- die ſuſcipere, ſicut te ſuſcepit & deſiderauit ſanctiffima mater tua glorioſa virgo Maria, quando angelo euangelizāti ſibi incarnatio- nis myſterium, humiliter & deuote reſpondit: Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum ver- bum tuum. Et ſicut beatus præcurſor tuus ex- cellentiſſimus ſanctorum ioānes Baptiſta in præſentia tua lætabundus exultauit in gaudio ſpiritus ſancti, dū adhuc maternis claudere- tur viſceribus, & poſtmodū cernēs inter homi- nes Ieſum ambulante, valde ſe humiliās dice- bat, Ecce agnus dei. Amicus autē ſpōſi qui ſtat & audit eū, gaudio gaudet propter vocē ſpōſi: ſic & ego magnis & ſacris deſideriis opto inſtā- mari, & tibi ex toto corde me ipſum præſenta- re. Vnde & omnium deuotorū cordiū iubila- tiones, ardētes affectus, mētales exceſſus, ac ſu- pernales illuminationes, & cælicas viſiones ti- bi offero & exhibeo, cum omnibus virtuti- bus & laudibus ab omni creatura in cælo & terra celebratis & celebrādis. pro me & omni- bus mihi in oratione cōmendatis, quatinus ab omnibus

omnibus digne lauderis, & in perpetuum glorificeris. Accipe vota mea domine deus meus, & deſideria inſinitæ laudationis & im- menſę benedictionis, quæ tibi ſecundū mul- titudinē ineffabilis magnitudinis tuę iure de- bētur. Hæc tibi reddo & reddere deſidero per ſingulos dies & momenta temporū, atque ad reddēdum mecum tibi gratias & laudes, om- nes cæleſtes ſpiritus & cūctos fideles tuos præ- cibus & affectibus inuito & exoro. Laudent te vnuerſi populi, tribus & linguæ, & ſanctum ac mellifuum nomen tuum cum ſumma iu- bilatione & ardenti deuotione magnificent. Et quicumque reuerenter ac deuote altiſſimū ſacramentum tuum celebrāt, & plena fide re- cipiūt, gratiam & miſericordiam apud te in- uenire mereantur, & pro me peccatore ſup- pliciter exorent. Cumque optata deuotione ac fruibili vnione potiti fuerint, & bene cōſo- lati ac mirifice reſecti, & de ſacra mēſa cæleſti abſceſſerūt, mei pauperis recordari dignētur.

Ne homo ſit curioſus ſcrutator huius ſa- cramētī, ſed humilis imitator Chri- ſti, ſubdendo ſenſum ſuum ſacræ fi- dei. **Cap. 18.**

Pro. 25.

Cauēdum eſt tibi à curioſa & inuili per- ſcrutatione huius profundiffimi ſacra- menti, ſi non vis in dubitationis profundum demergi. Qui ſcrutator eſt maieltatis, oppri- metur à gloria. Plus valet deus operari, quam homo intelligere poteſt. Tolerabilis pia & hu- milis inquiſitio veritatis, parata ſemper do- ceri, & per ſanas patrum ſententias ſtudēs am- bulare. Beata ſimplicitas, quę difficiles quę- ſtionum relinquit vias, & plana ac firma per- git ſemita mandatorum dei. Multi deuotio- nem perdidērunt, dum altiora ſcrutari volue- runt. Fides à te exigitur, & ſincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas my- ſteriorum dei. Si non intelligis nec capis quæ infra te ſunt, quomodo comprehendes ea quæ ſupra te ſunt? Subde te deo, & humilia ſentium tuum fidei, & dabitur tibi ſciētię lumē, prout tibi fuerit vtile ac neceſſarium. Quidam gra- uiter tentantur de fide ac ſacramēto, ſed non eſt hoc ipſis imputādum, ſed potius inimico. Noli curare, noli diſputare cum cogitationi- bus tuis, nec ad immiſſas à diabolo dubita- tiones reſpōde, ſed crede verbis dei, crede ſan- ctis eius & prophetis, & fugiet à te nequā ini- micus. Sæpe multum prodeſt quòd talia ſuſti- net dei ſeruus. Nam infideles & peccatores nō tentat, quos ſecure iam poſſidet: fideles autem deuotos variis modis tētāt & vexat. Perge er- go cum ſimplici & indubitata fide, & cum ſim- plici reuerentia ad ſacramētū accede. Qui- quid intelligere non vales, deo omnipotenti

ſecure committe. Nō fallit te deus, fallitur qui ſibi nimium credit. Graditur deus cum ſim- plicibus, reuelat ſe humilibus, dat intellectum paruulis, aperit ſenſum puris mentibus, & ab- condit gratiam curioſis & ſuperbis. Ratio hu- mana debilis eſt & falli poteſt, fides autē vera falli non poteſt. Omnis ratio & naturalis in- ueſtigatio fidem ſequi debet, non præcedere nec infringere. Nam fides & amor ibi maxi- me præcellunt, & occultis modis in hoc ſan- ctiffimo & ſuperexcellentiſſimo ſacramento operantur. Deus æternus & immenſus inſini- tæque potentie facit magna & inſcrutabilia in cælo & in terra, nec eſt inueſtigatio mirabi- lium operum eius. Si talia eſſent opera dei, vt facile ab humana ratione caperentur, non eſ- ſent mirabilia, nec ineffabilia dicenda.

Explicit liber de Sacramento altaris.

DE DISCIPLINA CLAV- ſtraliū libri quinque.


Libri primi hæc ſunt Capita.

- In quibus conſiſtit diſciplina clauſtralis. **Cap. i.**
- De diuerſis tentationibus & inſidiis diaboli. **Cap. ii.**
- De vera conuerſione ad deum, qui eſt ſummū bonum. **Cap. iii.**
- De obedientia humilis ſubditi erga prælatū. **Cap. iiii.**
- De cuſtodia cordis, & reditu ad interiora. **Cap. v.**
- De cuſtodia oris, & exercitio laboris. **Cap. vi.**
- De cōmédatione cellæ & ſolitudinis. **Ca. vii.**
- De choro, & diuino officio peragendo. **Cap. viii.**
- De diſcretionē in ſpirituali exercitio ſeruan- da. **Cap. ix.**
- Oratio de felici conſummatione in virtuti- bus. **Cap. x.**
- De charitate dei & proximi, & odio vitiorū. **Cap. xi.**
- De abſtinentia & caſtitate. **Cap. xii.**
- De vtili exercitio in vita & paſſione Chriſti. **Cap. xiii.**
- De commemoratione & inuocatione beatiffimæ virginis Mariæ. **Cap. xiiii.**
- De ſuffragiis ſanctorum ſedulò petendis. **Cap. xv.**
- De deſiderio animæ ad cæleſte regnum. **Cap. xvi.**

FINIS.

In quibus consistit disciplina claustralis. Cap. 1.

Psal. 2.



Prophēdite disciplinā, ne quando irascatur dominus, & pereatis de via iusta. Disciplina claustralis si strenue seruetur, ad magnam perfectionem ducit, ab æterna damnatione liberat, & in cælesti regno altissime coronat.

Disciplina claustralis in tribus.

Ex disciplina quātum boni fructus.

Consistit autem disciplina in tribus precipue, vt silentium bene seruetur, vt diuinum officium deuote celebretur, & opus manuum impigre exerceatur. Vbi disciplina viget, ibi maior pax & spiritalis profectus inuenitur. Vbi disciplina perit, ibi dissolutio crescit, ibi vitia regnant, & virtutes eneruatur. Vbi disciplina custoditur, ibi adest gratia cælestis, ibi deuotio floret, ibi lectio sapit, ibi meditatio dulcescit, ibi oratio seruet, ibi gratiarum actio & vox laudis resonant, mens iubilat: ibi intellectus illustratur, ibi caro marcescit, & spiritus eleuatur. Qui amat disciplinam, lætificat conscientiam, acquirit bonam famam, & adauget sibi gloriam æternam. Amator disciplinæ custodit os suum, quærit secretum, fugit tumultum, vitat risum, diligit lectū, vt inueniat Iesum sibi propitiū & amicum. Qui extra disciplinam esse quærit, diaboli laqueos incurrit, & deuotionem mentis perdit. In tribus locis libenter esto cum fratribus propter communē disciplinam, in choro ad psallendum, in cella ad scribendum & legendum, in refectorio ad sobrie comedendum & verbum dei audiendum. Vbicunque verbum dei legitur, ibi spiritus sanctus occulte operatur, qui malos de peccato redarguit, & bonos per spem & consolationem scripturarū confortat, vt amplius proficiant, & disciplinam ordinis fortiter teneant. Hinc Paulus admonet dicens, In disciplina perseuerate, & tanquam filiis vobis offert se deus. Hinc Dauid orat dicens: Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Et alibi multum eam commendans ait, Et disciplina tua correxit me in finē. Et disciplina tua ipsa me docebit. Magnum donum dei est habere scientiam scripturarum, sed magis preferendum videtur seruare ordinis disciplinā. Hinc summus magister Christus: docens discipulos suos legē vitæ & disciplinæ, sic ait: Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Nam tanto fit quisque beatorum coram deo, quanto seruētior est pro obseruatiā disciplinæ. Duo bona præterendit omnis regularis disciplina, vt statuta diligenter seruentur, & negligentes pro culpis suis corrigantur. Deuoti & boni fratris est

Psal. 118.

Psal. 17.

Ioan. 13.

violentiam sibi facere contra prauitatem naturæ, & sponte se subdere disciplinæ: nec aliquid ordinatū præterire. Nam qui amat disciplinam, sapiens est, & ditabitur virtutibus multis. Qui autem odit correptiones, insipiens est, & honore carebit. Considera mores fratris disciplinati, quia non est leuis verbis, nec oculis vagus, sed ambulat in timore dei, & facit opera sua cum diligētia, custodiens silentium, & amans cellæ quietem. Non murmurat, non detrahit, sed deo omne iudicium committit, & seipsum præ oculis habet, & quæ sibi commissa nō sunt, de illis tacet, vt liberius sibi ipsi vacet. Nam nimis insipiens est, qui propria negligit, & alienis rebus se implicat. Disciplinam ergo vbique serua, & erit tibi pax & gloria magna. Omne quod non decet, studeas cauere. Quicquid deo placet, fac cum alacritate: nec propter hominum displicentiam infringe ordinis disciplinam. Stulte agit qui contra conscientiam facit, & dei offensam propter homines incurrit. Nam qui ordinem suum non seruat, per præuaricationem legis deum inhonorat. Si videris quempiam negligenter agentem, corripere illum vt fratrem, & trahere ad emendationem, sed noli sequi eius errorem, nec tantum diligas, vt in malo ei consentias, ne cum ipso cadas & pereas. Quisquis pro ordinis disciplina zelat, & libenter ac gratanter admonitiones capit, specialem gratiam a deo obtinebit, & in die exitus sui de corpore, ab auditione mala nō timebit, & cum electis de premio sui laboris gaudebit, Christo dicente: Euge serue bone, quia super pauca fuiti fidelis, intra in gaudium domini tui. Qui negligens est & dissolutus, deum offendit & homines, & peior est paralytico iacente in grabato, quia iste defectum patitur a natura, & ille vincitur a cordis inertia. Virtuosi sunt passionis domare, quæ demones fugat. Et maioris charitatis est negligentem admonere, quam elemosinam dare. Quem tædet orare, & delectat fabulari, qualis feruor est in illo? Prorsus nullus. Nam si ferueret intus, vitaret omnino vaniloquia foris. Sed quomodo quis potest accendi ad feruorem spiritus? In faciendo sibi frequenter violentiam contra consuetudinē malam, & tenendo ordinis rigorem secundū formā sibi præscriptam. Tepidus semper conuerit de grauitate disciplinæ, feruidus amplectitur eum hilaritate. Sed dicis. Timeo frangere caput meum, & incurrere debilitatem. Quid loqueris tepide & dissolute? Nescis quid pateris. Times parua, & nō times magna? Times dolorem in corpore, & non times grauitatem malæ conscientie? Times ieiunare, times vigilare, times silentium seruare, & non times

Mar. 1.

Feruor spiritus qui acquiritur

In propositis timidus

Ioan. 12.

Gala. 6.

Philip. 4.

1. Petr. 5.

times in igne cremari, a demonibus torqueri, & a regno dei excludi? Vanus est timor iste, de modica afflictione corporis frequenter cogitare, presentia mala solummodo perpendere, & minus poterere quæ eternaliter animam saluant aut damnant. Reuertere ad cor tuum, conuertere ad deum qui fecit te, spera in eo, & iuuabit te. Si nō potes ei seruire sano capite, tunc seruias ei debili capite, & coronabit te rosas ac liliis suavissimis cum martyribus sanctis in cælis, quia sustinisti dolores & labores in terris. Noli ergo propter modicum corruptibilis vitæ amorem illicitamittere, noli secularia solatia querere, separa te ab ineptis fabulis, intende sacris studiis, serua disciplinam, subiuga carnem, imple obedientiam, & saluabis animam tuam iuxta Christi sententiam. Qui odit (inquit) animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Cum indisciplinato non habeas familiaritatem, ne discas leuitates eius, & similis ei fias in confusione ordinis tui. Iunge te religioso morigerato & deuoto fratri, vt edificeris semper in bono. Vnus indisciplinatus & verbosus multos inquietat, & qui eum compefcit, optime facit. Talis sæpe est admonendus & increpandus vt suas dissolutiones dimittat, & ad deuota exercitia se conuertat. Nemo se per alium vitiose excuset, sed de propria salute cogitet, & tempus sibi indultum fructuose expendere curet, sicut & beatus Paulus dicit, Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Ille ad omnes bonum operatur, qui strenue seruat disciplinam, & cæteris in conuentu dat bonū exemplum. Benedictus ille frater, qui in omnibus se vincere nititur, quia coronabitur pro omni quod pro Christo patitur. Ad tenendam formam spiritualis disciplinæ, beatus Paulus discipulos suos diligenter exhortatur dicens: Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus discipline, hæc cogitate, quæ & didicistis & accepistis, & audistis & vidistis in me. Ecce quam sollicitus fuit beatus Paulus pro obseruantia disciplinæ, & pro bono exemplo posteris relinquendo. Nam maximum meritū sibi in cælestibus accumulatur, quisquis disciplinam in se & in aliis amat.

De diuersis tentationibus & insidiis diaboli. Cap. 2.

Vbique diabolus insidiatur bonis & deuotis, maxime tamen religiosis personis in ordine sub disciplina constitutis. Idcirco primus sanctæ ecclesiæ pastor beatus Petrus fideles admonet dicens, Vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens

circuit querens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Hinc etiā beatus Ioannes in Apocalypsi clamat, præmuniens ad cautelam, Vigilate in terra & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam. Siquidem propter excellentiam status religiosorum deiiciendam, diabolus acrius seruos dei tentat, & frequentius eos quam seculares impugnat, quia inuidet gloriæ sanctitatis deuotorum continenter viuētium. Scit enim quod illi altius præmiabuntur in cælo, qui purius vixerint in mundo. Vnde quanto grauiore tentatione sustinent, si viriliter resistunt, & seipfos vincunt, tanto gloriosiores erunt apud deum in futuro, quia fortiter certauerunt. Ex quo diabolus proiectus est de cælo propter superbiam suā, non cessat circuire terram, quærens quem prauis suggestionibus decipiat, & vulneret per delectationem morosam ad perdendam dei gratiā, ac secum tandem trahat in æternā damnationem. Et sicut olim tentauit primum hominem in paradiso, & filios Israel in deserto, ita nunc tentat & persequitur religiosos in claustro, vt remisse viuant, & statuta sua frangant, vt prælatis suis resistant, & inobedientes fiant, quatinus huiusmodi contagiis deprauati cælestem gloriam perdant, & causam contra eos habeat vnde in iudicio grauitur eos accuset. Vigilandum igitur omni tempore, & in omni loco caute respiciendum, ne desides & inermes seruos dei satanas inueniat, quia ipse nunquam dormit nec fatigatur, sed a dextris & a sinistris insidiatur. Desides facilliter capit: & hi sunt qui parum laborant, & bene comedere volunt. Inermes cito vulnerat: & hi sunt qui raro orant, & in corde modicum de sacra lectione seruāt. Foris euagantes illecebris inficit, ociose stantes fabulis connectit, vt opera sua negligant, & alios impediunt. Bene etiam agentes a bono incepto reuocat, legere vel orare volentes dormire facit, surgere conantes in lectulo tenet. Non est locus in claustro quem satanas hostis monachorum non perlustret, vt vnam saltem ouiculam de grege Christi rapiat & perdat. Quapropter pastor cælestis alta voce cornu salutis sufflat, & ouibus suis ait: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Ac si dicat, Lupus rapax circuit tabernacula vestra, serpens antiquus callide quærit foramen intrandi ad interiora cordis vestri, vt dentem infigat per iram, aut osculo mulceat per turpitudinem. Vos autem vigilate animo, & orate corde & ore die ac nocte, quia ob omni parte vobis instat bellum, & nil tutū sub cælo, & aduersarij multi docti ad præliū mittentes sagittas acutas, & laqueos abscondentes pedibus vestris, vt cadatis in itinere re-

Apoc. 12.

Mar. 14.

Et, & à sancto proposito recedatis. Sed state firmiter, & pugnate fortiter pro animabus vestris, ego dominus ero vobiscum. Obseruare autem caute quales imagines vobis ingeruntur, siue de mundo sint, siue de carne, & claudite ostium cordis vestri, ac signo crucis vos armate ne diabolus intret, quia tētare vos veniet, & ad consensum peccati contrahere, vt deum offendatis, & eius gratiā perdati. O religiosi amici dei attendite à callidis & mortiferis diaboli immisionibus, ne moram in his faciatis, sed mox vt sentitis motus illicitos, mentem vestram auertite, & nomen domini inuocate, dolentes de malo vobis ingesto, & bonā cogitationē de deo & spirituali materia assumite, & in compunctione sancta vos exercete. Sic enim facientes fugiet diabolus confusus, & accedet angeli sancti vobis in solatium miseri, qui confortabūt manus vestras contra aereas potestates. State ergo in timore dei, & semper circa initium tentationis vigilate & orate cū gemitu cordis in spiritu humilitatis, nil grāde, nil laudabile de vobis ipsis sentientes, sed fragiles homines & inutiles seruos veraciter vos agnoscentes. Quicquid etiam boni sapitis vel agitatis, non vestrā hoc industriā & labori, sed diuinā gratiā & misericordiā ex integro adscribatis. Neminem tantum diabolus timet & refugit, quantum humilē & semetipsum despicentem. Et contra nullum tantum præualeat, quantum contra superbum, & de se præsumētem. Caue ergo superbiam, si non vis pati ruinam. Si non vis seduci & supplantari, noli extolli, nec inaniter gloriari. Quauis in monasterio sis vel in solitudine, non es tamen liber à tentatione, quia Christum diabolus tentauit in deserto, qui erat plenus spiritu sancto. Quandiu ergo vixeris, oportet te pugnare cōtra insidias diaboli & proprias passiōes. Et si interdum cessat ad modicum tempus, hoc facit ad fraudem, vt cum incustoditus fueris & laxus, subito & inopinātē te prosternat. Tentat in choro, vt cum tædio psallas, & parū aduertas ad sensum verborum. Reducit ad mentem phantasmata rerum exteriorū quas prius vidisti & audisti, quatenus fructum orationis tollat, & chorū tibi in grauitatem vertat. Tētat in refectorio, vt plus vel lautius comedas, aut etiam de aliquo defectu murmures. Tētat in cella, vt pigre labores, aut rarius ores vel modice legas, sed cito inde excas & fabulari queas, & tardius ad cellam redeas. Tentat tempore silētij, vt verbum illicitum proferas: & si loqui licet, mox ad inania & nociua instigat, vt conscientiam macules, & fratrem tuum offendas. Vigila ergo & ora deum semper, vt det tibi gratiam contra Satanā astutias, qui

Diabolus desuperbis semper triumphat

Matt. 4.

tam in prosperis quam in aduersis insidiatur omnibus deuotis.

De vera conuersione ad deum, qui est summum bonum. Cap. 3.

Multæ sunt auersiones nostræ à deo summo bono, quia ex propria iniquitate & magna fragilitate cito labimur ad inferiora & terrena concupiscenda, quæ nos satiare nō valēt, nec etiam permanere nobiscum. Opus est ergo quotidiana conuersione ad deum, à quo sæpius auerimur ad nos ipsos, non dinatē nos diligendo, aut aliquas creaturas vane aspiciendo, vel etiam male vtendo, & plus de temporalibus quam de diuinis rebus cogitando. Sæpe etiam odimus peruerse salutaria & quæ sunt pro disciplina, & affectamus habere quæ commoda sunt & iucunda, non attendentes quid dicit conscientia, & quantum displicet deo auersio nostra ab ipso ad ista caduca. Et quanuis aliquem iustum & bonum scimus, si contrarius est voluntati nostræ & aliquā proponit restrictionem inducere ex virtute, incipimus ei improbe resistere, & viliter de eo sentire, & dicimus quod ipsi non sit credendum. Et hic error in plerisque religiōis inuenitur, qui contra beneplacitum dei, & superioris sui sensum, appetunt prosequi intentum suum, minus ponderantes graue iudicium sibi imminere, si plus quam oportet in causis propriis de semetipsis confidunt. Quod ex elatione cordis & agitatione procedit, qui in spiritu proficere conantes, ad laxationem carnis trahere quærit. Non enim sufficit ad veram hominis conuersionem, secularis habitus mutatio, quæ vel vna die fieri potest, sed illa est vera & religiosa conuersio, cum quis nititur vitia sua vincere, & magno seruore pro virtutibus instat. Debemus igitur quantum possibilitas admittit, nos qui religiosum habitū gerimus, cor nostrum ab omnibus materialibus & visibilibus rebus auertere, & ad inuisibilem cōditoris nostri faciem contemplandam eleuare, & anhelare semper ad cælestia, atque per singulos dies, omnique hora, immo totiens quotiens euagatio mentis accidit, pro venia humiliter supplicare, & cum propheta gemebunde dicere: Conuerte nos deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis. Quando ita facimus, deus libenter suscipit preces nostras, & gaudent angeli sancti in cælo de nobis, quia conuertimur ex toto corde ad dominum deū nostrum, qui est beatitudo omnium sanctorum. Sed Satan e contrario conatur ab hoc summo bono religiosam animam abstrahere, & per diuersas occasiones & tentationes eam impedire, immittitque cogitationes superbiæ, iræ, gulæ, impudicitia, inuidiæ, discordiæ, duritiæ,

Conuersio nostra ad Deum quotidianam

Claustrum picea est & veluti stagnū quoddam

Psal. 24.

Conuersus verus quis

ritiæ, fallaciæ, blasphemiarum, diffidentiarum, pusillanimitatis, inconstantiæ, dissolutionis, & negligentiarum, ceterorumque malorum quæ enumerare longum est, quatinus à cælestium dulcedine, & angelica puritate retardetur, & in infimis & vanis rebus diutius teneatur: nec nō vt propter nimiam difficultatem vincendi tentationes, deum quærere & inuocare cesset, & sic tandem omnem spirituales profectum & laborē pro custodia cordis quasi ex tædio boni postponat. Hæc sunt opera inimici, à facie dei celi proiecti. Nā cum ipse totus sit à deo auersus, machinatur omne malum cōtra bene agentes, & præcipue cū orare & ad interiora se conuertere voluerint, atque pro delictis suis deprecari. Heu nequam pessimus insidiatur callide omnibus bonis. Nā rete suam per totum mundū subtiliter texit, ac latissime expādit, monachos & moniales, subditos & prælatos, solitarios & officiales circumdat & tentat, vt vel vnum pisciculū hamo concupiscentiæ illiciat, & de piscina claustralis custodia ad litus seculi trahat, vbi per visum & auditū, iocum & risum aliquo peccati contagio inficiat, quatinus nullus sine periculo euadat. Quapropter religiosus seruus dei vias suas diligenter custodiat, & euagationes tam mentis quam corporis compescat, ne summum bonum amittat, quod cum infimis teneri non potest, sed mox vt se abstrahi & impediri sentit, ad deum per orationem & cōrriptionem redeat, & cum sancto Dauid oret & dicat: Oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Sicut enim peccādo & in creaturis delectando homo captiuatur, & à deo separatur, sic pœnitendo ad eum reuertitur & sanatur. Nam peccando fit fordidus, frigidus & aridus: sed iterum pœnitendo orādo & flendo pro commissis, intus mundatur accēditur & irrigatur. Et sæpe ad maiorem cautelam & rigorem seruandum, per facilitatem lapsus sui eruditur & solidatur. Ille autem vere conuersus est, nec in vacuum nomen religiosi & habitum portat, qui seculo moritur, & Christo viuere delectatur: qui omnia opera sua & cogitationes ad deū finaliter refert: qui honorem dei & laudem nominis eius in omnibus dictis & factis suis quærit & desiderat, nil de priuato amore & proprio cōmodo cupiens habere, sed semetipsum cum omni bono quod sit in cælo & in terra, offert & eleuat, gratias immensas deo summo bono referēdo, à quo omne bonū creatū descendit & emanat.

De obedientia humilis subditi erga prælatum. Cap. 4.

AD bonum subditum pertinet mandatum obedientiæ hilariter amplecti, &

nihil de propria volūtate retinere, sed exemplo Christi in manus dei & prælati sui sponte se resignare, quia hoc est gratissimum donum quod potest deo offerre. Caueat ergo omnis bonus subditus, ne prælatum suum temere iudicet, nec vias eius curiose scrutetur, sed potius eius dicta & facta in melius interpretetur. Et si quædam minus vtilia apparent, & aliqua defectuosa in eo reperiuntur, non despiciat nec arguat eum, sed excuset & pie toleret, & charitatiue (si ita conuenit) admoneat, aut patenter obsecret per se vel per alium magis idoneum, quia magnum onus super se habet. Sæpius etiam pro eo secrete oret, vt deus eum custodiat & cōfortet, cum nullus sit in tota domo qui tantā quotidie sollicitudinē pro omnibus gerat. Raro nanque inuenitur prælati qui possit cuilibet satisfacere vel placere pro voto. Ideo iuuari debet à subditis, & honorari atque portari ab omnibus, & excusari coram infirmis, qui cito suspicatur dum ipsis resistitur & aliquid negatur. Ipse est vtique qui oēs tolerare habet, & in ore omnium ventilatur, cui & facile imputatur quod male gestum est, aut neglectum æstimatur. Sed hoc virtuosorum non est, immo emulorum studium, qui quærunt in prælato quod reprehendant. Non est credendum ei nec consentiendum, qui superiori suo detrahit, & ad resistendum illi rationes quærit, nolens acquiescere vicario Christi, qui loquitur ex ore dei pro salute subditi sub potestate præsentis constituti. Nā multū superbe sapit, & periculose agit, qui pertinaciter in sensu suo abundat, vt proprium videre ordinationi prælati sui præponat. Sed qui meritum sanctæ obediētiæ attēdit, & obediētiā Christi & sanctorum vitā pensat, absque mora & mûsitatione verbum sibi mādātum implere satagit, nec curiose discutit, sed etiam quod friuole sonat, propter virtutē obediētiæ dignanter capit, & ad profectum animæ suæ conuertit. Hoc enim valde laudabile est & honestum, & inter opera interiora summe meritorium, & conscientie propriæ magis securum. Subditorum est humiliter acquiescere cōsiliis maiorum, & sine recalcitratione obedire prælati. Hoc pro magna sapientia tene, si de propria sapientia nihil habes, & simplicem obedientiam omnibus rationibus & priuatis reb⁹ præfers. Qui hoc facit, deo placet, & prælato suo charus erit, qui pro eo rationem reddet. Talis subditus multum alleuiat onus prælati sui, & prouidet sibi optime in futuro, ne sub graui discrimine cadat in iudicio coram deo. Qui vult summæ perfectioni cito propinquare, studeat ante omnia obediētiā seruare. Magna & egregia virtus simplex & pura

obedientia, nesciens tarda molimina, nec parans argumenta, sed implens iussa sine querela. Ideoque magna ei debetur corona, & cum martyribus percipiet palmam, quia certauit fortiter, & subegit naturam, obediendo vsque ad mortem: quoniam quidem fortissimum vincendi genus est, semetipsum perfecte vincere

Obedientia summi monachi bonum.

Ioan. 6.

Matt. 26.

Luc. 1.

Ecc. 4.

Mas. 12.

Obedientia in dignitate & scientia multi precij.

Gen. 12.

Gen. 22.

Hebr. 13.

& abnegare propter obedientiam, quae monachorum est laus maxima, & omnium religionum corona pulcherrima. O felix & venerabilis obedientia, quam predicauit & seruauit Iesus Christus dominus noster aeterna patris sapientia, dicens, Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et cum iret ad locum passionis, ita orauit cum abnegatione propriae voluntatis: Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Hanc etiam promptissime exhibuit & plenissime expressit beatissima mater Iesu virgo Maria, his verbis dicens ad angelum: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Sic decet omnino, sic debet niti facere & etiam dicere bonus subditus coram praelato suo cum humilitate & reuerentia: Ecce pater, sicut dicitis & cõfulitis, ita libenter faciam pro viribus meis.

Hae nanque virtus praefertur victimis & donis, haec praeterita mala delet, a futuris custodit, poenam laxat, & ab aeterna datione saluat. Per hanc fit homo dilectus deo, & tam familiaris Christo, ut frater eius esse mereatur.

Quicumque, inquit, fecerit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse meus frater & soror & mater est. O quam preciosa est haec virtus in subditis, ut securi coram deo appareant de culpis sibi obiectis. Qui haec elegit & tenet, recto cursu ad patriam tendit, quam Adam & Eua inobediendo amiserunt, sed Christus & Maria pro nobis obediendo recuperauerunt. Haec sancta & simplex obedientia plus prodest quam alta doctrina, utilior est quam potentia, & securior quam dignitas aut praelatura. Quod si cum scientia & dignitate inuenitur obedientia, multum commendata est illa anima, & magni meriti inter sanctos reputanda. Exemplum perfectae obedientiae claret in Abraham patriarcha, qui in obediendo deo, exiit de terra & cognatione sua, ac demum vnicum dilectum filium immolare paratus fuit: propter quod caelesti voce benedici meruit, & pater multarum gentium nominari, atque per omne seculum honorari. Ad hanc sane obedientiae utilissimam virtutem beatus Paulus hortatur scribens ad Hebraeos. Obedite (inquit) praepositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, ut cum gaudio hoc faciant, & non gemetes. Hoc enim non

expedit vobis. Hanc sanctam obedientiam quae ad salutem maxime est necessaria, commendat veteris ac noui testamenti plura testimonia, & sanctorum deuotissima exempla. Hanc leges & iura dicunt maioribus & praelatis exhibendam cum humili subiectione & reuerentia. Cogitet ergo cui graue est obedire, & qui saepius nititur se excusare, aut callide ab obedientia subtrahere: quales subditos velle ipse habere, quia utique bonos & humiles, & non rebelles. Igitur studeat iam esse talis ad suum praelatum, quales optaret habere si eligeretur ad praesidendum. Discat primitus alteri humiliter subesse, & reuerenter obedire, ut dignus sit alios instruere, & utiliter regere possit, ne maiori periculo stringatur, si hoc ab aliis exigit, quod ipse minime impendit. Quomodo enim potest seruari status religionis, & regimen domus in claustris, nisi omnes subditi obediant praelatis suis? Nam si omnes regere volunt, & quilibet agere contendit quod ei placuerit: erit confusio magna & turbatio frequens, peribit disciplina, & crescet dissolutio, abscedet timor dei, & libertas carnis regnabit. Vbi enim obedientia non curatur, & praelatus parum reueretur: ibi bonum regimen annullatur.

De custodia cordis, & reditu ad interiora. Cap. 5.

Quoniam de facili homo ad exteriora sit inclinatus, & libenter capit aliquam consolationem a creaturis appetitu sensualitatis, tamen niti omnino debet redire ad seipsum per contritionem spiritus, ne perdat maiorem gratiam intus. Nam efficitur vagus & lubricus, si sequitur affectiones suas in curiosis rebus videndis & habendis. Igitur semper sta super custodiam cordis tui, & ad interiora tempestiue redi, etiam violenter te compelle intrare ad cordis secretum, quia cum intus non est pax, non erit tibi bene quicquid foris habueris in terrenis. Multum valet pro pace & custodia cordis, si exteriora tua discretè ordinaueris, & quaedam exercitia spiritualia apud te conseruaueris, ut scias quando legere, quando orare, quando operari, quando meditari, quando tacere, quando loqui, quando solus, quando cum aliis debeas, ut omnia in tempore suo cum bona deliberatione facias, & nullo tempore a sancto opere & pio exercitio vaces. Quaedam omnino fugere debes, ut fabulas leues & seculi rumores, homines seculares, mulierum allocutiones, iuuenum familiaritates, amicorum visitationes, hospitem salutationes, quia ista distrahunt mentem, & maculant conscientiam, & qui talibus delectatur, ab internis bonis minoratur. Quaedam sunt fortiter tenenda, ut rigor disciplinae in silentio &

ieiunio, in vigiliis & aliis laboribus ad castigationem corporis pertinentibus, quia nisi corpus sub freno subiectionis contineatur, fit spiritui contrarium, & multas tentationes in anima suscitatur, unde intellectus hominis excutatur, & feruor deuotionis refrigescit. Sunt quaedam patienter toleranda, ut defectus temporalium, damna bonorum, vexationes aduersariorum, aegritudines corporum, mores imperfectorum, austeritates verborum, subtractiones solationum, & afflictiones amicorum, in quibus homo probatur, & tanquam in igne purgatur: & si bene vitur istis contrarietatibus, cedent sibi ad meritum aeternae retributionis. Sunt etiam quaedam cito respuenda, ut aperta vitia & peccata, dei praecipitis & virtutibus contraria. Interdum aliqua latenter se ingerunt sub specie licitae dispensationis: quando tamen cupiditas vel tepiditas agitat negotium ultra necessitatis terminum, ibi cauendum est seductionis venenum. Igitur secundum sapientis consilium, omni custodia serua cor tuum, ne aliquid impurum intret quod deum offendet. Si te sentis aliquo vitio moueri, adhibe tepestiuè remedium, ne diutius differendo passio crescat & deterior fiat. Non est vitium tam graue, quin curari possit si vulnus aperitur, & spiritualis medici consilium requiratur. Sed aliud est scire remedium, aliud adhibere remedium. Multi sciunt quid agendum sit, quidve cauendum, sed non adhibent diligentiam ad cordis orisque custodiam, ideo ex leui occasione trahuntur ad consueta vitia. In hac vita, quae tota tetatio dicitur, oportet quotidie certare & firmiter proponere, & gratiam diuinam implorare, donec status huius lubricae vitae & intestini certaminis fuerit finitus. Non inuenitur hic aliquod remedium quo plene omnes vitiorum morbi sanentur, ita ut nullus motus concupiscentiae sentiat, quia hoc futurae beatitudinis est donum, sanctis promissum. Sed tamen gratia dei iuuante possunt mali motus refrenari, & occasiones peccandi vitari, atque maculae contractae per singulos dies poenitendo lauari. Magnus labor est cor custodire ab irruentibus vitis, & non affici ad aliqua sensibilia foris. Aut enim creator te mouet, aut creatura, & secundum statum mentis mouentur leuiter corporis membra, & nihil fit in verbo vel opere, quod ex radice cordis non procedit. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus profert malum, ait dominus. Debes ergo maxime vigilare circa custodiam cordis, & considerare quales cogitationes & affectiones intus geris, ut malas cito respuas, & bonas assumas: ac de utilitate animae tuae semper sollicite pensare, iuxta illud

Toleranda patienter.

Respuenda ilico.

Proou. 4.

Aliud scire remedium, aliud adhibere remedium.

Homo nunquam non deat a se.

Concupiscentiae motus omnino vitari non possunt, cohiberi possunt.

Exercitia quod suo tempore sunt.

Fugenda omnino monacho.

Tenenda cohat monacho.

ieiunio, in vigiliis & aliis laboribus ad castigationem corporis pertinentibus, quia nisi corpus sub freno subiectionis contineatur, fit spiritui contrarium, & multas tentationes in anima suscitatur, unde intellectus hominis excutatur, & feruor deuotionis refrigescit. Sunt quaedam patienter toleranda, ut defectus temporalium, damna bonorum, vexationes aduersariorum, aegritudines corporum, mores imperfectorum, austeritates verborum, subtractiones solationum, & afflictiones amicorum, in quibus homo probatur, & tanquam in igne purgatur: & si bene vitur istis contrarietatibus, cedent sibi ad meritum aeternae retributionis. Sunt etiam quaedam cito respuenda, ut aperta vitia & peccata, dei praecipitis & virtutibus contraria. Interdum aliqua latenter se ingerunt sub specie licitae dispensationis: quando tamen cupiditas vel tepiditas agitat negotium ultra necessitatis terminum, ibi cauendum est seductionis venenum. Igitur secundum sapientis consilium, omni custodia serua cor tuum, ne aliquid impurum intret quod deum offendet. Si te sentis aliquo vitio moueri, adhibe tepestiuè remedium, ne diutius differendo passio crescat & deterior fiat. Non est vitium tam graue, quin curari possit si vulnus aperitur, & spiritualis medici consilium requiratur. Sed aliud est scire remedium, aliud adhibere remedium. Multi sciunt quid agendum sit, quidve cauendum, sed non adhibent diligentiam ad cordis orisque custodiam, ideo ex leui occasione trahuntur ad consueta vitia. In hac vita, quae tota tetatio dicitur, oportet quotidie certare & firmiter proponere, & gratiam diuinam implorare, donec status huius lubricae vitae & intestini certaminis fuerit finitus. Non inuenitur hic aliquod remedium quo plene omnes vitiorum morbi sanentur, ita ut nullus motus concupiscentiae sentiat, quia hoc futurae beatitudinis est donum, sanctis promissum. Sed tamen gratia dei iuuante possunt mali motus refrenari, & occasiones peccandi vitari, atque maculae contractae per singulos dies poenitendo lauari. Magnus labor est cor custodire ab irruentibus vitis, & non affici ad aliqua sensibilia foris. Aut enim creator te mouet, aut creatura, & secundum statum mentis mouentur leuiter corporis membra, & nihil fit in verbo vel opere, quod ex radice cordis non procedit. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus profert malum, ait dominus. Debes ergo maxime vigilare circa custodiam cordis, & considerare quales cogitationes & affectiones intus geris, ut malas cito respuas, & bonas assumas: ac de utilitate animae tuae semper sollicite pensare, iuxta illud

prophetae verbum, Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus. Si hoc fecit David sanctus & rex terrenus, curam totius regni possidens, quanto magis religiosus deo professus, omnibus curis terrenis neglectis, debet habere animae suae salutem praeculis? Ad puritatem cordis valde iuuat solitudo & silentium, studere, legere, orare, meditari, & nil velle scire de statu mundi, quia saepe plus nocent mala audita, quam bona profunt in libris lecta. Vix enim reperitur actio tam bona, cui aliquid mali non admisceatur. Et in omni verbo vel facto aduersarius tendit laqueos, ut ab interna vacatione mentem retrahat. Nouit quippe cor humanum, quia si non delectatur in bono, cito labitur in malum.

De custodia oris, & exercitio laboris. Cap. 6.

Magnam ori tuo custodiam adhibe, quia de omni verbo ociofo oportet te redere rationem. Qui non refrenat linguam suam, ait Iacobus apostolus, huius vana est religio. Nam ex incustodia linguae, multa mala solent provenire, a quibus homo taciturnus liber est, nec indiget culpam confiteri. Velis ergo libenter tacere, & ab ociofis verbis cauere, quia longa fabulatio deuotionem extinguit, dissolutionem generat, tempus male expendit, conscientiam laedit, & alios offendit. Silentium est antiquum statutum religionum, a sanctis patribus introductum, & cum multa diligentia custoditum. Qui hoc leuiter frangit, deum & omnes sanctos grauiter offendit. Christus dixit, Sit sermo vester est, non non. Quod amplius est, a malo est. Breuiter ergo & plane loqui docuit, quando licet: sed quando non licet, tacendum est. Si vis bene seruare silentium, fuge publicum, & vade in secretum locum ut ores, vel ad cellam ut legas vel scribas. Melius esset ut legeres vnum psalmum vel orationem dominicam pro peccatis tuis vel amicis, quam si stares fabulando de materiis vanis. Non est vera recreatio dicenda ociari & fabulari, sed magis execratio nominanda, quando opus dei negligitur, & nugae recitantur. Vade ergo ad opus tuum, & labora in vinea dei pro denario aeternae vitae, ne tibi impropere paterfamilias, Quid hic stas tota die ociofus? Laudat scriptura bene operantem, remunerat Christus seruum fidelem, arguit pigrum & negligentem, iubet ab eo tolli gratiam concessam, & dari eam feruentius operanti. Veniet nanque tempus, quando non poteris amplius operari, nec vnum quidem verbum loqui praefirmitate. Hoc debes modo praecogitare, & semper de extre-

Psal. 118.

Secessus multum facit ad puritatem cordis.

Matt. 22.

Iaco. 1.

Matt. 5.

Neque ocio neque fabulatio recreatio est, sed execratio.

Matt. 20.

Luc. 12.

Luc. 19.

Operi vacandum.

Ioan. 9.

ma hora pauere, ne vacuū te inueniat. Vnde dominus Iesus discipulis suis dixit: Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quādo nemo potest operari. Quādiu in mundo sum, lux sum mūdi. Accipe ergo exēplum bona operandi à Christo Iesu, à sancto Paulo, à sancto Antonio, à sancto patre nostro Augustino, à sancto Hieronymo, à sancto Benedicto, à sancto Francisco, à sancto Dominico, & ab omnibus sanctis patribus, qui regulas monachorum scripserunt, & religionem instituerunt. Reuera multum isti in ordine laborauerunt, & pro vita aeterna duriter corpora sua castigauerunt, in ieiuniis multis, in solitudine & silentio, in vigiliis & orationibus, aliisque sacris deo placitis obseruatiis & laboribus domino seruiētes. Quid igitur? Autumas quōd tu fabulando & hincinde spatiando obtrinebis gloriosissimam coronam, quam sancti dei adepti sunt sanguinem suum fundendo, necnon grauissima tormenta tolerando? Nequaquam. Sed nisi poenitentiam egeritis, ait dominus Iesus poenitentiam praedicans, omnes simul peribitis. Dura sententia, sed utilis pro emendatione tui & disciplina seruanda. Emenda ergo vitam, & non timebis poenam, sed gloriam habebis aeternam.

Luc. 13.

De commendatione cellae & solitudinis. Cap. 7.

Solitudinis commedatio

Qui cellam amat, & libenter in ea commoratur, à multis peccatis & tentationibus custoditur. Quanto studiosius inhabitatur, tanto plus placet & amatur. Quanto negligētius seruat, & rarius intratur, tanto magis horretur & fastiditur. Bene illi qui eam diligit & incolit, quia vnctio spiritus sancti eum docebit. Beatus cui inhabitare cellam donatum est, & qui vsque ad terminum vitae suae in ea perseuerat. Vt illi, qui leui occasione eam deserit, & cui extra manere placet, quia cito seducetur & capietur & laedetur. Multi quia eam studiose non custodierunt, per varias occasiones inter seculi actiones proiecti sunt & male perierunt. Heu quōd tandiu in ea perseuerare nequimus, donec fructum maturum ex ea percipiamus. Sic se homo deberet tenere, quasi quotidie iturus in sepulchrum. Nam tali homini non est cella fastidium, sed pacis domicilium. Et sicut stabili homini cella est paradisus, ita vago carcer videtur & cippus. Bonum tamen est & laudabile si quis velit ibi propter deum incarcerari. Nam plures sancti martyres propter Iesum incarcerati & vncti fuerunt. Elige ergo ibi sponte ligari, vt sanctorum meritis possis coequari. Liget te potius timor dei quā ferrum, & charitas ma-

gis quā indicta necessitas. Si non amor, saltem timor dei te coerceat. Non es male ligatus, si timore inferni compunctus pro peccatorum tuorum poenitudine te incluseris. Male ligati sunt, qui corde & corpore euagari quaerunt. Bene ligatus est, qui deo professus est, & extra cellam ire inclinatus nō est. Si vis in ea durare, nunquam sis ociosus. Acedia & ocium expellunt monachum verbosum de cella. Amans silentium, & operans cum quiete, bonus erit custos cellae. Si tedium passus fueris, pro Christo agoniza, nec patiaris te expelli ex leui causa. Si miferis stabilis, cito vertetur carcer tuus in paradisum voluptatis. Sicut in carceribus pro Christo detenti, ab angelis sanctis frequenter sunt visitati, & abundantius consolati. Tu quoque si te in cella patienter pro Christo claueris, veniet tibi cito deo miserante lumen caelitus, bonae conscientiae gaudium, & magnum spiritualis profectus lucrum. Qui in cella residet, à multis periculis liber est. Qui foris vagatur, innumeris periculis patet. Bona cella neque ut sufficienter explicari, sicut nec detrimenta extra vagantiū. Custos cellae custos est linguae, non audit detractiones, non percipit rumores, non videt vanitates, nō trahitur ad leuitates. Bonus cellita aut legit, aut orat, aut gemit, aut meditat, aut scribit, aut corrigit libros, aut aliquid aliud boni operatur. Bonus cellita cuius est caeli, amicus dei, socius beatorum angelorum, cognitor secretorum, inspector supernorum, victor tetationum, expulso daemonum, bellator vitiorum, contemptor mundanorum, neglector curarum, possessor quietis, obtentor pacis, amator scripturarum, speculator veritatis, gustator puritatis, continuator orationis, collector sanctae meditationis, & destructor omnis euagationis. Cogita deum & te solum esse in mundo, & habebis magnam requiem in corde tuo. Memento quia angelus inuenit Mariam in camera sua orantem, non foris cum hominibus loquentem. Nam qui appetit caelestia secreta cognoscere, oportet eum ab hominibus elongari. Sic enim Moyses fecit, qui relictis hominum turbis, mansit solus cum domino in monte, vt legem domini suscipere mereretur. Haec quandoque perlege, vt dulcescat tibi inhabitatio cellae.

De choro & diuino officio peragendo. Cap. 8.

Chorus est dei & sanctorum angelorum locus sacratus, vbi diuinum agitur officium, praesentibus ecclesiae ministris, cum reuerentia & deuotione psallentibus. Sicut angeli in caelo, sic religiosi ordinati sunt in choro. Opus angelorum est deū semper laudare, opus religiosorum

religiosorum est intenta mente psallere & orare. Sic sta in choro & canta, quasi in medio angelorum stares. Recordare dilecti domini tui Iesu in praesepio iacentis, aut in cruce pendētis, aut in caelo ad dexteram patris, taquam corā eo assisteres & cantares. Ipse sit in corde tuo & in labiis tuis, ad pronuntiandum aperte & distincte verba spiritus sancti, cuius ope & arte diuinum officium ordinatum est. Statue Iesum ad dexteram tuam, & Mariam ad sinistram tuam, & omnes sanctos in circuitu eorum. Omnes fratres tui sint tibi taquam angeli dei. Et cum quibus nunc psallis in terris, spera etiam te cantaturum in caelis. Vita pura & conscientia libera gaudet in diuinis. Vagus & repidus homo cum tedium psallit & somno. Si viceris acedia, & cor ab euagatione restrinxeris, viam deuotioni paras, & semper in fine gaudebis. Multae curae suffocant verbum dei, & longae locutiones faciunt distractionem mentis. Quicquid homo ante exercet, hoc ipsi frequenter postmodum in oratione occurrit. Inimicus illuc non vadit, nisi vt zizania superfeminet. Deuotus choralis soli deo & sibi intendit, tanquam in caelestem chorum translatus & eleuatus esset. Finitis his quae in diuino officio celebrantur, non statim te effundas ad exteriora, ne perdas gratiam quam consecutus es orando, sed potius post vota laborum tuorum te collige, & in maiori gratiarum actione ab omni strepitu solus permane, ruminando quae audisti cantari. Quid prodest vna hora deum laudare, & altera secularia & inania pertractare? Noli preciosum fructum orationum tuarum, & laborem diuini operis, pro vilibus exponere iocis & nugis. Nam cito perit deuotio, quae non custoditur sub silentij freno. Quando autem tedium sentis ex longiori officio, pensa quod isto finito euolabis ad caelum. Et si hoc te non iuuat, memento quod leuius est tribus vel quatuor horis vigilare & cantare, quam vna hora in purgatorio arde- re. Magni quidem meriti est sacris canonicis horis interesse, & laudes dei alacriter cum multis fratribus persolvere in ecclesia sancta. Et si non possumus sine intermissione orare, aut cum perfectis contemplari, debemus tamen certis horis ad hoc deputatis omnem diligentiam adhibere, vt intente & deuote psallamus. Neque enim in tam sancto opere tibi ipsi solum proficis, aeternam à domino mercedem promerendo, sed etiam cunctis Christi fidelibus, & praecipue animabus defunctis prodesse potes, gratiam & veniam in quotidianis horis & missis implorando, & tanto plenius, quanto sapius & feruentius pro omnibus oraueris. Nam & pro quolibet verbo attente pro-

lato, iusto premio non priuaberis. Quicquid etiam negligenter persoluis, inde distincte punieris. Non enim est leue peccatum in praesentia dei & sanctorum vago corde stare, & ad sacra verba parum attendere. Heu quantae irreuerentiae est ibi inania dicta vel facta reuolueri, vbi omnibus praetermissis negociis solum diuinis congruit intendere actionibus & secretis? In hoc cognoscitur verus & internus religiosus, si in dei laudibus fuerit feruenter intentus, si nil cogitare libet aut agere, quam ea quae deo maxime placent, & cum angelicis spiritibus communionem habent. Et hoc est semper orare deum, scilicet ex toto corde laudare benedicere & glorificare, quemadmodum Dauid in psalmo dicit: Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Qui ergo à dei laudibus torpescit aut tacet, aut se absentat, non est amicus dei, nec cuius caeli, quia angeli semper in laudibus dei sunt, & voce consona, Sanctus, Sanctus, Sanctus, in laudem summæ trinitatis cantant. Qui etiam aues caeli recte nominantur, quia alarum suarum sonitu ad cantandum nos hortantur. Inter omnes operationes animae fidelis, non est tam fructuosus labor, & tam acceptabilis Deo seruitus, quam frequenter & deuote orare, & deum toto cordis affectu laudare. Vt igitur illis qui diuino amore non ca- lent, sed ad extraneas fabulas se conuertunt, qui nec orant, nec alios orare permittunt. Et vbi peccata sua emendare deberent, ibi veteribus malis noua superaddunt. Tales sunt qui ecclesiam tarde intrant, & citius exeunt. Qui breues missas diligunt, & longas epulationes exercent. Qui saturati lusibus delectantur & iocis, & pro beneficiis dei breues gratias vix debite soluunt, eò quod plus corpus quam animam pascere gaudent. Non sic autem faciat bonus religiosus dei seruitio mancipatus, sed memor omnium beneficiorum dei quae à seculo sunt, cum Iesu studeat pernoctare in orationibus, hymnos & psalmos canendo, sacras hostias offerendo, & deuotis meditationibus insistendo, & cor suum ad deum semper erigendo.

De discretionem in omni spirituali exercitio seruanda. Cap. 9.

Seruus dei cum discretionis moderamine somnia agere debet. Stude ergo viam regiam tenere, vt neque nimis laxus ad carnem, nec nimis rigidus per feruorem corruas ante finem. Si vis stabilem bene viuendi ordinem seruare, inter duo extrema per medium iter incede, vt nihil per arrogatiam ultra vires attētes, & quae commode agere praesuales, per inertiam non omittas. Non requirit deus à te cor-

In cella commorari qui saluus

Cella boni tenet

Luc. 13.

Exo. 17.

Finito faero officio qui se gerat psallens.

Contra tedium ebrepēs iter praecadum.

Psal. 33.

Angeli aues caeli

poris destructionem, sed vitiorum refrenationem. Non exigit aliqua impossibilia, sed salutis tuae vtilia. Dat sana consilia, prouidet vitæ necessaria, vt bene vtaris corporis seruitio ad animæ profectum, & in nullo excedas discretionis modum. Nam hodie currere, & cras lassum iacere, non est in via dei proficere, sed seipsum confundere, & profectum impedire. Nunc nihil velle habere, & cras superflua sumere, non est paupertatem diligere, sed cupiditatem fouere. Nunc necessaria reculare, & cras singularia querere, non est abstinentiam facere, sed gulam excitare. Nunc apposita nolle comedere, & cras de defectu ciborum murmurare, non est abstinentis animæ signū, sed impatientię monstrum. Nunc tam multū legere aut scribere, vt dolor capitis sequatur, non est animam pascere, sed impotentem ad alia bona opera reddere. Hodie nihil loqui, & cras dissolutum fieri, aut silentium frangere, non est zelum ordinis habere, sed multos in ordine scandalizare. Hodie tam alte cantare, vt cras nequeas resonare, aut vix os ad cantandum aperire, non est deum laudare, sed alios in choro turbare. Quiquid modum excedit, & discretionem non tenet, nec deo placet, nec diu durare solet. Necessarium est ergo in omni spiritali actione ad perficiendum opus debite inceptum, vt communem serues institutionem, & singularitatis caueas notam, atque in dubiis & obscuris causis, superioris sequaris consilium, & cum discretionis moderamine obedientiam custodias sine fictione. Sed in summo deuotionis gradu consistere, non est fragilitatis humanæ: & nimis ad exteriora declinare, & terrenis inuolui, non est profectus hominis spiritalis, sed perditio totius religiositatis. Quod si speciali gratia fueris à deo visitatus & inebriatus, hominem te noueris esse, non angelum, & carnis sarcinam adhuc gerere, non animæ stolam: datam gratiam recole, non innatam. Caue igitur ne velis sapere plus quam oportet sapere, sed gaudium tempera timore, nec velis altiora præsumere, ne postea humiliatus desperatione frangaris. Cum exterius laboraueris, & necessaria negocia tractaueris, non totus in visibilibus defluas, sed frequēti meditatione te sursum ad deum erigas. Pensa ad quid exteriora ista fiunt & exercentur, quia seruum dei iuuare debent non impedire, quatinus terrenis bene moderatis, ad æterna & inuisibilia facilius tendatur. Vt autem virtutem discretionis in operando, & donū sapientiæ possideas in vacando, melius hoc impetrabis deuote orado, & humiliter à deo petēdo, quam propriæ industriæ vel labori confidendo.

Oratio de felici consummatione in virtutibus. Cap. 10.
O Ro te domine pater sanctissime, qui omnia in numero, pondere & mensura fecisti, qui famulatum tibi debitum ab omni creatura rationali vis exhiberi, & præcipue in seruis tuis spontaneum seruitium diligis & exquiris, dirige actus meos spontaneos in beneplacito tuo, & ad imperium æternæ dispositionis tuæ rebelles motus carnis meæ reſte, & propriasque voluntates ex integro frangere mihi concede. Sic ordina cunctas affectiones meas, vt malas statim ab initio respuā, bonas fortiter teneam, pure diligam, reque sine corporea imaginatione contemplari discam. Sic tēpera vires meas & operationes exterius, vt non totus inhēream infimis, sed semper potens sim me conuertere ad interna, & sine graui contradictione ascendam ad cælestia. Sic me conserua in æternorum desiderio, in amore sanctarum virtutum, in fruitione cælestiū, vt tu domine deus ampliore inde habeas honorē, & ego salubriorē profectum suscipiā. Non mihi veniat ex tua visitatione pes superbiæ, nec me vexet pestis vanæ glorię. Non me sinas Satanę decipi illusionē, neq; falsa rapi dulcedine, nec priuata deuotione extra cōmunitatem recedere, neq; immoderata frangi exercitatione, sed da mihi cuncta cum discretionē agere, sine solerti consilio nil prætere, cum timore & reuerentia maiestatis tuę in conspectu tuo munde ac libere sine omni passione & corruptibilibus rerum affectione incidere. Da humilem & quietum spiritum possidere, effusum & immoderatum nunquam esse, nulli quoque creaturę vitioso affectu inhēre, sed tibi soli cor meum mundum & tranquillum conseruare, vt semper ad cælum mente erectus, & tibi deo meo secreta intērus, à nulla re visibili capiar, sed verumūdi contēptor permanē. Sic exteriora pro loco & tēpore da cōgruenter perficere, vt nullū interioribus meis sint detrimentū, sed omnis labor & actio pro te assumpta, ad liberius postmodū vacandū iuuamen mihi præstent & ducant. Omne etiā quod ago exterius, aut quicquid interius intelligere possum, da mihi simpliciter & pure pro maiore nominis tui honore, & beneplacētioris voluntatis tuę amore perficere, meq; ipsum tibi in omni re desiderabili aut naturæ contraria prompte resignare, patienter quoque presentis vitæ sarcinam quoadusque iusseris, & meæ vocationis terminus venerit, perferre, corpus quoque & animam tibi creatori meo fideliter commendare. Memento mei deus in hora extremæ necessitatis, & fac misericorditer cum seruo tuo, qui non

non in meritis meis, sed in tua miseratione & pietate confido.

De charitate dei & proximi, & odio vitiorum. Cap. 11.

DEus est beatitudo animæ, nec vlllo bono creato fit anima beata nec veraciter sapiens, nisi deū super omnia amādo, & omnia infra deum ex corde vilipendēdo. Vnde Paulus dicit. Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christū lucrificā. Caritas nobilis est virtus & ex deo nata, quę animā quam replet, cælestem facit, & mundo alienā. Caritas odit vitia, damnat delicias, persequitur malū, & vim facit naturæ, vt vincat quicquid deo & virtutibus est contrarium. Sicut aqua & ignis contrariantur, sic charitas dei & amor mundi nō sociātur. Quanto magis seipsum quis vincit, & defectus suos emendat, tanto plus amor dei in eo crescit, & carnis affectus marcescit & decrescit. Qui male se habet, & de hoc nō dolet, sed incorrigibilis manet, lædit charitatē, & dissipat bonum pacis. Non est aptus ad concordiam, nisi qui relinquat suos peruersos mores, quibus offendere potest deum & secum habitates. Si vis habere charitatē dei, & seruare pacem inter fratres, frange propriam voluntatem, & nihil age per elationē, sed in omnibus humilia temetipsum. Via ad charitatē est, descēdere per humilitatē. Nā qui elare de se sentit, longe à charitate recedit. Sæpe putatur esse charitas, & est magis carnalitas. Libēter bibere vinum, & loqui cū foeminis, caro est. Laute comedere, & ornate vestiri, caro est. Diu fabulari & parum operari, caro est. Raro orare & frequēter foris vagari, caro est. Ad mensam festinare, & ad ecclesiam tardare, caro est. Ille veram probatur habere charitatē, qui funditus odit mūdi vanitatē, & carnalē fugit familiaritatē. Sancta quippe charitas nō querit in hominibus solatium terrenum, sed spirituale profectum. Nam animā potius pensat ad dei imaginem factam, carnem vero ad malū procliuam refugit vt sibi nociuam. Caritas non debet dici, vbi zelus non est iustitiæ, nec feruor disciplinæ. Quisquis deum & proximum veraciter amat, iniuriam dei & animarum dānum dissimulare nō debet. Pax cū virtutibus bona est, cum vitiis vero nunquā, sed semper defectus emendantur, & vitia cito rescantur.

De abstinentia & castitate. Cap. 12.

Sobrius victus & potus, sanitas est animæ & corporis. Inopia rerum, paupertatem docet amare. Rara virtus continentia in deliciis. Abūdentia temporalium occasio est iurgiorum, & mater vitiorum. Tūior est castitas in

paupertate, quā in diuitiis multis. Corporalis egestas, medicina est animæ fidelis. Dolor cordis prohibet risum, & timor dei oculos claudit petulantes. Sicut nocet visus impudicus, ita impedit auditus de inhonestis. Cauendū est animæ sanctæ de corporis propinquatione, quia caro cito afficit carnem. Diligere pulchra, & appetere mollia, nō est pro virtute castitatis. Qui autem abiecta & amara amplectitur propter castitatē, potest facilius vincere carnem. Quanto enim caro plus premitur, tanto spiritus plus eleuatur. Qui se elongat ab omni tactu corporis, percipiet in anima suauitatem castitatis. Qui diligit solitudinem, purior erit à sorde mundanorum. Qui reputat corpus suum carcerem esse animæ, non curabit illud ornare nec ostentare, quia cito conuertetur in lutum & foetorem. Exteriora hominis cōsiderare, & in pulchritudine vel fortitudine gloriari, vanissimum est & vitiosum. In multa abstinentia & castigatione corporis conuersati sunt sancti, & pro afflictione præfenti receperunt consolationem spiritus sancti. Non est dignus à deo cōsolari, qui in trāstoris bonis delectatur, & de pœnuria contristatur. Qui patienter sustinet laborem & dolorem in seruitio Christi, recipiet plenam mercedem etiam pro minimo passo. Castitas multos habet impugnatores, sed qui veraciter se humiliant, & deum adiutorem sollicitè quarunt, ac sensus suos caute custodiunt, victoriā Christo duce obtinebunt.

De vtili exercitio in vita & passio-
ne Christi. Cap. 13.

Primum exercitium & suauissimum solatium quod in hac vita potest haberi, est vita & passio domini nostri Iesu Christi, quia tam in vita actiua quā in contemplatiua perfectissime hominem docet sine errore & multis argumentis, quod in aliis scientiis raro inuenitur. Igitur firmissima & tutissima via ad perfectionem, & mentis illuminationem, atque æternę vitæ introductionem, est conformari filio dei in omnibus virtutibus & moribus eius. Disce ergo ad eius amorem, & honorem cuncta exercitia tua trahere & ordinare, & tanquam præsentem Iesum in omni loco & tempore attende, & cum multa reuerentia & singulari deuotione ad auditionem & prolationem dulcissimi nominis eius Iesu, caput humiliter inclina, genua flecte, & cum omnibus angelis & archangelis & vniuerso coetu sanctorum, maiestatem eius atque diuinitatem adora, benedic, & collauda. Et hoc est Christum per fidē & dilectionē habitare in corde tuo, oculos mentis ab eius imaginatione nunquā auertere, ad eius beneplacitū. Ephē. 3.
Christū habitare in nobis quid.

Carnalitas sepe obtrudit specie charitatis.

Vitā & passionē domini quātum proficit meditari

Liber primus

citū semper tendere, & nihil eius amori præponere, sed quicquid boni audieris vel legeris, aut feceris, in ipsum totaliter reducere & finaliter referre, quia ipse est fons vitæ, & sapientiæ, & disciplinæ, apud quem non perit nec minima cogitatio de eius memoria habitata, nec vacua erit oratio ad eum cum gemitu fusa. Conforma ergo te sanctissimæ vitæ Iesu, eius paupertatem, humilitatem, patientiam, & contemptum in hoc mundo pro tuo modulo imitando. Pensa qualiter ab initio sanctæ natiuitatis suæ vsque ad exitum mortis in cruce pro te laborauit, pro te sustinuit, & se totum tibi impendit, quod nullus angelorum, nec aliquis sanctorum fecit, vt merito super omnia diligendus sit, & sine intermissione recolendus, ac summo cum honore venerandus. Istud beato Paulo sapuit super omnem sapientiam & doctrinam, cogitare scilicet Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et si alia multa nouerat vel legerat, nil tamen ea existimauit ob eminentiã passionis & charitatis Christi, quæ tanta est, vt nulla creatura possit ei digne vel pro minimo puncto regratiari. Ideoque omnibus postpositis rebus mundi, & subactis carnis passionibus, dicebat idem deo iam plenus, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. O dulce & salutare verbum, nunquam obliuioni tradendū. Quam felix & sancta anima, quæ hoc dicere potest, cui Christus totum est quicquid viuunt, quicquid sapiunt, quicquid legunt, quicquid intelligunt, quicquid credit, quicquid sperant, quicquid amant, quicquid cogitant, quicquid loquuntur, quicquid boni operantur? Vere viuunt & beate viuunt, cui Christus est omnia in omnibus, & super omnia singulariter dilectus, qui magis in Christo quam in seipso manet, nihili seipsum pendens, sed in Christo dulciter ac fruitiue quiescens. Sic viuere est Christo viuere, & hoc est sibi ipsi mori, & a seipso deficere, & maxime lucrari, quia hoc est mortem perdere, & vitam æternam inuenire, in Christo Iesu domino nostro. Talis anima licet adhuc sit in mūdo, & carnis nube tecta, & diuersis molestiis pressa, tamē sursum mente habitat in cælo, vbi Christus est in dextera patris sedens, ad quem quotidie suspirat, desideranter que tendit, & donec obtineat, laborare & orare non desinit.

De cōmemoratione & inuocatione beatissimæ virginis Mariæ. Cap. 14.

Gloriosa virginis Mariæ benedictæ matris Iesu memoriam agere per omnia decet, cuius meritis & precibus quotidie te cōmendare debes, & ad ipsam in cunctis necessitatibus confugere, sicut filius plagis percussus ad matrem suam dilectam. Nam dulce

nomen Mariæ fiduciam donat inuocanti & nominanti. Et ipsa consequenter parata est loqui verbum bonum ad filium suum Iesum pro anima tribulata & miseriam patiente. Nisi enim Maria quotidie cum sanctis in cælo pro mundo oraret, quomodo mundus adhuc stare posset, qui tam multis peccatis deum offendit, & tam parum se emendat? Inuocanda est ergo Maria ab omnibus Christi fidelibus, à iustis & à peccatoribus, & præcipue à religiosis & deuotis personis, qui continentiam propositum tenent, & per sancta desideria ad cælestia anhelant, & nihil cum mundo habere vel agere volunt. Sed quid petendum est? Primum pete remissionem peccatorum tuorum, deinde continentiam virtutem, atque humilitatis donum deo gratissimum, vt semper humilis in conspectu dei inueniaris, vilisque & abiectus desideres reputari, nec de aliquo bono velis gloriari, ne perdas totū quod videris habere. Dole quod tam lōge es adhuc à veris virtutibus, à profunda humilitate, à sancta paupertate, à perfecta obedientia, à purissima castitate, à deuotissima oratione, à feruentissima charitate, quæ omnia plenissime fuerunt in Maria matre Iesu. Ideo procide ad pedes eius, sicut pauper & mendicus, vt saltem minimum gradū de his virtutibus obtineas, qui ad summum ascendere non vales propter desideriam tuam. Quicquid habere desideras, per manus beatæ Mariæ humiliter roga, quia per eius gloriosa merita iuuantur qui in purgatorio sunt & in terra. Magna gratia, magna gloria eius in salutari suo Iesu super omnes sanctos in cælo, sed totum pro omnibus nobis qui degimus in mundo. Secure ergo fidelitati eius te cōmitte, cuius orationes deo sunt acceptæ, nil aliud tamen petens nec quærens, nisi quod ipsi & dilecto filio eius placet, & salutari tuæ expedit, prout ipsi melius noscunt. Pro peccatis orare & cor in humilitate custodire, multum placet deo & beatæ virgini. Nā ipsa de sola humilitate gloriata est ante deum, & de cæteris tacuit, & quantamcunque gratiam habuit, ab humilitate non recessit. Ergo, Oret voce pia pro nobis virgo Maria, Vt digni simus gratia, amore, dei. Amen.

De suffragiis sanctorum sedulo petendis. Cap. 15.

Sanctorum cum Christo regnantium suffragia instanter petere non negligas, quia (sicut cernis) in valle lachrymarū degis, & inter hostes quotidie versaris, & adhuc longè à deo pegrinans. Stude ergo cū sanctis & amicis dei tēpore incolatus tui amicitiam facere, & ad eos specialē familiaritatem habere, & hoīm notitiam

tiā & allocutiones inutiles declinare. Melior est tibi vnus sancti oratio, quam omnium secularium amicorum visitatio. Plus te consolabitur Christus in silentio, quam longa hominum loquacitas in conuiuio & risu multo. Habet iustus internum gaudium, quod non percipit animalis homo inhians terrenis. Si paupertatem & simplicitatem diligis, aderit tibi frequenter Iesus cum angelis sanctis, et si non manifeste, tamen inuisibiliter & occulte consolabitur te in scripturis. Beatus qui recreationes suas quærit non ab hominibus, sed in lectionibus sacris & precibus deuotis ad bene viuendum & ad cælestia amanda, sicut fecerunt sancti visibilia contemneres. Qualis vnusquisque est, tales etiam socios diligit, deuotus deuotū, pudicus pudicum, sanctus sanctum, vagus vagum, dissolutus quærit dissolutum. Si ergo desideras cum sanctis regnare in cælo, oportet te multa pati pro deo, & cū sanctis humiliari in mundo, quia parum prodest sanctos labiis honorare, & moribus impugnare. Si vis deo & sanctis placere, doma carnem, frange propriam voluntatem, certa contra vitia, labora pro virtutibus, inspice vitam sanctorum, lege doctrinam eorum, vt cum sanctis sanctus fias, & à sanctis erudiaris, per sanctos adiuueris, à sanctis exaudiaris, cum sanctis coroneris. Placet eis frequens gemitus in cælo, dolor pro peccatis, silentium oris, firmiter propositum emendandi, desiderium proficiendi, patientia in aduersis, gratiarum actio pro beneficiis collatis. Delectat etiam sanctos cantus deuotus, alacritas in vigiliis, laus psalmodiæ, confessio peccatorum, postulatio veniæ, celebratio missarum, orationum lachrymarum, & omnis obseruantia regularis disciplinæ. Qui ab istis bonis tepescit & recedit, perdit deuotionis gratiam, nec est deo acceptus, nec angelis charus, sed deo & sanctis omnibus contrarius. Nam qui ex deo est, verba dei audit, verba dei libenter legit & scribit, libenter vigilat & orat, libenter abstinet & laborat, libenter tacet & deo vacat, libenter est in cella & in ecclesia, nunc istum, nunc illum sanctum inuocando, & flexis genibus gratiam postulando pro passionibus vincendis, pro tentationibus resistendis, quibus adhuc grauius impugnatur, vt eorum precibus gloriosis deuotus permaneat, & post huius vitæ agonem ad æternæ quietis mansionem pertingat, vbi oēs sancti cum Christo feliciter regnant. Non enim erit frustra petitio coram sanctis, quæ pia intentione eis offertur ad honorem. Nā qui tam sedulo orauere pro inimicis suis, dum premerentur ab aduersariis, quanto libentius nunc orabunt pro suis supplicibus, vt sibi

citius valeant associari in cælestibus gaudiis, quos norūt in dei seruitio quotidie laborare, & pro æterna vita multis suspiriis & lachrymis Christum orare? Dat magnā fiduciam rogandi sanctos, quod & ipsi fuerūt homines mortales & peccatores, multis criminibus & variis passionibus dudū inuoluti & grauati, sed per gratiam dei liberati & iustificati maximas nūc gratias Christo referūt pro omnibus malis quæ euaserūt, læti in æterna beatitudine, quā gratia diuina opitulante percipere meruerunt.

De desiderio animæ ad cæleste regnum, Cap. 16.

Vnicum & singulare desiderium sanctorum in hac vita fuit, nihil cōmune habere cum hoc seculo, sed per contemptum terrenorum tendere semper ad presentiam Christi, & consortium angelorum. Vnde & beatus Paulus vehemens amator Christi, omnia terrena perfecte despiciebat, & ad cælestia exestuans dicebat, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Non est omnium tale desiderium, sed perfectorum, qui dicere possunt, Nostra conuersatio in cælis est. Nam valde pauci ita nudati inueniuntur, quod totum affectum suum ad æterna erigunt, & de terrenis diuitiis & honoribus nihil ambiunt. Qui autem amore Christi accensū in paupertate & contemptu sui gaudent, atque cor in humilitate deprimunt, & de paruis negligentis etiam stricte seipos reprehēdunt, qui necessaria vitæ sobrie & cum timore capiunt, & potius minus quam amplius requirunt, hi sunt veri contemptores mundi, & amici dei ad patriam festinantes, parati de corpore exire, & ad Christum citius peruenire, non habentes quod possit eos in seculo delectabiliter retinere. Felix anima, cui tale desiderium inest, & per singulos dies feruorem addit feruori, non desistens orare & clamitare ad Christum, donec aperiat sibi porta cæli, & ingrediatur regnū dei cunctis fidelibus promissum. O beata patria, vbi perpetua lætitia, pax summa, clara dei notitia, charitas perfecta, & beatitudo cōsummata. Ibi melior est dies vna quā hic mille milia, quia ibi pœnuria nulla, hic miseria multa, pax rara, cognitio parua. Quid miserum loqui possunt de felicitate superna? quid mortales capere sciunt de æternitate vera, & vita sempiterna, nisi sub quadam caligine & scripturarum velamine tecta? Gemat ergo anima fidelis mundi circumfusa tenebris, ad gaudia lucis æternæ, ad societatem patriæ cælestis indefinenter oculum mentis sursum eleuans, vbi Christus est in gloria patris per æterna secula regnans. Amen.

c iiij

1. Cor. 2.

Philip. 3.

Philip. 1.

Meditatio i verbum D. Pauli.

Amani quid petendum est?

sancti quomodo colendi.

Ioan. 2.

Luci.

Desiderium sanctorum in hoc seculo quod

Philip. 1. Philip. 3.

De disciplina claustralium liber Secundus:
Cuius hæc sunt capita.

- De feruida exhortatione ad virtutes. Cap. i.
- De firmo proposito seruando per diē. Cap. ii.
- De eleuatione & directione cordis in deum. Cap. iii.
- De custodia cellæ & sensuum exteriorum. Cap. iiii.
- De hora surgendi, & de diuino officio. Cap. v.
- De refectorio & cibis sumendis. Cap. vi.
- De fabulis & ocio vitandis. Cap. vii.
- De beneplacito dei & confidentia in aduersis habenda. Cap. viii.
- De examinatione conscientie completorio finito. Cap. ix.
- De scrutinio conscientie in speciali. Cap. x.
- De hora dormitionis & nocturnæ quietis. Cap. xi.
- De virtute sanctę obedientie. Cap. xii.

De feruida exhortatione ad virtutes. Cap. i.

1 Phc. 4.



Enouamini autem spiritu mentis vestrę, ait beatus Paulus apostolus. Solēt deuoti religiosi bona habere exercitia, quibus ad spiritualem profectum & virtutis amorem cotidie excitentur. Tales secretū petunt, & tumultus fugiunt populares: vitam suam cotidie discutunt, & si in aliquo offenderint, mox illud digna contritione purgare nituntur. Vigilāt circa cogitationes suas: quibus affectionibus mouentur animaduertunt, atque contra euagationes cordis frequēti oratione, ac sacrę lectiōnis meditatione se muniant, & dicunt: Viā iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei. Necessē est enim cor in diuersa rapi, & vitis repente fordidari, quod internis ac deuotis exercitiis non insistit. Omnium exercitiōrū primum, & ad purgationem mentis vtilissimum est passiones vtriorum agnoscere, & remedia eorum à deo cū gemitu & lachrymis postulare. Nam pauperes, ægroti, & corporis vulneribus afflictī, luctuosīs precibus opem curationis à transeuntibus sedulo petant: Misericors autem & pius dominus non despiciet orationē contriti spiritus pro æterna salute gementis. Habeas igitur exercitia tuę conuersationi congrua, quę te instruant, renouent & accendant. Non debent hæc peculiaria excludere communia, sed ad ea promptiorē te magis reddere, vt in nullo detrimētum internę pacis incurras. Quod si ab inceptis tuis occasione aliqua impeditis: quanto citius vales, stude ad te ipsum habere recursum. Frequēter etiam tuū inspice libel-

1 Psal. 118.

lum, vt clarius tibi innotescat internus profectus tuus, siue defectus. Secundū gratiam tibi datam præforma institutionis tuę normam. Nemo melius instruitur ad omne bonum, q̄ spiritu sancto intus agente, cuius vnctionem mitis & humilis facilius promeretur. Sapiētis est ordinare vitam suam, & debitum actibus suis imponere finem. Oportet etiā conuenientia media inquirere, quibus ad principale perueniatur intētum. Plus proficit vna determinata actio sapientis, quā magna occupatio stulti. Qui importune & inconsiderate agit, facile offendit, & dolebit ipse offensus. Qui autem matura vitur prouidentia, de salubri semper sine gaudebit. Esto memor proprię fragilitatis, etiam dum bene tibi successerit, & altum de te sapere noli. Est qui elatos humiliat, deus malleus superbiorum.

De firmo proposito seruando per diem.

Cap. 2.

Omni mane proponendum est qualiter dies præsens vtilius expendatur. Contra vitia quę magis infestant, diligētiorem adhibe curam. Quotidiana exercitatio gratię meretur augmentum, & perseuerantia boni ad virtutis culmen ducit agentem. Forte vltima dies ista, forte nouissima hora, forte cras non te inueniet. Custodi propositum, tempus negligere noli, non redit hora transacta. Certa bonum certamen. Ora pro gratia, & dabitur tibi de cælo victoria sancta. Stude minora vincere, ne ad deteriora labaris, ignauia præualeat. Semper lex dei in corde tuo versetur, gratiarum actio & vox laudis ab ore tuo non tepescat. Omne tempus cum deo non expensum plange velut amissum. Caue ociosos texere sermones, & inutiles circuitus deuota per ædes. Stet in ostio cellæ pro signo notabile breue, quod te præmoneat exeuntem, & redarguat diu tardantem. Periculum tuum inter homines multos. Orto iam die benedic creatorem cæli & terrę, qui adhuc spatium bene viuēdi concessit, & solem suum pro variis vñibus super te oriri fecit. Christus viuere tibi sit, & cuncta opera tua ad Christi dirige laudem. Ipse spes tua tota, & præmium æternale quod expectas: gratiam autem humanā non queras nec affectes. Si nō vis decipi, noli laudibus stultis delectari. Nouit deus cor tuū, quā impurū sit & vanum. Non credas adulantī, sed potius increpātem ausculta, qui bene consulit dum tua corripit errata. Habeas semper ad manū orationis vsus, contra omnia aduersantia inuincibile scutum.

De eleuatione & directione cordis ad deum. Cap. 3.

Ante

De custodia cellæ & sensuum exteriorum. Cap. 4.

Custodi diligenter cellam tuam, & custodiet te. Turtior locus nō est seruo dei in hoc mundo, quā late in secreto, vbi patrem oret libera mente, ostio cubiculi clauso. Periculosus est exitus cellæ, mansio eius quies deuotissimæ vitæ. Qui assuescit cellam suam incolere, cito pacem cordis hauriet, & tutabitur à periculis maximis & multis. Solitudo deuotionis est mater. Turba vero, cōturbat. Christus qui non potuit impediri à turba, declinauit tamen à turba. Vita solitaria deo & angelis grata, pacis est semper amica. Qui potest capere capiat. Solitarius regnū dei in silentio habet. Finis religiosi est, omnibus terrenis abdicatis, deo vacare in puritate cordis, & custodia oris. Fortis qui cōtemnit seculū, fortior est qui vincit seipsum, abnegando omne proprium, propter Christum sponte pauper effectus. Si non vis distrahi & lædi, noli alienis rebus implicari. Quod tibi non est commissum, taceat super hoc os tuum. Si videris geri non recta, ne temere iudices tamen facta tibi ignota. Bene delibera antequam loquaris, ne capiaris in verbo. Caue à frequēti exitu, & vbi opus nō habes, ne accedas. Si obediētia iubet, vel utilitas requirit, vade cum decenti disciplina, & cito reuertere ad tua secreta. Foris oculos custodi, aures obtura à rumoribus, refrēna linguam, & bonam meditationē assume. Antequam ex eas, orationem præmitte pro diligenti viæ custodia: lege, Dirige domine deus meus in conspectu tuo viam meam. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueātur vestigia mea. Iesus & Maria sint semper mecum in via. Inter omnia opera tuā memor sis dilecti tui Iesu cuncta cernētis sub cælo, qui corda rimatur in omnibus locis & horis. Si non vis irretiri, noli circumspicere multum. Oculi duces sensuum, cito cor vagū inficiunt. Quid prodest videre quod non licet habere? Foris sepe hauritur, vnde interior homo maculatur. Difficile est res pulchras videre, & nō affici visis. Imago semel inspecta, & non statim expulsa, aut noxam generat, aut rixam in corde carnali. Ad cauendum ergo laqueos apertos vel occultos, libentius sis intus quā foris. Rediens itaque ad cellam tanquam ad tranquillitatis portum, fige in ea stabilitatis anchoram, per orationem feruentem, & lectiōnem deuotam. Non enim patitur cella tepidum & ociosum in se diu morari. Flecte statim genua deuote, vel caput inclina ante crucifixum, & saluta præcipue Iesu matrem Mariam dominam nostram.

1 Psal. 16.

1 Matt. 12.

1 Psal. 119.

1 Psal. 31.

1 Lucæ. 7.

1 Psal. 50.

Ante opus externum, prius eleua cor ad deum, quicquid boni feceris aut dixeris, memor videlicet quod sine eo nihil boni poteris facere aut dicere: & si quid feceris aut dixeris, non magnipēdes, sed inutilem seruum te veraciter reputabis. Offendit enim oculos diuinæ maiestatis, etiam leuis elatio cordis. Vtinam saltem vel vnam diem vel mediam horam cum deo integre expendas. Heu nimis instabilis es & impurgatus, vbi etiam deuotior esse deberes. Opere finito aut horis persolutis, gratias age deo de bene peractis, & de negligentis interuenientibus veniam flebiliter pete. Magna ablutio est delictorū humilis veniæ deprecatio coram deo, & sanctis angelis eius. Ad singulas horas dic salutationem angelicam, aut quod facile te recolligat cum deo, & citius inflammet. Qui non colligit mecum (inquit Iesus) dispergit: & qui non est mecum intus collectus, contra me est, vagando in externis. Hic enim prior est ad malum, infirmiorque ad resistendum, quia intima sua reliquit & deum. Nomen Iesu & Marię crebro in ore, semper in corde sit pro solatio. Primo in externis senties quātum profuerit tibi amor Iesu internus: Sanctorum quoque nomina, cum omni reuerētia inuoca & honora. Mira deuotorum experimenta fidem præbent verbis ostensis. Nec pigeat dicere aliqua suffragia, cum festū agitur in ecclesia sancta. Homo tristis & grauatus ad amicos accedit sibi magis fideles, & ergo ad dei sanctos humiliter accede, & cum bona fiducia necessitatem tuam precādo reuela. Licet enim modo in magna sint gloria, fuerunt tamen aliquando in nostra miseria. Norunt ergo miseris charitate pleni plenius misereri. Siue intus sis, siue foras transferis, anima tua in manibus tuis sit semper, Deus autem semper in corde tuo, siue res sint tristes, quoniam iuxta illud Psalmistę, Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me, dominus nobiscum est in tribulationibus: siue sint lætę, quia ipse est qui lætificat iuuentutem nostram, ipse est in quo sincere gaudēdum, iuxta illud: Lætamini in domino & exultate iusti. Non enim est vera aliunde exultatio: vnde beata virgo, Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo. Vnde & psalmista, Redde mihi lætitiā salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Memor ergo sis si gaudere vis, vt in domino gaudeas. Nec propositi tui hodierni obliuiscaris, quod heu nimis cito per incuriam perit. Oculi tui super vias tuas, quia vbique sunt insidię hostis maligni, ad capiendas animas vagas.

Dicito attente, & replica sæpe hunc versum: **Psal. 137.** Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniã elegi eam. Domine bonum est nos hic esse, super omnia desiderabilia terræ, locus enim iste sanctus est. Quãdiu ergo spiritus tuos rexerit artus, sit cella requietionis tuæ domus ac tumulus, donec aperiatur tibi paradïsus cælestis. Est enim via breuis de cella ad cælum, si in ea cælicam duxeris vitam.

Deinde gestus tuos retracta, quid operatus sis foris, & locutus. Plange quòd tam fragilis sis, quòd leui etiã motu resilis à proposito sancto. Quid lucratus es, si deum perdidisti propter fabulas? Ecce sine deo omnia vanitas, meditari autem de deo mira mentis suauitas. Utinam damno tuo erudiaris ad cau telam ampliorem foris habendam. Redi tandem ad teipsum licet inquinatus & distractus, recupera in secreto quod in publico foris amisisti. Heu raro exitur sine periculo, rarius sine culpa reditur. Reuersus gemens tace, & omnia tibi nociua excludere. Memor sis dei solius: nec te moueat decætero spatiandi discursus. Vidi frequenter euagantes, & nullum fructum inde ferentes. Tempore laboris vel scripturæ, ad breues orationes recurre, rumina ex psalterio versiculum, aut euangelicum repere verbum, quod te commonefaciat, & tædium expellat. Oportet vt sis diligens operator, aut feruens orator, si in dei seruitio proficere vis, aut perseuerare intendis. Quauis igitur sepissime euagationes patiaris mentis impura, ad solita tamen orationum & bonarum meditationum studia citius te conuerte. Omni die specialem articulum de passione Christi assume, necnon memoriam beatæ Mariæ virginis tuis interfere exercitiis pro deuotione collectis. Libenter sacros codices scribe, quatinus libro vitæ merearis inscribi, & à Christo pro modico labore perenni præmio ditari.

De hora surgendi & diuino officio.

Cap. 5.

Quia igitur religiosus es, idcirco altioribus sanctitatis studiis obligaris. Recedat igitur somnolentia ab oculis, torpor euanescat & mollities carnis. Virilem animũ induc, ad diuinum opus perge mature. Esto paratus ad singula quæ noueris esse facienda, erit enim merces operi tuo magna, & gloria infinita. Cũque fuerit hora surgendi, ne tardes in lecto, sed assuesce surgere cito, & signa te sanctæ crucis signaculo trino. Recordare verbi domini Iesu discipulos excitantis: **Lucæ. 22.** Surgite (inquit) vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. **Rom. 13.** Lege & Pauli verbum: Hora est iam nos de somno surgere, & aperti sint

oculi nostri surgere ad Christum. Pulsato ad chorum signo, occurre tempestiue cum primis, & loquere cum regibus sanctis. Hoc signum magni regis est. Eamus & quæramus eum. Sta in choro cum metu & reuerentia, & psalle nomini domini altissimo. Sis integre tibi collectus, ac deo firmiter intentus. Diligenter ausculta dei verba quæ ibi leguntur & cantantur. Noli tædio vinci: sed coge corpus spiritui seruire. Datur frequenter gratia noua deuote psallenti. Si non ad primum oris tui sonum lectio sapit aut psalmus, expecta domini gratiam, & perseuera vsque in finem. Veniet incunctanter dominus, & visitabit desideranter ad se clamantem. Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum in omnibus quæ audieris & legeris. Et scies quia multiplex lex eius, & beatus quem ipse docuit testimonia sua ad faciendum. ea omni tempore, cum diligentia magna. Inclinationes & prostrationes & alias bonas consuetudines cum omni humilitate obserua, quibus torpenti corda excitantur, ne dormitent præ tædio corpore lasso. Nam cuncta si debite agantur, ad meritum non exiguum deputantur. Ipse dominus noster Iesus Christus instante hora passionis suæ, flexis genibus & vultu prostrato orauit ad patrem. Sanctus quoque protomartyr Stephanus positus genibus pro lapidantibus se supplicauit. Beatus Petrus apostolus curuatis in oratione genibus, viduam mortuam suscitauit. Maria Magdalena inclinans se & prospiciens in monumentum vidit angelos sanctos. Sta ergo reuerter sicut docet Christi seruum, aut prosterne te humiliter vt oportet, nihil prætereundo quæ sacra institutio iubet. Pigritiam in sedendo, & leuitatem in eundo vel stando vbique deuita. Modestiam cū religiosa hilaritate prout religioso congruit, moribus ostēde, ne aut distraharis ab astantibus, aut aliquid confuse ibi agentibus perturbabis. Respice coram te, & diuinis sic fixe intende arcanis, vt non mouearis diabolico instinctu, cuius astutia sæpe confusio fit & risus ex leui facto & modico tumultu, quod lamentandum est, & omni modo præcauendum. In loco sancto quicquam temere agere impune non cedit. In præsentia dei, & angelorum frequentia, nil præter diuina cogitare licet, nulla terrena pertractare decet, præcipue in horis & missis ad deuote canendum & silenter orandum deputatis. Transiens per ecclesiam & cœmeterium, recordare obitus tui diem tibi ignotũ. Intuere quoque sepulchra mortuorum, quos sequeris in breui, humo simili operiendus, & obliuioni tanquam mortuus à corde tradendus.

us. Terra es, & in terram ibis, hominum pedibus mox conculcandus. Memento vltimi finis, ecce cuncta velut umbra declinant, & in interitum vadunt.

De refectorio & cibis sumendis. Cap. 6.

An te refectionis horam nõ negligas pro benefactoribus & amicis defunctis orare. Hoc enim pium est & valde salubre, ad quod teneris ex debito fraternæ charitatis, & iure diuino pro beneficiis tibi impensis. Sicut tibi fieri optas post mortem, ita te nunc exhibeas amicis defunctis in celebrando & orando fidelem. In mensa recordare dominicæ cœnæ, quid Christus dominus egerit & dixerit discipulis suis. Sit prælatus tuus in medio fratrum tuorum tanquam verus vicarius Christi, reliqui fratres conuescantes sicut veri apostoli sancti. Ordo quippe tuæ professionis ex apostolica vita sumplit exordium, sicut docet regula beatissimi patris nostri Augustini. Attende sacræ lectioni magis quam epulis sumendis: & ne appetitus gulæ alliciat nimis & incresecat, amarum fel Christi & acetum in cruce potatum tuis poculis intermiscere. Ante sumptionem cibi, leuatis oculis mentis in cælum ora cum propheta: Cibabis nos domine pane lachrymarum, & potũ dabis in lachrymis in mensura. Modeste & cum timore dei comedendum est, quia elemosinæ fidelium sunt, & labores egenorum. Semper ad commune refectorium vadas, quia ibi maior animæ fructus, & puriori inde conscientia cum gratiarum actione prandio facto resurges. Ibi cum debita mensura, cum maiori disciplina necessitas sumitur naturæ, & superflua refecantur. Ibi susurrata nullatenus audiuntur, sed verbum dei sine murmure cum silentio pertractatur. Qui autem in priuato libenter comedunt, infirmitate non cogente, aut disciplinã fugiunt, aut gula vincuntur. Officiales propter hospites & necessitates vrgentes sæpius adesse non possunt. Bonum tamen exemplum in edendo & loquendo aliis dare tenentur: ne occasione officij liberiores effecti extra disciplinã tendat, qui ceteros sub disciplina seruare iubentur.

De fabulis & ocio vitandis. Cap. 7.

Prandio facto, ori tuo frenum impone, quia tunc promptior est homo ad loquendum & ridendum. Memor sis pauperis Lazari ab angelis in sinũ Abraham deportati, qui hic in egestate magna & doloribus vixit. Diues autẽ diuitiis & scurrilitatibus vacans, sepultus est in inferno, nunquam inde exiturus. Disce formam vitamque Iesu in omni humilitate & simplicitate cordis imitari. Tolle cottidie crucem tuam, vincendo tuos de-

fectus, ac tentationibus viriliter resistendo. Nam corpore refecto caro plus tentat, ideo laboribus & studiis est refrenanda diurnis. Si grauiora non potes agere, fac libentissime parua. Nunquam ocio vaces, nec fabulationibus delecteris. Custodiam tibi, & bonum exemplum fratri exhibere teneris.

De beneplacito dei & confidentia in aduersis habenda. Cap. 8.

In omni igitur re facienda intus vel foris beneplacitum dei perquire, & eius honorẽ maiorem omnibus vtilitatibus præpone. Dũ triste aliquid aduersumque occurrerit, ne paueas repentino timore: sed ad dominum humiliter confuge, qui non deserit sperantes in se. Nam de seipsis præsumentes deus humiliat, & confundit in sua confidentes astutia. Omnes electi aduersis multis probati sunt, & cottidie probantur, vt in veritate humiliati & purgati in præsentia, in futuro gloriosius exaltentur. Quando in aliquo excedis, non concidat cor tuum: nec desperes consuetudine praua, vel subita commotione deuietus: sed agnosce reatum tuum, & confitere delictum, proponens firmiter emendare, & cauere decætero prout oportet. Præsumptuosus cito desperat in aduersis, humilis verò cõtemptus & exprobratus magis in deo confidit, oppressusque conualefcit. Qui honores non desiderat, nec propria commoda quarrit, securus & gaudes ingreditur vbique. Angustias patietur, quisquis terrena sectatur. Ex charitate fraternæ & obedientia sancta relinque priuata, & fac quæ tibi senseris aduersa. Omnia supplebit dominus, & multo melius quam tu poteris cogitare. Si iniuria tibi fit, pensa quòd bene meruisti. Libenter iniurias remitte à quocunque inflitas, vt deus iterũ tibi cunctas dimittat offensas. Cum audieris aliquem tibi durius loqui, noli contendere verbis austeris: sed patienter fer fratris infirma, & indisciplinatum doceratione prudenti. Qui in verbo non offendit, ille perfectus est vir, ait beatus Iacobus. Utinam tot bona & sancta verba studeas proferre, quot prius vana dixisti. In recompensatione igitur leuium nocentiumque verborum tace cõpunctus, vel loquere solertiori modo præuisus.

De examinatione conscientia complete torio finito. Cap. 9.

Sero iam facto examinanda est conscientia de statu defectus eius diei, an solito pigrior an feruentior extitisti. Non parcas tibi ipsi in defectibus corrigendis: sed argue quæ propria iniquitate commisisti. Tu reus es, tu hæc & illa fecisti. Recogita quid in choro, quid in missa, quid in conuentu, quid in mē-

Ante partem pro defectis.

Luc. 11.

Act. 7.

Act. 9.

1 Cor. 11.

Luc. 16.

Iudith. 6.

Iacob. 3.

fa, quid foris, quid in cella eo die egisti vel omisit. Quando totum emendabis? quando satisfacies deo & angelis eius & hominibus? Debitor enim es omnium, & ad soluenda debita peccatorum vix habes unum integrum nummum. Quis est iste nummus? Confessio oris ex vera contritione cordis. Loquere ergo cum propheta pro venia impetranda: Confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Siquidem tempus maxime opportunum ad collectionem cordis variis occupationibus per diem distracti, videtur esse hora completorij, ad quietem sanctae vacationis pro serenatione conscientiae purgandae deputata. Vae illi qui hanc horam negligenter praeterit, & de die in diem, de hora in horam locutiones protrahit, & statum cordis morosque & actus vix semel in die examinat, quod omni hora necessarium foret. Quauis enim tu negligas intima tua discutere, deus tamen nil patietur inultum abire. Vsq; ad minimum nanque quadrantem exiget talentum tibi commissum. Dedit siquidem unicuique sensus, ac legem vitae & disciplinae constituit ad bene agendum, & ad meliora semper proficiendum, nullum vero tempus ociose vaneque consumendum. Ad te ipsum vel sero reuertere miser homo deditus exterius terrenis, qui ignoras quando veniet dominus, & quam velox tibi instat exitus mortis.

Confessio oris ex vera contritione, vnicuique nummus noster. Psal. 36.

Matt. 5. & 25.

Prou. 18.

De scrutinio conscientiae in speciali.
Cap. 10.
Quoniam igitur in principio sermonis iustus accusator est sui, ideo diligentius perscrutanda est quotidiana conuersatio in speciali. Stultus odit increpationes, vanus non curat, superbus se excusat, piger dissimulat, dissolutus irridet, sapiens vero vias suas considerat, praeterita retractat, futura praecogitat, vitia exhorret, scripturas amat, precibus infundat. Doce sapientem, & amabit te. Securus in bonis ambulat, si mala non lateant. Coputum ergo culparum noueris diligentissime esse seruandum tibi. Multi computant pecunias & expensas rerum, pauci negligentias temporum & conscientiam discutunt: ideoque magis deficiunt quam proficiunt. Loquuntur bona, & non faciunt: detestantur mala in aliis, seipsum autem negligunt in multis. Tu vero aliter institutus es. Et si vere proficere velis, omni vespere te discutere non omittas. Quod si feceris, renouaberis spiritu mentis, & pacem habebit tabernaculum tuum. Secure dormies, & non erit qui exterreat quietem in Christo. Mirum valde & tremendum

nimis, quod quis audeat ire dormitum aliquo graui delicto occupatus, nec compunctus, neque confessus. Pro dolor plures percipi in sua malitia & peccatorum facibus subita morte extinctos, & omni amicorum solatio destitutos. Ad cauendum ergo detestabilem negligentiam in examinatione propriae conscientiae, de omni verbo & opere iudicium tibi hora congruenti statue, & rationem villicationis tuae a teipso exige striete. Serue male & piger, dic qualiter hunc diem expendisti. Ecce notauit quod hodie fuscitatus non statim alacriter surrexisti, pigritasti in lecto, vix ad vltimum signum te erexisti, & post alios tardior venisti. Non cantasti fortiter, nec attendisti diligenter, vana retractasti, & praeproperia deuotionis etiam dormitasti. Accelerasti ad finem & ad lectum, & hoc mihi valde est suspectum, quia sicut impraeprae-ratus chorum intrasti, sic indeuotus existi. Verba multa prompsisti, paruum fructum retulisti. Tarde etiam ad opus accessisti, acidiose laborasti. Locutus es inutilia, interrogasti curiose, iudicasti suspiciose, risisti saepe dissolute, detraxisti, commotus fuisti. Corde & oculis euagatus es in choro, in mensa, & modicum ad lecta attendisti. Secularia verba caute auscultasti, verba Christi & sanctorum dicta male recitasti. De cibo & potu cogitasti, & auidē comedisti. Gaius es de melioribus ferculis, desiderasti amplius, de vilioribus murmurasti. Non fuisti patiens in modico defectu: nec continens a meliori, sed magis tibi quam fratri tibi assidenti id optasti. Quasiuisi te in paruis, & maioris, scilicet fidelitatem & charitatem, amisisti. Negligenter horas legisti, sine deuotione, sine debita attentione, & sine distincta prolatione verborum. Vide vbi corruisti, & desine superbire & gloriari de bonis a deo perceptis. Semper deplora interioris hominis statum, multis passionibus implicatum. Scrutare abscondita cordis tui, si ira, si inuidia, si concupiscentia, si auaritia, si impatientia aut tristitia te mouit & superauit. Nec solum de malis peractis inuestigandum est: sed etiam de bonis neglectis perquirendum. Si beneficia dei cum gratiarum actione cepisti. Si pro amicis & aduersariis orasti, si reuerentiam praelato, & minoribus fratribus dulcedinem charitatis exhibuisti. Si infirmis & tentatis compassus fuisti. Si petentibus auxilium, si moerentibus solatium impendisti. Si denique honorem dei simpliciter & pure quaesiuisti. Si humanam laudem strenue vitasti. Si propriam voluntatem prompte abnegasti, si te nulli praetulisti. Si patienter correctiones accepisti, si poenitentiam iniunctam humiliter implesti,

Luc. 22. Psal. 30.

implesti, si nemini molestus fuisti, si laesus clementer indulxisti, si ab iniuriato veniam postulasti, si deuote celebrasti, si attente cantasti, si pertinax non fuisti. Si ad humilia opera festinasti, si contemptus non contradixisti, si malum pro malo reddere non cogitasti, sed in bono malum vincere studuisti. His sacris studiis mens tua inuigilet. Istiti frequenter se discutiat, increpet & emendet, vt gratiam caute serues, amissam recuperes, & ad spiritualem profectum vehementius inciteris, deflexo omne malum quod eo die perpetrasti.

De hora dormitionis & nocturnae quietis.
Cap. 11.

Antequam vadas dormitum, bona meditatione & oratione te studeas praemunire, de passione domini vel futuro iudicio, quod te magis compungat, feriose memento. Inuoca Iesum Christum & virginem Mariam, angelos & sanctos, vt te custodiant, ac illusiones nocturnas a te longe repellant, ne sit fomnus tuus bestialis, sed sobrius, pudicus, & quietus. Ad sobrium somnum iuuat custodia cordis bona ac sensuum per diem. Quae enim vigilando exercentur, horum imagines in somnis libenter apparent. Signa frontem, os, & pectus, vt deus cor tuum ab omni malo praeruet, renesque constringat. Sit lectus tuus velut sepulchrum, in quo quieturus es modicum, paulopost iterum surrecturus ad vigilias & dei laudes celebrandas. Quanto praeparatior transis dormitum, tanto expeditior eris ad surgendum. Deutos hymnos & psalmos rumina corde & ore, donec incipias suauiter obdormire. Verbum Christi in cruce vltimo dictum, in memoriam mortis eius & expirationis tribus vicibus lege, sursum ad caelum oculis eleuatis: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me domine deus veritatis, per filium tuum maximae charitatis. Honeste & verecunde membra tua componas, nuditate veles: nec crebro te veritas, sed quiete & pacifice iaceas memor Christi in cruce pendentis, qui in patibulo non in molli lecto moriens obdormiuit. Si caro titillat, si terra imago incidit, si quaeuis alia passio mouet, nec quiescere te sinit, ad orationem conuertere, signum crucis tibi imprime, flagellum, coronam spineam, laceam, ac totam armaturam crucifixi oppone, ante cuius virtutem non potest hostis stare malignus, nec tentationis illusio perdurare. Adhibe quoque ignem aeternum, supplicia sanctorum martyrum, confessorum constantiam, & virginum fortia trophaea. Attende lapides Stephani, craticulam Laurentij, fustes Marcelli, vngulas Vincentij, vepres & vtricas Benedicti, flam-

mas sanctae Agnetis, rotam Catharinae, acutissimas testulas Agathae, bullient es aquas Ceciliae, lacrymas, amorem, contritionem, & poenitentiam Mariae Magdalenae, detes bestiarum, horridos carceres: nec non dura vincula pedum sanctorum. Sic deo iuuante, & ista te cogitante, ignem igne superabis, diabolum confundes, sanctos honorabis, & in pace Christi dormies & requiesces.

De virtute sanctae obedientiae.

Cap. 12.

Securissima via ad caelum est stare in obedientia, & viuere sub disciplina: nec propria vti libertate. Qui perfecte se subiicit homini propter deum, dabit ei dominus gratiam specialem in praesenti, & exaltabit eum in gloria sanctorum. Tandiu lis erit in homine, quandiu manserit in propria voluntate. Deus sufficiens est causa & ratio ad obediendum praelatis nostris. Multo tutius est obedire, quam praecipere. Cito erit in pace, qui cito se subiicit & obedit. Vir obediens loquetur victorias (ait sapiens) & qui recalcitrat, stimulum patietur & cadet. Si vita alicuius praelati non est ita perfecta & laudabilis, sicut status & ordo requirit, tu tamen benefacis obediendo in bono, quia non ab homine, sed a deo praemium accipies. Disce praesentem quem habes, sufferre patienter, vt mitius feras sequentem. Si hunc non haberes, forsitan duriores sustineres. Oportet te unum habere: nec ad tuum libitum inuenies aliquem, etiam si plures fueris perferutatus. Bonus discipulus tam malum magistrum non habuit, quin ei in bonum celsus ferit, quod humiliter obtemperauit. Exemplis igitur Christi & sanctorum eius studeas simpliciter & pure obedire propter Christum, propter conscientiam & bonam famam, propter pacem cordis, & aeternae vitae gloriam promerendam. Nemo tam quiete viuunt, nemo tam secure moritur, sicut verus obediens, & in omnibus deo & hominibus subiectus. Hoc tribuat munus, qui regnat trinus & vnus. Amen.

Explicit liber Secundus.

De disciplina claustralium Liber. III.
Cuius haec sunt Capita.

De recognitione propriae fragilitatis. Cap. i.
De contemptu vanae gloriae. Cap. ii.
De fideli & veraci amico. Cap. iii.
De suppotatione fraternae infirmitatis. Cap. iiii.
De spiritali inopia ex subtractione suauitatis internae. Cap. v.

- De humili subiectione, & sui ipsius resignatione. Cap. vi.
- De laude dei in tribulatione. Cap. vii.
- De laude dei ex deuotione. Cap. viii.
- Oratio ad laudandum feruenter deum. Cap. ix.

De recognitione propriae fragilitatis. Cap. i.

Psal. 118.



Ognoui domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me. Hæc verba sunt prophetae & humilis regis Dauid. Quid ergo tu vilis homo ad hæc dicis, qui terra es & cinis? Quid grande aliquid imaginaris, & alta vanitate delectaris? Aut cur te alicui bono homini comparare audes, cum sis reuera peccator, & totus in peccatis natus, & totus vitii ac concupiscentiis plenus? Vere si in veritate te discutis & intueris, omnibus deteriore te iudicabis. Dic mihi, qualem meretur confusionem ac poenam, qui dominum terræ ac principem regni contumeliosis verbis, & factis indignis offendit?

Iustificare nemo se quærat coram Domino.

Vel certe quantæ vituperationis iaculo ille feriendus esset, qui in conspectu regis & ministrorum eius foetidissimum cadaver tangeret, aut lutum immundum reuolueret? Nonne statim confusibiliter expellendus esset, aut etiam carceri tradendus ab omnibus iudicaretur? Tu es, pro pudor, stultus ille qui pessimam hanc rem fecisti. Nam ecce in presentia diuinæ maiestatis, & sanctorum angelorum eius peccare non timuisti, multa illicita phantasmata versans, quæ citissime respuere deberes, & plusquam lutum platearum detestari. Insuper permittis cor tuum in omne penè seculum euagari, etiam tempore orationis & in loco sacro, vbi cum maiori reuerentia & sollicitiori attentione iuberis assistere, ac solum deo & tibi ipsi firmissime vacare. Quomodo ergo digne dicendus es religiosus, tam longe à deo & à corde tuo abstractus? Nonne propter tua graua & multa demerita, velut canis immundus meruisses à conuentu sanctorum fratrum expelli, ac duris increpationibus castigari, vt fieret ultio de inimicis regis quem offendisti peccatis quâ plurimis, nec adhuc peccare desistis? Sed ô quanta est misericordia dei super te ô homo miserrime, quod etiam post tantas offensiones patitur te deus in hac luce viuere, & pro tantis malis tam multa bona largitur indigno & ingrato? Si quis in faciem tuam spuisset, aut

verbis contumeliosis te confudisset, quãtam aduersus eum indignationem de illatis iniuriis conciperes? vel quali eum puniendâ correctione censeret? Sed quis tu, & cuius potestatis in comparatione dei, cuius faciem offendisti? Vere magna misericordia dei super te, quod iam consumptus non es, quod adhuc iudicium differt: nec furorem suum in te exagitat, sed clementissime tuam emendationem expectat, & propter poenitentiam vindicare suam iniuriam dissimulat, vt cognoscas quia suavis & mitis est, & multa misericordiae deus in omnibus operibus suis. Quomodo poteris obliuisci omnium misericordiarum domini ab initio vitæ tuæ vsque ad hanc horam? Proinde sis gratus & humilis, sis mansuetus ad omnia ferenda contraria, propter peccata tua delenda, & propter iram domini super te mitigandam. Nisi enim citius ac diligentius vitam tuam emendaueris, & in alterum virum te mutaueris, veniet super te calamitas quam nescis, & stabunt contra te cælum & terra, & omnes creaturæ clamabunt aduersus iniquitates tuas, quia indigno seruiuit ad necessitates varias, & tu creatori tuo digne non seruis. Sed ne diuina iustitia super te repente & furibunde oriatur, & siccam stipulam persequatur & cõterat, dum adhuc tepus miserendi est, & locus veniam inquirendi remanet, loquere cum propheta in psalmo, & ora humiliter & confidenter dicens: Fiat misericordia tua vt consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo.

De contemptu vanæ gloriæ. Cap. 2.

Reum mundi facies indicat quod mundus amari nõ debet. Cum enim tam facile se variat, profecto corruptibilem se demonstrat. Nulli fidem firmam seruat: sed modicum in apparentia blanditur, & in fine decipit & illudit. Non ergo pulchritudines hominum, non diuitiæ rerum, non laudes adulantium, non fauores potentium te moueant & delectent, quia vana sunt & mortifera quæcumq; à summo bono retrahunt, & ad infima cogitatum inclinant. Omnis quippe caro foenum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Igitur humanas laudes nõ affectes: nec vane aliquè extollas: nescis enim quid futura pariat dies. Sæpe nouissimi sunt primi, & primi nouissimi. Fuge laudari tanquam venenũ, ne seducaris, & perdas boni operis meritum. Vanisunt & stulti qui laudibus delectantur humanis. Laudetur deus, non homo fragilis. Sapiens plus facta ponderat quàm verba. Res bene gesta seipsam laudat. Qui verba tantum sectatur, nihil inueniet. Virtus in deo facta, à deo gloriam recipiet. Si ponis vitam tuam

Psal.

Psal.

Laudis ac laudis renerne concupiscit

2. Cor. 10

tuam in ore hominum, eris modo aliquid, modo nihil, nunquam tamen liber & quietus. Iustus non verbis mouetur ornatis: sed quod deo placet attendit. Sæpe homines laudant quos deus improbat, multotiens deus acceptat quos homines vituperant & spernunt. Ille ergo digne laudatur, quem deus omnia sciens commendat. Ille adiutus est & valet, quem adiuuat deus. Ametur veritas, nõ hominum loquacitas, qui sæpe præ odio vel amore mouentur, nescientes quid sit in homine velatum. Redi ergo ad conscientiam tuam, vbi veritas videt, & scito te infirmum esse & peccatorem, atque cito moriturum. Siquidem in mortis articulo patebit quàm fallax fuit omnis gratia mundi, quàm stulta lætitia, laus ab hominibus quæsitata.

De fideli & veraci amico. Cap. 3.

Amicus tuus est, qui in deo te amat, & propter deum te tolerat. Vere ille amicus tibi est, qui salutem animæ tuæ diligit, nõ qui foris blanditur & applaudit. Ille tibi dilectus est, qui pro malis tuis dolet & orat, qui profectu tuo gaudet, & te corripit in charitate. Non est fidus amicus nisi in deo, & qui sua non quærit. Qui enim seipsum negligit, quid alteri persuadere poterit? Cum tua bene curaueris, facile proximo persuadebis. Si diligis fratris salutem, tuam operari non omitas. Si ordinate procedis, à te ipso inchoabis. Propriæ salutis nil antefendum est, ne tibi obiiciatur. Medice cura te ipsum. In te prædisce quid alteri dicas. Doce viuens verbum, te ipsum exemplum ponas, non alterum, te neglecto. Esto bonus & fidelis, & inuenies amicum fidelem. Amor dei amicum fidelem constituit, sine deo nulla amicitia stabit. Sed vbi talis, qui in omnibus fideliter agit? O quàm preciosus talis, qui amore dei sit plenus. Amor mundanus cito deficiet, & in necessitate vacuum relinquet. Time deum, & iungeretur tibi amicus fidelis. Serua nomen bonum, & inuenies socium bonum. Et cum inueneris, vt re sapienter, & dilige sicut te ipsum. Multi amici in prosperis, in aduersitate vix vnus adhærebit. Non eris tamen desolatus, si deum habes semper præ oculis. Si deo non places, non proderunt amici mortales. Si inueneris iustum ac deum timentem, magis dilige quàm potentem. Sustine verbum amici, & memento quia homo est sicut & tu, quoniam solus deus est qui non errat, & in quem peccatum non cadit. Quod non vis fieri, dicito nulli. Arduum & rarum celare verbum. Sic refer secretum, vt non erubescas cū fuerit detectum. Qui nescit tacere, non diu seruabit amicum. Quando multa audisti &

Lucæ. 4.

Bono boni sunt amici.

perlegisti, si hoc posses retinere, vt scires quãdo & quomodo deberes loqui, & quando tacere, bene didicisses. Det deus hoc magnum bonum, quia vere egregium est donũ, quod pauci habent, scire quando loqui, & quomodo, & quibus oportet.

De supportatione fraternæ infirmitatis.

Cap. 4.

Prima doctrina, patientia in angustis. Salutare verbũ, factum verbi. Qui implet mandatum, tremendum iudicium non pauebit. Confundit seipsum, qui promissum non seruat, nec facit quod dicit. Sustine patienter & longanimitè aliorum defectus, quos deus omnia videns sustinet. A multis deus contemnitur, & tacet vsque ad tempus. Quæ emendare non vales, fer bono animo tacendo, & conuerte te ad deum magis orando. Siquidem & tu in multis deficiis, nec semper facis quod dicis aut proponis. Pronus ad vindictam, non effugiet iram. Qui semper vult vindicare, paucos habebit amicos. Duplicat semper malum, placeat tolerantia mali. Tristitiam facile vincit, qui nil terrenum nouit amare. Exterminat seminarium litis, qui abiicit vitium cupiditatis. Siue diuitiæ siue honores excreuerint, non satiant amatores suos: sed implicant & torquēt. Desine concupiscere, & desines indignari. Nil stabile sub sole: sed cuncta mutantur, & res, & honores. Stabilitur nemo, nisi in solo deo. Dilectio dei stabile fundamentum, humilitas autem meretur hanc gratiam. Qui in deo confidit, sustinet omnia patienter: & qui deum pure quærit, facile contentus erit. Qui se ipsum quærit, se ipsum inueniet. Sentiet detrimentũ qui loqui vult ad omne verbum. Fluctuat semper animus, quandiu consolari quærit in terrenis. In deo vera lætitia cordis, extra deũ non est pax nec requies.

De spiritali inopia ex subtractione suauitatis internæ. Cap. 5.

Paupertas gratiæ, grauior est omni paupertate naturæ: inopia spiritalis, est dura afflictio animæ. Castigatur sæpe iustus, interno solatio occulte subtracto. Eruditur tamen animus flagellis, ne de se præsumat in bonis. Nouit ergo dominus quid tibi sit vtilius. Sæpe obest salutis, quod tu vehementer affectas. Est etiam sæpe pro te quod existimas tibi aduersari. Placita sibi cupit infirmus: sed medicus dat quod illi nouit salubrius esse. Sanius iaces humi prostratus, quàm stabas intus elatus. Liberior est pauper in modicis, quàm diues in opibus multis. Nulla res prodest exterius, si interior gratia desit & virtus. Si deus dulcedinem suam tibi subtrahit, ne

Vtiliter subtrahitur interior gratia suauitas

miris, quia multis sic accidit, ne sibiipsis hac gratiam ascribant. lucundius est esse in tormentis & in carcere cum gratia, quam in domo pulchra cum conscientia mala. Qui consolationem dei est expertus, omnia fastidit quae mundus offert sensibus. Cum senseris te caelesti rore perfusum, totum deo humiliter refunde. Si aridum inueneris cor tuum & obtenebratum, non cesses ad dominum clamare pro lumine gratiae, & oleo misericordiae, ne deficias in via recta praere labore. Dabit enim pater caelestis spiritum bonum animae quarenti se.

De humili subiectione, & propria ac sui resignatione. Cap. 6.

Stari, humilia te sub deo, & propter deum sub omni creatura. Testatur hoc sanctus David qui dicit, Humiliatus sum, & liberauit me. Non est bonum rebellare deo, & contradicere sermonibus sancti. Idcirco inclina aurem tuam ordinationi diuinae humiliter, maioribus & minoribus subiectus. Humilitas pacem parit & concordiam, & nouit omne onus portare. Et homini utilior est contemptus sui, quam fauor laudis inanis. Felix humiliatio animae dolentis, quae cognitionem propriae infirmitatis sibi aperit, ut plangat intente quod propria iniquitate commisit. Suppleat semper humilitas, ubi deficit perfecta charitas. Cito illi ignoscendum est, qui reatum suum humiliter confitetur. Facile placat iratum, qui humile dat responsum. Valde magnam rem facit, qui propter deum se resignat, & in omnibus vincit. Nam qui victor est sui, dominus est mundi, & haeres caeli. Qui seipsum non vincit in paucis, quando maiora superabit? Illi deus est ad votum, qui se reliquit ex toto.

De laude dei in tribulatione. Cap. 7.

Disce deum laudare in tribulatione quam pateris, & fac de necessitate virtutem, ut meritum tuum augetur, & poena minuat peccatorum. Vis murmurare contra deum quia te flagellat & probat? Hoc tibi non expedit: sed magis ora ut malis tuis non parcat. Confitere ergo domino quia bonus in dominis suis, confitere etiam quia iustus in flagellis tuis. Bonitas eius sine meritis tuis contulit tibi bona, iniquitas autem tua quid meruit nisi flagella? Dic igitur ei in oratione prostratus, Domine deus ego nil aliud ex me promerui, quam pati & flagellari: nec dignus sum vel minimam a te consolationem recipere, quoniam in multis te offendi. Sis igitur in omnibus benedictus, in quibus me affligis & yraris. Si minus est, addas amplius. Modicum est totum secundum quod merui, Afflictio-

mea laus tua sit & gloria. Gloriarum enim me oportet hoc modo in cruce domini mei Iesu Christi. Duret & valeat dolor meus quantum tibi placuerit, laudem tuam imple in me. Scio enim quod nihil agere iniuste potes. Voluntatem tuam & summum beneplacitum peto in me perfici usque in finem. Gaudio dixi, quid tu mihi sine Iesu salutari meo? Nolo in me venias, nisi dixerit Iesus. Dolor mihi dulcior est & erit quam tu, propter Iesum, qui diligens me affligit. Nam salus, ubi crux. Et plerumque sub gaudio dolus est occultus, & risus decipit multos. Vir autem sapiens vix tacite ridebit, nam futura metuens mala, considerat quam cito laeta labuntur. Plus te grauari debet culpa commissa, quam qualibet poena inflata. Etsi remaneat caro infirma, spiritus tamen debet esse promptus ad omnia ferenda. Itaque dicas: Libenter domine portabo virgam tuam per gratiam tuam, & quicquid patendum est pro salute mea aeterna. Multo enim melius est ac leuius modo cum bonis & electis affigi, quam postea cum malis aeterno igne cruciari. Esto ergo seuerus iudex in propria causa, ut deus tibi indulgeat vniuersa mala commissa. Dei enim es creatura etiam cum peccas, ideoque correctioni eius te humiliter submitte, ut veniam consequaris & salutem. Nam salus iustorum a domino, & protector eorum in tempore tribulationis.

De laude dei ex deuotione. Cap. 8.

Omnes sancti, omnes fideles, & omnes creaturae deum laudare tenentur, quia exaltatum est nomen eius super omnes. Qui deum laudant, laudabiles erunt: qui vero deum non laudant, confusione sunt digni, & omni honore priuandi. Honorabile seruitium est & delectabile officium, corde & voce deum laudare, & sancta vita glorificare. Si deum laudas, facis quod debes, & ad quod creatus es. Si deum non laudas, ingratus es & peccas, luesque ingratitude tuae poenas acerbas. Angelorum opus est, & sanctorum omnium gaudium singulare, deum ac creatorem suum incessabili mentis affectu laudare, benedicere & glorificare. Imitantur autem eos, qui diuino officio libenter intersunt, & in ecclesia dei deuote orant, aut in choro debitis horis alacriter psallunt. Nunquam a laude dei & gratiis cessandum est, quia deus nunquam benefacere cessat, nec communem gratiam cunctis influere tardat. Ipse nanque singulorum curam gerit, paratus tibi ampliora dona largiri si viderit in minimis te fidelem, & ad regretandam esse feruentem. Ad quid accipisti os & linguam, nisi ut deo referas laudem, gloriam

gloriam & honorem? Si tu alicui benefacis, aut in melius prouehis, nonne agre capis si gratias non rependis? Quapropter diuinis ista laudibus, & in canore iubilo deum laudanda cum omnibus creaturis, ne contra te testimonium ferant, & clament, quod ipsis deum benedicientibus, & ad nutum obedientibus, tu tacuisti a gratiarum actione, & laude diuina. Ad excitandum ergo mentem tuam in dei nominis laudem, lege dum vacat orationem hanc subsequenter, si placet.

Oratio ad laudandum deum feruenter. Cap. 9.

Deus meus, laus mea, & gloria mea, cupio te laudare tam excelsa voce, & tam deuota mente, sicut unquam laudatus es ab aliqua creatura in caelo & in terra. Desidero te honorificare tam magno & digno honore, sicut unquam honorificatus es ab aliquo sancto in regno tuo caelesti. Opto te venerari & amare tam ardenti affectu & amoroso corde, sicut aliquis deuotus & perfectus homo te dilexit & diligit in hoc mundo. Renouetur semper in me tui amoris sacer & purus affectus, & velut ignis desuper accensus, renes meos & cor meum exurat, omnia quoque interiora mea purget & inflammet, ut nil vitiosum in me remaneat, quod oculos tuae maiestatis offendant. O deus meus, cordis mei scrutator verus, coram te est omne desiderium meum, & multiplex gemitus meus pro defectibus meis. Nam praeter inopia internae suauitatis ac charitatis deficit saepe spiritus meus. Offero igitur tibi desiderium cordis mei in laudem nominis tui. Accipe vota mea in holocaustum matutinum, & oratio mea sicut incensum vespertinum ad te ascendat, & placeat in aeternum. Amen.


Finis libri Tertij de disciplina claustralium.

Sequitur liber IIII. qui est miscellaneus, continet enim haec variae farraginis capita.

- De commendatione humilitatis, quae est fundamentum omnis sanctitatis. Cap. i.
- De elevatione mentis ad inquirendum summum bonum. Cap. ii.
- Oratio ut liberetur mens a corporali imagine & sarcina. Cap. iii.
- De verbo increato, aeterno & immenso supra omnes docentes animam illuminante. Cap. iiii.
- De astuanti desiderio animae cum fuerit vitata a verbo, vnico videlicet sponso suo

- & vnice dilecto. Cap. v.
- Oratio pro abrenunciandis omnibus mundanis. Cap. vi.
- Exhortatio ad humilitatem & compunctionem. Cap. vii.
- Oratio pro lachrymosa contritione peccatorum obtinenda. Cap. viii.
- Oratio pro impetrando vero amore virtutum, & odio perfecto vitiorum. Cap. ix.
- Oratio pro cognitione propriae fragilitatis habenda. Cap. x.
- Oratio pro agnoscenda & sequenda via vitae. Cap. xi.
- De mortificanda vita pro Christo. Cap. xii.

De commendatione humilitatis, quae est fundamentum omnis sanctitatis. Cap. 1.



Iscte a me, quia mitis sum, & humilis corde, dicit dominus. Summus magister & legifer noster Iesus Christus, humilitatem discere nos docens horratur, quam qui bene seruauerit, cito perfectus erit, sine qua nulla lectio ad salutem valet, quia inuacuum laborat, qui sine humilitate aliquid scire conatur. Est autem prima lectio Christi, humilitas cordis, quasi fundamentum omnis virtutis, & necessaria ad peruentionem aeternae salutis. Aduertat igitur hanc sacram lectionem, quicumque desiderat habere nunc gratiam, & in futuro vitam aeternam. Qui vero istam humilitatem negligit, quicquid agit & cogitat, totum destruit & amittit. Doctrinam igitur Christi audiant omnes christiani, omnes praelati, omnes subditi, omnes nobiles & vulgares, omnes docti pariter & indocti, quia non elata sed humilia docet Christus: non vana, sed vtilia: non falsa, sed vera: non terrena, sed caelestia. Cito igitur doctus erit & beatus, quisquis Christum fuerit humiliter imitatus. Est enim humilitas singularis virtus Christi, contraria diabolo, & odibilis mundo. Qui hanc corde & opere tenet, deo & angelis placet, & securior ex hoc seculo migrabit, sicut dicit Christus: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Itaque sine humilitate non est salus, nec virtus nec actio deo grata. Omnis labor, quauis magnus, quauis diuturnus, sine hac meriti est nullius. Nam profunda humilitas arcem tenet virtutum, & de suis triumphat semper inimicis. Exultat de gratia Christi quae illi datur

Psal. 114. Iob. 6.

Humilitas ac virtus gloria sui.

Eccles.

Psal.

Psal.

Lauda inde ter diuinitatem opus angelorum sancto omnium

Matt. 11

Humilitas virtus in Christo singularis.

Matt. 5

tanquam amico fideli, quia sponte se subdit creatori, totum bonum ei ascribendo, & se in cunctis deprimendo. Absque humilitate vera vacuum geritur nomen sanctitatis: nec prodest foris, si intus humilitas desit. Cum humilitate ad summum scanditur bonum, sine ea de summo ruitur in infernum. Testes sunt humilis publicanus, & pharisæus elatus. Horre luciferum de cælo cadentem, intuere Lazarum humiliter iacētem, & ab angelis in sinum Abrahamæ latanter eleuatum. Vnde humilis mater Iesu dicit in cantico suo: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1. Exempla sunt plura in scripturis sanctis, & cotidie apparent pericula de sua virtute superbientibus. Qui enim appetit hominibus placere, & magnus reputari, deo vilescit, & fictum euanescit. Omnis superbus coram deo nescit seipsum: nec suum præuidet casum. Qui erigitur in superbiam, iusto dei iudicio cadit in reprobum sensum. Qui alteri se præfert, & altum de se sapit, cadit ab alto, humili stante. Latens superbia, pestis iniqua: foris blanda, intus amara: in prosperis læta, in aduersis turbulenta. Qui alium quærit confundere, & se iustificare, seipsum confundit, & suam superbiam demonstrat. Superbi est sibi ipsi placere, & plus sibi quam alteri credere, & aliorum facta cito reprehendere, & simplices deridere. Hic est proclius ad omne malum. Peruersum nanque gerit iudicium, qui magna de se sentit, & de aliis peiora cōfingit. Superbia nunquam melius vincitur, quam per frequētem exercitationem in operibus despectis, & iniuriis multis, & locis extremis. Cui graue est subesse, & seniori obedire, longe est à vera humilitate. Radix virtutum humilitas, preciosum ex se producit obedientiæ fructum, & maturefcit in charitate. Ad verum humilem spectat proprios defectus respicere, seipsum iudicare, & die noctuque sua commissā deslere. Humilis frater prælatum suum non iudicat, ne deum iudicem offendat: socium non contristat, seniorem honorat, imperfectum tolerat, pro tentato orat, succurrit indigenti. Duo humiles bene concordant, duo superbi pro vili etiam recedunt. Verus humilis potest secure laudari, quia in veritate fragilem se cognoscit, & acutos dei oculos in omni facto & cogitatu suo expauescit. Multum valet ad humiliandum se, occulta dei iudicia timere, & de extremo sine semper cogitare. Vere humilis est, quem laus humana non mouet. Et qui cælestem gloriam attendit, omnem temporalem honorem facilliter contemnit. Qui autem gloriam propriam quærit, in veritate

non stat: nec deum perfecte amat. Humilis prælatus deo est charus, omnique honore dignus. Humilis subditus magno præmio coronabitur in cælis. Sobrius & castus, angelorum socius est, & hominum decus. Qui seculi tumultum fugit, castior manebit. Deuotus & internus homo secretum diligit, vt deo liberius vacet. Tacitus monachus frequenter orans, cum deo ambulat, & cælum penetrat. Bene operans, & iniuriam patiens, fructus colliget optimos in futuro. Qui subtilia cogitat, & humilia negligit, foueam parat in quam nescius cadit. Qui ad altiora anhelat, suspendio animam necat. Prudens homo nihil præcipitanter agit. Fidelis nihil negligit: nec fraudem committit. Iustus causas rerum examinat antequam iudicet. Sub specie boni fere decipimur omnes. Qui nimis sibi confidit, periculo se exponit. Consultius agit, qui experto & doctiori acquiescit. Consilium quærere, & rationes petere, humilitatis est indicium. Sæpe deus per alium loquitur, quod homini per se non reuelat. In hoc magna humilitas & obedientia apparet, cum quis ab homine imperito verbum dei audit, & mansuete iracundo respondet. Res plena laude, ad iniuriam tacere. Res confusione digna, superiori contradicere, nec obtemperare præceptis aut monitis virtuosis. Verus humilis obedit etiam in asperis & vilibus iustis. Plus omnibus in spiritu proficit, qui profundius se humiliat. Hostem suum vno ictu prostermit, qui proprium videre citissime frangit. Quid ita rarum & mirandum, sicut magna agere, & de se humiliter sentire? Quid plus? Gratia dei non abuti, neque potestate concessa. Ad euadendum igitur pericula diabolica, à dextris & à sinistris instantia, non est ita potens armatura sicut humilitas vera, & oratio deuota cum conscientia pura. Superbus tot habet laqueos, quot cogitationes iniquas & elatas. Humilis mens in bonis non eleuatur: sed gratias agit deo de omnibus bonis quæ accipit. Qui se tempestiue humiliat, sapienter facit, ne deteriora sibi contingant. Per humilitatem placatur deus de omnibus offensis, & adificatur proximus in aliquo læsus, confunditur diabolus, aperitur peccatori cælum, purgatur omne delictum. Vis non timere diabolus? Humilia teipsum. Sola enim humilitas vniuersos diaboli laqueos euadit, potentiāque prostermit. Quotquot decepti sunt & deiecti, per mentis elationem inflati ceciderunt. Esto ergo humilis & vilis in oculis tuis, ne deo displiceas, & cum diabolo corruas. Nam cælum non suscipit nisi humiles: nec deus elegit

elegit nisi humiles: nec iustos approbat, nisi sint humiles.

De eleuatione mentis ad inquirendum summum bonum. Cap. 2.

Psal. 45. **V**Acate & videte quoniā ego sum deus. Ecce inquirō te deus meus, nō per sensus corporeos, neque per sensibiles imagines: sed in me super rationes intellectuales, vbi tu lucēs intellectui meo veritas æterna, bonitas immensa, incomprehensibilis claritas, omnē creaturę comprehensionem excedens, omnē aciem mentis repercutiens, & super omnes cælestes spiritus secundum quiditatem te incognite seruans, & tamen secundum cuiuslibet beati spiritus capacitatem te totum cōmunicans, atque omnibus & singulis infinitā deitatis tuæ gratiam, & superessentialē naturā tuā substantiam manifestans. O trinitas vnus verus deus, pater & filius & spiritus sanctus, æterna gloria & summa beatitudo sanctorum, omniumque cælestium virtutum æterna fructio, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, procedunt, consistunt & terminantur. Notas mihi fac vias tuas, & semitas tuas edoce me, quoniam viæ tuæ, viæ pulchræ, & omnes semitæ tuæ pacificæ. Beati mudo corde, & beati pacifici, viæ sunt & semitæ ad cognitionem vitæ contemplatiuæ. Laborandum est ergo diligenter & orandum, vt ab omni face vitiorum cor mundetur, & sic liber ad deum pateat accessus.

Oratio vt liberetur mens à corporali imagine & sarcina. Cap. 3.

ORo te deus meus & precor te ex totis intimis meis, libera me, & eripe distractum & captiuum animum ab omnibus cōcupiscentiis & corporalibus imaginibus, vt teipsum in meipso illuminata ratione inueniam, qui me ad tuam preciosam & incorruptibilem fecisti imaginem. Non enim in aliqua alia mundi creatura tāta relucet sapientiæ tuæ pulchritudo sicut in hominibus, sicut in hominis anima, quam capacem tui fecisti, & omnibus creaturis per rationem intellectuāle excellentissime præfecisti. Eleua ergo mentem meam ab omnibus terrenis, & purifica cordis mei affectiones. Renoua me secundum interiorem hominem, & reforma imaginem tuā per septiformē spiritus sancti gratiā, quā immortalem, inuisibilem & incorporēā, omnibus virtutibus habilem, æternæ veritatis capacem, sui intelligibilem, rationis cōpotem, bestiis inueniētem, omnibus sensibilibus digniorem, ad imaginem & similitudinem tuā creati. Repelle à me & expelle quicquid potest imaginem tuam maculare & obfusca-

re, ne indigna cōspectu tuo fiat. Dignare hęc preciosam & nobilissimam imaginem tuam charitate informare, intelligentia illuminare, & sine intermissione visitare, quā sine medio intueris, & in esse conseruas. Recordare quā alto consilio ipsam prius de nihilo, sed non pro nihilo condidisti: quā magno sacroque commercio de peccati vinculo ipsam rursus redemisti: & tantæ dignitatis creaturā ne sinas substerni mortali vitio, sed ab omni defende malo, ac dita per gratiam. Multiplica in ea dona lagitatis tuæ. Et quod minus valet ex infectione corruptę naturæ, suppleatur ex superueniēti dono gratiæ tuæ. O veritas mea & misericordia mea, da mihi te videre sine forma corporea, sine specie imaginaria, & sine omni luce creata, da puræ mentis intelligentia te conspicerē, qui mundis cordibus te videndum promisisti. Beati (inquis) mundo Matt. 5. corde, quoniam ipsi deum videbunt. Alta & magna promissio, sed puris & illuminatis mentibus congrua, quæ dum terrena relinquunt, & corpore vniuersa transcendunt, recto iudicio æternæ veritatis lucē contemplari merentur. Et quanto longius à creata luce, & cōditarum rerum ratione recedunt, tanto eminentius supra se in diuinæ claritatis secretam rapiuntur. O qualis visus, quā purus intuitus, quā beatus ille oculus, quo sine imaginibus & corporum similitudinibus cernitur veritas deus? Oportet cor esse liberum, & ab omni inordinata affectione purgatum, oportet mentem esse inoccupatam ab omni strepitu & imaginatione corporum, si debeat aliquid comprehendere de æterno & incircumscripto lumine illuminante totum mundū. Da mihi domine, vt in lumine tuo videam lumen, non lumen cæli, non lumen terræ, nō angelicum, non humanum lumen: sed lumē æternum, increatum, immensum, ineffabile, incomprehensibile, superessentialē & incommutabile lumen. O quā grauis est mihi sarcina carnis? quā onerosa lex peccati, quæ militat in membris meis? quæ impedit & retrahit ab aspectu cælestis luminis, à vultu gloriæ dei, à gustu felicitatis æternæ, & ab introitu ciuium supernorum, quos lætitia sempiterna circundat & implet? Largire obsecro deus in tempore breui seruo tuo gratiam & benedictionem cælestē, qui necdum dignus sum haurire de fonte pleno aquæ viuę salientis in vitam æternam. Visita me frequenter clementissime Iesu, & in amore tui vehementer accende, vt discā omnia inferiora & creata despicerē, & te solum æternum & increatum bonum pure quærere, & super omnia te propter te veraciter amare.

De verbo increato, æterno & immenso supra omnes docentes animam illuminante. Cap. 4.

Psal. 118. **L**ucerna pedibus meis verbum tuum, & lumē semitis meis. O verbum dei in excelsis, quod omnia præcedit, omnia illuminat, omnia ad perfectum perducit, & nihil inordinatum in creaturis relinquit. Verbum tuum domine lux mea, & gaudium animæ meæ, sine quo in tenebris sum & in mœrore, cum quo gaudio perfungor & lumine. Aperi mihi domine portam claritatis æternæ ad inueniendum verbum tuum in cælo. In cælo **Psal. 118.** permanet verbum tuum, in generatione & generationem veritas tua. O æternum & immensum verbum, per quod facta sunt omnia, quod omnia nouit, omnia recte & iuste disponit. Huius altitudinem cæli non capiunt, profunditatem iudiciorum abyssi expauescunt, latitudinem orbis terræ non attingit. Aeternum dei verbum multis verbis non exprimitur: nec variis imaginationibus concipitur: nec ab aliquo creato intellectu penetratur: sed superineffabile & incomprehensibile prædicatur. Credi potest & amari, plene concipi non potest nec effari, quia hoc verbum dei deus est, sicut testatur euangelista **Ioan. 1.** Ioannes. In principio (inquit) erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. O ineffabile & nimis amabile verbum, dulce ad audiendum, iucundum ad cogitandum, felicissimum ad fruendum. Hoc multipliciter animæ loquitur, per scripturas, per angelos, per prædicationes, & arcanas reuelationes: sed multo iucundius & sublimius cum per se veritas menti vltro illabatur. O si possem vacare & videre quàm suaue sit hoc verbum, verum animæ lumen, vita viuentium, beatitudo regnantium: credo quòd nulla me frangeret pressura laborum, nulla me teneret copia bonorum: sed cito vilesceret & deperiret omne terrenum. O quàm bonum & iucundum est adhærere deo, frui verbo, de verbo concipere, verbo viuere, & immortales fructus parere. Non est hoc verbum quod sono finitur, aut mente imaginatur: sed omnem transcendit imaginationē & loquelam. Nam hominis verbum transit, verbum autem dei æternum & incommutabile manet, atque cuncta mutabilia immutabiliter disponit. In homine reperitur prius & posterius, & in omni creatura est esse mensuratum: nec quicquam perfectum, nec simpliciter per se bonum, nisi summum & æternum bonum, quod omnibus dat esse, & omnia seruat in esse. O vnicum dei verbum non ex tempore factum, nec in tempore productum, sed ex patre æter-

naliter genitum, pro mortalibus autem in tempore ex Maria virgine incarnatum. O æternum dei verbum, immensum & infinitum, angelorum esca & hominum, quod sumptum non consumitur, nec in edentem transfertur, sed sumentem in se transfertur, & ab omni creato bono ad æternum incomprehensibile bonum traducit. O quid est cognoscere verbum dei? Quid est audire verbum non hominis, non angeli, non alicuius creaturæ existentis sub cælo? In sinu patris est verbum, in secreto manet vnicigenitus patri coæternus & coequalis. O quis potest comprehendere illud, aut cognoscere, nisi per verbum verbi? Hinc verbum in carne ait: Nemo nouit filium nisi pater: neque pater quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Opus est ergo reuelatione verbi, ut intelligatur verbum. Orat propheta ad capiendum verbum. Intellectum (inquit) da mihi, & viam. Vita & salus animæ credere verbo, diligere verbum, & in verbo supersperare. Cupit anima fidelis frui verbo: sed non datur videre illi, nec prius experiri, nisi voluntate & reuelatione verbi. Conari potest, desiderare potest, comprehendere non potest, nisi seipsum voluerit in spiritu reuelare. Præpara ergo te anima mea, & fac quod potueris. Sede sola, tacet ab omni strepitu vitiorum: nec quicquam te moueat foris, nec intus conturbet. Amore summi boni despice omne temporale. Conuerte te ex toto interius, ascende paulisper superius. Leua te supra te, transcendente omne quod in tempore fit, relinque omne quod creatum est. Exclude quicquid modum habet vel gradum quantumcunque altum, ut inuenias verbum in creatum super omnem creaturæ cognitionem exaltatum. Quantum te verbum iuuat, tantum poteris: quantum te illuminat, tantum videbis: quantum te accedit, tantum ardebis & amabis. In verbo vinces mundum, in verbo præualebis aduersus omne malum. In verbo firmaberis in virtute, in verbo exaltaberis supra virtutem. Propter verbum dei relinques omnia, patrem, matrem, amicos & proximos: id est, quicquid caro & sanguis suggerit, despicias, & adhærebis verbo, ut vnus spiritus cum verbo per amorē fias: ita ut nihil aliud velle aut nolle in paruo vel in magno, in tempore vel in futuro velis aut affectes, nisi quod æternæ veritati summe placeat. Propter hoc vnicum solum verbum cognoscendum & amandum, omnia nobis scripta sunt & dicuntur. Dixerunt autem sancti dei magna, & plurimam scripserunt, sicut datum est & capabile hominibus fuit, non tamen prout est in se verbum, dicere vnicquam potuerunt. Omnia sacra verba ex illuminatione æterni verbi, ex ipso omne verum, omne

omne bonum, omne sanctum, omnis virtus, omnis potestas, omnis sapiētia, omnis intellectus. Per exteriores autem voces & verborum significationes parauit nobis iter ad querendum se & inueniendum, ut qui ipsum liquido capere non possumus, per verba sacræ scripturæ, modo creaturæ congruo, paulatim attingamus. Non tamen contentari debemus auditu sermonis exterioris: sed niti ad interiora, & querere longe supra nos æterna, immo vnum summum æternum bonum. Hoc angelos pascit sine medio, hoc fideles sacro erudit eloquio, & quandoque per internas illuminationes libere ad se volare facit, donans sentire quod omnem rationem & modum excellit.

De æstuantis desiderio animæ cum fuerit visitata a verbo, vnicō videlicet sponso suo & vnicō dilecto. Cap. 5.

Psal. 37. **D**omine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. En æstuat cor meum ad desiderium æternitatis, atque ad memoranda æterna & desideranda cælestia. Graue est pondus propriæ actionis, tædiofum fit nimis quicquid video in terrenis. Displicet omne humanum solatium, nec inuenio doloris mei remedium, nisi cor meum fuerit tecum perfecte vnitum. Tu domine deus tu doloris mei causa, tu author languoris, tu importabilis æstus amoris. Tu me vulneras sagittis occultis, tu me incendis, me totaliter penetras, & omnes vires meas consumis. Cur me dimittis languidum iacere, & in tui æstuantem desiderio anxie gemere? Quare fugis tam repente in regionem longinquam & inaccessibilem caliginem, quò te sequi non valeo? Noli amator sancte noli desiderantem te videre, despiciere. Noli te diu abscondere: sed da veniam inquirenti, & cito reuertere, quia sine te non possum durare nec viuere. Quòd si me affligere vis & probare, fac sicut vis & placet. Veruntamen gratiam & misericordiam tuam noli mihi penitus auferre. Inueniam obsecro gratiam in conspectu tuo, & inter electos tuos me digneris cognoscere. Noli me in tenebris relinquere: nec patiaris me opprimi tristitia: sed porriges mihi dexteram tuam, & lucem miserationum tuarum mihi restitue.

Oratio pro abrenunciandis omnibus mundanis. Cap. 6.

Domine Iesu Christe spes mea & totum refugium meum, solatium vitæ meæ, & informatio morum, hodie abrenuncio omnibus quæ in mundo sunt, propter tui amorē, & hoc perficere cupio ad tui nominis hono-

rem. Abrenuncio omnibus amicis, parentibus, cognatis, & propinquis, charis, notis, & sodalibus vniuersis, omnibus quoque ciuitatibus, castellis, villis, montibus & vallibus, riuulis & fontibus, campis, pratis, & nemoribus, omnibus ornatibus, ut pulchris ædificiis, psalteriis, citharis, organis musicis, cantilenis, floribus, odoribus, ut omnibus iucunditatibus, societatibus, conuiujs, colloquutionibus, visitationibus, salutationibus, fauoribus, honoribus, & deliciis hominum, omnibus scurrilitatibus, rumoribus, ludis, iocis, risibus, euagationibus, discursibus, tumultibus, & inutilibus occupationibus, omnibus diuitijs, rerum proprietatibus, curis, dignitatibus, solatijs, recreationibus externis, & quibuscunque potest caro tentari, alluci & delectari, & spiritus impediri & inquinari. Te vero eligo in deum protectorem meum, in gubernatorem vitæ meæ, in prouisorum omnium necessitatum mearum, in consolatorem omnium dolorum & angustiarum ac tentationum, omniumque laborum meorum, quibus me laborare necesse est toto numero dierum vitæ meæ pro tui amore, & animæ meæ salute. Tu refugium meum, tu domus mea, tu ciuitas mea, tu habitatio mea, tu cibus meus, potus meus, requies mea, & refectio mea. Tu socius dilectus, tu intimus amicus, tu cognatus & proximus, tu frater & soror, tu pater & patronus. Tu pastor & custos vitæ meæ, cui me & omnia mea fideliter commendo: quia non est salus extra te, nec tuta vita absque te. Fiat ergo misericordia tua super me, & gratia tua in omnibus ducat me: sitque oculus tuus super me die ac nocte, & manus tua protegat me semper a dextris & a sinistris, ac recto itinere me digneris perducere in domum habitationis gloriæ tuæ, ubi te merear laudare & benedicere sine fine. Amen.

Exhortatio ad humilitatem & compunctionem. Cap. 7.

Inclina te anima mea humiliter & prompte sub deo, incurua te sponte sub omni creatura propter deum. Fac te minimam in corde tuo: nec te dignam existimes communi hac luce frui, quia deum & sanctos peccatis tuis offendisti: nec debitam reuerentiā eis exhibuisti. Cito ergo ad lachrymas recurre, & cum magna cordis contritione veniam deprecare, ut tibi misericorditer deus indulgeat quicquid contra eius benignitatem deliquisti. Antequam dies extrema & mortis horror veniat, lachrymis & precibus studeas faciem pijs conditoris reconciliare, & tuam vitam deinceps ex toto in melius disponas commutare.

Oratio pro lachrymofa contritione peccatorum obtinenda. Cap. 8.

Misericordissime deus, cuius natura bonitas, & opus misericordia est, da mihi secundum multitudinem misericordiarum tuarum, perfectam peccatorum meorum habere contritionem, ut dolore cordis mei intrinsece compunctus, amarissime flere valeam, & scelera mea atque delicta vniuersa, digna castigatione extorquere, eaque sacro poenitentiae lauacro ablueri possim & purgare, quatinus remissionem omnium peccatorum meorum te propitiante merear percipere, atque in tua miseratione respirare. Da mihi zelo iustitiae aduersum me armari, & tanquam contra pessimum peccatorem & iniquum latronem commoueri & insurgere, quoniam te deum meum, creatorem caeli & terrae grauissimè offendi, gloriam & honorem tibi debitum non reddidi, sed saepe furatus sum, mihi aliquid boni attribuendo. Animam meam iaculis peccatorum frequenter confodi, grauius vulneraui, & faciliter consentiendo tentationibus carnis, spiritum letaliter occidi. Da mihi ergo domine deus, iudex iuste, fortis & patiens, tantam contritionem peccatorum meorum & tristitiam, quantam houeris peccatis meis deberi: magisque in praesenti punias & castigas, quam in futuro iudicio mala mea referues & condemnes. O pie, o clemens deus esto indigno mihi & maximo peccatori propitius, quia propter peccatores & iniustos in hunc mundum venire dignatus es, atque pro eorum reconciliatione ex charitate crucifigi, & morte turpissima condemnari non recusasti.

Oratio deuota pro impetrando vero amore virtutum, & odio perfecto vitiorum. Cap. 9.

Domine deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, infere cordi meo amorè tui dulcissimi nominis, planta in me radices verarum virtutum, & germina sanctae meditationis cum viriditate boni operis fac excrecere, & sursum pullulare, ne velut infructuosa arbor, aem in domo tua ociosus, sed potius tanquam oliuam fructiferam me excole, & quicquid vitiosum in me repereris, radicitus extrahè, & ad nihilum redige. Da mihi odium vitiorum meorum, victoriam passionum, mortificationem concupiscentiarum, & superbiorum moruum suppressionem, extinctionem inuidiae, mitigationem iracundiae, expulsionem aediae, detestationem auaritia, repulsionem malae tristitiae, contemptum gloriae, fugam honoris, & omnium terrenarum consolationum abiectio-

nem, ita ut nil terrenum, nil caducum, nil vanum, nil curiosum, nil carnale, nil blandum, nil asperum, nil cupidum, nil liuidum, nil falsum, nil fictum cor meum tangat, moueat vel alliciat, capiat, illaqueet, ac seducat. Da fastidium omnium terrenorum, desiderium aeternorum, amorè omnis boni, affectionem omnis virtutis, cognitionem summam veritatis, fruitionem aeternae felicitatis. Concede beatam ac felicem mortis horam inuenire, & in timore tui & charitate semp ambulare. Euacua cor meum ab omni creatura, & ab omni quod me impedire potest & obtebrare. Sim simplex, purus, & totus in te defixus ac suspensus. Da veram diuinam & internam pacem, & sine omni perturbatione mecum possidere tranquillam. Da ad aliquid temporale vitiose non affici: nec ab hominibus velle agnosci, nec curari, nec stulte amari, quia omnes seducunt & seducuntur, qui aliquid extra te inordinate cupiunt vel diligunt. Nullam ad me hominem per blandimenta aut obsequia fac me trahere: sed a me omnes sapienter remouere, ad te verò salubriter dirigere, nilque in homine aut aliqua creatura respicere & amare, nisi quod tuum est, & propter quod facti sunt.

Oratio pro cognitione propriae fragilitatis habenda. Cap. 10.

Domine deus dilecte, sancte pater meus non sum dignus à te consolari & visitari, sed duris verberibus castigari & flagellari. Ego merui grauitates multas & varias tribulationes habere, quia valde peccaui, & innumeris beneficiis tuis ingratus extiti. Ego non sum dignus sicut ceteri boni fideles & deuoti fratres mei, diuinis consolationibus recreari, & inter caelestes conuiuas computari. Sed obsecro te pater sancte, dulcis ac pie domine, fac me vnum ex minimis vernaculis tuis, ut sim saltem nouissimus pedisequus eorum, quorum vestigia non sum dignus osculari. Habeant ipsi consolationes multas & magnas, quos speciali amore diligis & honoras: mihi minimo & infelici magnum & acceptabile sit, quòd me affligendo doloribus & contrarietatibus diuersis, mihi non parcis. Da patientiam pie domine, & sit mihi omnis tribulatio & angustia supra omnem consolationem desiderabilis. Et hoc singulariter pro honore tuo patiar, & gratum habeam, non pro meo lucro ampliando, vel pro mercede potiori speranda. Meum lucrum maius non sit, quam libenter pro honore tuo pati, & vsque ad imum vilipendi & annullari, atque cunctorum hominum vestigiis veraciter subiici & humiliter

militer substerni. Refulge cordi meo veritas summa deus meus, lux sempiterna, ut mihi ipsi vilescam, meque despiciam, & tanquam exulem peregrinum & pauperem ignotum, sicut solitarium neglectum, ab omni creatura relictum, ac omni consolatione humana indignum, in hoc mundo me teneam, & praeterquam in te spem & solatium nusquam quaeram: sed me tanquam mortuum super terram, & mudo sepultum existimem, cuius memoria iam diu praeteriit, nec est inuenire aliud vestigium, nisi vile latens sub terra sepulcrum. Da mihi aeterna sapientia patris hae in terra mente sapientius praecogitare, & considerare nouissima mea semper, & ad futurum iudicium me praeparare, faciemque tuam praere precibus & lamentis, Amen.

Oratio pro agnoscenda & sequenda via vitae. Cap. 11.

Domine Iesu Christe lumen verum, aeternum & incommutabile, qui ad illuminandas humanae ignorantiae tenebras in huius mundi carcerem descendere dignatus es, ut viam nobis ostenderes ad patriam claritatis aeternae, ubi sanctis angelis semper praesens es, & sine defectu luces, exaudi preces humilitatis meae, & deificum illud lumen, quod mundo praedicasti, & cunctis gentibus per orbem praedicari iussisti, cordi meo gratiosa largitate infunde, ut cognoscam in terra peregrinationis meae viam tuam, quatinus seculi vanitate relicta, & cura carnis abiecta, te creatorem ac redemptorem meum passibus sequar amoris, vsque ad exitum vitae meae, in omni paupertate & humilitate, in patientia & longanimitate, in fide, spe & charitate, & castitate & obedientia perfecta. Tu enim speculum vitae, & lucerna totius sanctitatis, qui me praecessisti in via virtutis, ut me reduceres in agnitionem veritatis, qui multis erroribus & peccatis eram inuolutus. Te ipsam mihi proposuisti in exemplum viuendi, ut si quæpiam sanctorum imitari tæderet, saltem te deum meum sequi non pigeat. Et ne hoc impossibile iudicarem, multa sanctorum mihi exempla reliquisti, qui tua vestigia ardentè sunt secuti. Da ergo mihi amatissime Iesu feruorem spiritus tui, accende in me ignem quem venisti mittere in terram, ut cuncta hac infima despiciam, & tibi soli viuere desiderem, tibi soli placere studeam, ac pro amore tui ab hominibus despici & negligi non timeam. Esto tu gaudium meum, dulcedo animae meae, habita mecum, & ego tecum, toto exeluso mundo. Sis doctor meus, & magister meus, doctrina mea, & sapientia mea. Te sequendo errare non possum: te semper inspiciendo,

detrahentium sermones non curabo. Omnis labor pro te mihi paruus videatur, omnis aduersitas leuis, omnis grauitas tolerabilis efficiatur. Praestet mihi hoc amor tuus, qui omnia vincere facit. Sequatur & humilitas cordis, quae omnia implens, nil dignum se egisse reputat. Tu es expectatio mea, & adimpletio desiderij mei, tu recreatio mea & illuminatio cordis mei, qui nunquam deseris sperantes in te, quanuis ad horam patiaris eos tentari, ut melius se cognoscant, & memores sint quòd sine te nihil facere possunt. O vnice dilecte Iesu, ne derelinquas me desolatum in huius mundi exilio: sed sicut dixisti & promissisti, ita mecum age, ut vadas & venias iterum ad me tempore opportuno, donec finito probationis certamine, assumas ad te ipsum in aeternam gloriam tuam, in qua viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

De mortificanda vita pro Christo.

Cap. 12.

Gloriosus Apostolus Paulus docet me gerere mortificatam vitam, dicens, Estimare vos mortuos mundo, viuentes autem deo in sanctificatione. Et alio loco dicit: Si mortui sumus, & conuiuemus. Idcirco mortificatio est mihi necessaria, & quòd in omni re me relinquam & vincam propter Christum, qui pro me mortuus est, & resurrexit à morte. In vita domini nostri inuenio perfectam mortificationem me ipsius secundum affectionem naturae, & inclinationem sensualitatis, quae debet utique refrenari & subigari. Inuenio etiam in morte Christi quandam spiritualem & internam vitam gratia & virtutibus plenam, cum qua resurgo ab omnibus perituris rebus, & adhaesionibus creaturarum extra me vel in me, cum aliqua dilectione aut auersione. Et quando ab omnibus vacuus sto, & inoccupatus maneo, tunc ad caelum pergo cum Christo: nec vlla res me tunc delectat, nec vllum solatium recreat: sed solum vnio Christi, sua gloria, & esse cum Christo. O quam felix est ista mortificatio, quae mihi aperit ianuam aeternae vitae? Beatus Ioannes euangelista audiuit vocem dicentem sibi, Beati mortui qui in domino moriuntur. Amodo enim iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Vere caeleste est verbum mori peccato, & vim facere naturae. Nec prius vera pax interna inuenitur, nisi homo sibi ipsi sit mortuus & mundo, atque cotidie de nouo mori se disponat: Quoniam omni die oportet me proponere velle mori propter Christum, & de nouo incipere vitam meam emendare, & ad patiendum & moriendum

f iij

dum disponere, & me ipsum vincere, immo omni hora & tempore oportet me nisi exire à me ipso, & ad fundum me relinquere propter Christum, atque in eius amore mei ipsius amorem abnegare & ad nihilare. Nam tantum lucratur quantum pro Christo dimitto, & tantum proficio, quantum à me exeo. Vbi me relinquo, ibi me inuenio: & vbi me ipsum quero, ibi me perdo. Vbi me ipsum præterendo ad commodum, ibi me lædo. Adhuc in multis habeo mihi ipsi mori, non est mihi cum vna morte faciendum. Volo autem libenter mori secundum spiritum, quantum caro sit infirma & rebellis. Oportet me sæpius agere quæ inuite facerem, & sæpe dimittere quod libenter agere vellem. Et in istis tota pigritia mea & victoria mea consistit. Beatus qui in omnibus se relinquere scit & frangere, quia coronam æternam vitæ à deo accipiet. Hominum præmium vile est & paruum, atque nimis cito perditum: sed apud deum nihil potest amitti, nec in tempore, nec in æternitate. Ego volo apud dilectum dominum nostrum manere, transeat mecum qualitercumque potest: quia si deliqui, ipse libenter vult mihi indulgere: & si bene egi, ipse bene remunerabit. Huius rei ipsum accipio testem. O dilecte Iesu hoc mihi facere digneris, quia ego nihil sum. Bene possum de me conqueri, & valde me ipsum lamentari, quia egomet sum totum quod me impedit & grauat, cum recte aspicio & considero. Confiteor quod est culpa mea. Et quanto melius me humilio & despicio, pro omni causa impediēte, eo facilius ad veniam peruenio, & omne opus cum humili sufferentia operis Christi vinco. Quid mihi prodest quod impedimentum meum alteri impono? Si ius habeo, bonum est mihi quod taceo & sustineo, quia multa querimonia non meliorat me. Et si iniustitiam habeo, tunc potius cedo tempestiue quam tarde. O dilecte Iesu iuuam me portare onus meum, quia sine te nihil possum. Tu es fidelissimus amicus & auxiliator optimus, quando necessitas incumbit. Oportet quod permittam omnia transire super me, & tam iustum quam iniustum æqualiter portem. quantum sit mihi sapius graue, tamen me ipsum resignabo, quia mox erit hic finitum tam gaudium quam lamentum. Beatus est qui diuina promissa expectare scit, & permittit deum secum agere omni tempore pro omni beneplacito suo, sine electione & exquisitione. Regrator tibi domine de omni grauamine & omni bono quod mihi aduenit, quo etiam indignus sum. Laudatus sis & benedictus in æternum pro omni consolatione quam vnquam sensi. In breuif-

simo tempore à pressura mea liberatus sum, & statim satis habeo ad portandum, quia nulla res est durabilis sub sole. Taliter huc venit, & sic ulterius procedit. Pati in hoc tempore nulli deficiet, vbiunque quis fuerit, vel quid habuerit. Benedictus deus, ego bene promerui pati, & recte ad me pertinet tribulari & contemni. Adiuua me amande Iesu ad bonum & salubrem pertingere finem. Spero quod adhuc totum melius fiet, quantum sæpe titubanter & contrarie in hoc tempore succedit. Super quo possum confidere, nisi super misericordia tua dilecte domine, vnicum refugium meum? Quid prodest omne solatium hominum, quando tu me deseris? Aut quid me impedire potest, quando tu mihi absistis? Sed tu sæpe nimis remotus es & absconditus. Non possum cōfidere in aliquo solatio & bono sentimento cordis mei, nam sæpe priuatus sum omnibus antequam scio vel animaduertio. In istis oportet vt iterum discā mihi ipsi mori, & omnem terrenam consolationem abnegem, & in voluntate domini voluntatem meam deponam, atque exiliū meum & pressuram & caliginem studeam sufferre, donec ipsi placeat mei pauperis creaturæ iterum misereri, & me consolari. Oportet gratiam dei expectare, & cum paupertate me iuuare, & pensare quod nec vnus assis valore dignus sum. Deus autem omnium bonorum principium est & finis. Ipse repente dirigit & pauperat, infrigidat & inflammat, exultat & deprimit, illustrat & obscurat, multa mira intus agens, quæ facilius nequeunt enarrari. Eia dilecte Iesu fac sicut tibi melius videtur, quia ad profundum non intelligo me ipsum. Tibi soli notum est quid mihi vtilius sit. Ego committo me tibi, fac mecum secundum placatiorem voluntatem tuam. Quando mihi aliquid obest, hoc cito percipio, quia inquietudo cordis non est delectabilis ad portandum. Omnis impeditio & perturbatio, ex propria exquisitione venit. Natura semper quæ sua sunt querit, diuersis modis intus & foris, in paruis & in magnis, & valde inuite vult mori & seipsam abdicare. Veruntamen oportet ipsam mori & deuinci, si spiritus debet quietari, & cum Christo vniri. Eia dilecte domine fac me participem gratiæ tuæ, & ne derelinquas me in necessitatibus meis, quia plura adhuc habeo ad superandum. Necdum ad fundum me reliqui, neque totaliter mihi ipsi sum mortuus, nec ab omnibus creatis rebus & affectionibus adhaerens solutus & euacuatus: sed natura adhuc fortiter in me viuuit, & operatur partem suam, & dat mihi intelligere

Fomes peccati Hiebusseus. Ios. 15. Indic. 1.

intelligere quod fomes peccati Hiebusseus adhuc in terra mea moratur. Benefac dilecte domine mihi propter gratiam tuam, quia in virtute tua mox ad nihilum cadunt omnes inimici mei. Vnico enim verbo, & in ictu oculi, mox ante te sunt effugati. Verum me oportet semper stare in timore, & nunquam mihi ipsi cōfidere, quia licet frequenter eripiar & liberer, tamen non sum securus. Super nullo sapore nec commodo nec solatio cōfidere possum, tantum super misericordia tua o dulcis & misericors domine. Sine te sum mihi ipsi onus & impedimentum, sed tecum & in te efficio firmus & liber, & potens mei ipsius. Non possum ponere cor meum super aliquem locum quantumcumque pulcher ille fuerit, quia totum transitorium est quicquid hic queritur extrinsecus, totum est instabile & infecurum, in hominibus, in rebus, in domibus, in claustris, & vbi que inuenitur defectus, contrarietas, & resistētia in vno vel in altero, & omnino super pati & premi ab intra vel ab extra venire vult res quælibet in præsentia. Nihil quippe iuuat quando passio venit, quam decorus sit locus, vel quata bona habeantur. Qui bene cum paupertate se gerere scit, & melius pati pro deo, ac potius semper minus desiderat quam amplius, ille maiorem pacem obtinebit, & altiorē letitiam apud deum. Quando aliquid temporale nimium diligitur, non poterit diu interina pax possideri. In simplici oculo & puro corde cuncta sunt aspicienda, & cauendum ne cum delectatione sensualitatis res considerentur. sic enim absque nocumento & purus in conscientia homo permanebit. Omnibus rebus mundi & cunctis gaudiis cali præponenda est voluntas dei. Quod nobis concedat ipse deus. Amen.

Incipit liber quintus de ordinatione spiritualis exercitij: Cuius hæc sunt capita.

- Breuis admonitio spiritualis exercitij. Cap. i.
- De oratione. Cap. ii.
- De lectione. Cap. iii.
- De operatione. Cap. iiii.
- De choro. Cap. v.
- De vigiliis matutinis. Cap. vi.
- De meditatione post matutinas. Cap. vii.
- De custodia cellæ. Cap. viii.
- De exitu ad laborem. Cap. ix.
- De obedientia & humili responsione. Cap. x.
- Ad quid omnia exercitia sint dirigenda. Cap. xi.
- De refugio ad deum semper habendo. Cap. xii.
- De meditatione passionis Christi. Cap. xiii.
- De virili confidentia in Christo. Cap. xiiii.

- De bono Cellæ custoditæ. Cap. xv.
- De contemptu consolationum externarum. Cap. xvi.
- De bona & pacifica vita. Cap. xvii.

Breuis admonitio spiritualis exercitij. Cap. i.



B exterioribus peruenitur ad interiora, ab inferioribus ad superiora, à corporalibus ad spiritualia. Paulatim proficit homo, & hoc per cottidiana exercitia. Et licet primo multa sint graua, tamen in consuetudinem ducta sunt leuia & sapida. Tria sunt omni religioso necessaria, sine quibus non potest diu stare in bona vita. Hæc sunt, oratio, lectio, & operatio. In istis omni die se exercere debet, & semper in aliquo horum occupari.

A pusilliora progrediendi.

Tria monacho omnino necessaria.

De oratione. Cap. 2.

Oratio illuminat, oratio purgat, oratio consolatur, oratio lætificat, oratio impetrat fauorem, oratio alleviat laborem, oratio nutrit deuotionem, oratio præbet fiduciam, oratio expellit pigritiam, oratio fugat dæmonem, oratio vincit tentationem. Nō te pigeat orare, si vis à vitiis liberari. Oratio semper est necessaria, sicut & gratia, sine qua viuere spiritualiter non possumus. Orare debemus pro gratia, quia gratia est qua tantum indigemus. Melius est orare quam legere, tamen in tempore suo vtrunque est agendum.

Oratio nis virtutes.

Oratio perinde atque gratia necessaria.

De lectione. Cap. 3.

Lectione debet esse quasi oratio: & antequam legas, præcedat oratio. Lectio sacra ignorantiam nostram erudit, dubia soluit, errores corrigit, bonos mores instruit, facit cognoscere vitia, hortatur ad virtutes, excitat ad feruorem, incutit timorem, recolligit mentem, recreat fastidiosum animum. Et quia non potes continue orare vel legere, debes aliquid vtile exterius operari: in qua operatione oratio præeat, oratio intercurret, oratio totum finiat.

Oratio vbi que semper præcedat, intercurret, sequatur. Lectio quantum commo-dat.

De operatione. Cap. 4.

Operari manibus bonum est corpori, deservit spiritui, edificatio est proximi, & reparatio est sensus nostri. Et si interdum pigri sumus, tamen perseverando vincimus. O quam deuoti fuerunt sancti qui sine intermissione orauerunt: quam studiosi, qui nunquam sacra lectione satiari potuerunt: quam feruētes, qui nunquam frangi laboribus valuerunt. Qui propter deum sibi aliquam violentiam facit, deus ipsi maiorem gratiam dabit, & cito

Operari manibus quod bonum.

in virum perfectum mutabitur. Consuetudo mala per bonam consuetudinem vincitur. Et bona consuetudo tandem in naturam vertitur, ut quod primo fuit difficile, postea leue videatur, ac facile.

De choro. Cap. 5.

Qui in choro psallit, simul & orat & legit & operatur.

Psal. 70.

Ista tria, oratio, lectio, & operatio, occurrunt nobis facienda in choro, quia ibi precipue frequetur oratio in psalmis, hymnis, & collectis. Ibi etiam sacra lectio recitatur in matutinis, in epistolis & euangelis. Nec vnquam deest ibi perfecta cruditio, si fuerit diligens aduertentia. Ibi loquitur Iesus nobiscum cum cantatur, Salus populi ego sum. & iterum nos loquimur cum Iesu, cum dicimus, Spes mea domine a iuuentute mea, adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Ibi est operatio bona & perfecta, cum corpore stamus, & ore cantamus. Non est paruus nec infructuosus labor die nocteque frequentare chorum. Non est ociosus qui deuote orat, immo maximus labor se dare ad orationem, cum orare non libet. Non est ociosus, qui scripturas legit, aut legere audit, aut de eis meditatur, aut ruminat. Fit homini chorus paradisi, si incipit delectari in omnibus diuinis scripturis.

De vigiliis matutinis. Cap. 6.

Vigilatur in oratione media nocte.

Omni media nocte statim ut suscitatus fueris, surge alacriter, & prepara cor tuum ad vigilandum & psallendum domino in laetitia & exultatione. Si non habes deuotionem in choro, psalle e quo animo, & expecta gratiam domini de caelo. Saepem dat deus in fine, quod iuste ante denegauit. Vult ut laboremus, vult ut patienter expectemus, vult ut gratum nobis sit & magnum, quod dare disposuit, vult ut cognoscamus veraciter quod a nobis nihil boni habemus, sed totum de sua gratia & misericordia nobis confert. Oremus ergo, citemus & laudemus deum nostrum qui fecit nos, quia nihil iucundius quam deum corde & ore laudare. Lige sit somnolentia, longe sit pigritia, vbi in conspectu angelorum & coram oculis maiestatis dei stamus.

De meditatione post matutinas. Cap. 7.

Initis matutinis offer te ipsum deo in sacrificio laudis perpetua, ut in sui nominis laude & amore tota die ac nocte te dignetur conseruare. Hoc enim principale opus nostrum esse debet, semper deum laudare, & omnia opera nostra exteriora & interiora, parua & magna ad eius honorem puro & integro corde agere. Vita angelica est chorum cum deuotione & reuerentia frequentare. Nam ibi plures deuoti visiones angelicas habuerunt, saepius in spiritu rapti sunt, frequenter illuminati, dulciter consolati, & fortiter accensi sunt.

De custodia Cellae. Cap. 8.

Initis primis vel tertiis studeas te continere a verbis multis & circuitionibus, sed quanto celerius potes, cellam pete, & aliquid boni exercitij propone, quod tibi per totam diem deseruiat. Statue firmiter quod de hodie velis custodire in omnibus moribus & sensibus tuis. Habere semper pudicos oculos, non curiosos, pauca & vilia verba. Gressum matutum, & incessum humile, & in omnibus motibus & situ nihil agere aut pretendere quod cuiusquam offendat aspectum. Vbi que necesse fuerit te esse, omnibus priuatis praetermissis studeas tepestiuue venire. Nec assuescas malum usum, vltimus sepius veniendo. Nihil estimas quod facis, si non prius feceris quod debes. Esto igitur vbi que cum primis alacer & paratus in omni loco & tempore ad hoc deputatus. Communia semper propone propriis & priuatis. Alterius potius quam propriam studeas facere voluntatem, & omnibus eris dilectus tam deo quam fratribus. Pauca verba & humile responsum habeat os tuum. Melius est tacere, quam imprudenter loqui. Libenter sis in cella: si non potes, custodi os tuum.

Propositum tu quoque libet de renouandis.

De exitu ad laborem. Cap. 9.

An tequam ex eas, & postquam intraueris cellam, breuem habeas orationem. Noli cor tuum effundere ad exteriora, sed discemanibus operari, & corde orare. Nemo statim perfectus est, nec vna die acquiritur virtus & deuotio ista, sed quotidiano exercitio, & diligenti proposito efficitur homo deuotus & internus.

De obedientia, & humili responsione.

Cap. 10.

Quod tibi semel inhietur, sic studeas dimittere, ut non sit opus secundo. Quod tibi pro bono dicitur, pro bono accipe, & eris semper inde melior. Non queras excusationem in defectibus, sed humiliationem cum emendatione. Si vis lucrari semper & amari, humili te, & tace sustinens. Virtutes semper laetificant, passiones mortificatae generant. Sacra scripturam dilige, libenter in corde lege, & aliquid inde extrahe. Discite deuote meditari, cum gemitu cordis orare, & mentem ad deum eleuare.

Ad quid omnia exercitia dirigenda sint.

Cap. 11.

Omnia exercitia ad hoc dirigenda sunt, ut passiones vincantur, ut propria voluntas mortificetur, ut mundus contemnatur, & deus diligatur: ut caro refrenetur, & spiritus ad caelestia eleuetur: ut omnibus affectionibus mitigatis, puritas cordis & tranquilla mens possideatur. Modicum laborabis, & magnam requiem inuenies. Breue est tempus peregrinationis

tionis nostrae, sed premium nostrum erit gaudium sine fine. Multi maiora tolerant pro mundo, quam nos pro deo. Multi duriora patiuntur & viriliter agunt pro inferno, quam nos pro caeli regno.

De refugio ad deum semper habendo.

Cap. 12.

Psal. 26.

Abac. 2.

Viriliter age, & confortetur cor tuum, dominus erit tecum in omni tempore & loco. Quare illum, & inuenies: clama, ne cesses: si moram fecerit, expecta eum, & non morabitur. Dic ad eum, Veni domine, & noli tardare, domine ad adiuuandum me festina. Adiuua me Iesu bone, & salua erit anima mea. Seruus tuus sum ego, da mihi auxilium gratiae tuae, & bene mihi cito erit. Domine dignare esse mecum, & ego libenter volo esse tecum. Domine propter te incepti, propter te mundum reliqui, propter te patior tetationes istas. Propter te sustineo labores istos, propter te morior tota die. Propter te existimatus sicut stultus & inutilis homo. Propter te arguor: & corripior, propter te surgo & canto, propter te ieiuno & vigilo, propter te laboro & scribo, propter te cellam custodio, & taceo. Propter te, omnia ago & sustineo, quia tu bene dignus es, & largus ad retribuendum mihi in tempore tibi beneplacito. Domine suscipe seruum tuum in bonum, & non timebo quid faciat mihi caro vel homo. Domine Iesu esto refugium meum, & vnicum solatium meum. Esto tu spiritus amicus meus, quia omnes amici mei me reliquerunt. Esto tu spes mea, quia spes vana in hominibus. Esto tu gaudium meum & laetitia cordis mei, quia omne gaudium mundi totum inane. Esto tu dux meus & notus meus & socius meus in via hac qua ambulo, quia homines cito deficiunt & auferentur a me. In te caetatio mea, in te consolatio mea, in te tota fiducia mea. Sis tu salus mea & honor meus, amor meus & dulcedo mea. Da mihi amare crucem tuam, & imitari vestigia passionis tuae. Scribe vulnera tua in corde meo, & da mihi ex desiderio sustinere impropria & iniurias vndeunque illatas, & tibi configurari in vita & in morte. Tu mihi viuere sis, & mori pro te magnum lucrum videatur.

De meditatione passionis Christi.

Cap. 13.

Multa bona confert passio Christi frequenter meditata: & quandoque aliquid aduersitatis vel grauitatis extra vel intra occurrit, tunc specialiter recurrendum est ad passionem Christi, & pensandum quantum dominus sustinuerit pro nobis indignis. Et in hoc debemus consolari, quia dat nobis de caeleste suo bibere, & vult quod discamus in no-

bis suam passionem perfecte sentire. Modicum confert poenas Christi cogitare, nisi homo velit similia libenter tolerare. Debemus etiam pensare quanta passi sunt sancti tormenta pro nomine Christi.

De virili confidentia in Christo. Cap. 14.

Situr abiecto timore serui, induere spiritum feruoris & dilectionis. Accipe fortitudinem, & induere armaturam dei, ut possis resistere in die malo. Confide fili, & noli timere, quia ego tecum sum, dicit dominus, ut erua te. Confortare & esto robustus, quia plures nobiscum sunt, quam contra nos. Ego (inquit dominus) ante te ibo, & pugnabo pro te, eroque tecum ad quaecunque perrexeris. Pone ergo totam spem tuam in domino, & noli esse pusillanimis corde, sed constans & virilis ad omnia.

De bono cellae. Cap. 15.

Sit tibi cella paradisi, chorus caelum, lectio sacra cibus. Sit tibi silentium amicus, labor socius, oratio auxiliarius. In choro sis stabilis & quietus, tibi & deo maxime intentus. In cella aut legens, aut orans, aut operans inueniaris. Ad loca vbi multi conueniunt & loquuntur, non transeas. Tene te solitarium, & senties bonum. In labore & communi societate raro aut parum loquaris. Raro egredere foras: & si euocatus fueris, cito reuertaris. Vbi que esse debes, sine mora venias. Humiles & compositos mores habeas, & omnes sensus tuos sub disciplina custodias. Discas pro deo pati in omni grauitate & necessitate. Non sis importunus, sed omnia fac cum tranquillitate. Cum patientia & humilitate omnes vinces aduersantes. Viriliter age, & confortetur cor tuum, & fugiet inimicus.

De contemptu consolationum externarum. Cap. 16.

Beatus qui non habet consolationem in terra. Beatus qui despicit omnem consolationem pro Christo. Beatus qui patiscit eum a deo & ab hominibus derelictus fuerit. Beatus qui ordinationem dei expectat, & omnia de manu eius accipit. Discite sine humano solatio viuere, etiam cum copia asit consolationum. Fragile & indurabile est solatium in hominibus confidere, aut nimis de eorum praesentia gaudere, vel de absentia contristari. Nec enim tu diu hic eris, nec illi etiam diu tecum permanebunt. Cito cuncta obliuioni tradentur, & ideo tanquam nihilum & inane omnes res mundi in corde tuo censeantur. Sit locus tuus proprius regnum dei & mansio caelestis, vbi Christus sedet in dextera dei patris. Nulla terra, nulla regio, nulla ciuitas tibi placeat aut te alliciat ad videndum, sed tantum caelestis habitatio sanctorum, vbi sunt noue ordi-

nes angelorum laudatium deum in secula seculorum. Amen.

De bona & pacifica vita. Cap. 17.

SI vis deo digne viuere, debes teipsum illi resignare. Pone cor tuum ad quod esse debet, tunc pacem habebis vbique. Propone grauiora portare, tunc minora facilius portabis. Disce in omnibus te vincere, & pacem intrus habebis. Quod doleo, hoc volo, & sic caelum habeo. Cum patientia & silentio maior pax acquiritur. Sapiens est, qui bene patiens est. Si debeam me ad omnia vincere, tunc oportet me a mortificatione inchoare. Ante omnia mortificatio mihi necessaria est & bona. Quauis haberem istud vel illud, tamen mihi non sufficeret. Depone de corde placet & displicet, & nihil te vrgebit. Eris quietus ab intra, si te non fundis nimis ad extra. Noli sollicitari de bonis terrenis, ne perdas aeterna bona in caelis, quae Christus promisit amicis suis. Quicquid scitur vel habetur nihil est, nisi deus ad votum habeatur. Qui omnia paruipedit quae sub caelo delectant, potest supra caelos tollere mentem, & aliquam de caelestibus gaudiis capere partem. Heu quomodo potest esse quod volumus aliquid esse? Nil tamen in veritate fumus, quauis nobis aliquid esse videamur. Quid vis multum conqueri, & hinc inde discurrere? Quocumque vadis & venis, non omnia prospera inuenies: Nam vbique occurrit aliquid ad patiendum: & si inde nescis gaudere, oportet te tamen sustinere, & tandem ad pacem te ponere, sicque in patientia omnia superare: Totum nihil est, nisi desistas te ipsum in aliquo querere. Quandiu hic vixeris, contra te ipsum certare habes, & aduersarium sustinere. In hoc crescit meritum, si propter deum sustines quod est tibi molestum. Qui pati fugit, pati ipsum sequetur, quia ista vita plena est defectibus & pressuris. Quauis libenter esses liber a passionibus cunctis, tamen non esset semper profectus tuus. Patienter ergo sustine, si vis deo placere, & multum promereri. Nam totum tibi cedit in bonum, si de manu dei accipis omne infortunium tanquam animae luctum. Recta via ad caelum, est pati propter deum. In humili sufferentia cognoscitur virtuosa vita, & caelestis sapientia, & sic peruenitur ad aeternum paradisi gaudium. Quod nobis concedat pius Iesus per suae sanctissimae mortis meritum, & preciosissimae matris suae semper virginis Mariae suffragium. Qui cum patre & sancto spiritu viuunt & regnat deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Deo gratias.

Incipit prologus in Dialogum Nouitiorum.



Colligite quae superauerunt Iohan. 1 fragmenta, ne pereant. Verbum Christi est ad discipulos suos. Cum enim omnipotens & misericors dominus de quinque panibus & duobus piscibus quinque milia hominum satiasset, iussit reliquias fragmentorum colligi, ne periret. Mystice autem loquendo fragmenta ciborum sunt verba doctorum, & exempla bonorum, quae a studiosis fratribus frequenter pensari debent, & in libris vel in tabulis tanquam in cophinis ad vtilitatem legentium diligenter inferri & obferuari. Hac consideratione inductus pro nouitiis exhortandis quorundam predecessorum meorum monita & exempla deo iuuante huic opusculo inserere cogitavi, quatinus his bonis auditis lauderetur altissimus deus, a quo bona cuncta procedunt, & multi legentes ista ad contemptum mundi amplius accendantur.

Explicit prologus. Incipiunt Capitula.

- Quod locutio de deo multum prodest nouiter conuersis. Cap. i.
Quod meliora sunt in exemplum trahenda, & deteriora vitanda. Cap. ii.
De laudabili statu religiosorum si bene feruetur. Cap. iii.
De periculis nouitiorum ex consortio mundanorum. Cap. iiii.
De sacerdote terato, & a deo consolato. Cap. v.
De iuvene clerico qui relicto studio monasterium intrauit. Cap. vi.
De matrona quae filium conuersum planxit, sed postea ad deum conuersa gratias egit. Cap. vii.
Quod potius est deo obediendum quam amicis. Cap. viii.

Incipit dialogus Nouitiorum de contemptu mundi. Nouitius.

ROGO te pater charissime, vt amore Iesu Christi diligenter ad me respectum habeas, quae salutaria sunt edoceas, excessus meos stricte corrigas, passionibus meis remedia tempestiue adhibeas, & si qua exempla bona nostri, mihi etiam imitata proponas. Idcirco enim mundum & ea quae in mundo sunt reliqui, vt in statu religionis plenius discam voluntatem dei & faciam, a periculis tentationum securius viuam, & tandem finito huius vitae stadio, aeternae beatitudinis premia cum fidelibus Christi merear adipisci. Intedo namque decetero

decetero totam vitam ad dei seruitium ordinare, & modicum temporis, quod mihi remanet, in religione consummare. Quapropter paratus sum omnem subire laborem, & tuis admonitionibus acquiescere, ac seniorum obtemperare statutis pro mea salute editis & profectu, sicut nouitium decet, & status religionis requirit.

Quod locutio de deo multum prodest nouiter conuersis. Cap. i. Senior.

LIBENTER audio quod dicis, & si potero prodesse, faciam quod hortaris. Aliter nunc spiritus sancti gratia, vt eloquar digna, quatinus deo nostra colloquia placeant, & proximis vtilia fiant. Siquidem magna ars docendi est recta debite proferre, & eadem testimonii sacris confirmare. Cupio autem tecum de deo & seruis dei aliqua loqui, vt tibi ex auditione solatium veniat, & mihi meritum ex huiusmodi colloquutione accrescat. Confido in domino Iesu, quod pietas eius non derit nobis orantibus, qui praesentiam suam promittit de se loquentibus affuturam, dicens: Vbi duo

vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Hinc est quod duobus discipulis ambulanti in via, & de se loquentibus, in specie peregrini apparuit, & ait: Qui sunt hi sermones quos conferis adinuicem ambulantes, & estis tristes? Et dixerunt, De Iesu Nazareno. Ecce qualiter pius dominus de se conuersis praesentialiter occurrit. Et quia non de secularibus negociis, sed de factis nostri saluatoris loquebatur, idcirco ab eo meruerunt consolari, & in diuinis scripturis pariter erudiri. Moxque in amore Christi tam vehementer sunt accensi, vt ex dulci colloquio eius mirabiliter illuminati dicerent: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum nobis loqueretur in via, & aperiret scripturas? Sicut autem bona colloquia accendunt corda piorum in amorem caelestium, ac germinare faciunt opera virtutum, sic vaniloquia corrumpunt bonos mores, & gratiam dei perdunt, deuotionem extinguunt, conscientiam maculant, & alios scandalizant. Oremus ergo ad dominum, vt illuminet vultum suum super nos, & custodiat nos ab omni opere malo, & sermone ocioso. Sedeamus cum Maria Magdalena ad pedes Iesu ad audiendum verbum illius, quod potest saluare animas nostras, & in omnibus actibus nostris ad beneplacitum dei tendamus.

Nouitius.

CONFORTASTI me, & instruxisti verbis optimis & exemplis. Vtinam custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Vtinam dirigantur omnes viae meae in conspectu dei mei semper. Sed non pigeat te ad interrogata

mea respondere. Dic quae, quomodo potest quis ad perfectum seculi contemptum venire, & verus Christi discipulus effici? Video namque multos seculum relinquere, & postea ramentum ad secularem vitam redire. Alios etiam considero habitum religionis assumere, sed a pristino seruire languere. Cum alii ecclesiam intrant, sed deuotionis gratiam non degustant. Quosdam etiam intueor ad exteriora defluere, & paulatim ad noxiam libertatem declinare. Rogo te, non me patiaris a via perfectionis exorbitare, sed quid cauendum sit, quidve tenendum, doceas euidenter.

Quod meliora sunt in exemplum trahenda, & deteriora vitanda. Cap. 2. Senior.

BONUS discipulus paratus est acquiescere magistri sui consilio, nec quicquam temere contra eius sententiam agere praesumit. Sic seruat humilitatem, implet obedientiam, meretur gratiam, tenet pacem, custodit conscientiam, & auget sibi gloriam. Qui enim a rem suam praebet sapientiae & doctrinae in principio, non poterit de facili errare, sed gaudebit de beato fine, breui labore transacto. Tantoque plus proficiet in virtutibus, & sapientior erit, quanto humilior superioribus se submittit. Nam arbor quae in altum crescere debet, oportet quod radices mittat in imo, ne cadat. Non ergo paucae repetito timore, sed in deo statuae fiduciam firmam, relinque propria uoluntatem, & subiice te in vera humilitate. Dominus erit in latere tuo, qui protegit gradientes simpliciter, & humilibus sua secreta reuelat. Vt autem melius perseueres in bono, a melioribus viuendi accipe normam, a doctioribus inuestiga sapientiam, ab expertis quaere consilium, & cum deuotis tracta sermonem. Si autem videris quosdam a via veritatis errare, & retro post Satanam abire, non pereuntes imitari, sed bonos & seruantes studeas semper emulari. Quare cum paucis saluari, qui per angustam portam intrant ad vitam. Nam Christus teste, lata & spatiosa est via quae ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Vae eis qui a domino deo recedunt, & redeunt in Aegyptum, hoc est in hunc mundum peccatis tenebrosam, vt pascant carnem suam cito morituram. Beatus autem homo qui metuit dominum, & in lege eius meditatur die ac nocte, vt ambulet in viis eius. Attamen pius dominus non deserit suos, sed sicut bonus pastor consolatur oues suas, quae vocem eius audiunt, & sequuntur eum usque ad mortem, eligentes magis mori in bello terationum, quam peccato consentire, vel turpiter ad seculum redire. Talibus enim dicit: Nolite timere pullus grex, quia placuit patri vestro dare vobis

In patre via, bona & pacifica vita.

Verba doctorum & exempla bonorum, quae a studiosis fratribus frequenter pensari debent, & in libris vel in tabulis tanquam in cophinis ad vtilitatem legentium diligenter inferri & obferuari.

Quid colloquia bona, quid mala efficiunt.

Luc. 10.

Iaco. 2.

Prou. 2. Matt. 11.

Matt. 7.

Luc. 12.

regnum. Quid timendum sub tali pastore uiuere, pro æterno regno militare quod ipse dare promissit? Et quidem faciet quod promissit. Nec solum gaudia futura pro contèptu mundi promissit se daturum, sed etiam in præfenti dat feruentibus sibi consolationem spiritus sancti, quæ longe melior est & suauior quam omnis læticia mundi. Nam sæpe orantibus deuotionis gratiam infundit, & in lege dei meditantibus lumen intelligentiæ aperit, vt gustata suauitate spiritus, caro vilescat & mûdus.

Vnde perfecte huic seculo renfiantibus dominus ait: *Matt. 19* Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrè, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Sed quia multi vanas cõsolationes quærent, & ad exteriora se conuertunt, idcirco deuotionis gratiam non sentiunt, nec cælestem illuminationem accipere merentur.

Est ergo tutissimus status placèdi deo, & meritorius amplioris gratiæ & gloriæ, fugere mundum, amicos relinquere, temporalia contemnere, arctiorem vitam assumere, propriis renũciare, sub obedientia viuere, laboribus insistere, vigiliis & ieiuniis carnè macerare, lectiõibus & orationibus incubere, contra tentationes & vitia quotidie certare, præsentia fastidire, æterna desiderare, gratiam dei instanter quære, inuentam sollicitè custodire, viliter de seipso sentire, aliis libenter obsequiũ impendere, soli deo optare placere, sine querela inter fratres niti conuersari, & in sancto proposito, ac proficiendi desiderio firmiter perseverare. Hæc ad verum Christi discipulum pertinent, hæc feruum dei ad cæleste regnum indubitãter perducunt. Vnde benignus magister electis discipulis suis, *Luc. 22.* Vos, inquit, estis qui permãsisistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnũ, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

Nouitius. Placent quæ dixisti. Ex his nanque verbis confortatus sum in domino, & in spem vitæ æternæ, pro qua laboro, lætus respiro. *Rom. 8.* Non enim sunt condignæ pansiones huius tẽporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et vere qui deo fideliter seruiũt, & modo bene habet, & in futuro maiora percipiet. *Ibidem.* Omnia enim cooperantur electis in bonum tam præsentia quàm futura. Quapropter precor tuam clementiam, vt vacillantem animã facris eloquiis confirmes, & si qua bona exẽpla de aliis nosti, mihi etiam libetèr exponas. Quauis enim multa præclara facta de veteribus sanctis audiui, opto tamen bona noua audire de modernis. Verũtamen causas à spiri-

tuali profectu tardãtes prius mihi aperi, vt inimici fraudes cauere, & calles iustorũ valeam inoffenso pede transire.

De laudabili statu religiosorum, si bene seruetur. *Cap. 3. Senior.*

*S*tatus religiosorum magnus & sanctus est si bene seruetur, si quisque sic viuat vt regula docet, & habitus demonstrat: sed non est ideo frater securus & spiritualis mox censendus, quòd cū bonis ambulat, & sacras lectiõnes frequenter audit, & bene cantat, sed quia toto corde nititur implere quod promissit, & facit quod debet. Quòd si ex fragilitate excidit quandoque, aut aliqua tẽtatione vincitur, vel passione mouetur, cito se corrigere studeat, & multũ doleat, reum se cognoscat, nec excusando culpam augeat, sed ad petendã veniã sponte se humiliet, vt deus ignoscat. Pius enim dominus quauis offensus sit & contẽptus, stertibus & precibus confitentũ cito placatur, sicut Dauid sanctus poenitẽdo testatur: Cor contritũ & humiliatum deus non despicies. Igitur magno conamine ad anteriora te extende, quæ retro sunt & huius mundi obliuiscere, nec ad remissos & infirmiores respice, sed ad quid venisti, & quid te agere oportet, attende. Nam qui proficere vult, omni die incipere debet, nec vllum laborem abhorre, nec aliquod tempus ociose præterire. Non igitur longos dies, nec annos plures in religione cõputes, nec de dignitate ordinis gloriaris, nec loci amœnitate delecteris, sed quàm lõge adhuc à veris virtutibus distes, pensa, & in quantis vitiorũ fordibus iaceas, diligenter pertracta. Nam qui se aliquid esse putat, ipse se seducit. Per elationem quippe gratia Christi perditur, & bona diu quæ sita citius euelluntur. Igitur occulta super te iudicia dei metue, omnia opera tua districte discute, altiora noli quære, nec curiosa rimari, sed quæ tibi præcepit deus, cogita semper. Et quandiu in corpore peccati manes, non securitatem à tentationibus, non requiem à laboribus tibi audeas polliceri, sed sicut strenuus miles certa contra vitia, & donec accipias coronam gloriæ, scutũ patientiæ in omni tẽtatione & angustia corde firmissimo tene, vt cum apostolo Paulo dicas mortis articulo imminente: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidẽ seruauit, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex. Et quidem dominus noster Iesus Christus non misit apostolos suos ad quærendum honores temporales & commoda carnis, sed ad crucẽ portandam, & propriæ voluntatis libertatem abnegandam. Vnde sequaces suos hortatur dicens, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,

Moni-choru cõditio nobilitate, si quidem seruetur

Psal. 9

Philipp.

Gale

Eccl.

1. Tim.

1. Tim.

Matt.

Apo. 3.

metipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur me. Indue ergo armaturam dei, & sta in præparatione pugnæ, quoniã multi bellãtes aduersum te, caro, mundus, & diabolus, qui non cessant inpugnare die ac nocte innocentes, & Christo seruire volentes. Sed ne timeas eos nec audias, neque credas eis, nec consentias suggestionibus eorum pulchris & fictis, quoniam in dolo tecum loquuntur, vt capiant & decipiant, atque à deo elongent, & ad omne malum finaliter perducãt. Quapropter vigila in orationibus, & aduersus insidias diaboli diuini flagita humiliter quotidie auxiliũ, & fratrum expertorum acquiesce cõsilio, ne tẽtatio tibi dominetur, & mundus rursus te illiciat & inuoluat. Habeto igitur in mète quod in Apocalypsi ad cõsolationem militum Christi in seculo pugnantium legitur, Qui vicerit, faciam illum columnam in tẽplo meo, & dabo ei edere de ligno vitæ quod est in paradiso dei mei.

Nouitius.

*S*icut iam supra ad emedationis studium & perfectæ mortificationis agonem me animasti, ita nunc pericula à bono incepto retrahetia, & ad secularia desideria inuitãtia, ad cautelam mihi planius describe. Dolendũ enim vehementer, cum quis labitur in teporẽ, refugiendo parui temporis laborẽ: sed magis desidendum cum aliquis relicto dei timore reuertitur ad seculũ, diaboli sequendo instinctum, sicut infelix Iudas fecit, qui propter pecuniæ quæstũ reliquit Christũ, & cum pharisæis inuit cõsiliũ, ac tandem peruenit ad laqueũ, miserabiliter finiẽdo vitam presentem, & mortẽ incurrendo sempiternam. Aperi ergo os tuũ, & denuda dolos serpẽtis antiqui, qui sub specie boni decipit multos, vt sæpe probasti.

De periculis nouitiorum ex confortio mundanorum. *Cap. 4. Senior.*

*S*unt multa quæ impediũt incipientes, sunt plura quæ retrahunt proficiẽtes, sunt vero valde pauci qui ad perfectionẽ perueniunt, & omnẽ difficultatẽ per vitæ meritum transcendant. Quidam nanque seruẽter incipiunt, sed orta tentatione à proposito sancto resiliunt, & ad pristina vitia relabuntur. Et quia deum purè nõ quærent, nec integre se resignant, tot obstacula inueniunt, quot tentamenta eis occurrũt. Hi enim ignorãt aut obliui sunt quod elegerunt, quia pro deo & pro anima sua certare atq; pati aduersa venerunt, sicut dominus apertissime dicit: In mundo pressurã habebitis, sed cõfidite, ego vici mundũ. Quomodo? Per tolerantiam videlicet alienę malitiæ, & perseverantiam in statu bonę vitæ. Multi enim sic deo seruire volunt, tanquam nihil grauitatis passuri, sed cum omni iucunditate sint hic vi-

Ioa. 16.

sturi. Sed qui talia quærent, terrena adhuc sapiunt, & religiosorũ certamina nõ nouerunt. Vtinam recalescant, & per fructum boni operis se exercent, ne per proprium cõmodum decepti æterna præmia perdant. Studeas ergo ad sufferentiam laborum & dolorum te præparare, quatinus in futuro cum Christo æternaliter gaudere, & cum triũphatoribus mundi in cælo coronari merearis. Ad cautionẽ igitur tuam animaduerte quæ dico. Si non vis decipi in via domini, si intẽdis proficere, & in bono perseverare, fuge cõsortia hominũ secularium, caue occasiones tẽtationum, vt nõ videas nec audias quæ mundi sunt, ne corpore associatus eis, etiam mète inquineris. Vilipẽde honores, diuitias & voluptates, quæ seducunt amatores suos, nec vnquam satiant possidẽtes. Qui enim volunt diuites fieri in hoc seculo, incidũt in laqueũ diaboli, & in desideria multa, de quibus nõ poterunt sine magna gratia dei liberari. Hæc autẽ tria vitia prædicta foueã sunt & radices omnium peccatorum. Vt ergo melius vincas, & tutius viuas, nec venenosũ serpentis moribus intereas, qui mille modis insidiatur animarum saluti, fuge, tace, quiesce, abscõdere, elõgare. Ama nesciri, disce mori, luge præterita, sperne præsentia, meditare futura. Hæc breuis regula maneat in memoria tua, & docebit te vincere omnia terrena. Relinque etiã notos & amicos, parẽtes & vicinos, vt Christum inuenias, & angelorũ socius postmodum fias. Beatius est tibi vt elõgatus innocetèr viuas, & solus salueris, quàm cū multis lupis & draconibus discumbendo & canendo pericliteris. Nã raro diu bonus permanebit, quæ secularib; personis libetèr se immiscet. Cito quoq; deuotionẽ suam perdit, quæ sollicitè eam nõ custodit, sed varia amicorũ solatia petit. Lumen in lucerna clausum, fulgorẽ suum retinet & ardorẽ: extra vero positum & eiectũ leui flatu extinguitur & tenebescit. Quòd si omne rarum charũ cõsetur, tãto erit quis deo charior, & hominibus reueretior, quanto rarius foris videtur. Et si omnibus religiosis & deuotis excursus nocius est, & occupatio interdicitur secularis, pæcipue tamẽ iuuenibus & nouellis nocet visitare amicos seculares, ac patriam requirere natiuam quã reliquerunt. Noli ergo affectare familiaritatẽ extraneorũ qui habitum geris deuotorum, sed per cõtemprum mundanorum disce scandere ad societate ciuium supernorum. Quid ad te de statu mundi scire, nouos rumores inquirere, & talia friuola audire, vnde postea cogaris phantasticari, & vix queas orando ac gemendo & legendo expellere ea de corde: Quidam sub specie pietatis inducti sunt ad cõuertendum

1. Tim. 6.

Honores, diuitiæ ac voluptates seculi, omnium peccatorum radicis.

Nota 2. mile.

& ad se tãdem reuerſa alienis periculis docta, propriam triftitiam temperauit, atque ſemetipſam redarguit dicens. Quã bene tibi accidit, vt hoc de filio tuo non audias, nec decãtero formides? Nonne tutius in monaſterio deo ſeruit, q̃ apud te in ſeculo periret? Ex illa demũ die ad bonitatẽ dei conuerſa gratias maximas egit, nec vltra filium quaſi amiſſum plãxit, ſed de eius conuerſione ſummopere gaudebat, fratres regulares ſpecialiter dilexit, hoſpitiũ ſãpius recepit. Et hoc mihi in menſa ſua recitauit.

Nouitiũ.

Gratãter audio quod dicis, & ſpero quod mihi proficiet & multis. Satis dolẽdum quod multi parentes ita inordinate filios ſuos diligunt, quod magis eos ſeculo nutriũt quã deo, quod plus cupiunt illos diuitiis ac honoribus ſublimari, quã virtutibus & bonis moribus pollere. Heu quod non recogitat quã ſubito mors filios à parẽtibus ſeparat, nec vilius hominum quantumcunque diues vel nobilis fuerit, poterit ſemetipſum aut aliquem amicorum a mortis lege liberare, ſed oportet nos omnes ante diſtricti iudicis tribunal præſentari, vt referat vnusquiſque prout geſit in vita, & recipiat pro qualitate meritorum ſuorum irreuocabilem ſententiam, æternam ſcilicet gloriam vel pœnam.

Quod potius eſt deo obediendum, quã amicis. Cap. 8. Senior.

Rẽte ſentis pro tua ſalute. Nam qui deo ſeruire ſtatuit, debet ei potius q̃ parentibus obedire. Hinc eſt quod veritas ſequentibus ſe diſcipulis ait: Qui amat patrem vel matrem plus quã me, non eſt me dignus. Non ergo audiẽdi ſunt, qui propter ſolatiũ amicorum ſuadent in ſeculo manendum, ſed illi potiffimum imitandi ſunt, qui propter amorem Chriſti elegerunt ab amicis elõgari, quatinus deo liberius ſeruiant, deuotius ei inhæreant, & frequẽtius pro amicis exorent. Vnde ſi viẽ dei voluerint aduerſari, & ingreſſum religionis impedire, vitandi ſunt & relinquẽdi. Nam & omnium religioſorum legiſer & magiſter Ieſus Chriſtus dominus noſter formam perfectæ abrenunciatiõis oſtẽdit, cum dicit: Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, adhuc autem & animam ſuam, nõ potest eſſe meus diſcipulus. Attende quod nõ dixit dominus, quere primũ an placeat parẽtibus vel amicis, ſed hoc ſacage facere, quod Matt. 8. mihi nõueris maxime placere. Dimitte ergo mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu autem lequere me, & quere primũ regnum dei, & iuſtitiã eius. Habebis enim theſaurum in cœlis, ſi renunciaueris omnibus terrenis. Matt. 6. O q̃ ſtolidi ſunt & cœci, qui pro vili & breuiſſimo delecta-

mento carnis, negligunt quarere æterna gaudia cœli, qui nunc formidant ſubire ſacri ordinis diſciplinam, & non ponderant inextinguibilis ignis perpetui flãmam. Ah nimĩũ differt humilis habitus monachorum, & larualis aſpectus dæmoniorum. Valde diſſonant inter ſe deuotus cantus religioſorum, & intolerabilis planctus damnatorũ. O ſi ſcirent donum dei, & guſtaſſent quã ſuauiſ eſt dominũ, & quã iucundum eſt cœleſti domino ſeruire, libẽter terrena cuncta relinquerent, quæ nec diũ tenere valent, & ad religionis ſtatum conuolarent, per quem recto itinere ad cœlum conſcẽderent. Vnde pius dominus puſillos corde cohortatur, ne præcepta ſalutaria in ordine perhorreſcant, ſed potius cum omni humilitate obedientiæ iugum ſuſcipiant, dicens: Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia Matt. mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris. Quã nobis præſtare dignetur Ieſus Chriſtus Marię filius, qui regnat deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Incipiunt Capitula libelli qui dicitur Doctrinale Iuuenum.

- De cõmendatione ſacrę ſcripturæ. Cap. i.
- De differentia clerici & monachi. Cap. ii.
- De theſauro eloquiorũ diuinorum. Cap. iii.
- De bonis ſcriptoribus librorum. Cap. iiii.
- De firma cuſtodia librorum. Cap. v.
- De ornatu clauſtri bene fundati. Cap. vi.
- De indocto clerico ſine ſacris libris. Cap. vii.
- De cãtu eccleſiẽ in hymnis & pſalmis. Ca. viii.
- De feſtis Chriſti, & reliquiis ſanctorũ. Ca. ix.
- De moribus humilis fratris, & vitiis ſuperbi & pigri. Cap. x.
- De abnegatione ſui & omnium rerũ. Cap. xi.
- De deſiderio cœleſtium gaudiorum. Cap. xii.
- De cõmedatione ſacrę ſcripturę. Cap. i.

Illi à iuuentute tua excipe doctrinã, & vſque ad canos inuenies ſapiẽtiam. Igitur ante oẽs artes diſce ſacram ſcripturam legere, & recte intelligere, firmiter credere, bene ac iuſte viuere, vt ad vitam æternam poſſis Chriſto fauente foeliciter peruenire. Nam ignorãtia diuinæ legis mater eſt erroris, & ianua mortis, priuatio honoris, virtutis & ſalutis. Verbum autem dei & doctrina Chriſti lumen vitæ, ſalus mundi, porta cœli, cibus animæ, iucunditas cordis deum ſuper omnia amantis. Dicit quidã deuotus monachus factus. Hoc eſt nẽſcire, ſine Chriſto plurima ſcire. Si Chriſtum

Ioan. 7o.

Chriſtũ bene ſcis, ſatis eſt ſi cetera nẽſcis, noxia nempe tibi. Nil ergo ſacrę ſcripturæ præponendum, nil Chriſto ſuperponendum, nil illi coęquandum, qui dicit, Ego ſum oſtium ouium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Et iterum. Ego ſum via veritas & vita. Nemo venit ad patrem, niſi per me. Nemo venit ad cœlum, niſi per me. Nemo liberatur ab inferno, niſi per me. Vnde ſanctus Petrus contra ludæos libera voce clamat & dicit. Nõ eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos ſaluos fieri, niſi nomen domini noſtri Ieſu Chriſti filij dei.

De differentia clerici & monachi. Cap. 2.

Ibidem.

Oves meæ vocem meam audiunt, ait dominus. Ille vocem Ieſu audit, qui mundum ſpernit, carnem domat, diabolo reſiſtit, & vitia ſua vincit, & Ieſum ex toto corde ſuo diligit, & pro poſſe ſequitur. Eſt magnum vitium in ſcholis loqui incõgrue Latinum, ſed maius eſt vitium coram angelis offendere quotidie deum peccatis, nec inde dolere. Eſt etiã magnum vitium apud logicos nẽſcire ſoluere argumentum, ſed maius eſt vitium apud monachos frangere ieiunium & ſilentium. Eſt magna cõfuſio apud rhetores titubare in lingua & verbis, ſed maior eſt reprehẽſio apud deuotos cantores errare in hymnis & pſalmis, nec attẽdere ad ſenſum verborum in ſcripturis. Dicitur quod ſcientia nõ habet hoſtẽ niſi ignorantẽ, & conſcientia non habet acriorem arguentem, quã ſeipſam malẽ regentem. De nullo magis conqueri & indignari habes, quã de teipſo õ homo inobediens deo, cõſcientia propria te accuſante abſque teſte aliquo in iudicio. Cum enim contra virtutem & conſciẽtiam agis, teipſum lædis & confundis. Igitur, Omnibus in factis ſis cuſtos cordis & oris, Ad mala non pronus. Ad hæc iuuat optime in ſolitudine manere, orare, ſtudere, ſcribere, operari.

De theſauro eloquiorũ diuinorũ. Cap. 3.

Pſal. 118.

Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Vbi? In libraria nõ ſtra multis ſacris codicibus ornata. Nam libri doctorem, theſauri ſunt clericorum. Docent enim ignaros, arguunt ocioſos, excitant torpentes, ſtimulant dormientes, corrigunt errãtes, erigunt corruẽtes, terrẽt ridentes, cõſolantur lugentes, laudant humiles, vituperant ſuperbientes, confortant debiles, reprimũt præſumentes, concordant rixantes, mitigant turbatos, lætificant triftes, ſubannant vane gloriãntes, iuſtificat pios, damnant peruerſos, ſannant languẽtes, ſaluant pœnitentes, honorãt veraces, confundunt fictos & mẽdaces, defendunt iuſtos & miſericordes, vindicant omnes

Libri ſacri quos fruſtus afferant.

iniqua agentes, ſicut ſcriptum eſt in pſalmo, Odiſti omnes qui operantur iniquitatẽ, perdes omnes qui loquuntur mendacium. A quibus malis nos ſemper cuſtodiat Ieſus Chriſtus dominus noſter. Amen.

De bonis ſcriptoribus librorum. Cap. 4.

A Vdi Iſrael præcepta domini, & ea i corde tuo quaſi in libro ſcribe. O dulce verbũ & vtile cõſilium cordi firmiter inferẽdum, & piæ memorię iugiter cõmendandum. Sed quia cor hominis eſt inſtabile, & memoria multum vaga & labilis, ideo oportet adhibere infirmo animo vtile remediũ cõtra obliuionem & frequentẽ errorẽ, vt verba dei ſcribantur in libro, ne pereant ſemina ſancta ex ore prolata. Quoniam quidẽ vox audita cito perit, litera autẽ ſcripta diũ manet ad legendũ & prædicandũ. Prodeſt autẽ multum exẽplar bonum & correctum ad bene ſcribendum, & delectat ad ſæpe legendũ. Vnde quidã amaror ſcripturæ ait ſacros libros ſcribenti, Scribito correcte, diſtincte, protrahe recte. Nec nimis accelereſ, nequa imperfecta relinquant. Ille enim rẽ bene facit, qui nil negligit quod ſtatutũ & ordo rei requirit. Non cõturbis in labore præ tẽdio, nam deus eſt cauſa omnis boni operis, qui reddit vnique propriam mercedem ſecundũ piã intentionẽ in cœlis. Cum mortuus fueris, non deſperabis. orabunt enim pro te, q̃ legerint volumina tua olim à te factis bene ſcripta. Dicit dominus in Euangelio: Qui dederit potum calicem aquæ frigidæ ſitienti, nõ perdet mercedem ſuam. Multo magis qui dat aquam viuã ſapientiæ ſalutaris legenti in libro digito dei ſcripto, non perdet mercedem ſuam in cœlo.

De firma cuſtodia librorum. Cap. 5.

Ponite librũ iſtum in latere arcę fœderis in teſtimonium coram domino, vt ſit in bona cuſtodia & magna reuerẽtia corã ſacerdotibus & omni populo. Hæc verba & multa alia præcepta locutus eſt Moyſes famulus domini ante mortem ſuam, mandãs Leuitis cuſtodire librum legis in arca dei aurea diligenter obſerata. Igitur cum magna cautela, & firma clauſura ſeruanda eſt libraria ſacrorũ eloquiorum ab omni putredine pulueris, ab incendio ignis, & ſtillicidio humoris, à raptu furis & ſtrepitu clamoris, à luto pedum & morſu vermũ, ab omni macula & ruptura foliorũ. Nõ enim dignus eſt in ſacro libro legere, q̃ nẽſcit bene cuſtodire, & in apto loco negligit reponere. Sic accipe librũ in manibus tuis ad legendũ, ſicut Symeon iuſtus puerũ Ieſum in vlnas ſuas ad portadũ & oſculadũ. Et poſtquam legiſti, claude librũ, & gratias age de õi verbo ex ore dei, quia inueniſti i agro dominico the

Libri in ſubſidiũ memorię edũtur.

Bibliotheca ſecũdũ ſeruaanda.

Luc. 2.

faurum occultum . Ab omni igitur sorde ser- uandus est thesaurus ecclesie, a sanctis docto- ribus elaboratus & editus, a bonis scriptori- bus scriptus & collectus, pro multorum con- solatione a deo prouisus.

De ornatu claustrum bene fundati. Cap. 6.

Gloriosa dicta sunt de te ciuitas dei. Pla- cet naque deo & sanctis eius claustrum bene fundatum, a tumultu seculi segregatum, multis deuotis fratribus & sacris libris ornatu. Hoc etiam pie creditur placere omnibus deu amantibus, & diuina libenter audientibus, quia claustrum summi regis est castrum, & caelestis imperatoris palatium, paratum religiosis per- sonis ad habitandum, & deo fideliter seruien- dum. Vere locus iste sanctus est, deo & angelis acceptabilis, daemones terribilis, deuotis a- mabilis, ad obsecrandum deum multu opor- tabilis, delectabilis, suauis, & honorabilis. Non est hic aliud, sicut legimus & canimus, nisi do- mus dei ad orandum, aula dei ad laudandum, chorus dei ad cantandum, altare dei ad cele- brandum, porta dei ad intrandum caelos, scala dei ad transcendendum nubes, atrium dei ad sepeliendum mortuos, hospitale dei ad recipiendum peregrinos, coenaculum dei ad reficien- dum pauperes, mensa dei ad communicandum aegros. Sicut sancti angeli in celo deum sem- per laudant, & stellae in firmamento caeli clare fulgent, sic religiosi & deuoti monachi nocte surgentes hymnos & psalmos in choro can- tant, deo laudes immolant, angelos laudant, demones fugant, & seipsos alarum uocibus ex- citant ne dormit. Sicut nobilis ciuitas muris, portis & feris firmatur, sic etiam religio- sum monasterium multis deuotis fratribus, sa- cris libris, & doctis uiris, tanquam gemmis & preciosis lapidibus decoratur, ad laudem dei & honorem omnium sanctorum suorum, qui cum eo gaudet nunc in caelis, quia secuti sunt uestigia passionis eius in terris.

claustrum religiosi dignitas

De indocto clerico sine sacris libris.

Cap. 7.

Seruus tuus ego sum, da mihi intellectu do- mine. Nam legere & no intelligere negli- gere est. Et quomodo possum intelligere, nisi aliquis docuerit me? Et quis melius docebit, q- tu deus in omnibus? Beatus homo que tu eru- dieris domine, & de lege tua docueris eum. Melior est auditio & eruditio doctrinae tuae, negotiatione auri & argenti, & cunctis opi- bus. Igitur ad te domine confugio, doce me facere uoluntatem tuam, & relinquere meam. In hoc stat totum quod summe est necessa- rium, ut omni tempore gloricam, Pater fiat uoluntas tua, sicut in caelo & in terra. Nihil mihi melius, nil animae meae salubrius. Domine tu

omnia bona mea. Tu doctor meus, tu liber meus, quia sine te indoctus sum, & ad omnia inutilis. Vae clerico indocto & sine sacris li- bris, qui sibi & aliis sepe est causa erroris. Nam clericus sine sacris libris quasi miles sine ar- mis, equus sine frenis, nauis sine remis, scri- ptor sine penis, auis sine alis, ascensor sine sca- lis, futor sine subulis, testor sine tegulis, faber sine malleis, sartor sine acu & filis, rasor sine cultris, sagittator sine iaculis, viator sine ba- culo, caecus sine ductore. Omnes isti paru vel nihil valent nec proficiunt sine instrumentis & bono instructore. Similiter claustrum & co- gregatio clericoru sine sacris libris, quasi co- quina sine ollis, mensa sine cibis, puteus sine aquis, riuus sine piscibus, saccus sine uestibus, hortus sine floribus, bursa sine pecuniis, uinea sine botris, turris sine custodiis, domus sine uentililibus. Ab omnibus his malis & animae damnis custodiat nos pius dominus noster Ie- sus Christus, & sit ipse nobis omnia in omni- bus nunc & in perpetuum. Amen.

De cantu ecclesie in hymnis & psalmis.

Cap. 8.

Laus eius in ecclesia sanctoru. Surge fra- ter qui dormis, & illuminabit te Chri- stus. Surge piger, capana sonat, uocat te Chri- stus. Surge cito, periculum est in mora. Ecce Iesus uenit cum Maria, & omnis angelorum chorus te expectat cum corona, quam potes promereri in hac hora. Sed satan e contrario suggerit, lace & dormi adhuc modicum, satis mane est, adhuc tempestiue uenies. Sic suadet & blanditur, caro fragilis trahit, & decipit ho- stis callidus, cum ei obeditur & dormitur. Ni- hil enim est tam bonum factum & iucundum, tam diuinum & salutiferum, quin malignus demon hoc nitatur impedire, & ad malu sem- per trahere. Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Inimicus hoc fecit. Sed quomodo haec euellam domine? Responder' sanctus Petrus: Resistite ei fortes in fide. Et beatus iacobus si- militer, Resistite diabolo, & fugiet a uobis. Si malum ingerit, noli consentire. Si delectat ca- ro, respue, contere, & repelle. Igitur inuocan- dus est Iesus & spiritus sanctus cum omnibus donis suis, qui humilibus dat gratia, ut det etia tibi uirtute contra diaboli malitiam. Spiritus enim sanctus suggerit menti semper bona, hu- milia, pudica, sobria, honesta, pacifica, sim- plicia, benigna, deuota, caelestia, eterna. Sed heu spiritus malignus fallacia plenus, aut a- perta mala suggerit, aut si bona quaedam pre- dicat, mala intentione facit ut se ducat. Ipse om- nis doli artifex, mille modis impugnat, repul- sus redit

Eccle. siasticus homo sine li- bris qui- bus si- milit.

Psalm.

Aduer- sus Sa- tan- g- in- sub- dias- ce- bro- pil- lendum

sus redit & tentat. Cu bona agis dolet, & si di- mittis gaudet, mala aut suadere nunquam cessat. Sit ergo crebro deuotus psalmus in ore, dulcis Iesus in corde, sancta Maria in uoce. Nam his auditis nominibus fugiet longe a te hostis im- mundus. Quot enim sancta uerba nominas, tot iacula in hostem iactas. Si cessas orare & legere, hostis incipit vincere & gaudere. Sed si in prece perseueras, fugit superbus, quia cofu- sus. Ante oratione omnia presentia exclude, in oratione Iesum Christu tibi prefige, aut in presepe, aut i cruce. Post oratione gratias age, & quocunque ierit, cu eo uade & pmane. In oi- bus quae agis cogitas & loqueris, sit finis, Bene- dictus deus de omni bono in caelo & in terra.

De festis Christi, & reliquiis sanctorum.

Cap. 9.

Domine dilexi decorem domus tuae, & locum habitationis gloriae tuae. Hae do- mus tua deus multipliciter & sublimiter de- coratur festis tuis, & sanctorum tuorum reli- quiis ueneradis in multis locis, unde deuotio fidelium maxime excitatur ad laudandu. De- corasti domine caelos sanctis angelis, firma- mentu Sole, Luna, stellis, aera auibus, aquas pi- scibus, terra hominibus & bestiis, cum aliis in- numeris bonis pro uisibus nostris. Et nunc in fine seculoru pro speciali munere dedisti te- ipsum nobis in sacramento, tanqua dulce ma- na in cibum, ne essemus in hoc mundo sine deo & angeloru cibo. Et ideo omnis locus & eccle- sia ubi fuerit hostia consecrata in altari uel in arca clausa, debet haberi in maxima reuerentia, cum omnibus libris, uasis ac uestibus ad cultu dei pertinentibus. Vide ergo & considera mi- ra dei opera in sancta ecclesia. Tempa Chri- sti & sanctorum castra sunt christianorum, ut in eis uigilent, & orent, & contra diabolum pu- gnent. Festa Christi & sanctorum, designant gaudia caeloru, ubi nunc cum Christo regnat, qui mundu contempserunt. Nomina sancto- rum, & praecipue Iesus & Maria, sunt plagae & tonitrua demoniorum, quibus terrentur, ut fugiant a facie eorum. Gesta sanctorum con- firmant corda pusilloru, ut constantes sint, & per arcta uiam eos sequantur. Scripta sancto- rum lucernae sunt uiatoru, ne in fide errer, sed sanctorum dictis firmiter credant. Signa san- ctorum confundunt facta malorum, ne bonos opprimant, & in suis malitiis glorietur. Ossa sanctorum roborant fide populoru, ne mori timeant, sed cum electis resurgere confidant. Imagines sanctoru excitant metes deuotoru ad amore & ueneratione eorum, ut pro nobis oret. Picturae sanctoru scripturae sunt laico- ru, ut uideat quid agere, & quo tendere debet. Organa musicoru in ecclesia mouet corda te-

Christi tepla & festa.

Sancto- ru noia eui uiri- bus Chri- stianis. Gesta.

Scripta.

Signa.

Ossa.

Imagi- nes.

Picturae. Organa pneuma- tica.

pidoru ad optanda aeterna premia beatorum. Cantica psalmorum accedunt animas arido- rum ad pristinum feruore, per ora multoru. Carmina hymnorum recreant aures clerico- rum, ut cantent & exultent in conspectu dei & angelorum. Sicut fistulae multae in organo dulcem sonum reddunt audientibus, sic mul- ti fratres concorditer psallentes ualde placent deo, & omnibus caeli ciuibus. Omnes ergo si- mul oremus, & Christum inuocemus. Ad societate ciuium supernorum, perducatur nos rex angelorum.

Cantica.

De moribus humilis fratris, & uitiis su- perbi & pigri. Cap. x.

Respexit deus in oratione humiliu, & no spreuit preces eorum. Optima doctrina docet nos humiliter orare, & de misericordia dei no desperare. Vide ergo domine humili- tatem meam, uilitate meam, infirmitate mea, & quotidianum defectum meum, & dimitte mi- hi omnia peccata mea, propter nomen sanctu tuum, & merita sanctorum tuorum in caelo, & bonorum in terra. Non ueniat mihi pes su- perbiae, nec uana gloria decipiat me, nec ma- la tristitia deiiciat me. Nulla quoque despe- ctio conturbet me, ne forte peccem tibi per impatiencia meam. Esto mihi adiutor in bo- nis, & protector a malis deus meus, misericor- dia mea. Tu spes mea a iuuentute mea, conso- lator meus in omni tribulatione mea. Tu sa- lutare uultus mei deus meus, & nemo alius. In te tota salus uirtus & gloria mea.

De humili fratre.

Frater humilis & deuotus, paupertatis amator, simplicitatis sectator, patientie ser- uus, obedienciae filius, castitatis custos, innocen- tia testis, concordie socius, disciplinae discipu- lus, pacis amicus, sibi rigidus, aliis benignus, hic secretum querit, tumultum fugit, silentiu amat, longa colloquia uitat, soli deo vacare ap- petit, omnia terrena despicit, omni tempore cum Christo esse desiderat.

De superbo fratre.

Frater superbus heu humili contrarius, au- dax & austerus, uagus & uerbosus, multis tadiofus & onerosus, facilis ad ira, difficilis ad uenia petenda, propria querit, comunia negli- git, raro bene contentus, nunquam in se pacatus.

De pigro fratre.

Frater acediosus quasi semper infirmus, u- timus fere in omni loco & horis, ocio & somno deditus. Tarde ad opus uenit, cito in- de recedit, pronus ad exitum, segnis ad redi- tum, latus ad prandium, tristis ad ieiunan- dum, uelox ad dormiendum, piger ad surgen- dum, raucus ad cantandu, sonorus ad fabula-

dum, surdus ad obediendum, claudus ad laborandum. Te por cordis, grauis animæ morbus generat tædium operis, & querit solatium foris parui valoris. Nō vincitur melius, nisi diligentia boni operis, studio sacrę lectionis, & vñ frequētis orationis cū memoria dominicę passionis. Qui vult vitia vincere, oportet eum sepius violentiam facere naturæ, & Christi gratiā humiliter implorare, & patienter expectare.

De abnegatione sui & oīm rerū. Cap. ii.
Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Domine deus, durus videtur hic sermo tuus, & quis potest eū implere? Audi fili mi, & docebo te, & non erit tibi graue & impossibile facere quod dixi. Dilige me, & relinque te, & inuenies me in omni loco & tempore. Ego summum bonum & summe desiderabile animę tuę. En sto ante ostium cordis tui & pulso, aperi mihi & introibo ad te, quia ego salus & vita tua. Ego omnia in omnibus, & super omnia amandus & laudandus. Ego totus tuus hic & vbique pręsens: sed cæcus me non videt, & surdus non audit, & stultus nō intelliget hæc. Tu ergo esto totus meus, & in nullo te querēs, & sapiet tibi suauissime præ omnibus deus tuus.

Domine verū est qđ loqueris, placet mihi omne quod dicis. Igitur relinquam me citō propter te, ne tarde inueniam te. Tu in me, & ego in te, per amorē quē accendis in me. Oro te domine mane apud me liberē, non deficiā relictus à te tanquā exul in carcere, & peregrinus in itinere. Adiuua me & saluus ero, & meditabor in omnibus viis, verbis & factis tuis die ac nocte. Diligā te domine virtus mea pure & perfecte propter te, & omnia à te facta propter te. Nec me nisi propter te, & semper plus quā me. Omnia autē infra te, & te solū supra omnia bona in cęlo & in terra. Tu solus mihi sufficis plene & perfecte, ideo nil volo nec cupio nisi te, qui es ante omnia & supra omnia & in omnibus deus benedictus in secula. Amen.

De desiderio cęlestiū gaudiorū. Cap. 12.

Beati qui habitāt in domo tua domine, in secula seculorū laudabūt te. O dulce & cęleste verbū, laudabunt te. Nō se sed te, omnia bona tibi ascribēdo, nil sibi vane attribuēdo. Sed quomodo laudabunt te? Altissime, deuotissime, purissime, suauissime, feruētissime, clarissime, securissime, felicissime. Quid plura? Noli querere vltra ampliora & meliora, vbi deus est omnia, totus pręsens, præstans & illustrans omnia, & beatificans omnes & singulos in gloria. O verē vita beata, digne laudanda, summe amanda, maxime desideranda, vbi

In cęlis beati spiritus quomodo laudant Deum.

omnia bona simul perfecte cū deo & in deo vnita, iucundissime sine amissione & aliqua minoratione perpetue firmissimeque durabunt. Beati ergo omnes qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Inter hæc sæpe suspiro exul in mundo, elōgatus à regno dei, & cum sancto in psalterio intime oro: O quando consolaberis me, quādo lætificabis me vultu tuo in regno tuo? Educ de carcere animam meam, vt confitear nomini sancto tuo, & laudē te cum omnibus sanctis tuis per æterna secula seculorū. Amen.

FINIS.

Sequitur Eruditio boni dispensatoris ad Celariū missa, & tribus libellis distincta: Quorū primi hæc sunt Capitula.

De instituto Marthę & cuiuslibet dispensatoris boni. Cap. i.

De fideli & prudenti seruo. Cap. ii.

Recapitulatio de fideli seruo. Cap. iii.

Quantū confert homini fidelitas. Cap. iiii.

De fiducia in deo tēpore paupertatis. Cap. v.

De liberalitate & dandi libertate. Cap. vi.

De præmeditatione circa operanda. Cap. vii.

De prudētia religiosa in omni facto. Cap. viii.

Quod prudens sit sibi ipsi intimus. Cap. ix.

De passionibus vincendis. Cap. x.

Quod certis & statis horis vacandum deo. Cap. xi.

De custodia oris. Cap. xii.

De bono exemplo dando. Cap. xiii.

De vitandis occasionibus scandali. Cap. xiiii.

De non credendis facile nouitatibus, neq; alij referendis. Cap. xv.

De vtilibus narrationibus. Cap. xvi.

Qui sint vitandi. Cap. xvii.

Cum quibus est conuersandum. Cap. xviii.

De quibus materiis est interrogandum & colloquendum. Cap. xix.

De reuelatione scripturarū mysticarum à deo imploranda. Cap. xx.

De spūali collatione seu colloctione. Cap. xxi.

De cotidianis opib; quomodo fiāt. Cap. xxii.

De consilio maiorum in spiritualibus causis considerando & recipiendo. Cap. xxiii.

De reuerentia prælatorum. Cap. xxiiii.

De cauēda familiaritate cū prælatis. Cap. xxv.

De periculo pauperū in officiis. Cap. xxvi.

De vitandis cuique rebus sibi non commissis. Cap. xxvii.

De præuia consideratione. Cap. xxviii.

De differentia inter sapientiam & prudentiā. Cap. xxix.

Quod necessaria est prouidentia habenti curas temporales. Cap. xxx.

De instituto

De instituto Marthę & cuiuslibet dispensatoris boni. Cap. i.



Via nunc charissime officii suscepisti Marthę, non debes bonum & sanctum ministeriū acidiose peragere, sed fideliter propter Christū, quod omnia nobis administrat, & propter æternam salutem tuā, exercere. In quo de quibusdam necessariis considerationibus admonendus es. Sic enim beatus Paulus dicit:

1. Cor. 4. Hic autem queritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.

De fideli & prudenti seruo. Cap. 2.

Vnde oportet eum esse fidelem, cui committitur ministerium tale, sed & prudentem nihilominus, ne videatur sepius errare. Fi delem intellige in cōmissis, ne res negligat, ne male custodiat, & ne quicquam quod vilitati aut cōmunitati prodesse possit, per ipsum deprauetur, sed magis pia cura emendetur. Prudentē verō, in ipsis rebus pro tēpore & personis distribuēdis. Vno tempore conuenit dare, quod alio tempore licet negare. Quibusdam vtile est & pium condescendere in petitionibus, quibusdam vero oportet te magis resistere. Quorundam etiam necessitates charitatis officio pręueniendę sunt. Si ergo discretē agis, & necessitatem pensas in hominibus, prudentiam non abieciisti. Si cōpateris infirmis, & misereris egenis, quippe te ipsum prius considerans, qualiter & aliis sis beneficus, charitatē induisti. Talem te cupio, videlicet fidelem in opere, & prudentem in consilio. An non talē seruum dominus in euangelio requirit? Quis est (inquit) fidelis seruus & prudēs quem constituat dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Pro te est, si fidelis fueris: quanuis te minus prudētem æstimare debeas, sicut Paulus dicit, Nolite esse prudentes apud vosmet ipsos. Et iterum, Non alta sapientes, sed humilibus cōsentientes. Sic enim de seipsis sapientes efficiuntur sapientiores.

Recapitulatio de fideli seruo. Cap. 3.

Quis est autem fidelis seruus, nisi qui nō querit quæ sua sunt, sed quę Iesu Christi vt quicquid agit, eius amore faciat, eius gloriam tantummodo desideret & expectet, atque ipsius magis quā suam voluntatem sequatur, & dicat, Pater fiat voluntas tua, nō mea. E duobus tamen seruis, fidelis potius est quā prudens eligēdus, atq; institūdus ad negocia. Siquidē fideli seruo nihil charius in domo, & amico fideli nulla pōderatio est, maxime in cōsilio. Sed quid aliqū tam fidelē & vnanimem

Fidelis seruus prudētis præstat.

facit hominē secundā cor dei, cui libere credi possit? Primo vtq; timor domini, dehinc dilectio sine simulatione, postremo nullius terreni cōmodi quęstus, fidelē seruū constituūt. Talis erat vas electionis Paulus, cui credita sunt tam multa preciosa & magnifica secreta. Et ipse fidelis inuentus est in domo dei, & prudenter se agebat in omnibus. Vnde ita dicit, Non querens quod mihi vtile, sed quod multis. Item, Non quero vestra, sed vos: nec quareo datum, sed fructum.

Quantum confert homini fidelitas.

Cap. 4.

Fidelitas ergo si fuerit inuenta in homine, reddit ipsum superioribus suis charum & preciosum, & qualibus amabile, cæterisque sodalibus suis valde venerabilem & gratiosum, ita vt nemo iustam aduersus eum habeat querelam, sed latentur omnes de virtute fidelitatis eius. Nosti aliquos inter nos, & quātę sint recommendationis, frequenter audis & gaudēter etiam pertractas. Quæris imitari vt bonum possideas, quod in aliis laudas, & benefacis, sed melius dum perficis. Si quando intelligis te deficere, doles imperfectionem tuam, & velles vtique talis inueniri, vt nemo imponeret querelam seruituti tuę. Ministras enim dei seruis, & ideo formidas ne sis indignus & inutilis, negligens aut tardus, prodigus aut nimis parcus. Sed si niteris tamen facere secundum tuam possibilitatem, respiciendo semper primo dei voluntatem, atque deinde proximi necessitatē, erit dominus propitius tuę insufficientiæ, quam debes maiorem quā alij putant, in te recognoscere. Nemo securius excusatur, quā qui culpam propriam agnoscens se humiliat. Etiam si alij excusant, bonitati eorum plus deputa, quā tuę innocentię.

De fiducia in deo tempore paupertatis

Cap. 5.

In domo vbi abundat paupertas, & multi commensales sunt, ibi angustior est via ministrandi. Nec idcirco tamen deferenda est cura pietatis, sed de dei misericordia confidendum. Vnde in Euāgelio habes: Misereor turbę, quia iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & ieiunos eos nolo dimittere in domos suas, ne deficiant in via. Discipuli dicebant, Dimitte turbam, vt eant in castella & emant sibi. sed Iesus respondit eis, Date illis vos manducare. vt probaret eos quāta esset fides illorum, in tanta multitudine cum tāta paupertate panū & piscium. Illi desperabant de sufficientia, dicentes: Sed hæc quid inter tantos? Benignissimus dominus quid post hæc dixerit, audi. Facite homines discubere. Accepit panes, benedixit, iussitque

Mar. 8.

In egestate præsumēdū de dei liberalitate.

discipulis suis, vt apponerent turbis. Et manducauerunt & saturati sunt, & superfuit de fragmentis. In hac lectione intueri fidem, quantum valeat, quomodo non est desperandum, sed sustinendum, re non habente quid apponas. Da quantum potes, & dominus prouidebit de futuro. Multum valet fides honorum in necessitate. Nec franguntur, nisi humana plus quam diuina auxilia sperantes. Exempla fidei audisti ab aliis, sed nunquid non etiam expertus es? Dico quod audiui a fratre probato, quia in quadam domo cum adessent multi hospites pauperes, laborantes cum ceteris, ponebatur rete ad capiendum aliquos pisces, & tot capti sunt quot hospites aduenerant, Et considerantes hoc fratres deo gratias egerunt, quia tam clementer prouiderat dominus.

De liberalitate & dandi libertate. Cap. 6.

Q Vando igitur voluntas tua prompta est, secundum id quod habes, deo accepta est, non secundum id quod non habes. Deficiente autem substantia excusatio est facilis, dummodo non obstat tenacia aliqua, aut timor penuriae sequentis. Prouidentia tamen cum sit bona, parcitas nimia ne insidietur cauedum est. Date (inquit omnium dator) & dabitur vobis. Quamdiu vel vnum panem habueris, dimidiabis cum Christo, nam retribuetur omnibus benefacientibus hic & in futuro.

Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. In te liberalitas semper agnoscatur in timore dei, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Amplius desideres te benefacere, quam tenere aliquid in crastinum. Qui hodie dedit, cras etiam dabit. Neque auaro (vt ita dicam) datur, quod Christo datur, aut tenaci, aut ingrato, aut nescienti, aut obliuiscenti, vt necesse sit de singulis sollicitari sumptibus, & dicere, quis nobis aliis aliquid redonabit? Oculi tui semper ad dominum, quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem dominum non minuuntur omni bono. Spera in domino, & fac bonitatem, & ne amittas liberalitatem: loquere confidenter ad dominum cum propheta: Oculi omnium in te sperant domine, & tu das escas illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & implet omne animal benedictione. Vnum adhuc scio quod graue possit esse danti libenter, si restringitur manus eius per obedientiam superioris. Et ne virtute obedientiae perdas, peius quod melior est obedientia quam victime. Attamen bona voluntas tua perfecte potest implere in paucis, quod optaueris facere in omnibus diuitiis. Qui paratus est dare exiguum, cum habuerit parum, non vti que tardabit dare maiora, cum domi-

no largiente ditior fuerit. In modico disce, quod in magno aestimas te facturum. Humanae fragilitatis est nimium sollicitari de futuris, nec vt liberaliter posse concessis est miseriam mentis. Auaro semper est inopia, fidenti totus mundus plenus diuitiarum est. Vide ergo ne detrimentum temporale inferat tibi nocuum spirituale: sed deficientibus opibus terrenis, non deficiat fides tua, quinimmo confidas magnifice de dei prouidentia. Qui promissit caelestia & aeterna, non negabit temporalia. Non tamen semper donat pro nostro libitu, ne simus abundantes in seculo, & minus idcirco desideremus quae sursum sunt in caelo. In curis temporalibus consistenti vix potest deesse talis imperfectio, quin teneatur cupiditate rerum, videlicet amore possidendi, aut timore eas amittendi. Vnde opinor quod nemo plenarie cognoscit qualis sit affectus suus, nisi cum res coeperit actitare temporales, & curas habere exteriores. Sed qui in his occupantur, & tamen amorem creatoris proponunt corde suo defectuosis creaturis, non tam facile ruunt in culpam. Et si se delinquere aliquando in paruo deprehederint, festinant mundare conscientiam.

De premeditatione circa operanda. Cap. 7.

AD eruditionem tui habe premeditationem aliquam prudentem circa agenda. Aliqui sunt tardiores, aliqui quodammodo precipites in factis suis. Tardi saepe bona committunt, aut parum operis inchoantes non perficiunt. Viuaciores vero dum inconsiderate currunt, leuiter impingunt. Vnde in medio semper virtus consistit. Debes igitur seruare mensuram possibilitatis tuae, & cogitare quod solet dici, Multum facit qui rem debite & bene facit.

De prudentia religiosa in omni facto. Cap. 8.

Necessarium tibi est habere aliquam prudentiam, sed humilem, religiosam & uerecundam, ne videaris superbus, austerus, & audax, quasi cum auctoritate faciens vel imperans. Multo melius est, vt obsecrando loquaris, quam iubendo, ea quae oportet fieri. Eris prudens, si euitas videri prudens. Nam si vis videri prudens, necesse erit vt hoc aliis foris ostendere velis verbo aut facto. Quod cum feceris, non potest contingere quin excedas aliquando mensuram prudentiae tuae, ita vt dicas magis ad facta tua vel aliorum quam expediat, vel excuses negligentiam tuam plus quam iustum sit, & per hanc ostentationem amittas viam vere prudentiae, quae consistit in humilitate maxime.

Quod prudens sit sibi ipsi intimus. Cap. 9.

Eris

ERIS prudens, si fueris semper proximus cordi tuo. Ibi disce, quod iuuat te omni tempore. Ibi constitue tibi mansionem a facie inimici. Inibi ascende per orationem lachrymatem ante pedes Iesu, vt vincas omnem passionem, & fumigantem delectationem mundi & carnis aduersum te. Haec est via prudentiae, amare iustitiam, & odire iniquitatem: benefacere, & malum pro veritate sustinere: exteriora agere, & interiora non obliuisci: curas ad tempus habere, alienum tamen esse ab omnium rerum blademto: non sequi trahentem concupiscentiam, sed reluctari per virtutem magnam. Non tu eas sequere: sed illae te sequantur. Tu vero quod vadis? Ad eum qui misit te, vt facias opera tua omnia in charitate, & custodias ea summa humilitate. hoc enim iter quo ostenditur salutare dei. Etenim dicit: Venite ad me omnes qui laboratis. Et rursum. Ego sum via, veritas & vita. Si hucusque veneris, non priuaberis spiritualibus profectibus: sed eris sicut liber scriptus foris & intus, similisque patrifamilias proferenti noua & vetera de thesauro suo, dum exteriora agis, & apud altissimum sit cogitatio tua. Quam simile etiam huic sensui, quod in psalmo legitur: Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius. Haec tibi signabis, quotienscumque tumultus ferre grauaris. Nam actio non est causa perurbationis nostrae, sed magis passio.

De passionibus vincendis. Cap. 10.

Igitur circa eas vigilandum est, ne incipiat surgere, & possint praeualere. Quid sic turbat oculum prudentis, sicut frequens ira? quid ita inquinat sicut concupiscentia? quid ita excæcat sicut munera & blandimenta noxia? Ingemiscit propheta aduersus passiones istas, & confitens deo abscondita cordis sui sic orat: Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. Cor meum conturbatum est, ecce ira pacem tollens: dereliquit me virtus mea, ecce concupiscentia vigorem animi molliens: & lumen oculorum meorum non est mecum, ecce auaritia munera secum portans, sed oculos veritatis & iustitiae plerumque eruens. Nunc ergo vide qualiter euadas laqueos venantium, in quibus omnes positi sumus. Nullus alteri oblicere potest, quid concupiscis? Ecce in concupiscentia omnes generati sumus. Et quia bellum omni ex parte instat, cauti simus. Deus adiutor noster, & ideo intente oremus. Suanis est & mitis: ideo accedamus. Misericors est & clemens: ideo non desperemus. Potens est & diues in misericordia: propter hoc non

In omni passionum genere ad Deum recurrédum.

deficiamus, sed cum apostolo dicamus: Omnia possum in eo qui me confortat.

Quod certis & statis horis vacandum.

Cap. 11.

Sic tempera actiones, laboresque externos, vt ramentum orationi lectioni ac meditationi scripturarum vacas aliqua ex parte diei. Si potes, fiat exemplo prophetae in psalmo: Vespere & mane & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. Considera sequentes versus eiusdem psalmi, & docebunt te vacare tibi, & sperare in domino. Nam vltimus sic concludit: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, ego autem sperabo in te domine. Nota in hoc versu, quod carnales & animales terrena sapientes, & interiora dissimulantes non diuidunt tempora sua, vt aliquando retrahant opera sua, & sciant quid desit eis. Sed non est talis actio bonorum, qui mensurant thalamus cordis sui hinc & inde, ne forte in vacuum currant. Multi per multa currunt: sed vnus accipit brauium. Distrahitur saepe mens in labore, ideo reuertatur post laborē ad vnionem sui, quia vnio ista multa vtilia docet: & hoc est quod dicitur, vnus accipit brauium. Inuenies tempus sufficiens vacandi, si nullum impendis ociositati, non solum operis, sed & sermonis & cogitationis. Beatus homo qui in sui consideratione saepe vigilat, ne forte propter incuriam de tenebris ad tenebras vadat.

De custodia oris. Cap. 12.

Vitodi etiam diligenter verba oris tui, vt dixisse aliquid postmodum non poeniteat. Qui inter multos conuersatur, maiori indiget custodia, quia ab omnibus considerari potest cuius conuersationis fuerit. Quis ita simplex, vt non discernat qualiter se habeat aliquis in opere & sermone? Hoc ideo replico, vt cogites quia spectaculum facti sumus angelis & hominibus: & vt neminem habeas tam socialem, coram quo minus honeste & virtuose te geras. Non des vnquam occasionem dissolutionis per verba rara vel signa vana, quia generat haec leuitas duplex malum. In aliis exempli boni, in te etiam sancti propositi dissipatio est. Noli esse fabula hominum, vt aliquis dicat, Haec & haec mihi ille recitauit, volens se excusare per te, quasi ideo accusanda leuia non sint, quia tu dixeris qui melior putaris. In hoc multi frequenter delinquimus, quod nostra errata exemplis aut verbis aliorum iustificamus, tanquam nobis idcirco liceat, quia idem & alij faciunt. Credo quod pluribus saepe displicet, quod cito ociose aut inconsiderate aliquid dixerint. Quomodo audet se homo per alterius

In sumis negociis etiam inuenit homo diligens tempus quo sibi vacet.

1. Cor. 4.

negligentiam defendere in malo, quādo nihil minus per hoc peccat coram deo? Quare cæcus cæcum sequeris, vt in foueam pariter cadatis? Bonum amulamini in bono semper, ait Apostolus, & imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

Galat. 4.
1. Cor. 4.
11.

De bono exemplo dando. Cap. 13.
At tēde tibi, vt quantum vales, omnibus sis causa boni exempli, vt in te clarificetur nomen & vita Iesu Christi. Nemo veniat ad præsentiam tuam, quin ædificatus & latus recedat à te. Tu vero retine apud te, quod non sis dignus alicuius alloquio: sed magis tibi proficit aliorum visus, sermo, oratio. Cauē tamen familiaritatē eorum qui imitandi non sunt, quanuis in Christo diligēdi. Prædixi, & iterum dico, vt taliter ambules, ne fias prouerbiū hominum loquentium sibi placita de quocunq; volunt. Non potest quis melius tollere fabulationes leuium hominū, quā vt ipse leuis in verbis & moribus suis non videatur. Benignus tamen & alacer apparere debes, ne horrore sis maxime verecundis & modestis fratribus.

Familiaritates tibi ne sint, quos imitari non debes.

De vitandis occasionibus scandali. Cap. 14.
Non stes ad loquendum diu in aperto, aliis laborantibus & occupatis circa iniuncta opera, ne dicatur tibi: Quid hic stas tota die ociosus? Non des occasionem loquēdi venientibus ad fenestram: sed expedias eos verbis benignis & vtilibus: neque cum tristitia dimitte illos, sed cum pace & gaudio refectos: cibo potuque necessario. postea cōmenda te orationibus eorum, & dic eis, iam ite dilecti fratres, & agite gratias deo, & oretis pro me. Si aliquid plus addideris pro eorum consolatione, bene retribuet tibi dominus. Cum veniunt aliqui in occursum transitus tui, nō debet te latere quin præcogites an iustam & vtilem potuerint habere causam illuc accedendi, & penes tuum scire non des occasionem volenti occasionem: vnde si te subtrahis talibus, postmodum non lugebis. Semper tamē paratus esto ad satisfactionem poscenti te: sed ociari nullum patere apud te: sed fratere admone eos vt transeant, quia tibi non vacat: Christus est qui tibi loqui desiderat. Hoc modo te liberat à superfluis, & illos ad quietem suam, cellæque custodiam inducis. Nihil tamen temere iudices: sed vide quanta charitas, quā amica fraternitas traxit eos ad te. Discrete ergo age in his, vt aliquando audias venientes, aliquādo sinas trāfire etiam loqui volentes.

Matt. 20

De non credendis facile nouitatibus neque referendis. Cap. 15.

Et quia sæpe diuersa percipis, & noua tibi plerunq; dicuntur, non facile credas. Difficilius ea consequenter aliis dicas, & multo sit melius si omnino sileas. Quid ad te? Iesum sequere, & sine mortuos sepelire mortuos suos. Huiuscemodi distractionibus & curiositatibus seruus dei intendere nullo modo debet, sed ædificationi & custodia cor dis sui, orando, legendo, meditando, & alia opera sancta in nomine dei faciēdo. In actibus apostolorum habes, quod Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui: sed talis vsus nimis damnable sit apud claustrales deum præ oculis habentes.

Rumores tibi ut indulgas.

De vtilibus narrationibus. Cap. 16.
Sunt tamen quædam, si referantur ex charitate, quæ ædificant etiam audientes, sicut denunciatio alicuius defuncti, petitio suffragij pro tribulato, conuersio peccatorum, status deuotum, & alia his similia, quibus est cōdolendum seu etiam congaudendū, prout causæ requirunt. Considerare similiter diuina iudicia super statum mundi prodest bonis & electis dei ad contemptum eius, sicut sunt pestilentia, fames, incendia, præliaq; terrarum, & cæteræ tribulationes graues, quibus gloria mundi prosternitur, & delectatio carnis amaricatur. Hæc mala sæpe boni & spirituales ad profectum suum trahunt, & per exempla talia se & cæteros ad compunctionem cordis, ad luctum peccatorum, ad emendationē vitæ, & ad præparationem mortis secum excitant, quæ etiam in sacris codicibus & ecclesiasticis historiis manifeste leguntur. Sed hūc salutarem profectum plures indeuoti & verbosi aut nesciunt, aut non intēdunt, sed quasi in fabulam deductionis peruertunt. Vnde potes elicere quod sicut boni & virtuosi ad bonum omnia quæ audiunt vel vident, conantur inducere, ita instabiles & vagi, repidi & dissoluti hæc eadem ad suam malitiā exercendam inflectunt. Ideo perspicito quid sit quod audisti, & quis fructus esse valeat ultra dicendi.

1. Tim. 2. Cui non liceat in seniorū confessioni loqui.

Iob. 30.

Qui sint vitandi. Cap. 17.
Propterea noli libenter approximare secularibus, neque personis magnis: nec eō etiam conuenias vbi nosti esse multitudinem presbyterorum, quia statui tuo non congruit, nec officio.

Cum quibus est conuersandum. Cap. 18.
Cum simplicibus & deuotis, & bene sentientibus de deo, & consentientibus tibi propter deū in bono, sit sermocinatio tua, & crebrior sociatio. Et quicunq; nō cōcordant cum

cum spiritu tuo, illis cede propter pacem tuā & ipsorum, quia defensor & iudex noster Iesus Christus clare nos interius agnoscit, ante quem humana iudicia sapissime errant. Si desideras aliquem ædificare, soli melius dicis, quia multis nonnunquam displicet, quod vnus vel duo grateranter audiunt.

De quibus materiis est interrogandum & colloquendum. Cap. 19.

Questiones in scripturis noli mouere in communi audientia, neque de materiis altis & curiosis libenter loquaris: sed quæcunq; sunt humilia, virtuosa, & amabilia, deuota, & excitatiua ad amorem Christi, pacifica, pudica & honesta coram deo & hominibus, hæc loquere & exhortare. Si verō audieris aliqua difficilia & obscura moueri ab aliis, tace primo, & cogita quod sis discipulus Christi, quem non oportet docere, sed audire humiliter verba seniorum, & cum verecundia & reuerentia vtilia interrogare, & discere in silentio. Vnde Paulus dicit: Doceat autem mulieri non permitto. Id est, nō patiar quod insinat aliorum doctrinæ, qui infirmus est & debilis in virtutibus, & quodammodo adhuc carnalis est, in quo sæpe abundant passiones superbiæ, iræ, rixæ, gulæ, inuidiæ, vanæ gloriæ, & cæteræ pestes cordis, & morum leuitates: cui neque est experientia & annosa exercitatio spiritualis vitæ & disciplinæ, sed vana & indeuota scientia, & assueta ad non interrogata leuis responsio. Istum enim non decet præsentibus aliis & peritioribus quicquam loqui, docendi saltem modo. Non dicas ergo opinionem tuam, ne ostendere scientiam tuam cum Heli videaris, qui beatum Iob meliorem & sapienterem se ausus est docere, & duriter increpare, ac rationibus compositis ingeniose, vincere: sed deus spreuit eum & reprobaui, eō quod superbe & animose iusto & sancto viro se prætulisset.

De reuelatione scripturarum mysticarum à deo imploranda & à proximo. Cap. 20.

Qvando autem desideras aliquid obscurum intelligere, & de dubiis certificari, primum à domino pete sensum & intellectū illius reuelari ad profectum tuum, & pro gloria eius. Contigit aliquando cuidam in tali forma deum oranti, cum se iterum contulisset lectioni, statim ei aperiri ignorantiā eius: qui consolatus in verbo domini didicit habere recursum frequentiorē ad deum omnia scientem. Tamen rursus hominis sensus quādoque à deo humiliatur, ne capiat verbum tenebrosū, vt non eleuetur cor eius, & cadat in laqueum diaboli, autmans se aliquid

scire, cum nihil sciat. Et nisi deus voluerit nobis reuelare, nonne tenebræ vidētur esse scripturæ? Ideo secundum consuetudinem sanctorum patrum quærendum est humiliter à fratre aliquo, vt exponat & declaret nobis intellectum obscurioris literæ. Sic enim discipuli interrogabant dominū dicentes, Edidisse re nobis parabolam zizaniorum.

Matt. 13.

De spirituali collatione. Cap. 21.

Confert etiam non modicam scientiæ vtilitatem studiosa & vnanimis duorū sibi bene consentientiū diuina collatio. Vnde Saluator noster ait: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et alibi: Dum hæc autem adhuc loquerentur, stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & ait, Pax vobis, & cætera quæ de resurrectione eius plenius leguntur. Amor ergo in diuinis scripturis commendabilis est, per quem & carnalia & ociosa tanto celerius vitamus, quanto maior est in nobis. Senties in operibus tuis effectum meliorem, si diuinæ sciētiæ fueris speculator, & impiger imitator.

Matt. 18.

Ioan. 20.

De quotidianis operibus quomodo fiant. Cap. 22.

Cum opus tibi videtur vt aliqua necessaria procures, vel etiam quædā ad meliorem durationem reformes, fac in dei nomine sine multa quæstione, & eris liberior à retractatione eorū qui contradicere potuerint. Ex quadā leuitate oppositionē faciūt, & nescio qualem probationem in aliis quærūt. Qui ergo silere scit & facere, sapientem viam tener. Hæc in quotidianis & leuibus obseruanda puto. Decet tamen fratris alicuius verba patienter audire, & propter virtutem humilitatis discendam, sequi interdum inferiorē: sed non semper, cum putatur fieri aliud magis inconueniens, quod bonæ & puræ conscientiæ melius relinquo, quā imperiū consulam.

Quæ est æquo facturus est cela 2.

De consilio maiorum in spiritualibus causis considerando & recipiendo. Cap. 23.

De spiritualibus & maioribus causis, superiorum primò est voluntas consideranda, deinde ipsorum, si dubitas, requirenda sentētia, vt quicquid iudicauerint, pro meliori accipiatur consilio. Si non acquieuerint vel satisfecerint interrogationi, expectanda est responsio. forte mature se deliberant perspicientes alia æque ibidem concurrentia, vel obuiantia, vt non tam facilis & certa possit solutio dari. Postquam semel aut bis sane intellexerint negotium quærentis, non expedit nimis insistere ad informandum eos, ne ge-

neretur aliqua grauitas aut molestia ab vtraque parte. Quietius est ergo amodo tacere, & aliud cōsiliū quærere, sicut sanctus ait, *Auxilium meum à domino, qui fecit cælum & terram.* Cum defunt humana, diuina sunt inquirenda suffragia, vt effectum concedat salutarem causis necessariis. Sed præcaue tibi, vt quantum minus vales, importune aliquid postules, & dum sentis parum proficere petitionem tuam, noli vexare te per aliquam impatientiam, sed recordare, *O felix patria sanctorū replens desideria, & miserorum nesciēs grauamina.*

De reuerentia prælatorum ac seniorum.
Cap. 24.

Coram senioribus exhibeas te verecundum & morigeratum, & nil temere in verbo aut opere à te percipiatur: sed humilitas & simplicitas. Semper senioribus reuerentia deferatur & honor. siue dignitate prælationis, siue auctoritate officij, siue ætate temporis, & conuersatione venerabiles fuerint, humili corde exigeris reddere debitam subiectionem, & beatus si implet eam, & deuote veneraris prælati tui præsentiam.

De cauenda familiaritate cum prælatis suis.
Cap. 25.

Quorum tamen societatem declinare debes vbicunque apte & quotienscunque licite poteris, quia multis fuit nocuum, quòd paruam reuerentiam coram senibus & prælatis suis habuerunt, & seduxit corda paruulorum & inexpertorum talis consuetudo. Ideo sapienter facit, qui magnorum hominum notitiam, & prælatorum familiaritatem deuocat, quia non bene decet, nec ædificat intuentes. Neque hoc ad subtrahendum quicquam sanctitati illorum dicitur: sed ad cautelam nouitiorum & simplicium proponitur. Quidam ex familiaritate nimia & alioquibus magnorum, audacius se rebus & negociis altioribus immerferunt, quod forsitan nõ fecissent si liberiores erga superiores suos non fuissent. Etiam aliquando cæteris fratribus se præferentes, putabant se aliquid esse: sed in fine decepti sunt, quia hominibus & non deo placere voluerunt. Proinde vtile iuuenibus est, & nouis palmitibus expediens, propter futuras occasiones mali, nunquam talia quærere quæ spectant ad superiorum gratiam & familiaritatem minus cautam: sed humiliora & simpliciora loca & officia exquirant sibi, gaudentes in abiectione omnium pomparum mundi, & quòd ignoti & parui habentur in oculis hominum reputati. Verū non est paruus fructus spiritualis gratiæ, quòd se homo ab omni temperat propter Chri-

stum, amicorum inclinatione, & eius appetit solummodo gratiam, qui cōfortat pauperem & exulem consolatur in abscondito.

De periculo pauperum in officiis.
Cap. 26.

Cauendum est pauperi, ne efficiatur præsumptuosus & audax, & obliuiscatur paupertatis & inopiæ suæ in qua natus est. melius illi esset si semper vitam in egestate duceret, quàm post paupertatem in terrenis substantiis superbiret. Maledictum sit aurum & argentum, & omnis preciosa substantia desiderabilis visu pereat, quæ pauperem & simplicem ad superbiam & mentis cæcitatem perducit. Vere infelix homo, qui in terra sibi nomen inuenit, & laudem finem suum posuit. Quid ita metuendum pauperi & inopi, sicut exaltari & prædicari? Multi quando latebant, deo vivebant: quando nesciebantur, deus illos visitare dignatus est, & tanto familiarius, quanto minus sociati erant hominibus. Sed dum ad negocia temporalia peruenissent, hincinde dissipati nõ potuerunt cogitare quid fuissent, & aliter his contigit quàm putassent. Abscondé ergo charissime modicum te ad momentum, & vide quid prodest omnis labor hominis & operatio multa sine fructu. Fructus est sanctitas & puritas cordis, plenitudo dilectionis, delectatio in operibus bonis, finis vero vita æterna est.

De vitandis cuique rebus sibi non commissis.
Cap. 27.

Obserua quoque cautius, vt de ordinatione maiorum aut fratrum consilio non multum adicias tibi, aut de qualibet re quæ non est tibi commissa, quia non parui periculi est rebus ad te non pertinentibus aliquo modo conscientiam occupare. Quisquis curis multis se interset, seipsum lædit. Qui vero vnū quod super omnia est, solummodo quærit, in pace multiplici erit conscientia eius. Potes te ipsum inquietare talibus, & proficies nihil. Ad tuum conceptum rem quamlibet habere, erraticum videtur & impossibile. Noli igitur errare, quia error finem non habet, id est perfectam consummationem. Si vis esse bonus & perfectus seruus dei, non tuā, sed dei opta in omnibus voluntatem. Eius sequere animo humili ordinationem, & omnia tibi parebunt, nil etiam tuæ disconueniet voluntati, sicut scriptum est: *Ordinatio tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Dies est homo iustus propter lucem veritatis & iustitiæ, qua illuminatur à sole Christo, scilicet ad videndum ordinationem omnium æquitatis eius. Iste ergo perseuerat ordinatione dei, hoc est, mente constans est & immobilis

immobilis super omnibus quæ ei contingere possunt, ferens cuncta æquanimitè, quia ab illo procedunt, cuius nutui omnia subsunt & obediunt. Noli in isto vel in illo tuam velle impleri voluntatem vel electionem, quæ sæpe proprietaria est & iniusta, sed dic: Sicut dominus voluerit, ita fiat, nam ita fieri melius est. Quicquid etiam per seruos suos instituerit, pro bono fit, & inde lucet seruus dei bonus, quoniam omnia in bonum accipit, sciēs quia consummatio perfectionis est alienatio omnis propriæ voluntatis. Rarius ergo statue tibi consilium tuum, & firmiter non ponatur in animo quod est incertum an fiat vel fieri expediat, quia in rebus cunctis finis inspiciendus est. Et quæ ad bonum finem dirigunt, laudem habent, non quæ in facie apparent, nam ignota sunt plerumque talia, quantum probabilia foris videantur.

De præuia consideratione.
Cap. 28.

Idcirco sapientes & eruditi viri res quasi- bet intuentur à longe, & longanimitè expectant rimantes tacite quis sit finis intenti operis, ne festinantia rem confundat, & precipitio corruant. Prouidentia namque regitur status sapientis, & actio eius vniuersa (si plena sit oculis) erit probatissima & stabilis. Ipsius est rerum causas, puta initium & finem debitum discernere, & quæ sint agenda, quæ etiam vitanda, semper præuidere, ne incōfuisse fiant. Si quis indiget sapientia, postulet à deo, & dabitur ei, si utilis ei esse possit & expediens: aliter illam desiderare non debet, quia damnabilem rem exoraret.

De differentia inter sapientiam & prudentiam.
Cap. 29.

Sapientia tamen cælestium rerum magis videtur esse, prudentia vero seu prouidentia ad temporalia negocia congruentius spectat, quia cælestia & æterna sapere potius iubemur, temporalia autem omnia in transitu habere docemur. Vnde licenter conceditur vsus necessarius bonis & sanctis viris proponendo viatico. Sed non in omnibus cernitur tantus diuinæ dilectionis radius, vt quod dignitate & elegantia mentis proponunt, hoc exerceant auidius. Norunt sancti quòd hæc ima præsentata supernis, sint abiectissima: nec precio laudis alicuius ducenda. Itaque quodammodo assimilantur caducis qui caduca petunt, & priuantur gloria cælestium qui fatiantur temporalium. Quæ omnia prudens dispensator debet animaduertere, & ne terrestrium rerum distributione dispergatur nimium, bonis sempiternis suum renouare cordis palatum stu deat. Tantoque libentius (dum illi vacat) im moretur superis, quo ma-

gis cōstat quòd grauis est & periculosa omnis cura temporalis, quæ diuinis non releuatur sustentamentis.

Quòd necessaria est prouidentia habenti curas temporales.
Cap. 30.

Eget quippe maiori prouidentie luce qui inter temporales curas tanquam inter vitæ tenebras versatur, & illi bonum est, si tantummodo rebus mutuatus, nõ alligatus corde externa ministret. Laudabile fati, si in negociis sancto non desit ocio, si curis ad tempus pro fraterna causa intentus, nihilominus inueniatur meditatione æternorum & contemplatione suspensus. Qui enim sanctæ Marthæ fideliter implere negocium satagit, beatissimæ Mariæ dignus habebitur aliquando dulcedine foueri, & consolationis diuinæ & allocutionis silentio immorari. Quo ille rebus interius petitus subdeat ad se. Et cenetur aptus, cui iam fraternæ necessitati seruire placet, & Christi tantum dilectio super omnem temporalem curam amabilis, in intentione precipua est. Non sicut is cuius foris videtur ministratio, sed ab intus nõ ardet vera dilectio, & intentionis nõ lucet pura simplicitas, & simplex puritas. Sua enim comodate perdit lucrum commoditatis, & libitu proprio destituitur à Christi beneplacito. Nam omne quod agitur, si in veritate & puritate non manserit, in interitum vadit & euanescit. Tetigi paululū boni dispensatoris necessarium institutum, qualiter sibi ipsi debeat etiam intentus & prælens esse, nec rebus exterioribus variisque negociis totaliter inhiare, quinimmo eligat secundum affectionem suam cordialem nullis implicari curis, sed insistere (quantum opportune concessum fuerit) studiis theoreticis. Veruntamen quisquis per diuinam voluntatem tanquam seruus à domino fuerit aduocatus ad faciendum opera misericordiæ, impleat mādatum obedientiæ, & ne declinet ad propriam nimis quietem: sed magis offerat se per bonam & promptam voluntatem ad seruiendum deo viuenti in secula seculorum. Amen.

De ministerio Marthæ, & ocio Mariæ, & de concordia conuenientia ad inuicem ad eruditionem boni dispensatoris Libellus Secundus: Cuius hæc sunt capita.

De comparatione Marthæ ad Mariā, id est, actiua ad contemplatiuam, & quòd vtraque laudabilis, nec altera ab altera separanda.
Cap. i.


De opere Marthæ.
Cap. ii.

De opere Mariæ.
Cap. iii.

De admonitione Marthæ.
Cap. iiii.

De consolatione Marthæ. Cap.v.
De admonitione Mariæ. Cap.vi.
De increpatione tepidæ Mariæ. Cap.vii.

De comparatione Marthæ ad Mariam, id est, actiuæ ad contemplatiuam, & quod vtraque laudabilis, nec altera ab altera separanda.
Cap. i.



M Vanuis eligibilior pars Mariæ sit & suauior, tamen beatæ Marthæ sororis eiusdem, pars laudabilis est & deo accepta, sicut per seipsum dominus ait in

Ioan. 12. euangelio: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, qui est in cælis. Ministrare specialiter spectat ad Martham, sicut vacare ad Mariam, non tamen debent istæ duæ sorores ab inuicè separari, nec debet de statu suo contendere: sed magis studeant pariter Christum hospitio recipere, vt in omnibus possint perfectè stare, & quotidianis proficere virtutum augmentis.

Opus Marthæ. Cap. 2.
M Artha seruiat, labore, atque prouideat bona coram deo & hominibus, vt soror eius Maria liberius vacet diuinis. Nec murmuret contra sororem suam, quod eam solam reliquit ministrare: sed potius adhortetur, vt in quiete & silentio se teneat, & nullis se mundi occupet negociis: sed Iesum semper præ oculis habeat, in quem angeli prospicere concupiscunt. Audiatque eum, & miretur de verbis gratiæ quæ procedunt de ore eius, atque talem se exhibeat, vt digna sit auditu diuino. Tam purum & absque terrena mole cor suum præparet, vt cælestibus desideris accensa quandoque mereatur introire cum ipso ad inconfueta dulcedinis eius gaudia.

Opus Mariæ. Cap. 3.
M Aria vero sorori suæ compati debet, & sæpius dominum orare, vt digne & deuote valeat ministrare sibi & alijs necessaria huius vitæ, vt patiens sit in aduersis, fidelis & prudens in omnibus negociis suis, atque sic exteriora moderetur & ordinet, vt se ipsam interius non omnino negligat: sed cum tempus occurrerit, exemplo suo ad vacandum sibi paululum in secretum secedat. Nec sibi soli & deo viuere magnum & gaudiosum reputet, sorore relicta sub sarcina: sed pio considerationis oculo, eius memor sit apud dilectum suum, nec non consolationis verbo quæ-

tum valet subleuamentum deferat. Memento Maria quod non vales libere vacare, nisi Martha voluerit pro te laborare: & nisi illa exteriora disponderet, tu minus lucide interiora videres. Vtilis est tibi fororis tuæ sollicitudo, vt non perturbetur tua desiderabilis solitudo. Ne ergo velis fororem tuam cõtemnere, aut iudicare minus sanctam, quia occupatur rebus transitorijs viliibusque materijs: magis autem hoc cogita, quantam tibi in humilitate seruitutis suæ præstat contemplandi occasionem. Quæ licet exteriora procuret, dispense, & custodiat, alia tamen habet in intentione cordis, quæ principalis amat. Nam Iesus Christus vtiq; est finis pro quo intantum laborat, propter quem etiam sibi parcere à mane vsque ad vespërâ non acquiescit, vt alij fructum spiritualem ex hoc maiorem consequatur. Dilige proinde sororem tuam, & defer ei compassionem, orationem, reuerentiã, & excusationem. Si quid minus potest in spiritali conuersatione, hoc tu supplere desidera per sancta & deuota exercitia tua. Non tamen ex te illud præsumas, aut de te plus quam oportet sapere velis: sed dei gratia te exhortante interius, bonum charitatis tuæ studium in hoc commenda, quia omnia bona opera tua ei communicare debeas, quæ plura impedimenta deuotionis habet quam tu. Soror enim tua est, & illi debes quidquid boni apud deum habere vales.

Admonitio Marthæ. Cap. 4.
A Vdi iterum & tu Martha, quæ sollicitaris circa frequens ministerium. Caue ne turberis in opere, & ne deficias in tribulatione, quia satis abundanter & causarum tumultus aduenient tibi, & aduersitatum contra te varietas non deficiet. Beata eris, si omnia patienter accipis, & cum gratiarum actione à deo esse bona & mala salubriter sentis. Semper igitur tibi opus est patientia atque prudentia, vt per patientiam mala superes, & per prudentiam alijs bona misericorditer impendas, quanuis sint etiam ingrati. Attende tu, quibus seruias, & quæ mercede laboras. Nonne Christus est, cui te totam contulisti? Eius Martha es, & eius voluntatem facere debes, ne offendas & pecces. Potens est dominus tibi dare gratiam maiorem, & ostendere etiam gloriam suam, vt quæ tam sedule & deuote ei ministras in mundo, tandem iuxta eum recumbas in regno eius.

Consolatio Marthæ. Cap. 5.
E ia Martha, magna erit merces tua in cælo, tantum esto fidelis in ministrando. Propterea serui, ser curam, præpara quæ opus sunt ad vitam istam siue in coquina, siue in

braxatorio & cellario, siue terendo semina, siue molendo sinapis siue alterius generis grana. Opus si vile est, tamen precium vita æterna est. Quicquid enim expendis in vsum fratrum Christi, reddet tibi iustus iudex in die iudicij. Quando omittis propriam voluntatem & vtilitatem aliquam, seu quando postponis spiritualem lectionem propter aliorum necessitatem, tunc emis à Christo hæreditatem æternæ vitæ, & ille fit tibi preciosum & firmissimū pignus solutionis æternæ gloriæ. Vnde patri sic dicit: Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. O Martha, multa potes operari opera bona, si sis voluntaria & parata. Egent seruitio tuo serui Christi, & sine tua cura non sunt in deo liberi. Si tamen vis esse meritorium opus tuū, fac ex animo bono, & non cum tristitia neque cum tædio. Magnam potes exercere charitatem in fratres, magnam etiam generare lætitudinem dum esuriunt & sitiunt, nec habent quod manducant, & tu subuenis necessitatibus eorum, apponendo ea quæ dominus concessit infirmitati corporis humani. Attende quid Isaac patriarcha dixerit Esau filio suo: Tolle (inquit) arma tua pharetram & arcum tuum. Cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum vt comedam, & benedicat tibi anima mea. Similiter benedicet tibi o Martha quicumque recreatus fuerit cibo & potu in nomine Christi per ministerium tuum: nec erit tantum benedictio tua temporalis quædam retributio, sed potius æternæ hæreditatis firma perceptio.

Admonitio Mariæ. Cap. 6.
A lloquenda est iterum soror Marthæ Maria, vt domi sedeat ac meditetur vt colūba, verba cælestia. Tanto affectu quæ æterna sunt cogita felix Maria, tam suauis gustu sapiat tibi interiora bona, vt minus cures exterioræ indigentiam. Minime quoque contristeris, si datur quandoque minus, si sapiat minus, si præparetur tardius, si quid aliud defectuosum fuerit in Marthæ manibus. Non enim parum ipsa ædificatur, quod tam sustinens videris in necessitate: nec erit ei alio tempore onerosum meliorare cum dominus donauerit, considerata patientia tua in tempore quo non potest. Quanto tu fueris patientior benignior & quietior, tanto sorori tuæ fit omnis labor leuior, & occupatio tolerabilior. Considerat nanque fructum spiritualis incrementi ex te, & consolatur non modicum in tuo opere, quia tu pascaris spiritu magis quam carne. Ipsa etiam gaudet coram deo quod tam facili contentaris ministerio, ne grauetur supra modum: sed parcis labori eius, ac vacandi

orandique indulges largius tempus. Satis reprehensibile esset, vt cum quietis iter ambulare deberes, molesta fias etiam laboranti.

Increpatione tepidæ Mariæ. Cap. 7.
I N omnibus exhibe te mitem, patientem, deuotam, terrena non curantem: sed deuotam, & eius contemplationi crebro intententem. Alioquin quomodo locum impleas Mariæ, si non inuigilas quieti & custodiæ tui? Aut non æstimas esse onus grauis iudicij, habere tantam prouidentiam in temporalibus, & minus vacare studijs spiritualibus? Time ne auferatur pars tua à te, propter ingratitude tuam, & detur forori tuæ facienti fructus bonos. Quæ huiusmodi est, non digne fungitur sancto ocio Mariæ: sed expelletur ab omni mox spiritali dulcedine ex iusta ratione. Sed mirum forte videretur, quomodo aliquid reprehensibile de Maria sentiri possit, quæ à Christo laudari cognoscitur. Hic sciendum est quod multi in loco sanctorum stant, qui tamen conuersatione sua multum à sanctis distant. Multi etiam nomen religionis habent, qui tamen adhuc seculari vita torpēt. Multi foris quiescunt ab occupationibus ex officio commissis, qui nondum tamen conquiescunt ab externarum rerum concupiscentiis. Ex quadam enim infirmitate spiritualis feruoris prouenit quod plures inquiete videtur positi: nec tamen vt dignum est sibi vacare nituntur. Ideo vt tactum est, in loco Mariæ huiusmodi sectatores negligentia redarguuntur, tanquam ab igne diuini amoris alienati, & in deuotione tam remissi. Sed quæ vera est Maria, sectator semper Iesu vestigia, & dicit cum sponsa: Sub umbra illius quem desiderauit anima mea sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Hæc pauca de ministerio Marthæ & ocio Mariæ, si considerata seruentur sollicitè, fiet vt post præsentis labores reddatur nobis fructus dilectionis cum corona iustitiæ. Amen.

Maria & si Christo victima, tamē alicubi reprehensibilis.

Cantic. 2

- De eruditione fidelis dispensatoris in vita actiua Libellus III. Cuius hæc sunt capita.
- De commendatione Marthæ & fidelis dispensatoris. Cap. i.
- De profunda abnegatione sui. Cap. ii.
- Declaratio literalis illius Can. Introduxit me rex in cellaria sua. Cap. iii.
- Qualiter teipsum consolaberis in Christo. Cap. iii.
- Duæ interrogationes sunt. Cap. v.
- De spiritali intellectu super responso ad duas interrogationes. Cap. vi.

De aspiratione ad caelestia. Cap.vii.
De spiritali esu & potu de cellariis Christi.
Cap. viii.
De hilaritate vultus & proptitudine ad externa opera charitatis post gustu diuinæ suauitatis. Cap. ix.
Quis sit aptus diuinis colloquiis. Cap. x.

De commendatione Marthæ & fidelis dispensatoris. Cap. i.

Nueni adhuc aliquid suauē in scripturis sanctis, quod te o Martha delectet in officio tuo. Tunc enim opera nostra leuiora sunt nobis & dulciora, si confirmationem trahant ex eloquiis sanctis, atque imitationem demōstrent iustorū præcedentium exemplis. Viles cere possent forte opera pietatis apud non intelligentes virtutum merita, nisi forent à beatissimis hominibus magna cum deuotione continuata. Magnus quoque honor est, & nullius erubescētia locus, quando pro caelesti regno sponte quis se humiliat, & seruum facit, exemplo Iesu Christi & sanctorum eius incitatus. Dicit enim in canticis sponsa figurate ostēdens per mystica verba quid bonitatis in hoc Christus vidit, quod quidā in laboribus sic deseruiunt. Manus meæ (inquit) distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Manus sponsæ hi sunt, qui amore Christi opera charitatis exercent in fratres, quorum virtus interior & actio exterior sic abundat ex affectu dilectionis ad omnes, vt amara & despecta oculis humanis tractare, ad qualemcūq; consolationem debiliū & impotētium delectetur. Sed & digiti pleni sunt myrrha probatissima, dum singula & distincta officia ex spiritu sancti ordinatione formata sic fiunt in domo dei, vt omnes qui ad agendum aliquid deputati fuerint, non ex proprio consensu, sed magis trahatur per salutarem obedientiam, renūciantes proprietatibus omnibus, etiam cum grauitate quandoque cordis & amaritudine valida. Etenim sic in veritate efficiuntur myrrha probatissima, cum in rebus paruissimis, & in quibus foret aliqua naturæ consolatio, seipsos relinquere & mortificare laborant. Potest igitur probata myrrha accipi, dum quis propter Christum carnalem vitam crucifigit laboribus, vigiliis & ieiuniis: sed fit tunc myrrha probatissima, cum in nullis rebus sibi viuunt, sed superatis apertis & grossioribus mortificationum stimulis, etiam valde subtiles propriæ voluntatis motus immolat. Quod cum fecerit, nimirum cum Christo

in cruce sitiente, potum felle mixtum spiritaliter gustat. Cui competit illa in cruce pedentis responsio: Consummatum est.

De profunda abnegatione sui. Cap. 2.

NAm cum aliquis ad tantam peruenerit abnegationis profunditatem, vt neque in magnis neque in paruis, nec in aduersis nec in prosperis suam exquisierit voluntatem, iure etiam de se dicere potest: Consummatum est hoc est, Quicquid virtutis, quicquid perfectionis, quicquid spiritualis est cōuersationis, in hoc vno munere adimpleui, videlicet in plenaria mei abnegatione. Et hæc est myrrha probatissima. Sed antequam huius myrrhæ speciē quis agnoscat, in multis sæpe grauitatibus seipsum experitur, quā facile caro remurmurat, quotiens trepidat, quotiens subruit, in quo confictu intelligit quantus sit labor non facere quod concupiscit, quā durum frangere ad omnem nutum alterius, suos conceptus animi. Si ergo hæc & his similia latius excogitata pertransierit tanquam veræ mortificationis probamenta, quæ omnia fortes Christi amatores ardentissimo affectu subire festinant, inueniet proculdubio quā veraciter dictum sit, Et digiti mei pleni myrrha probatissima. Probantur enim à minimo vsque ad maximum eorum digiti, & à summo verticē vsque ad plantam pedis, sine tētatione nihil vacat in ipsis. Nam modo iubetur exteriora, modo compelluntur ad sui custodiam introire, nunc huc illucque discurre, nunc etiam quieti insisteret, modo paulo plus vigilare, & paulo post vigilias nequaquam protrahere: nunc quod libet protinus abiicere, nunc etiam quod horrent sine mora perficere. Si est aliquod genus supplicii quod martyres facit, tunc maxime illi martyres fiunt, qui totiens verbo dei tanquam gladio submissi plectuntur, quotiens sibi ipsis per obedientiam moriuntur. O quā sublimiter de talibus filiis gloriari potest sponsa Christi mater ecclesia dicens, Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

Declaratio literalis. Introduxit me rex in cellaria sua. Cap. 3.

Aceipe & aliud verbum ex ore sponsi putabam inducere ad consolationem: sed præuenit me deus quasi nescienter docens me primum debere mihi me ipsi interius mori, antequam digne possem aliis foris deseruire, vt puta si adhuc impatiens in paruis laesionibus essem, qualiter tunc aliorum infirmitates bene sustinerem: & si adhuc superbus esset animus meus, quomodo portarem sine

murmure

murmure murmuraciones, sine cōtradictione detractiones, & indisciplinatorum mores. Constat namque quod patientia & humilitas summe necessariæ sunt ministrantibus. Est autem intentum verbum istud, quod sponsa cum multa etiam iucunditate loquitur dicens, Introduxit me rex in cellaria sua. Hæc ipsa intellectum huius verbi in ministerio Christi absconditum, tu æstima apud te magnum, si inueniatur etiam in te per opus aliquod extrinsecum æque ipsi gratum. Nam si hoc ipsum verbum, Introduxit me rex &c. traxerit quis ad boni cellarij officium, inueniet vtique plenum sensum & perfectum, intus sapidum, & foris non ociosum.

Qualiter te ipsum consolaberis in Christo. Cap. 4.

Propterea libenter & perseveranter age quod agis, & quodam mentali gaudio vivere in opere tuo, retinens apud te verbum suauitate plenum, Introduxit me rex in cellaria sua. Hæc est enim voluntas patris tui qui in cælis est, & eius qui in terris, vt ita facias sicut ordinatum est tibi. Nam potes coram iudicantibus te confidenter protestari, quia non ego ipse introduxi me, sed introduxit me rex in cellaria sua. Deus rex cæli & terræ, maris, & omnium quæ in eis sunt, rex magnus super omnes reges, qui cuncta sapienter regit quæ potenter creauit, rex potens, rex clemens, solus & singularis rex, regens etiam eos qui reges vocantur, rex regum, & dominus dominantium, mecum disposuit, & in me fieri voluit, vt aliquo saltem tempore vitæ meæ, ego pauper & indignus homuncio implem ministerium istud, respiciendo ad ea quæ sub cura cellarij posita sunt. Siue enim hoc ideo ordinauit, vt qui ad maiora & altiora vitæ contemplatiuæ minus valui, in bonæ saltem actionis vita fructum haberem, siue vt humilitatis & patientiæ & cæterarum virtutum profectum ad meam utilitatem melius sic apprehenderem, siue vt eius duntaxat voluntatem facerem, siue quocunq; alio occulto beneplacito eius, mihi tamen semper placito, nequaquam dissentio, non contradico, non refugio: sed gaudeo & gaudebo de tanto seruitio, quia introduxit me in cellaria sua. Hic etiam pater noster vicarius & amicus dei in me hoc ipsum adimpleri voluit, vt fratribus domus huius meo pauperulo labore subseruirem: & ego paratum me esse cupio,

quandiu valeo vel pedem mouere. Si ita incipis sapere, & tanquam diuinum considerare beneplacitum, tunc & hilariter ac reuerenter omnia perficere delectabit animam tuam. Sed ad quid introduxit te, pensare etiam habes: nec ignorare causam vtilem debes. Non enim ideo introductus es, vt tu fruaris bonis illic repositis, & alij in ediam sustineat: sed potius intelligas idcirco te vocatum & introductum, vt per tuum laborem aliis sit requies: per tuam curam & providentiam subleuentur pauperes Christi: ita vt necessitate adueniente, tibi interdum subtrahas, vnde pascatur esuriens & sitiens Christus, & ex bono opere fraternæ dilectionis tuipse plus reficiaris in corde, quā caro tua cibo aliquo corporeo. Tunc proficies maxime in tam sancto officio, si spiritualemente requiris fructum, non curans aliquod terrenum commodum vel in commodum, sed indefesso mentis desiderio præter solum deum non optas possidere thesaurum aliquem in terris, neque aliud quodcunq; luerum expectas de labore tuo, quā caelestem vitam & gloriam æternam in futuro cum Christo. Nam te perseverante & omnia perficiente secundum eius bonam voluntatem, faciet ipse tandem tecum hanc gratiam, vt merearis eius inueneri faciem perennis gloriæ, & tanto dulcius & sublimius sentias verba huius amoris cantici verificari in te, quanto gloriosior est illa caelestis domus abundans cellariis optimis diuersorū meritorum sanctorum, quā hæc pauperula & lutea domus paruo contenta cellario, in quo absconduntur victualia ad sustentationem fratrum nostrorum pauperum & peregrinorum: ita vt dicas in dulcedine animæ tuæ, Introduxit me rex in cellaria sua.

Duæ interrogationes. Cap. 5.

Sed iterum video aliud requirendum secundum grossiorem intellectum respicientem forinsecus atrium, quid in hoc voluit significare verbo, cellaria, quasi multa essent, cum & vnum cellarium videatur sufficere. Quare etiam addidit sua, tanquam eius esset possessio, & non nostra, vt magis cōmunis esset demonstratio? Intellige bonā rationem harū quæstionum. Quia non nunquam inferiores cum fortioribus, & ideo felicioribus in vna domo simul commorantur, sæpe debiles egent indulgentius ministrari sibi aliqua necessaria, quibus seniores non indigent. Ne ergo possent quidam ex hac plenitudine misericordiæ scādalizari, dicere maluit sponsa benigna mater fortibus

Labor nobis leuior colatus cū exēplis antiquorum ex sacris literis.

Cant. 4. Explicatio huius ex Cant. 4. cap. 1. Manus meæ distillauerunt myrram, &c.

Verbum Christi consummatum est, dicitur quod non negauerunt.

Patetia & humilitas officii cum primis necessitatibus. Cant. 1.

Explicatio paraphrastica huius ex Cantico sponsæ, introduxit me rex &c. iuxta litteram & spiritum.

Martyres qui totiens verbo dei tanquam gladio submissi plectuntur, quotiens sibi ipsis per obedientiam moriuntur.

adolescentibus pro excusatione debiliūm filiorum se à rege clementissimo introductam in cellaria, quatenus visa copiosa benedictione, vnicuique ex eisdem ministraret, quantum opus esset ad naturæ congruentiam. Et benefatis subdidit sua, vt vnusquisque seruatorū dei videns se de cellario Christi participare bonum corpori necessarium, sciat esse totum à deo: nec hæc parua & vilia adiutoria sine gratiarum actione autemet sibi concessa: immo cum supplici mente pro his minimis vicem deuotæ confessionis deo refundat, quæ nulla creatura sufficienter pro minimo quantulūcunq; beneficio laudare sufficit. Valde enim magnum est, quod tam magnificus dominus & rex omnium regum nos pascere dignatur de donis suis, cui nihil dignū retribuere possumus. Etiam pulchre sponsa cum dixisset in cellaria, addidit sua, vt nemo inde quicquam sibi arroget, sed de eius bonitate sibi porrigi necessaria confiteatur, atque cum propheta canter domino dicens: Propter nomen tuū deduces me, & enutries me. Ex hinc similiter admonere omnes voluit, ne de vlla proprietate adinuicē cōtenderent, vt neq; iste inflatus dicat, istud meum est. nec ille, hoc meum est: talique iniqua proprietate vnus contra alium cōcupiscat in perditionem salutis suæ. Placuit ergo dicere cellaria sua, vt audito q̄ omnia sint dei, tollatur mox omnis proprietatis rei, sicutque per ipsius dispensationem nobis communia, & eius dignatione nostra, quæ vere duntaxat illius sunt propria. Sic ergo patet quā vtiliter & compatiēter positum sit cellaria, & non cellarium: quā salubriter & gratatèr adiectum, sua. quæ pariter omnia considerata non modicam conferunt bono & fideli custodi diuinæ consolationis gratiā, eo quod tantam inuenerit in Christi seruitio virtutis viam, necnon meritorum plurimum fertilitatem.

De spiritali intellectu super responso ad dictas interrogationes. Cap. 6.
Expleto secundum paupertatem meam sensu rudiori, iam ad interiorem spiritus medullam te transmittito, quam tamen nō à me audies, sed vt ab introductione sponsi capias verbum illius, optime fauē. Nō enim parua credo eum percipisse internæ consolationis pinguedinem, qui sibi conscius est de abscondito & nouo hoc exultationis fructu: Introduxit me rex in cellaria sua. Mihi quidem misero, & sterilitatem cordis sapius patienti, preciosum nimium esset, si aliquādo post singultus & pulsationes fortes ad huius sponsi miserationem promerendam de præteritis malis potuero veniam inuenire, si

etiam contra morbos vitiorum & ægras affectiones animi valero aliquas species medicinales impetrare. Nec hoc est vtique quod sponsa quæ amore flagrat, inebriata ab vbertate domus dei reuertens, auribus nostris infudit dicēs, Introduxit me rex in cellaria sua. Quid est ergo quod loquitur? Ignorare me fateor. Tu vero si intelligere potes sicut dignum est, congaudeo gratiā diuinæ. Parum tamen quod à longe stans sentio per rimas cellariorum in quibus sponsa iam introducta potitur melioribus sponsi bonis, libens propono, vt si placuerit cordi tuo, accipias illud desideranter. Si quis Christum syncere & intime amans, huius vitæ qualitercunq; blādientis gaudia contempserit, illum non dubito posse experiri quid cælestis dulcedinis vox ista contineat: Introduxit me rex in cellaria sua. Quicumque autem in hac valle misera sufficere sibi gratulatur, quod temporalis prosperitas & rerum affluentia non ei deficiat, hic profecto alienus & tanquam immundus repellitur ab interioribus diuitiis: nec ei cōuenit gustare dulcissimum verbum, Introduxit me rex in cellaria sua. Habet enim iam hic promptuaria sua & horrea frumenti vini & olei sui, quibus multiplicatis delectatur & requiescit, non in pace Christi, sed in corde terræ. Sanctis igitur & fidelibus electorum mentibus solum hæc amicabile reuelatur intelligentia, cui intentam aurem accommodare te velim, vt merearis & tu particeps esse bonorum horum spiritaliumque gaudiorū. Siquando igitur interius deo persenseris tibi compunctionem, atque mētis illuminationem desursum venientem, si etiam post deuotam & perseveratē orationem desiderium æternæ vitæ incallescere & augmentari perceperis, vnde hæc bona procedere autumas, nisi de cellariis supernis? Si insuper altius te attrahi ad inuisibilia bona perspexeris, ac omnem cogitarum tuum in dominum iactari, ita vt solius dei memor sis, in quo vita salus & requies summa est, petierisque vt cum ipso felici vita viuas, & amodo non reuertaris ad miseras istas, quandiu tale aliquid tibi sentire donatur, cur negare potes quod introduxit me rex in cellaria sua? Nec deo difficile est ostendere tibi charitatem suam, vt videas eius arcana in altissimis condita, pro cuius amore libenter exteriora opera ministrare nō recusas, quantumcunq; sint humilia & despecta.

De aspiratione ad cælestia. Cap. 7.

Hoc

Hoc tamen tuum est digne deo conuersari, & in externis negociis mentē à supernis non auertere: sed ad illa gustāda secreta de nouo semper aspirare. Quā felix eris, si internæ dei vocationi sine mora gratularer occurreris? Si hoc vel alio etiam modo dixeris, Domine qui laborem & dolorem consideras, quā libentissime ad te venirem, optime nosti. Ecce assum, fiat mihi secundū verbum tuum, quod olim dixisti, Et ego manifestabo ei meipsum. Sed & hoc erat, & semper est desiderium meum. Vtinam inueniam gratiā in oculis tuis, & tibi placeat pauperculum seruitium meum. Nil quippe sic charum esse poterit serulo tuo, sicut habere gratiam in cōspectu tuo, & agnosci inter filios tuos, qui nec dignus sum vocari seruus tuus. Domine quicquid aliud dico, quicquid desidero, ecce totus in manibus tuis sum, fac mihi secundum verbum tuum, secundum beneplacitum tuum, secundum ordinationem tuam, & secundum omnem voluntatem tuam.

De spiritali esu & potu de cellariis Christi. Cap. 8.

Ad huc te cum domino sermocinate, si dixerit tibi, Qui mihi ministrat, me sequatur, sequere eum quocunq; ierit. Qui seiscis an velit præire & præparare viam, atque aperire signacula, vt introducaris in cellaria sua? Sequere eum, & quodcunq; dixerit tibi, facito. Si dixerit tibi, bibe, etiam bibe de calice eius. Est enim vinum hoc optimum, & cellaria nostra non habent simile. Charitas enim vinum est. Dum ergo implevis illa, optimo vino inebriaris. Vbi inuenies eam, nisi in cellariis eius? Et quod est precium eius? Non comparabit eam quis nummis, sed spretis illis, & inebriare dulcedine charitatis, ecce hydria coram te est, & fons vitæ. Deus enim charitas est. Si dixerit comedere, quodcunq; inuenieris comedere. Totum bonum est, quicquid tibi recoditum vides. Mel inuenisti, comedere quod satis est. Si obtulerit etiam partem piscis assi & fauum mellis, sume reliquias eius. Cumq; liquata fuerint in ore tuo, faciet te sentire mirabilem dulcedinem. Aperiat ipse sensum in passione affatus, & fauus mellis in resurrectione apparet lætus discipulis suis, & loquēs de regno dei. Si passionem deuote recolis, de pisco affo comedis: & si de resurrectionis eius gloria & potentia diuinitatis iucundaris, mel in cera inuenisti. Si etiam panem porrexerit, & aqua sapientiæ salutaris te potauerit, surge

in morem Helix, & comedere & bibe, quia tibi grandis restat via donec venias in montem dei Oreb. Nam tempus est comedendi, & tempus laborandi. Descendente te ad nos, nihil coctum inuenies, neque quid affum igni. Māduca ergo ibi & bibe coram domino, erit enim necessarium tibi. Adhuc enim quinque anni restabūt tibi, & erit fames in terra. Quādiu enim sumus in corpore, quod quinque sensibus distinctum est, peregrinamur à domino, & ideo esurimus & sitimus vsque in horam hanc donec veniat regnum dei. Nec potes dicere, sufficit mihi, nisi cum apparuerit gloria domini, & allata fuerit arca cordis tui in templum cælestis Hierusalē. Bene & prospere te agente cum domino, quidni difficulter redeas ad solita, ad tumultuosa, ad laboriosa onera? Si dixeris cum Petro, Bonum est mihi hi c esse: non admiror, quia & ego idipsum vociferarer, si tam vicinus essem. Sed nondum venit hora tua: forsitan audies, Nec ideo adduxi te vt perpetuo maneas: sed scias quomodo oporteat te in domo mea conuersari. Propterea stabiliui te vino dilectionis, & cibaria dedi tibi in abundantia, & nolui te fraudari à desiderio tuo. en vident oculi tui, quæ promiseram seruiētibus mihi. Reuertere iam in pace, & visita fratres tuos, ne forte expectent & quærant te, dicentes: Vbi est cellarius noster? Venies autem iterum ad me, cum vacuum tibi fuerit. Caue ne contristes mendicū in nomine meo venientem. Et quomodo videbis faciem meam, fratre tuo contristato & infirmante? Quis enim infirmatur, & ego nō infirmor? Auditorus es in nouissimo die: Esuriui, & dedisti mihi manducare: sitiui, & dedisti mihi potum. Infirmus fui, & visitasti me. Affer mihi adhuc vas aliud, & dabo tibi oleū misericordiæ, & effundes illud super septem opera pietatis. Vade ergo & fac omnia sicut nosti me velle, & ero tecum. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

De hilaritate vultus & promptitudine ad externa opera charitatis post gustum diuinæ suauitatis. Cap. 9.

Iam ultra quid ego loquar, nisi congaudeo tibi, si reuersus fueris cū gratia cælesti ad infirma corporis nostri? Splēdida facta erat facies Moysi ex locutione domini in monte Sinai. Et vnde hoc, nisi quia introduxit eū dominus in cellaria sua? Quā splēdida & hilaris apparebit etiā nobis facies tua, sermo placidus & suauis, gressus pulchri & pacifici, & omnis deniq; actio prouida & ordinata, dum

h ij

Psal. 9.
Ioan. 14.

Introduci in cellaria
si, myli, ed quā

Psal. 114.

Reg. 19
Luc. 9.
2. Cor. 11
Matt. 25
Apoc. 2
Exod. 34
Quā iucundus & placidus re-deat ad Marthā, qui suauiter uertatus est cū Maria.

veneris visitare egentes & sitientes egressus à conspectu domini, quia sine benedictione venire non potes. Et tuum est utique domino dicere antequam vadas & descendas de mote in Aegyptum, praesentes scilicet tenebras: *Gen. 32.* Nō dimittam te, nisi benedixeris mihi. Nobis e- quidē proficit hāc benedictio: sed tibi principalius. Quanto tu paratior ad necessaria no- stra, tanto nos cogis arctius ad diuina myste- ria. Quāto quoque deuotior & affabilior vi- sus fueris à nobis, tanto fit acceptabilius quic- quid humanitatis impenderis. At vero cum talem te inuenerimus, quid nisi obstupescen- tes congratulamur dicentes: Vnde ista co- piofa mentis, & corporis letitia? Fuit ne hodie dominus apud te, & nesciebamus vsque mo- do? Beatus es tu, & beati omnes qui seruiunt ei, & qui non discedunt ab eo, donec reddant illi animas suas, quas tam frequenter ponunt pro fratribus suis. Quid respondebis ad hāc collata beneficia, nisi humilia & deuota oris & cordis cantica? Quid me intuemini, aut quid in me admiramini? Dei dona sunt quic- quid vidistis in me vase fictili, in testa arida, & in tenui calamo. Et ut gloria domini mei Iesu Christi manifestetur, noueritis quia non meis meritis ad vos me misit dominus: sed vestris bonis operibus participem me fieri. Ecce dico vobis, introduxit me rex in cellaria sua. Ex hoc est omne quod cernitis. Propter quod rogo, & vos dilectissimi mei vnā mecum gra- tias agite super inenarrabili dono eius. De- precemur quoque seduli eius dilectionem, ut quandiu hic pariter subsistimus, spiritualis gratiae consolatione nos refouere dignetur, ac tādē in sua aeterna cellaria perducat, vbi omnium electorum corda referta sunt pace dulcissima, & letitia persultant opulentissi- ma. Colligite ex his praemis quā pium sit feruire fratribus, quā placitum deo, & ange- lis quodammodo aequale, quā miseri leguntur in ministerium propter eos qui hereditatem capient aeternae salutis: quā multiplex etiam virtus, quā clarior & verior per actus proba- tur, quā cogitatione imaginaria possidetur. O quā magnā dat fideli seruo fiduciā nunc in tempore isto, & dabit maiorem in extremo examine sermo domini quem locutus est di- cens: Euge serue bone & fidelis, quia in mo- dico fuisti fidelis, intra in gaudium domini tui. Pius dominus qui remunerare semper solet famulantes sibi, non idcirco denegabit tibi abscondita dulcedinis suae, quia te prom- ptum externis & seruilibus operibus manci- pasti.

Quis sit aptus diuinis colloquiis.
Cap. 10.

Iuat tamen valde pro adipiscenda crebra ipsius amicitia, familiariter ei colloqui per interna mentis verba. Et qui hāc sibi conce- di desiderat, oportet ut ineptas locutiones & occupationes caueat: nec humanus visus ip- sum nimis delectet, quia amor Christi dis- tractis & extraneis mentibus nescit copulari. Felix nimis charissime, cui donatum est hu- iusmodi experiri solatia. Sed nunc ora pro- me, ut sua intima consolatione dignetur do- minus mentem meam largius illustrare, at- que à cunctis mundi negociis intactam cus- todire.

Sequitur Vitae Solitariae commendatio,
duobus libellis: quorum prioris
haec sunt capita.

- De commendatione solitudinis. Cap. i.
- Consideratio diuinæ bonitatis. Cap. ii.
- De humilitate nostra secundum ordinationē dei. Cap. iii.
- Vtile esse existenti in quiete, ut recogitet de priori labore. Cap. iiii.
- De amore ad solitudinem & secretū. Cap. v.
- Quod non omnium est vacare. Cap. vi.
- Contemptus consolationum extranearum. Cap. vii.
- Consolatio infirmorum. Cap. viii.
- Consolatio in scripturis diuinis. Cap. ix.
- Spiritualis dilectio ad sanctos. Cap. x.
- Congratulatio ad pie defunctos. Cap. xi.
- Consolatio spiritualis hominis. Cap. xii.
- Communis vita magna iam apparet, si bene feruetur. Cap. xiii.
- Signa deuotorum. Cap. xiiii.
- Tentationes deuotorum. Cap. xv.
- Reprobatio temporalis solatij. Cap. xvi.
- Commendatio dulcedinis caelestis, quae est in Christo Iesu. Cap. xvii.

De commendatione solitudinis. Cap. i.



Charissime, cum esses in occupationibus externis, & pro nomine Christi la- borem subisses fraternū, breui quadam admoni- tione (sicut tūc poscebat rei utilitas) te iuuare quasi spirituali manu volui, quoniam aliter nō po- tui, ut dū illā aliquādo attēderes, rectius inter curas ambulares. Sed iā nunc cū solutus sis ab illo onere, & restitutus pristinae quieti, etiā so- latium fraternū tibi nolo subtrahere: sed mo- dicum de amore cellae, & silentij custodia (quia sic ordo postulat viuendi) dicam.

Confide-

Consideratio diuinæ bonitatis. Cap. 2.
Debes in hac restitutione tua diuinam su- per te bonitatem multiformiter atten- dere, & ei quacunq; de causa factum sit, mul- tum regratiari. Autumo quōd pro tuo pro- fectu erit, quicquid expertus es in illo officio, quod ante nesciebas. Spero iterum, quōd nō minus tibi prosperabitur ad bonum tuum, quoniam liberatus es & solutus, atq; tibi ple- nius redditus.

De humilitate nostra secundum ordinatio- nem dei. Cap. 3.

In omnibus denique temporalibus varia- tionibus, siue per nos siue per alios contingunt, supernam ordinationem considerare debemus, & tali ordinatione nos humiliter deo prosternere, atque petere, ut ipse nobis do- net quod salutari nostrae plus viderit prodesse. Sicut lutum in manu figuli, ita nos in mani- bus eius. Tantum dignetur nos facere vas in honorem, & non in cōtūmeliam. Siue fecerit nos paruos & contemptibiles & extremos inter fratres nostros, nō hoc multum curemus, dummodo aequè illi mereamur placere. Et utique credimus & confiteri debemus vnum deum patrem nos omnes habere, quo quot siue per gratiam siue per naturam existimus. Et ideo de inaequalitate meritorum & distri- butione officiorum, nulli expedit iniuste cogitare aduersus aliquem quantumlibet despe- ctum & inferiorem ceteris hominibus in hoc mundo. Ad propositū ergo rediēs dico quōd propter dimissam illius officij curam, non es modo inferior aut inutilior ad pia opera faci- enda, de quo aliqua conscripsi tibi ut sense- ras tunc conuenientia: sed forte modo talia non sapiunt, quia non cōueniunt. Bene. Sed quid in futurum adhuc valeant, nescis, cum possit res cōsimilis aduenire. Sunt tamen ibi si aduertis, quaedam, quae quieti & proposito praesenti deseruiunt.

Vtile est existenti in quiete, ut recogitet de priori labore. Cap. 4.

Si ergo ad memoriam tuā redeunt illa one- ra & occupationes elapsae, forsitan vtiliter interdum profunt, tunc credo clarius senties quantum distat inter tunc & nunc. Videbis quoque quōd tuae virtutis non fuerat, animū potuisse sub interiori custodia in occupatio- nibus seruare, quando & in quiete vix cohi- bere se prauelet humana infirmitas. Pepercit igitur tibi deus, & ideo gaude in adepta sim- plicitate, & conuerte sensum tuum liberius iā ad intelligentiā spiritualiū rerū. Cito vilescet sapiētia terrena amanti caelestē sapiētiā. Ra- ro diu cōueniunt frequens exteriorum occu- patio, & diuinorum secretorum notitia.

De amore ad solitudinē & secretū. Cap. 5.
Vge dilecte mi, ait sponsa, quia & spon- sus Iesus legitur etiam declinasse à turba constituta in loco. Eris frequenter cum Iesu, si amaueris secretum, & curaueris custodire paradisi locum, quem beatus Hieronymus cellam nominat, dicens: Quandiu non es in patria, cella sit paradus tuus. Inibi gaudebis in domino, & confabulaberis ei, & ille respō- debit tibi. Appropinquabit cordi tuo lux eius, & veritas manifestabitur tibi amplius. Sole orto & feruente, multiplicabuntur radij illius, & Christo veniente illustrabitur inte- rior domus tua. Emundaberis lumine nouo, & in fulgore eius persultabunt omnia inte- riora tua. Et dices: Domine quis similis tibi? Quam verus sermo quem legi: In lumine tuo videbimus lumen? Et nunc domine deus il- luminatio mea & salus mea, in lumine tuo ambulabo, & in nomine tuo exultabo tota die, & in iustitia tua exaltabor, quia gloria vir- tutis meae tu es, & in beneplacito tuo volun- tas mea stabit.

Quod non omnium est vacare. Cap. 6.

Considera gratiam tibi desuper datam, & viuere secundum eam curato, quoniam non omnibus sic vacat solitari cum Chri- sto, quemadmodum oblatum est tibi aptum & sufficiens tempus praeceteris: tantum asit spiritus Iesu, qui docet & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cū enim adest spiritus eius, non habes requirere praesentiam alicuius hominis ut consoles. Quando autem abest, expecta eum, quoniam veniet, & non tardabit.

Contemptus consolationum extranea- rum. Cap. 7.

Cauere tamen oportet ut de foris super- flua solatia non petatur: sed vel interim silentio & luctui insistere, aut cum amico de negligentia & angustia sua conferre. Et ista hominis consolatio satis utilis & necessaria tempore suo, quia non omnium est dicere cū apostolo, quia nō ab homine, neque per ho- minem didici, sed per reuelationē Iesu Chri- sti. Qui humano solatio non eget, multum su- per hoc regratiari deo potest.

Consolatio infirmorum. Cap. 8.

Et qui adhuc carere non potest, quid ni- si deum in seruis suis humiliter audire debet: & non sicut ab homine, sed tanquā ab ore dei prolatum sit, consolationis verbum suscipere? Qui etiam per scripturas nobis ad- huc tanquam paruulis loquitur, ut habeamus tamen aliquid vnde consolemur.

h iij

*Ecclesi. 33
Roma. 9
In omnibus
quae nobis
accident, &
quo aequo
simus.*

*Vox D.
clemētis*

Hebr. 1.

Luca. 19.

*Cant. 8.
Ioan. 5.*

*Psal. 34.
Psal. 35.
Psal. 26.*

Psal. 88.

Ioan. 1.

Galat. 1.

Consolatio in scripturis diuinis. Cap.9.

Est enim non parua consolatio, qui nullam exteriorem habet, quod delectatur in scripturis diuinis. Et cum legit euangeliū aut prophetas, nonne videtur quodammodo colloquium celebrare cum Iesu & apostolis eius, nec non cū prophetis antiquis? Et cū ceteros libros doctorum auidissime legit, quid nisi ex bona eorum societate à se omne mentis fastidium repellit? An non sapissime cum Augustinum vel Gregorium legis, tanquam præsentes eos intueris? Aut minori affectu eorum dicta complecteris, quia in carne non sunt, quam si uiuerēt, & ad te sua scripta direxissent?

Spiritualis dilectio ad sanctos. Cap.10.

Posset forte magis aliquid conferre tibi veneranda ipsorum præsentia: sed spiritualis homo hanc affectionem facile supergreditur, cui in deo omnes viuunt & præsentes sunt, qui & in hominibus sanctis nō tantum corporalem aspectum quantum diuinā in eis gratiam intuens, spiritualiter eos ubiq; diligit & veneratur. Nonne & prædictorum duorum patrum sententia meminit, quod ideo Iesus Christus suam nobis corporalem subtraxit præsentiam, vt fide coleretur potius quam oculo, & spiritu ac mente arctius diligeretur quam aspectu? sicut idem ipse dominus noster ait: Nisi abiero, paracletus nō ueniet. Expedit enim uobis, vt ego vadam.

Ioan. 6.

Congratulatio ad pie defunctos. Cap.11.

Cum ergo tolluntur à nobis spirituales amici, si sequuntur Christum ad cælos ascendentem, congaudendum erit utique eis, quia vadunt ad patrem, quia illam cælestem mansionem accipiunt, ad quam nostra peregrinatio ex hac valle lachrymarum totiens suspirat. Si vero aliqui adhuc differuntur à regno, pro paruulorum eos nimirum consolatione uiuere credendum est, quibus lac spiritualis consolationis opus est.

Consolatio spiritualis hominis. Cap.12.

Qui autem ad tantam gratiam peruenire potest, vt sine humano solatio etiā & solus uiuere dulce habeat, gaudeat, quia quanto exterius minus querit, tanto uerius intus per spiritū consolari merebitur. Huiusmodi hominis est iugi meditatione diuinæ legis cuncta terrena obliuisci, & ardenti mētis desiderio beatorū gaudiis interesse, ac omnē consolationis suauitatem in illa beatitudine constituere, atque exhinc frequenter haurire fluentia deuotarum lachrymarum, quæ ipsi etiā præ amoris magnitudine dulces sunt, quemadmodum sanctus Dauid ex desiderio

videndi deum loquitur: Fuerūt mihi lachryme meę panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est deus tuus? Quam bonum est homini sic esse: sed non sine labore & custodia sui poterit diu sic esse. Multa sunt enim quæ hominem à suo proposito retrahunt.

Communis uita magna iam apparet, si bene seruetur. Cap.13.

Sed tamen magnum pro nunc videtur, si quis communis uitæ sequēs formam, nullos superfluos exitus & circuitus faciat, licet propter grauitatem uitæ quandoque necessarios egressus deuitare aliquid maius sit. Qui adhuc largioribus indigent cōsolationibus, non sunt despiciendi nec frangendi, forte expedit aliquibus vt parumper de aere rapiant, quia si omnem perdididerint humanam consolationem, cum diuinam nondum idonei sint perfecte capere, consumuntur tædio, & affligentur: plusquam oportet, nescientes uia fortium imitari. Tu autem ascende modicum altius, & sic compatere aliis, vt imitari tamen eorum infirma non uelis. Strictiora tamen & grauiora quam portare sufficias, non approbo: sed secundum facultatem tuam, secretum & solitudinem, vt religiosissime uaces, propono.

Signa deuotorum. Cap.14.

Bonum signum deuotionis est cellā amare, vel alterum locum aptum ad uacandum deo expetere, ne impediatur spiritus in oratione vel meditatione cælesti. Amabilis talis uita, non onerosa. Siquidem deuotis mētibus omnis locus secretus aptus & placidus, & omne tēpus breue ad exercitia spiritualia.

Tentationes deuotorum. Cap.15.

Forte aliter interdum sæpe experiuntur, & eis quælibet dulcia & leuia in amaritudinem & tædium uertuntur. Cum ergo talia superueniunt, non idcirco priora bona postponere debent: nec putare quod deo displiceat propositum sanctum: sed cogitare quàm uile sit, vt quandoque parum tribulentur, & probentur à spiritibus malignis, & sic per patientiam fructus bonos afferant. Admonentur per hæc quoque decetero fieri sollicitiores ad tolerantiam aduersitatum, quia non tantum in quiete, sed etiam in tribulationibus & tentationibus deum diligere & laudare, gloriosior profecto uia perfectionis est ad æternam uitam.

Reprobatio temporalis solatij. Cap.16.

Quid potest boni conferre homini breue & inane foris solatium? Aut quid proposito creatore capietur de creatura iucunditatis?

ditatis? Nisi per creaturam querat ascendere ad conditorem, laborabit, nec satiabitur anima eius. De consensu creatoris ad amandum creaturas exire licet: de sensu uero carnis attrahere delectationem, uetum est spiritui.

Commendatio dulcedinis cælestis, quæ est in Christo Iesu. Cap.17.

Agnosce sponsi cælestis speciem, & aduerte dignitatem amoris tui, quia quicquid præter ipsum amaueris, non implebit te, sed fugit abs te. Fugit omnis gloria terrestrium, & propinatur amantibus eam fel & acetum in nouissimis. Saturitatem non habet mundus, neque olei suauitatem. Iesus autem dulcedo ineffabilis, & tor? desiderabilis, qui suos cōsolatione internæ pacis in præsenti frequenter uisitat, & in futura uita satietate mirifica adimplebit.

De familiaritate cum Iesu. Cap.18.

Quære igitur ipsius ditari consolatione, ipsius secreta dulcedine refici, ipsi? casta familiaritate in abyssum diuinitatis recipi, quia uox eius est, Nemo uenit ad patrem nisi per me. Nullus locus tam solitarius sit, in quo Iesus priorem locum non habeat. Sine illo omne secretum tumultus, cū illo omnis locus quietus & delectabilis. Dulcius est esse cum illo in cruce, quam sine illo in paradiso. Ipso præsente quid iam deesse poterit?

Ioan. 14.

Quod diuersimode nunc adest Iesus dilectis suis. Cap.19.

Nunc tamen adest sicut peregrinationi nostræ congruit, postea uidebitur sicuti est. Adest quidem semper, sed non eodem modo, quia aliquando iudicium suum nobis per tribulationum flagella aperit, aliquando misericordiam suam per ablationem aduersantium, restitutionemque pacis manifestat. Sic adest piis dilectoribus suis, vt tamen sine

Ioan. 16.

1. Cor. 6.

pressura in hac uita non sint. In mundo (inquit) pressuram habebitis, sed confidite, quia ego uici mundum. Sic adest ipse tanquam filiis pater, vt castigati & nō mortificati, vt destituti sed non derelicti, vt infirmi facti, sed fide non fracti, vt lugentes & egentes, sed spe gaudentes & charitate feruentes, melius & expeditius tendant ad æterna, formidolosius & despectius teneant præsentia. Rursum adest electis gratiam infundendo, interius consolando, cælestia reuelando, pacem mentis & corporis largiendo, uitia & passiones supprimendo, tentationes & grauitates cæteras auferendo. Sed non semper durat hæc clarior hora, quia iterum se subtrahens permittit pene omnia contraria euenire, vt fides illorum

1. Pet. 1.

preciosior sit auro quod per ignē probatur.

Et tamen tunc adest etiam & fatis utiliter & fructuose, licet sustinenti sit grauius & indelectabilius.

De laude patientis aduersa cum Iesu & scandala. Cap.20.

Quam laudabilis hic, cui Iesus placet non minus in aduersis quam in prosperis. Qui cum illo manducat & bibit, & iterum libenter esurit & sitit. Qui sequitur eum usque in montem uisionis & gloriæ, & constanter non formidat sequi eum in patibulo, confiteturque in singulis istis, quoniam bonus, quoniam dulcis & amabilis atque laudabilis ualde. Hinc ipse dicit, Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, quando uidelicet aduersa contingunt, quia in prosperis scandala nō vrunt, nec eo tempore probatur esse discipulus Iesu. Dilige ergo eum quando bona tribuit, dilige eum quando eadem tollit, insuper & quando tribulationem mittens affligit. Nulla aduersitas, nulla prosperitas corpenitus ab eo separet. Nec mirum si grauatur & tribulatur ipsa natura cum instat passio: dummodo tamen spiritus se subdat uoluntati & ordinationi eius, manet utique in patiente natura, dilectio.

Luca. 7.

De solatio habendo cum Christo Iesu.

Cap. 21.

Hic itaque pro solatio unico tibi sit: ubiunque fueris, & qualitercūque tecum transierit, ipse in te mansionem semper sitias, & omnia consilia tua in eo permaneant. Gratiā eius & præsentiā summe caueas violare, quia illo offenso, quid pacis habebis? Alta cogitatio & sensus elatus, amor temporalis, & affectus uisibilium, & quodcūque uile gaudium de creaturis, obnubilat cor etiam sanctum, ne uideatur Iesus cum patre in cælo, aut sub matre in præsepio. Insuper fiunt omnia deuota Christi mysteria, conuertenti se ad exteriora & inania. Affectus uero affectū uincit, & qui spiritualia sapit, omnia inferiora propter Christum libenter derelinquit.

Vita Christi & sanctorum extra mundū fuit. Cap.22.

Anecessit nos forma filij dei, & secuti sunt eum omnes exercitus sanctorum in albis. Vilipensus est à philo christis omnis decor exterior sensibilium rerum, aurum & argentum, lapides preciosi, uariis ornatus uestium, abundantia diuitiarum, copiosus apparatus epularum, uoluptas carnis, frequentia clientum, effrenatio deliciarum, & omne delectabile & commodum corporis nō potuit emollire corda sanctorum, nec inficere nares eorum, neque seducere oculos eorum, quia

Apo. 7.

florentem mundum mentis despectu calcant: cum scirent profecto celerem finem habiturum omne gaudium presentis vite, & postea in breui securum premium quod nullo sine claudetur. His tamen omnibus irretitus est mundus miserabiliter, his insanit libidinibus, his letatur lutivolubris. Tacere melius est de his quam immunda purgamenta reuolueret: ne coinquinationis sue puluerem etiam ad secretum mentis hostis iactet, ne tumultus inferat, ne meliora dirimat, ne occasionem alicuius maculae ex hac recordatione praebeat, & sustinere non possis.

De quiete cellicola a turbine seculi. Cap. 23.

Quam bene agis cellicola quod speris seculi tumultibus confugisti sub umbraculum Christi, ubi interim repausas quiete felici. Quam sapienter elegisti latere, quam proficue conaris soli deo vivere, & eius oculis tantummodo apparere? Si Christum & matrem Christi diligis, si amantes Iesum & currentes post eum deuote sequeris, non erit in te amor & cura carnis, neque angustus paupertatis locus, neque labor tediatus, neque tristis solitudo tua, neque silentium non iucundum.

De inclusorio & secreto corde in omni loco. Cap. 24.

Fac tibi quoddam cordis inclusorium, ut etiam quolibet in loco constitutus sis, tecum comitetur tua solitudo. Arcam construe ex omni parte firmam & seruatam, ut salueris ab aquis diluuij. graues enim sunt & indicibiles fluctus magni maris, secularis utique cohabitacionis. Super ripam Iordanis stabat Iohannes, & vidit Iesum ad se venientem. Stat cum eo super ripam fluminis, qui seorsum ab actibus mundanis degit, ut Iesum oculis fidei altius contempletur. Vna tamen fenestram habeat arca tua, ut per eam intret Christus: & sit obliqua, ne veniat Satanas, quia minus late amicum suscipit, qui inimici fraudes aditumque non obstruit. Omnibus bonis inimicus est diabolus, insidiatorque continuus: sed monachis & religiosis amplius. Qui quanto perfectius per iter incedunt virtutis, tanto acrius ille nititur eos impedire, quibuscumque poterit artibus. Aduersus quem nos munit, & a cuius fallacia praesignet & tueatur seruulos suos Iesus Christus dominus noster. Amen.

Libelli Secundi de vita solitaria & silentio capita.

De custodia silentij. Cap. i. Exemplum silentij in Dauid propheta. Cap. ii.

Commendatio silentij secundum priscos patres sanctos & religiosos. Cap. iii. Virtutes silentij. Cap. iiiii. Remedium contra multiloquium. Cap. v. Reprehensio loquacium. Cap. vi. Excusatio vtilium doctrinarum. Cap. vii. De cautela contra rigorem nimium & abstractionem singularem. Cap. viii. Distinctio diuersorum hominum in silendo. Cap. ix. De quibusdam specialibus impedimentis quae sunt in locutione longa. Cap. x. Contra nocturna colloquia. Cap. xi. Experimentum malae conscientiae arguit talia colloquia. Cap. xii. Remedium contra praedicta. Cap. xiii. Necessariae locutiones. Cap. xiiii. Consilium taliter loquentium. Cap. xv. Consideratio vtilis prudentibus. Cap. xvi. De instabilitate leuiter & dissolute loquentium. Cap. xvii. Qualiter diffuescit homo a multiloquio. Cap. xviii. De peccato locutionis. Cap. xix. De vitio detractionis. Cap. xx. Quod facilius peccatur in verbo. Cap. xxi. Qualiter decipitur homo, & retrahitur a custodia silentij. Cap. xxii. Recognitio erroris post lapsum. Cap. xxiii. De laqueis linguarum. Cap. xxiiii. Quaestio oritur ex paulo ante & longe ante dictis. Cap. xxv. Discretio sequenda est, & inquirenda praemissis iam dictis. Cap. xxvi. Deuoti & religiosi plus caeteris silentio insistere debent. Cap. xxvii. Communiter (hoc est fere omnes) silere magis indigemus quam loqui. Cap. xxviii. Defectus consolationis spiritualis vnde proueniat. Cap. xxix. Silendum est magis in deuotis temporibus & festiuitatibus. Cap. xxx. De communionem Eucharistiae. Cap. xxxi. Comparatio dilecti amici ad dilectissimum amicum Christum. Cap. xxxii. Dignitas Christi, & eiusdem humilitas ad nos. Cap. xxxiii. Quantam habeat anima, suscepto Christo, consolationem. Cap. xxxiiii. Cur non suscipimus vberem fructum ex frequenti comunione corporis dominici. Cap. xxxv. Sapius communicare maxima est consolatio animae religiosae. Cap. xxxvi. Quod diabolus nititur impedire deuotionem hominis ad deum. Cap. xxxvii. Quod diabolus insidiatur maxime solitariis. Cap. xxxviii.

Virilitas

Virilitas & alacritas cuique habenda contra inimicum. Cap. xxxix.

De custodia silentij. Cap. i.

Silentij custos religiosus.

Non satis debet esse ad profectum tuum ut diligas secretum, nisi diligas religionis custodem, sacrum scilicet silentium.

Exemplum silentij in Dauid propheta. Cap. 2.

1. re. 16. Psal. 38. Psal. 140.

Inc de sancto Dauid, qui tam multa caelestis contemplationis arcana in secreta mansione didicit & cecinit, notate scribitur, quod Chusi erat amicus Dauid, qui interpretatur silentium. Quam specialis iste amicus eius fuerit, in pluribus psalterij locis aperit dicens: Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Et paulo post, Obmutui & humilitatus sum, & filui a bonis. Qui rursus alibi deprecatur dominum pro continetia linguarum dicens: Pone domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiae labijs meis. Talis ac tantus vir, qui quotidie magnis populorum turbis ambiebat, & regali potestate etiam multis nationibus dominabatur, silentium diligebat, & ne superaretur aliqua fragilitate aut leuitate, pro hac dominum humiliter exorabat. Vbi statutum legerat silentium religiosorum: ubi disciplinam didicerat monasticam? Certe spiritus sancti gratia preuenit & instructus, legem vitae & disciplinae suscepit ac tenuit. Quae si nunc asit nobis, poterimus & eandem obseruare silentij formam, quae a senioribus nostris tradita est, & diligentius ab antiquo comedata.

Commendatio silentij secundum priscos patres sanctos & religiosos. Cap. 3.

Omnes religiosi patres commendauerunt silentium: & quicumque etiam priuatim vixerunt, hoc tenuerunt & docuerunt. Quidam habent quasi quotidianum silentium, quidam autem sub quodam moderamine temporum, locorum & personarum. Et licet non arctius ad tantam obseruantiam, ad quantam multi ex professione ordinis tenentur, tamen magni meriti apud deum eris, quod ex voto & amore silentij, os tuum custodis. Insuper & aliis in hoc proposito bonum & edificabile praebis exemplum, cum viderint formam sanctae religionis in te florere.

Virtutes silentij. Cap. 4.

Is igitur sollicitus in hac obseruantia, propter multas virtutes in ea laetates. Nam silentium bene seruando, obedientiam etiam seruas, humilitatem retines, verecundiam adornas, senibus reuerentiam exhibes, iuuenibus exemplum praebes, leuibus & dissolutis timo-

rem incuris, extraneis bonam famam, intraneis pacem & concordiam generas. Habeas autem adhuc talem custodiam, ut primo serues strictae & perfecte quod communis constitutio fixit: dehinc ut cum loqui licet, temperate vtilia & necessaria siue tibi seu aliis dicas. Quaecumque autem ex superfluitate aut ociositate aut negligentia coincidunt, citius emendare festines, atque post lapsum praemunitior esto decetero.

Remedium contra multiloquium. Cap. 5.

Alutare remedium est contra excessum locutionis, aliquo tempore abstinere a necessariis & licitis verbis, etiam si nemo iubeat. Leuius & suauius onus fertur, quod ex affectu voluntario & interiori spiritus sancti correptione accipitur. Prudenter quidem se arctat sub disciplina discipulus agnoscens recentem culpam antequam magister cum virga accedat ad feriendum crescentem iam passionem.

Reprehensio loquacium. Cap. 6.

Assuescit aliquis ad singulas occasiones loqui, quando erit liber & quietus in se? Raro deest loquaci loquendi occasio, neque vlla ei persona disconuenit. Quasi omnibus notus sit, sic affatur tacentes & ignotos. Sapientibus & insipientibus debitorem se facit. Si & materia & peritia sermonis non desit, de omnibus se instructum putat: tamen hora breuis & signum silentij cogit breuiare sermonem. In hoc usus est malus, peior correctionis negligentia, sed fragilitas aliquando venialis, & ad correctionem pronior.

Excusatio vtilium doctrinarum. Cap. 7.

Ne tamen putetur omnis locutio aut sermo prolixus reprehensibilis, ex doctrina Christi & apostolorum actibus probari potest. Nam Christus ascendens in montem docturus discipulos suos, vberiori eos sermone protraxit. Altera quoque vice electurus duodecim apostolos, prius sapientiae suae monitis largius illos instruens, ad praedicandum misit. Nouissime vero cum iam esset recessurus, & in crastino passurus, post sacratissimam coenam coepit solito prolixiore habere sermonem, sicut tristibus & orphanis sua gratissima praesentia orbatis necessarium esse percipiebat. Constat de beato apostolo Paulo, qui aliquando adificationis gratia usque ad mediam noctem sermonem protraxerit. Similia quoque inueniuntur gesta ab antiquis patribus, quemadmodum beatus Antonius fratribus collationem vberiore impertitus est, veluti & beatus Benedictus domino hoc volente sorori suae de caelestibus gaudiis nocturnum colloquium praeter consuetudinem solitam concessit. Vbi ergo talis intercesserit vtilitas & gratia, acquiescere aliorum postulationi esset ma-

Doctrinae quae prolixae non minus silentij virtute. Matt. 5. Matt. 10. Ioan. 14. Act. 20.

ignum pietatis opus. Neque hoc facto solueretur spiritualis animæ intelligentia, cum possit forte maior propter fraternam ædificationem hac ipsa hora intellectus dari. Si quis autem subditus est obedientiæ, nihil agere potest sine superioris licentiâ, nec quid loqui, etiam si possit prodesse. Superior vel quilibet sui adhuc iuris in hoc maxime deo subiectus erit. Secundum recte sapientes sermo lógus & utilis culpari non debet, tãquam ideo superfluus, quia diffuse tractatur, alioquin tardiores sensu sepe relinquerentur. Omne autem verbũ quod grauitatẽ aut utilitatem non redolet, merito longum à puris mentibus esse sentitur. Licet igitur custoditus esse debeas & tardus ad loquendum, quatinus suo in tempore prudentior & utilior fias ad proferendum, sic tamen amantissimum, vt fratri indigenti non deneges verbum. Sic te ipsum tempera ab omni solatio alieno, vt si res postulauerit, libere conferas cũ amico, eiusque vtaris consilio. Pone (inquit Propheta) ostium circumstantiæ labiis meis. Ostium ad aperiendum & claudendum aptum est, vt necessariis aperiatur, vanis claudatur.

Psal. 140

De cautela contra rigorem nimium, & abstractionem singularem. Cap. 8.

Vnde cauedum est ne rigide & indistincte quis taceat, precipue is qui cum aliis in congregatione viuunt. Nam qui ita singulari silentio rigesceret, diu stare concorditer cum aliis non posset. Aut ipse per se deficit, aut diabolicis instinctibus ad aliqua deteriora in fine labitur. Exempla plura vidi, & quadam non longe audiui, & tu forte quosdam nosti. Qui appetit bene & perseueranter proficere, non solum attendat quã fortiter incipiat, sed etiã quo sine consummet. Sæpe strictiora principia quorũdam, sinem fecerunt laxiorem cæteris, & quidam abiire retrorsum. Omnino enim videbatur eis importabile iugũ domini. Feruor in principio necessarius est, sed tamen non sine moderamine. Non est sine periculo & laqueo, singularis obseruantia in communi domo. Ille magis laudabilis feruor, qui communia propriis præponens, in his nunquam negligens fatagit inueniri, quæ cum aliis suscepit ad portandum.

Distinctio diuersorum hominum in silendo. Cap. 9.

Quidam magnum existimant silentium continuũ seruare, sicut & est: sed silere & loqui prout oportet, maius est. Qui abstracte & solitarie viuunt, potest quanto strictius voluerit silentium custodire. Qui vero cum multis viuunt, non solum satis sibi, sed etiam aliis socialis esse debet. Adhuc qui in externis est, & cum diuersis hominibus sepe cõuerfatur, im-

plere tantã custodiam difficulter potest, quin verbo aliquando offendant, & vtinam seipsum non penitus perdat. Ideoque illi bene, cui donatum est à domino esse & posse in quiete & in cella morari, quia exteriora & secularia vix sine culpa & spirituali detrimẽto possunt tractari. Nam qui in multitudine est, sæpe tacere ab aliis non permittitur. Et cum ex necessitate loqui tantũ appetit, vsu locutionis ad negligentiam sui primo labitur, postmodum lingua proclius ad quẽcunque libet resoluitur. Vnde consequenter accidit vt quod audire pacifice vix potuit propter cordis custodiam, ex multa negligentia hoc ipsum nõ pudeat eum publicare.

De quibusdam specialibus impedimentis in locutione longa. Cap. 10.

Sciendum ergo quod in locutionibus solent homini spirituali sæpe multa contingere detrimẽta. Propterea vtile est habere aliquam admonitionem & instructionem ad quãdam specialius cauenda. Vnde frequenter habere lóga colloquia irreligiosa est & suspectum. Nam talia inanem faciunt hominem, & sancti propositi immemorem, & ad quietis & cellæ custodiam pigrum, & ad diuina cogitanda cæcum & inspidum. Raro enim edificatio nascitur spiritualis hincinde vage conferentibus. Absque certa speciali que tractandi materia, longa colloquia non expediunt, & his precipue temporibus quibus deo familiaris vacandum esset. Nã summopere mane & vespere ab omnibus humanis actibus & colloquiis cessandum est, quia hæc sunt horæ deuotionis, reparationis, emendationis, & propositionis. Et qui ista tempora negligenter ducunt, timendum satis quod per totum diem distractiores erunt, pluraque offendicula incurrunt. Sacra igitur illorum institutio religiosorum, qui arctiori silentio post horam completorii vsque post primas insistent, potissimum consideranda esset & imitanda.

Contra nocturna colloquia. Cap. 11.

Non est bona quorundam consuetudo, sed execranda, noctem sacram turbandi fabulis, quæ electa est & deputata tantum cælestibus disciplinis. Nisi enim præcaueatur vespertina seu nocturna inutilis fabulatio, sequitur multotiens de mane lóga dormitatio, & alia disconuenientia in reliquis dei operibus: quia secundum quandam sapientem, vno inconuenienti dato sequuntur plurima. Et est deffenda vtique transgressio, digneque puniẽda, diem videlicet laboribus & distractionibus deducere, & aduersa scete sole his deteriora addere, nec lapsum diei cursum per restantia quietis tempora aliquatenus reuocare. Incon-

silentiũ nõ õĩt equĩtĩt dicitur.

Intẽpẽstua col loquia cõscien- tiã onerant.

Incon- modum prolium locutiõ ne.

Antido- tus ad- uerfus pestẽ lo- quacita- tis.

Prẽtextũ necessa- riẽ locu- tionis quomodo tol- latur.

grum omnino videtur, vt aliis deuotioni & quieti deditis, alii pascatur infelicibus fabulis, vnde sibiipsis grauem conscientiam, reliquis autem scandali occasionem, aut aliud puritatis impedimentum contra deum & proximũ peccantes acquirant.

Experimentum malæ conscientie arguit talia colloquia. Cap. 12.

Confessi sunt quidam experientia instruti paruam se gratiã, tristitiam vero magnã ex nocturnis contraxisse colloquiis, quia si bona multa interfuerant, atque prima intentio pura visa est, mala tamen arctius premebant, quæ qualicunque occasione non defuerunt. Nam hoc multotiens accidit, vt aliquid indecens seu seculare aut detractoriũ verbum dicatur aut audiatur, quod nõ facilliter à corde recedat, & ex illo plus inficiatur auditor, vel grauius mordeatur postea qui dixit, quã de omnibus aliis sane & acceptabiliter pertractatis emendetur. Cum enim homines valde fragiles simus, paruus & leue est vnde non parũ sæpe lædimur aut inficimur.

Remedium contra prædicta. Cap. 13.

Ideo medicina huius fragilitatis efficax est præcauere tẽtationis laqueum, fugere occasionem, citius etiam abrumpere antequã crescat ignis lingue, quia ignita tela diaboli exeunt per linguã immoderatã, quam ille cõmouet tanquã familiare sibi membrũ nunquã cessat.

De necessariis locutionibus. Cap. 14.

Sed cum aliqui sint, quos causa satis necessaria sæpe ad loquendum trahit, siue de his quæ ad officium curæ eorũ spectant, siue quæ interius ex animi perplexitate exurgunt, ita vt ad aliorum consilium & solatium, eorum solatium aliquantulum dependeat, non videtur tũ possibile vt moras loquendi aliquando non exagerent.

Consilium taliter loquentium. Cap. 15.

Quibus tamen hoc faciendum est & iugerendum, ne humana solatia vltra necessarium petant, sed potius misericordiam domini cogitantes, in suis dubiis & perplexitatibus studeant in silentio intentius ad deum cõfugere, & ab eo suffragiũ petere, atque ab aliis etiam fratribus manum superni leuaminis humiliter inquirere, donec subleuentur. Quicquid autem humano metu aut propria fiducia maculosum contraxerint, statim vt animaduertere cõperint, eidem supernæ bonitati summæque prouidentie eius vniuersaliter committant, quoniam quidem nulla sunt humana cõsilia, inutilisque mortalium solertia, nisi ipsius præueniat & subsequatur nos semper clementia. Sic ergo semetipsos poterunt à nociuis & non necessariis verbis castificare,

aliisque occasionem labendi tollere.

Cõsideratio vtilis prudentibus. Cap. 16.

Simulque considerent, quod non assuescit homo cauere superflua, nisi a multis licitis libet abstinere. Sapientibus enim pauca sufficiunt, & necessariis acquiescentes multorum garrulationem non aduertunt. Insipientibus vero non sufficit verborum numerus, neque modũ imitari sapientiũ norunt, & tamen scriptũ est, Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. Prou. 17

De instabilitate leuiter & dissoluto loquentium. Cap. 17.

Hanc doctrinam quidam cupientes seruare, non diu perseuerant, quia aliter cõsuescunt vincere pronitatem verborũ leuium arduum putant. Cum enim ab omni sermone vacuo prolixo & vario se suspendere proponunt, quandoque etiam cum multo gemitu reprehendere incipiunt, quod hucusque tam incustoditi vixerunt, sed occurrente occasione impositum sibi propter vitiosam consuetudinem silentium resoluunt.

Qualiter dissiuescit homo à multiloquio. Cap. 18.

Quam vtique consuetudinẽ si dediscere & amputare voluerint, studeant sæpe innovare propositum hodie silendi propter amorem Christi, & sollicitius occasiones loquendi declinare, atque hominum leuium libenterque fabulantium vitare presentia. Nec hoc tantum propter illos, quantum propter suam infirmitatem & insufficientiam, sibi faciendum esse sentiant. Insuper pro sui confortatione pensent, quanta mala ex tali vitioso vsu soleant sibi accidere, quanta etiã possent adhuc, nisi vigilanter compescant linguã, accumulare. Linguam enim nullus hominũ domare potest. Satis grauis & lametabilis ista sententia, quod humanum genus in tanta verfaturo debilitate & insipientia, quod tam paruorum membrum rationis imperio nequit subiugare. Forte lóge facilius esset multis omnino tacere, quã verbo nõ iocari, aut quod ad rem nõ pertinet, aliquando nõ dicere. Quod si tacerint, certe liberi erunt ab offensione verbi.

De multiplici peccato locutionis. Cap. 19.

Vis enim plene iudicet quoties peccatur verbo? Aut enim ociosum, aut iocosum, aut elatum, aut durum, aut indignandum, aut dissolutum, aut adulatorium, aut seductorium, aut vanigloriosum, aut presumptuosum, aut defensorium, aut excusatorium, aut detractorium, aut mendosum, aut inhonestum, aut nociuum, aut exprobratoriũ, aut illusorium, aut superfluum, aut improbitum, aut intempestiuum, aut illicitũ, aut alio quoli-

Vt superflua tolli queant, abstinentiam in- terdũ à necessa- riis.

Affectu- do diu multiq; loquẽdi, tacendi votũ remora- tur.

Iaco. 3.

bet genere vitiosum est verbū quod emittitur.
De vitio detractionis. Cap. 20.

Inter quæ sæpissime detractionis vitium prin-
cipatur, quia de absentibus loqui nunc ista
nunc illa, generalissimum inter homines con-
gregatos inuenitur. Et vnusquisque libenter
quod sibi in aliis placet aut displicet, euomit,
minus caute attendens ne forte cuiquam de-
roget, quàm grauitur etiam & facilius possit
verbo delinquere. Sæpe dicitur, quod statim
vt dictum est, poenitere incipit, & nunquam
(si posset illæsum reuocari) diceretur. Et vtinā
semel cadendo doceretur homo damno suo,
ne iterum caderet.

Quòd facilius peccatur verbo, facilius
corde. Cap. 21.

Quo facilius delinquitur, quàm verbo?
Qui enim verbo nō offendit, hic per-
fectus est vir. Sed tamen cogitatione multo fa-
cilis ac etiā grauius delinqui potest. Ex corde
enim (vt dominus ait) oriuntur blasphemias,
mendacia, quæ coinquinant hominem. Malū
igitur prius concipitur in corde, verbum aut
malum procedit ex malo corde. Sed in corde
facilius & occultius, in verbo autem facilius &
manifestius peccatur. Hinc etiam scriptū est.

In multiloquio non deerit peccatum.

Qualiter decipitur homo & retrahitur à
custodia silentij. Cap. 22.

Decipitur homo multotiens sub pietatis
& affabilitatis vultu, retractus à rigore
suo quē sibi indixerat, vt cum cauere cupiens
nimietatem loquendi, timet periculum aliud,
ne ex sua taciturnitate quispiā grauetur, quia
forte nō satisfacit ei, quia rarius eum alloqui-
tur, quia parum de ipsius fraternitate curare
videtur: vnde etiam aliquādo parua charitas,
celeris suspicio, cōmotio & indignatio, con-
questio aut etiā detraçtio in altero surrepere
posset. Sed hoc si aliquo indicio deprehende-
ret, & alterius charitatem super se violari præ-
sentiret, tunc quantum liceret ei ex obedi-
entia loci & temporis loqui, non loquens pecca-
ret. Lingua enim placabilis lignū vitæ, & ver-
bum bonum super omne donum. Sic iterum
descendet homo ad aperiendum ostium pul-
santi, qui pro sua persona claudere semper ap-
peteret os suum, vt tanto securius custodiret
animam suam. Sed quomodo decipitur, non-
dum apparet, quia ex forma prædicta soluere
silentium, non culpa, sed virtus videtur. Verū
quia homo ad loquendum serus & custodi-
tus, circa principiū aliquantulum strictior est,
sed cum iam lingua ad logiora mouetur col-
loquia, multa etiam negligenter subintrare pa-
titur, quæ ex fine sero conscientia ad se reuer-
tente clarius videt, ita quod inceptum est ne-

Pro. 21.

cessitate & utilitate alterius, finitur sæpe leui-
tate & permixtione externæ consolationis: &
qui proposuit vix admittere necessaria, ne rue-
ret ad ociosa, ex primis necessariis ducitur ex-
tra se ad reprehensibilia. Sæpe etiam aduertit
lapsus suum, & tamen labendo non tacet: vi-
det se deuiare, nec redit, donec foueam apertā
inueniat, aut obstaculū quod os eius obstruat:
atque vtinam cōfusus & humiliatus eiulando
& dolendo respiscat, nec amodo sibi cōfidat.

Recognitio erroris post lapsum. Cap. 23.

Qui cum plene in se reuersus fuerit, fra-
gilitatē suam multam considerans, de-
ceptionemque perpendens, merito cum pro-
pheta cōqueri potest: Laqueū parauerunt pe-
dibus meis, & incuruauerunt animam meam.

De laqueis linguæ. Cap. 24.

Primo siquidem homo illaqueatur ad au-
ditum verborū nō sanorū, postea incur-
uatur ad cōsensum, vt dicat iam talia quæ au-
dire metuebat. Valde enim incuruatur anima,
quando deserto deo & sermonibus eius con-
uertitur ad vaniloquia, pro capiēda consola-
tione misera. Vel sic quandoque pedibus illa-
queatur, vt stet ad loquēdum per aliquas mo-
ras, tandem ex placencia audiendi vel loquēdi
incuruatur ad sedendum, vt sit iucunda & in-
tegra fabulatio. Ecce frater quantus laqueus
linguæ, quàm prona subintrat seductio. Non
ergo dissonat à vero, quia sæpe decipitur quis
sub pietatis vultu à sancto rigore.

Quæstio oritur ex his & longe ante
dictis. Cap. 25.

Rursus te mouere potest, cum longe su-
perius dictum sit cauendum esse de ni-
mio rigore, qui quosdam de singularitate no-
tat & quandoque perdidit, cur hic ostenditur
casus & laqueus, si rigor negligitur? Inter an-
gustias comprehenditur hoc audito animus,
& sermo iste magis perplexum legētem facit.
Qui propter huiusmodi mouetur, cogitet
quia vtrobiq; pericula vbi obstacula plura in-
sunt, siue loquatur, siue indiferece quis taceat.

Discretio sequenda est & inquirenda præ
omnibus iam dictis. Cap. 26.

Vt autem ad aliquam saltem discretio-
nis regulam se aptet & informet, conue-
niens fuit, vt hanc ostenso bono silentij & vi-
tio loquacitatis cum eorum laqueis, virtutis a-
mator facilius inueniret. Nec ergo simplici-
ter oportuit commēdari silētium, quasi sem-
per seruandum: neque reprehendi ipsam rur-
sus locutionem tanquam semper superfluam,
quia in omnibus discretio pulcherrima vir-
tus est, quæ laqueos à dextris & à sinistris præ-
cauens viam perfectissimam demonstrat.

Deuoti

Deuoti & religiosi plus cæteris silentio
insistere debent. Cap. 27.

Est tamen pluribus magis necessaria cu-
stodia silentij, qui videlicet in statu reli-
gionis & proposito bono, atque à secularibus
hominibus remoti, & omnibus temporalibus
exuti deo seruire elegerunt. Qui etiam maio-
rem rationem tenentur reddere in die iudicii
pro omni verbo, sed de qualibet alia negligē-
tia & transgressione grauius iudicabuntur. Cui
enim plus donatum est, plus ab eo exigitur. Si
etiam illi plenam excusationem non habent,
qui officio pastoralis curæ, aut fraternæ neces-
sitaris cōmissione, quædam ociosa verba vel
superflua per fragilitatem coguntur admitte-
re, quanto minus qui nullo tenentur vinculo
sollicitudinis alienæ?

Communiter silere magis indigemus
quàm loqui. Cap. 28.

Communiter omnes plus indigemus si-
lere quàm loqui: & vere pauci sunt qui
ad loquendum tam tardi sint vt violentia in-
digeant. E contrario vero multa violētia opus
habemus vt raro vel pauca loquamur. Nam
loqui & fabulari secūdum naturam est, sed si-
lere contra carnem, quæ exterioribus & secu-
laribus pasci delectatur rumoribus. Potest ta-
men fieri, vt homini sæpe contrariū sit loqui,
& maxime cum intrinsecus visitatur & com-
pungitur, atque amore aut terrore eruditur,
ne tantam gratiam per negligentiam amittat.

Defectus consolationis spiritalis vn-
de veniat. Cap. 29.

Hinc etiam potest esse signū quòd par-
uam habemus interiore consolatione
exteriorē. Et ideo non meremur diuinam ac-
cipere, quia libenter admittimus humanam &
caducam, quam oporteret nos potius fastidi-
re. Quam si perfecte & perseueranter non va-
let quis abicere, studeat saltem paulatim ad
altiora & meliora transire.

Vbi mul-
ta verba
ibi ege-
nt.

Silendū est magis in deuotis temporibus
& festiuitatibus. Cap. 30.

Bene deceret religiosum quibusdam deuo-
tis temporibus anni, sicut in aduentu do-
mini, & in quadragesima, & quibusdam aliis
diebus, scilicet sextis feriis, abstinere se à collo-
quiis, quanto strictius posset. Insuper arripie-
nda esset maior custodia cordis & oris pariter
in vigiliis & magnis festiuitatibus sanctorum,
quatinus debita reuerentia & digna, quantum
status suus permiserit, preparatus ad festa ven-
tura, mereretur in die sancto sanctissimū do-
minici corporis & sanguinis sacramētum de-
siderio magno, gaudioque sincero suscipere.

De communione. Cap. 31.

Conuenit enim illo præcipue die, quo
Christum sacramentaliter suscepimus ad
hospitiū cordis nostri, sacratori nos insistere
custodiæ, & saltem vnum latū diem cum ipso
ducere, qui multis diebus & horis ab eius am-
plexu distrahimur. Non esset nimis mirum si
tunc anima deuota cum eo esset tota, quando
& ipse non dimidiatus, sed totus ad eam veni-
re dignatus est Christus.

Comparatio dilecti amici ad dilectissi-
mum amicū Christum. Cap. 32.

Quis enim veniēte ad se amico charissi-
mo, statim cū allocutus eū semel fuerit,
foras egredi festinat, ipso solo in domo relicto?
quin poti⁹ ingreditur cū eo etiā si foris fuerit,
& tanti hospitis curam alacriter excipit, ita vt
aliis hincinde occupatis, & ad externa egre-
dientibus, hic soli se coniūgit, tantoque fami-
liarius alloquitur, propius assidet, & cuncta
dilectionis signa exhibet, quanto securior est
quia nemine præsentē & aspiciente possit ve-
recundari vel prohiberi. Hoc modo susce-
ptionis, Christi aduentus deberet ab omnibus &
famulantibus sibi recoli: & longe deuotius &
reuerentius, quanto maior est omnibus ami-
cis & creaturis, desideranter ab vnoquoque no-
strum recipi. O dulcissimum amicū præ o-
mnibus dilectis gratiosissimo honore susci-
piendum.

Dignitas Christi & humilitas eiusdem
ad nos. Cap. 33.

Qui & tantæ dignitatis est & nobilitatis,
vt nulla persona, nulla creatura tam
valens & elegans sit, quæ ei præsentari debeat
vel assimilari: & iterum tantæ humilitatis &
bonitatis existit, vt ad hominē inopem & in-
firmum venire, atque sub tectum eius intrare
non dedignetur. Et quicquid inhabitat, & om-
nem cælestem curiam sua deifica præsentia
lætificat, adhuc cum pauperibus hominibus
esse, eorumque hospitia mendicare, & ingre-
di, quotienscunque desiderauerint, & sibi ape-
ruerint, nō despicit. Vnde sic ait: Ecce ego sto
ante ostiū, & pulso: si quis aperuerit mihi, in-
trabo ad illum, & coenabo cū illo, & ipse me-
cum. Fit autē ista coena, quodocunque Chri-
stus spiritali mente vel etiam communione
sacramentali deuote & digne suscipitur & mā-
ducatur.

Quantam habeat anima suscepto Chri-
sto consolationem. Cap. 34.

Hic ergo cum susceptus fuerit, quomodo
iam liber alicui foras exire? Habet enim
fontem omnium consolationum, habet & pa-
radisum omnis voluptatis. Qui de hoc fonte
biberit, non sitiet vnquam: Quia qui corde
suauitatem in Christo absconditam plenius

Christus
amicus
noster
intimus.

Christi
dignitas
& digna
tio in eo
paraboli-
lis.

Apoc. 3.

Ioan. 4.

deguſtat, nūquam temporalem vel carnalem delectationē appetit: & hoc eſt, non ſitiet vnquam. Bene illi animæ quæ huic ſponſo & amico dulciſſimo ad ſe venienti domum mentis ſemper parat, parandoque quotidie mundiorē efficere curat. Ipſe vtiq̄ libens hanc intrabit, qui antequam mundari incepiſſet, ad hoc venit vt eiiceret tenebras eius, & mundaret eam ſibi. Veni domine Ieſu & mūda me, laua & exerge me, vt merear puro corde & caſto corpore ſuſcipere te, quia non eſt mihi bonum eſſe ſine te.

Cur non ſuſcipimus vberem fructum ex frequenti communione. Cap. 35.

TImēdum quōd ideo multi fructum partium accipiūt de mēſa Chriſti, quia nec antea nec poſtea ſunt in ſufficienti custodia ſui, nec ſatis reuerenter præcogitāt quis eſt qui venturus eſt, nec poſtea ruminant quia hodie ſanctus ſanctorū ingreſſus eſt ad eos. Qui autem ſolliciti ſunt præparare interiorem domum ſuam, & occurrere lætanter obuiā Chriſto, ipſi nouerunt quid efficacix & ſuauiſſimæ habeat hæc ſacroſancta communio. In hoc agnoſcitur vniuſcuſque deuotio & amor ad Chriſtum, ſecūdum quōd ingenioſe ſe aptare curauerit ad ſuſceptionem eius.

Sæpius communicare maxima eſt conſolatio animæ religioſæ. Cap. 36.

Eſt nanque maxima conſolatio religioſæ animæ deſpiciētis iam cuncta præſentia, diligētis ſolitarii & extra homines viuere, ſoli deo & ſibi in ſilentio intētius vacare, vt Chriſtum conſolatorē animarum omnium ſæpius ad ſuam ſumat conſolationem & profectum. Non eſt illi materia externæ lætitiæ, nō ægra ſpes longioris vitæ, non vana occupatio amicitie carnalis, non euagatio ambulationis corporalis, nō implicatio commodi temporalis, non ſuperflua ſollicitudo rei familiaris, non magna fiducia in proſperis, non mentis deiectio in aduerſis, ſed habet intus in animā Chriſtum, propter quem omnia terrena ſolertia æſtimat detrimenta, loquens cum beatiſſima Agatha: Mens meā ſolidata eſt, & in Chriſto fundata, ideo non curo hæc ima. Tantum mihi confortium ſuum Chriſtus donet, amabiliſſimè que confabuletur, & ſatis dulciter cōſolabor. Excedūt quippe eius colloquia, omnium conſolatorum verba.

Diabolus nititur impedire deuotionē hominis ad deū triftitia & acedia.

Cap. 37.

Sed omnium bonorum emulatores diabolus ſtantam conſiderans hominis cum deo pactionem, non patitur eum ſine moleſtia ten-

tationis in ſancto propoſito conſiſtere. Curādum ergo ſummopere eſt, & vigilandū contra nequitias eius. Nā ſæpe graui triftitia, ſæpe tadio affligit bene conuerſantem, & cuncta que poſſunt eum anguſtiare, ad memoriam ducit. Tota vacatio eius eſt, vt eiiciat amatorē quietis & ſilentii de tabernaculo ſuo. Iſtis enim ſpecialiter vitis triftitia & acedia (ex quibus quaſi ſemper oritur cordis tadium) perſequitur ſolitarium, & maxime incipiētē, & naturaliter triftē aut puſillanimē, quia per iſta hominī quodammodo vires aufert. Sed quiſquis firmiter in deo cōfidit, eiſque amorī nihil antepōnit, ſed mundū & omnia quæ mundi ſunt calcare appetit, ſcipſumque vltimū animo ad omnes perferendas triftitias, amaritudines & grauedines exponit, nullumque aliud ſolatiū ſiue per hominem, ſiue per aliquā mūdi creaturam, quā Chriſtum vnicū omnium bonorum ſolatiū concupiſcit, proſecto non tantum triftitiæ & acediæ, ſed omnium tentatium vitiorum victor & expulſor erit.

Inſidiatur ſolitariis maxime diabolus.

Cap. 38.

ET quia magnus fructus & cæleſtis theſaurus queritur & inuenitur à ſolitariis deo deditis, ſciens hoc diabolus, qui Adam & Eua Gen. tentando, blandiendo & falſa promittēdo ſeducit, paradiloq̄ indignos reddidit, ipſe nūc vſque nititur ſeducere & ſubuertere vnquamque Chriſti ſeruum, mundi contemptorē, ſi quo modo extra cellam & ſollicitam cordis eius custodia trahat, & ſui propoſiti faciat obliuiſci, aut etiam paululū de proſectu ſpirituali & ſeruorē imminui. Et ſicut antea iam dixi, per triftitiam vel acediā mentis amplius iſtud machinatur, quia cum mēs triftitia vel acedia inuoluta fuerit, nil eſt quod agere liber, ſed vndique ſe conſtrictam & deſolatam conſpiciēs in conſolatione, ei ab inimico ſuggeritur vt dolori iſti externa recreatione medeatur. Eleganter ergo perſuadet ſanctus Antonius dicens: Vnica ratio vincēdi inimicum, lætitia ſpiritualis.

Virilitas & alacritas cuique habenda contra inimicum. Cap. 39.

Nam qui virilis eſt & alacer in domino, quāuis fuerit impetitus tentationibus, potens erit aduerſarium ſuum expugnare. Et quid dicam de fortitudine illius animi, qui nec patitur immundum ſpiritum ad fores intrare? Econtrario triftitiæ & acediæ morbo læguens, etiam ſi armamenta reſiſtendi haber, nulla vitur potētia. Deſicit enim corde, & formidine ac puſillanimitate propria ſæpe anteproſternitur, q̄ labor eū prelij tagat. Quapropter o miles Chriſti indue animā virilē, & ne paucaſ

paucaſ ad ſonitū folii volantis, ſed reſumptis viribus ſta cōſtanter aduerſus multiplices diaboli conatus, nec credas mendacio eius. Dominus omnipotens ipſe erit protector tuus, & merces tua magna nimis, cuius poteſtas ſuper paſſiones tuas, ita vt ſubiiciantur ditioni tuæ vniuerſæ iſtæ nationes. Et quia exceſſum loquendi feci, ad portum ſilentii iam remeo. Lingua ergo manuſque ſcribentis ſimul hoc iam ſine ſileſcat.

Explicit epiſtola de commēdatione ſolitudinis, & custodia ſilentii, ſcripta ad quendam regulare à miniſterio ſuo abſolutū.

Incipit Libellus de tribus tabernaculis, in quib⁹ caſtra tenēt tres militares virtutes, in primo paupertas, in ſecūdo humilitas, & i tertio paciētia, de qb⁹ tria ſunt capita.

De paupertate. Cap. 1.

Pſal. 9.



Scriptū in propheta, Paciētia pauperum non peribit in finem. Magna eſt domine deus meus paciētia ſeruorum tuorū. Et hæc eſt victoria eorum qui cuncta ſuperant aduerſa in hoc mundo.

Luc. 21.

Dixiſti enim, In paciētia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Tu multipliciter nos probas, & vndiq̄ tribulationib⁹ nos circūcingis, nūc foris, nūc intus: nūc apertis, nūc occultis nos examinas tērationib⁹, ita vt ia nobis nihil ſit qd per tentationis ignem non tranſeat. Vis nos

De nos per oia probat & exercet.

in omnibus tētare, in multis anguſtiare, vt in omnibus probati, & ex multis miſeriis liberti, gratias multas tuæ referamus miſericordiæ ac bonitati. Hoc placitum eſt viſumque bonū in conſpectu tuo, & vtile ad proſectum noſtrū. Si tu domine deus noſter pro nobis, quis

Rom. 8.

contra nos? Sequar ergo te domine quocunq̄ ieris, dummodo mihi dux in via tu fueris. Si

Matt. 8.

ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Conſitebor tamen aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & infirma mea non abſcondā, ſi forte à bono medico conſolationis fomēta percipiam. Vide domine paupertatē & infirmitatem meam, attēde quæ dico, tibi enim reuelauī cauſam meam. En deſidero requiem, & tu iniungis mihi laborem. Anhele ad ſublimia, tu autem proponis humilia. Quæro deliciarū copiam, ſed tu ſuades paupertatis inopiā. Eſt ne domine deus meus iſtud conſilium & verbum tuum? Vtiq̄. Et quomodo coarctor vt perſiciatur in me? Dilige (inquit dominus) me, & nō anguſtiaberis in te. Facile eſt in igne

Hier. 11.

charitatis conſumi omnem anguſtiam paupertatis. Dulce eſt amanti compauperari filio dei, leue eſt omne onus quod charitas tolerare iubet. Nec erit cuiquam labor durus, qui charitatis pane fuerit confortatus. Bene locutus eſt domine, fiat queſo ſicut dixiſti. Qui dediſti conſilium, ſer & auxilium. Efficiatur totū ſuaue quicquid videtur carni graue: & onus leue, quod iam ante videbatur importabile. Exulter caro mea in deo viuo, & ſpiritus meus in deo ſalutari ſuo. Quam bonus Iſrael deus iis qui recto ſunt corde. Diligam te domine virtus mea, firmamentum meum, & refugium meum. Diligam etiam ſanctam paupertatem, humilitatem & paciētiā, ſequendo viam tuam & ſanctorū tuorum. Habeo amodo paupertatem pro diuitiis, humilitatē pro gloria, paciētiā pro requie. Sit mihi de his cura, & placeant quecunq̄ ſpiritus requirit, quia caro nō prodeſt quicquam. Delecter in his ſicut in omnibus diuitiis, & pes ſuperborū diuitum atque ſuauiſſimè viuentium nō moueat me. Cadent enim ipſi cum venerit dies illorum, & finis eorum ſine honore. Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in deo Ieſu meo, qui factus eſt mihi exemplum paupertatis, humilitatis, & paciētiæ. Conſiderans ergo prædictas virtutes in te domine & in quibuſdam ſeruis tuis, inuenio te ſuper omnia humilē, Moyſen vero ſeruum tuum valde manſuetum, & Heliam multū pauperem. Recordor quoque illos tecum in monte aliquando apparuiſſe, & qualiter Petrus ait, Domine ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Helia vnum. Secūdum quem modum prædictas virtutes quaſi tria tabernacula aſpicio, in quibus habitare deſidero. Si dixerō quōd dominus meus habitauerit in tabernaculo humilitatis, quid conuenientius? Dicite (inquit) à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Igitur tabernaculum tuum domine humilitas eſt, in quo ſpiritus ſanctus requieſcit. Vnde ſcriptū eſt, Super quē requieſcam, niſi ſuper humilē & quietū, & tremētē ſermones meos? Moyſes vero quale tabernaculum habuit? Si manſuetudinem eius conſiderauerō, non dubium quin erit paciētia. Erat enim (ſcriptura teſtante) Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra. Hoc tabernaculum factum eſt ſecundum exemplar quod in monte monſtratum eſt, vbi dominus ait: Beati mites, quoniam ipſi poſidebunt terram. Helias iā venit, ſed eamus & videamus vbi habitaret. Quōd ſi paupertatem & abſtinentiam illius inſpexero, paupertas vtiq̄ reſpōdebit, quia ego ſum. Habitauit in tabernaculo paupertatis magnus ille Helias propheta. Teſtan-

charitatis conſumi omnem anguſtiam paupertatis. Dulce eſt amanti compauperari filio dei, leue eſt omne onus quod charitas tolerare iubet. Nec erit cuiquam labor durus, qui charitatis pane fuerit confortatus. Bene locutus eſt domine, fiat queſo ſicut dixiſti. Qui dediſti conſilium, ſer & auxilium. Efficiatur totū ſuaue quicquid videtur carni graue: & onus leue, quod iam ante videbatur importabile. Exulter caro mea in deo viuo, & ſpiritus meus in deo ſalutari ſuo. Quam bonus Iſrael deus iis qui recto ſunt corde. Diligam te domine virtus mea, firmamentum meum, & refugium meum. Diligam etiam ſanctam paupertatem, humilitatem & paciētiā, ſequendo viam tuam & ſanctorū tuorum. Habeo amodo paupertatem pro diuitiis, humilitatē pro gloria, paciētiā pro requie. Sit mihi de his cura, & placeant quecunq̄ ſpiritus requirit, quia caro nō prodeſt quicquam. Delecter in his ſicut in omnibus diuitiis, & pes ſuperborū diuitum atque ſuauiſſimè viuentium nō moueat me. Cadent enim ipſi cum venerit dies illorum, & finis eorum ſine honore. Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in deo Ieſu meo, qui factus eſt mihi exemplum paupertatis, humilitatis, & paciētiæ. Conſiderans ergo prædictas virtutes in te domine & in quibuſdam ſeruis tuis, inuenio te ſuper omnia humilē, Moyſen vero ſeruum tuum valde manſuetum, & Heliam multū pauperem. Recordor quoque illos tecum in monte aliquando apparuiſſe, & qualiter Petrus ait, Domine ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Helia vnum. Secūdum quem modum prædictas virtutes quaſi tria tabernacula aſpicio, in quibus habitare deſidero. Si dixerō quōd dominus meus habitauerit in tabernaculo humilitatis, quid conuenientius? Dicite (inquit) à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Igitur tabernaculum tuum domine humilitas eſt, in quo ſpiritus ſanctus requieſcit. Vnde ſcriptū eſt, Super quē requieſcam, niſi ſuper humilē & quietū, & tremētē ſermones meos? Moyſes vero quale tabernaculum habuit? Si manſuetudinem eius conſiderauerō, non dubium quin erit paciētia. Erat enim (ſcriptura teſtante) Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra. Hoc tabernaculum factum eſt ſecundum exemplar quod in monte monſtratum eſt, vbi dominus ait: Beati mites, quoniam ipſi poſidebunt terram. Helias iā venit, ſed eamus & videamus vbi habitaret. Quōd ſi paupertatem & abſtinentiam illius inſpexero, paupertas vtiq̄ reſpōdebit, quia ego ſum. Habitauit in tabernaculo paupertatis magnus ille Helias propheta. Teſtan-

Pſal. 72.

Pſal. 17.

Ioan. 6.

Abac. 3.

Num. 12.

3. Re. 17.

Matt. 17.

Matt. 18.

Eſa. 66.

Matt. 5.

3. Re. 17. tur corui qui eum pascebant, spelunca in qua
 & 19. latebat, asperitas vestium quæ eum tegebat, &
 angelus domini, qui subcinericium panem &
 aquam illi ministrabat. Quam bonum est nos
 hic esse, & quam iucundum in his tabernacu-
 lis habitare? O si merear inter sanctorum tuo-
 rum numerum vnus de minimis inueniri, vt
 locum inueniam in domo tua, & cum defece-
 rit virtus mea, illi me recipiant in tabernacu-
 la sua. Quam felix etiã essem, si inter hæc tam
 preciosissima tabernacula vel paruulũ vnum
 mihi ædificare possem, vt dignaretur ad me
 venire dominus deus meus, & mansionem fa-
 cere? Scio enim quod libenter habitat in his
 virtutibus dominus & rex virtutũ. Nunc igitur
 loquere domine ad seruum tuum, quia au-
 dit seruus tuus, & ostende mihi secundũ mul-
 titudinem misericordiæ tuæ sanctitatem pau-
 pertatis, gratiã humilitatis, & fortitudinem pa-
 tientiæ. Et dominus: Quoniam in verbis meis
 queris cõsolari, & in his tribus virtutib⁹ optas
 erudiri, libenter faciam quod precaris. Sed de
 paupertate quæ initium harũ videtur, sermo
 incipiendus est. Beatissima paupertas, quæ spe-
 ciale apud me obtinet sanctitatis locum, in
 tuo corde vtinam altius imprimatur. Audiui
 enim gemitum tuũ quomodo anxius sis in
 paupertate, sed displicuit mihi. Non est hæc
 res bona, quã audio de te. Nõne est ista quam
 elegi, & signata in thesauris meis? Surge & trãsi
 cum pastoribus vsque Bethleem, & vide hoc
 verbum quod caro factum est, quod dominus
 ostendit tibi, & cognosce an ibi paupertas de-
 fuit. Vide paupertatẽ meam, & comparatio-
 ne eius satis modica tua paupertas aut etiam
 nulla erit. Magnum vtique chaos positum est
 inter meam tuamque paupertatem. Nam ipse
 cũ diues essem, nulliusq; egerẽ, pauper & exul
 in mundo fieri, & hoc propter te non erubui.
 Tu vero qui pauper es & nudus, qui nihil in
 hunc mundum tulisti, nonne istud attendere
 debuisti? Iam cesset querela tua. Sufficere cre-
 do ad consolationem tuã, si meæ paupertatis
 magnitudinem intẽtius aspexeris. Epulari au-
 tem & gaudere, non modo, sed in futuro de-
 bes. Ibi enim edent pauperes & saturabuntur,
 & laudabũt me omnes qui exquisierint me in
 sancta paupertate. Non est seruorum dei de
 presentibus lætari bonis, & mundi cõformari
 põpis, sed despectis eius deliciis, ad paupertatis
 meæ delicias confugere. Vere paupertas ac hu-
 militas mea his cordib⁹ deliciae sunt, quib⁹ di-
 uitiã terrenæ viluerunt. An forte cum diuite
 vis indui purpura & bysso, & quotidie splendi-
 de epulari? Vide ne contingat tibi cum illo in
 inferno æternaliter cruciari. Hoc est autẽ iu-
 diciũ meum, quia opera illorum sequuntur

illos. Vnum iam superest, vt penuriã patien-
 ter amodo feras, aut de numero pauperum
 meorum non eris. Viã pauperibus speciosam
 ostendi laborantibus, & pulsantibus portam
 aperui, humilibus regni ianuam patefeci, & di-
 ues non transibit per eam. Vis videre intran-
 tem? Aperi oculos tuos, & vide. Factũ est autẽ
 vt moreretur mendicus, & portaretur ab an-
 gelis in sinum Abrahæ. Iucundane visio? Iu-
 cũda vtique, & omnino desiderabilis. Et quo-
 modo huc ascendere potuit, & quis est qui cũ
 sequi possit? Memento fili quod Lazarus iste
 fuit vlceribus & miseris plenus, qui esuriens &
 sitiens ante ianuas diuitis iacuit. Et qui tanta
 pro nomine meo pertulit, nonne intrare in
 gaudium meũ dignus fuit? Imitare eum si vis.
 Si enim mihi placita erat anima illius, vnde
 hoc, nisi quia placuit prius paupertas & paci-
 entia ei? Vade & tu fac similiter. Amẽ dico tibi,
 nisi cõuersus fueris & factus sicut Lazarus iste,
 aut vnus de pauperibus meis, non poteris ab
 angelis suscipi in cælis. Nemo intrabit nisi
 mundus fuerit. Et si immundus fuerit, purga-
 bit eum pater meus in camino paupertatis, &
 aqua tentacionis expiabit eum, & sic munda-
 tus post mortis occasum ad castra sanctorum
 reuertetur. Intellexisti hæc omnia? Etiam do-
 mine. Et nunc quid dicam? Venit hora & nũc
 est, vt multi hanc sanam doctrinam non susci-
 piant, sed vnusquisque quod sibi placitum &
 delectabile viderit, hoc magis impleat. Tu ve-
 ro non ita didicisti Iesum Christum, ante cu-
 ius oculos paupertas eius proscrip̃ta est. Audi
 tamen rursus quæ loquar tibi. Familiaris ami-
 ca mea paupertas, quã in terris multipliciter
 dilexi, & astrinxi, meĩque commendare ami-
 cis disposui, sic à multis aliena facta est, vt vir-
 locus sit quo pes eius requiescat: & si interdũ
 videtur apud quosdam morari, statim cum
 grossiora quæque & abieciõra eam viderint
 diligere, timore quodam exterriti, aut deside-
 rio melioris edulii dicunt, Recede à nobis: viã
 sciẽtiarum tuarum nolumus, contraria enim
 es desideriis nostris, viã tuã viẽ difficiles, &
 calles tui durissimi. Quare venisti ad nos? an
 ideo vt occideres nos, & pecora nostra? Pecora
 carnem suam vocãt. Ecce paupertas quid
 isti dicunt, & quantũ tibi detrahunt. Sed scio
 quia nihil mali disposuisti contra eos, sed in
 iũsione mea ad curãda vulnera peccatorum
 eorum, ad nutriendum quoque si quas habue-
 runt virtutes, ad illos accessisti. Longe aliter
 sentiebat sanctus ille qui dicebat: Parasti in cõ-
 spectu meo mensam aduersus eos qui tribu-
 lãt me. Parasti in dulcedine tua pauperi deus.
 Et iterum lætus psallebat. Quoniam inops &
 pauper sum ego. Et, Pauper & inops laudabũt
 nomen

Pauper-
tatis en-
comion.

Luc. 1.

1. Cor. 8.

Psal. 27.

Luc. 16.

Apoc. 14

Apoc.

Pauper-
tate m-
ti reci-
piunt.

Psal. 27.

Psal. 67.

Psal. 87.

Psal. 87.

Cant. 3.
Christ⁹
quã
pauper
fuerit, a-
peritur.
Luc. 1.

Eccl. 9.

Matt. 4.

Ioan. 4.

Ioan. 2.

Matt. 27.

nomẽ tuũ. Verũtamen paupertas amica mea
 noli cõtristari. Nõ enim te abiecerũt, sed me.
 Qui enim te spernit, me spernit: & qui te reci-
 pit, me suscipit. Scio quod non ab omnibus
 diligeris, taceo quod interdum cum indigna-
 tione effugaris. Omnia hæc faciunt tibi, quia
 non nouerunt te, nec quanti sis meriti apud
 me. Tu vero ne timeas, quia ego sum qui ele-
 gi te. Emi te, & cunctis opibus preciosiorem,
 cunctisque deliciis suauiore existimaui te.
 Ab infantia mea exquisiui te, & vsq; ad sene-
 ctam & senium non recessi à te. O vos omnes
 qui transitis per viam, attendite & videte si est
 talis paupertas sicut paupertas mea. Filię Sion
 occurrite modo, & videte regem Salomonem
 in diademate quo coronauit eam mater sua,
 quomodo eũ reclinauit in presepio, qui sem-
 per erat in patris imperio. Quomodo pannis
 eum inuoluit, qui cælum & terram palmo cõ-
 cludit. Videte pannos meos & linteola mea,
 quibus adhuc puer inuolutus sum, & mihi si-
 milẽ si vidistis, venite & arguite me & pauper-
 tatẽ meã. Ecce signũ quod ostẽdi vobis, quod
 annũciatum est ab angelis, apparuit in terris,
 per Mariam virginem impletũ est, vt vidistis.
 Vsquequo paruuli non diligitis paupertatem,
 cum paruulus natus sit vobis, & paruulus da-
 tus sit vobis? Sed diuitibus videtur hæc stulti-
 tia, & superbis ignominia, mihi tamen & om-
 nibus electis meis sapientia est atque gloria.
 Considera queso & alia facta mea. Ieiunauĩ
 quadraginta diebus & quadraginta noctibus,
 nihil māducas in illis: postea verõ esurii. Vide
 quid feci. Hoc erat ieiuniũ meum quod elegi,
 quod opere cõpleui. Quis mihi laborem hunc
 recompensare poterit? Et quis est qui vel in
 modico me imitari gestit? Quisquis ille est, di-
 lectus mihi est. Fatigatus ex itinere super pu-
 teum sedi, & à muliere Samaritana aquam pe-
 tii, & dixi. Da mihi bibere. Ecce aquam ad po-
 tandũ petii, qui hominibus vina dare consue-
 ui, & aquam in vinum olim mutauĩ. Discipuli
 autem mei abierunt in ciuitatẽ, vt cibos eme-
 rent, & reuertentes dicebant, Rabbi manduca-
 ca. Tanquam necessitatem patienti hæc mihi
 ministrabant, vt paupertas probaretur in me,
 & multa necessitas quam pro salute hominũ
 suscepi, nota fieret. Et nunc si diligis, sequere
 me, quia maiora his tibi demonstrabo. En pau-
 per & nudus tandem in cruce sum suspensus.
 In omni etiam vita mea parum videbar ha-
 bere, iam cunctis ablatis, solus & nudus in cru-
 ce figor. Quis me pauperior, qui omni solatio
 humano destitutor? Hæc in corde tuo scribere
 debes, & intentẽ cogitare, quia ad amorem
 sanctæ paupertatis possunt te accendere. Ecce
 paupertas amica mea quibus verbis & exem-

plis te magnificaui, & nunc iterum cui assi-
 milabo te amica mea? Similis es hominibus
 gaudentibus in spiritu sancto, & dicentibus:
 Tanquam nihil habentes, & omnia possiden-
 tes: vt egentes, multos autem locupletantes.
 Nos infirmi, nos ignobiles propter Christũ,
 omnia arbitramur vt stercorea vt Christum
 lucrificamus. Quam apta similitudo, & vti-
 nam in multis mihi annuncietur talis æmu-
 latio. Recordor iam pauperis serui mei Fran-
 cisci, qui paupertatem summe dilexit. Vere
 fidelis & multum fidelis iste seruus meus, qui
 sic illam diligebat, vt ex cordis affectu do-
 minam suam vocaret. Et cum dilexisset eam,
 etiam vsque in finẽ vitæ suæ dilexit. Ideoque
 in regno meo mecum tripudiat, quia prius
 in mundo cum sancta paupertate commer-
 cium faciens lætus erat. Vnde etiam illi oc-
 currens dignanter & dulciter eam in hæc ver-
 ba salutabat: Beneueniat domina mea pau-
 pertas, castitas & obedientia. Ista scilicet pau-
 pertas, & duæ prædictę sorores eius, sunt præ-
 cipua vota religionis. Hæc de humili dixi
 Francisco. Sed & de aliis sanctis vis forsã tibi
 quẽdam breuiter apponi, quorum paupertas
 toti orbi resulget. Nosti Martinum virũ san-
 ctissimum, qui ob singularem deuotionẽ pau-
 pertatis, Martinus pauper & modicus me-
 ruit appellari. Nec hoc videatur tibi despe-
 ctum, quia in paupertate fuit & est sanctorum
 gaudiũ. hinc in eius laude sublimiter decanta-
 tur, Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur,
 Martinus hic pauper & modicus cælum diues
 ingreditur, hymnis cęlestib⁹ honoratur. Si ti-
 bi amarũ videtur pauper & modicus, dulcescat
 interim cęlestis regni introitus. Proponam
 & alium ciuem fidelissimum sanctæ pauper-
 tatis amatorẽ, hic est beatissimus presul Au-
 gustinus, doctor magnificus, de quo ita canit
 clericorum chorus, Testamentum nullũ fe-
 cit, quia vnde faceret pauper Christi non ha-
 buit. Et rursus in hymno, Amatores pauper-
 tatis te collaudant pauperes &c. Hi sunt põti-
 fices almi, pauperes spiritu, pauperes rebus, sed
 meritis locupletes, & clari virtutibus. Plures
 adhuc potuissem testes paupertatis adduce-
 re, sed hæc breuiter sufficiant, ne te onera-
 re videar. Et dixi, Cur ita loquitur domi-
 nus meus? Non enim atq̃dior audire quẽcũ-
 que dignetur magister & dominus meus seruo
 suo dicere. Ostẽde mihi alios, & sufficit mihi.
 Qui sunt isti, & quæ nomina eorum? Isti (in-
 quit dominus) sunt electi amici mei in eremo
 olim conuersantes patres antiqui, Paulus, An-
 tonius, Macharius, Pachomius, Arsenius, &
 Romæ quondã Alexius, atque Ioãnes elemo-
 synarius, dilectus frater Martyrius, & pauper

2. Cor. 6

1. Cor. 4.

Philip. 3.

D. Fran-
ciscus
pauper-
tis cul-
tor.

D. Mar-
tinus
pauper.

D. Au-
gustinus
pauper.

Disuorũ
aliquot
catalog⁹
qui pau-
peratẽ
amaue-
runt.

Eccl. 31. ille Seruulus, quorum meminit sanctus papa Gregorius. Horum cōuerfatio cunctis est viuendi speculum, & elemofynas eorum narrabit omnis ecclesia sanctorum. In his lucebat humilitas, gaudebat paupertas, triumphabat patientia. Sed & sanctissimam Elizabetham viduam quam reticere nolui, in exemplum amandae paupertatis tibi commendo. Cuius vitam & mores frequenter rogo inspicias, vt amore virtutum eius ad veram perfectionem accendaris, & totus in amore caelestium illius exemplo te erige, vt despectis mundi delectamentis, verus pauper spiritu effici possis. Iam ad propositum ordinem sermo redeat, & omnis pauper pro nomine Christi diligenter auscultet. Multa habeo de vobis diuitibus dicere & iudicare, sed vos non recipitis me. Vobis dico pauperibus, audite me, quoniam estis ex ouibus meis. Nolite timere pusillus grex, quia placuit patri meo dare vobis regnum. Pauperem quidem vitam hic geritis, sed multa bona habebitis si me in paupertate dilexeritis. Si diligere me, gauderetis vtique, quia ad euangelizandum pauperibus missus sum in mundum. Cum essem in mundo, dilexi paupertatem: diuitias vero habere nolui, quia non sunt ex patre, sed de mundo. Qui enim volunt diuites fieri in hoc seculo, incidunt in laqueum diaboli, & in varia desideria cordis, & difficilē intrabunt in regnum caelorum. Non est autem regnum meum de hoc mundo. Si ex hoc mundo fuisset regnum meum, ministri vtique mei deseruissent mihi, & magno comitatu mihi assistissent. Nunc autem regnum meum non est hinc, sed factus sum seruus & minister totius mundi. Non enim veni ministrari, sed ministrare, & dare animam meam redemptionem pro multis. Inclinate ergo pauperes mei aures vestras in verba oris mei, & discite a me, quia in paupertate vos precēsi. Sufficiat vobis paupertas vestra, vt diuitiae computentur. Gaudete & exultate cum ea, quia merces vestra multa est in caelo. Non turbetur cor vestrum, neque formidet, quia ego sum qui loquor vobis. Viriliter agite, & confortamini omnes qui amicitiam cum sancta paupertate coniungere statuistis. Permanete cum ea, & ero vobiscum. Nolite lugere neque contristari quia diuitias non habetis, sed lætamini in domino deo vestro, quia eas contēpistis, & pauperes Christi facti estis. O sancta & laudabilis paupertas, quibus te laudibus efferam, quomodo te appellabo, & quibus modis te amicis meis recommendabo? O quam mirabile exemplum ostendi cunctis fratribus egentibus propter me, quando inops &

Elizabethae Hilaritatis paupertas.

Luc. 12.

Tob. 4.

Esa. 61.

Matt. 11.

1. Tim. 6.

Matt. 19.

Ioan. 18.

Matt. 20.

Matt. 5.

pauper factus sum propter illos? Sed timeo adhuc satis quod peregrina sis in multorum cordibus. Veni proinde, quia mittam te ad quandam famulam mihi notissimam. Peregrinare paruo tempore apud illam, donec veniat tempus visitationis tuae. In die visitationis eris gloriosa & sublimis, nec vocaberis tunc desolata, sed dilecta mea, & eris corona gloriae, & diadema in manu dei tui. Tunc fulgebis sicut sol in regno patris mei, & pulchra eris vt luna in conspectu meo. Interim tamen multa pro nomine meo oportet te pati, & per multas tribulationes intrare regnum caelorum. Noli tamen in hoc deficere, quia tecum sum in tribulatione, eripiam te, & glorificabo te. Perge proinde secundum meum consilium ad locum quem monstrauero tibi. Scio quod domina loci illius te libenter propter nomen meum, gaudenterque suscipiet. Iam mihi de illa per seruum quemdam famatissimum intimatum est, quoniam tibi sancta conuersatio eius per omnia cogruit. Vnde nec ipsa sine te perfecta esse, aut diu sola non potest consistere. Surge dilecta amica mea paupertas, & veni. Sed dicis mihi, Domine quo vadā, & quomodo possum viam scire? Per me in qua trāsibis, & mox habitationē illius attinges. Ego enim sum via. Et quod (inquis) nomē est huius tam sanctae famulae, de qua tanta bona audio domine? Indica mihi, vt audito nomine exurgā, & trāsiam cū festinatione. Et cum peruenero ad illam, salutabo eam, & dicam. Benedicta filia tu a domino, gaude & lætare filia Sion, quia ad te me misit dominus. Quid tu o paupertas interrogas de nomine? magnum est enim nomē eius apud me, & apud seruos meos preclarum valde. Ipsa vocatur humilitas. Sanctitas & virtus eius, angelis & hominibus venerabilis est. Pro hac scriptū est de te. Bonis mentibus paupertas solet esse custos humilitatis. Ecce paupertas, ecce hæc est de qua dixi tibi. Hæc est Noemi illa, pulchra est, & amica mea est. Sicut te ab initio dilexi, ita & hanc diligo. Custodi hanc humilitatem, quam maxime in sanctis meis diligo. Nolo vt derelinquas eam: nam si recte pendere velis, similiorem tui in omni terra non inuenies, apud quam securius diutiusque morari possis. Omnes te relinquunt, omnes despiciunt, sed humilitas vera te in domum suam introducit. Cognata enim estis, idcirco simul habitare debetis. Non est beatificanda illa paupertas, quæ humilitatem nescit: neque deo placita humilitas, quæ paupertatem despicit. Sit igitur vobis cor vnū & anima vna in deo, nec dicatis vobis aliquid proprium, sed sint vobis omnia cōmunia, victus, vestis, & oia quæ ad huius vite pertinent

Esa. 4.

Act. 14.

Psal. 9.

Ioan. 1.

Pauper rashi

strati

cultra

Ruth. 4.

Esa. 20.

Phil. 4.

Prou. 31.

1. Cor. 11.

Psal. 72.

Matt. 20.

Matt. 9.

Luc. 9.

pertinent necessaria. Siquidem paupertas vestis tua interdum videtur vilis & inculta, sed propter hoc a domina humilitate non abiicietur. Credo firmiter quod his exterioribus innotescas qualis apud me sis intus, dummodo non erubescas. De vilibus indumentis erubescere signum est latentis superbiae: & de his gloria querere, vitium hypocrisis. Calcei tui veteres sunt, nonnunquam & con fractos vidi, sed humilitas in his ambulare non veretur, quia multi sanctorum nudis pedibus transferunt. Vnde apertissime legitur in Esaia propheta, quod dixit ad eum dominus, Vade & solue faccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis: & fecit sic, vadens nudus & discalceatus. Ecce testis idoneus ad approbandum veritatem rei. Mensa tua o bona paupertas simplicibus cibis tantumque necessariis contenta est, humilitas huic interesse sobrietatis conuiuio vult pro nomine meo litentissime. Scio, inquit, abundare & penuriam pati, vbique & in omnibus instructa sum. Omnia possum in eo qui me confortat. Scire tamen etiam debet quisquis hæc verba legerit, quod infirmis & debilibus paupertas cōdescendere misericorditer nouit, sed fortioribus hæc ardua proponit, vt habeant semper quo crescant. Hinc est quod ipsa laboribus & fatigationibus sæpe insistit, nec panem suum ociosa comedit, vt apostoli verba complere possit qui dicit: Nulli onerosus fui, sed in fatigatione die & nocte, panem ociose non comedi, & multa consumilia. Humilitas autem collaborans paupertati de quibusdā per prophetam conqueritur, quia in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo inquit tenuit eos superbia. Et in euangelio dum alios videret in foro stantes ociosos, increpat illos dicens, Quid hic statis tota die ociosi? Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Paupertas in stratis indispositis, aut interdū in stramentis, culcitrīs, aut mattulis requiem sibi qualemcunque suscipit. Humilitas verò non in mollibus nec preciosis lectis requiescit, sed nec cum cunctis rebus quæ sunt mundi, statuit vel exiguam amicitiam iungere. Legit enim quia Ioannes indutus erat pilis camelorum, & qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Et audiuit de me, Vulpes foueas habent, & volucres celi nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Paupertas etiam seruos & ancillas, prædia & palatia, cuncta quoque quæ ad honestatem aut commodum præsentis vitæ pertinent, non possidet, alioquin venerabile nomen suū amitteret. Omnia hæc humilitas nec

habet nec habere cupit, sed filio dei coæquari volens dicit, Ego sum qui veni ministrare, & non ministrari. Ancilla Christi sum, dominari mihi non licet. Summa ingenuitas mea est, vt feruit Christi in me reluceat. Ego que statui soli omnium creatori deseruire, quomodo vnquam potero his vanis & caducis vel ad horam intendere? Longe a me & a domo mea sit omnis qui paupertatem & simplicitatem non prætenderit. propterea scito paupertas dilectissima, quod pro voto & eū gaudio a domina humilitate, si tamen ita velit appellari, solummodo suscipieris. Cæteris quidem incognita es, & puto quod diu remanebis. non sit tibi curæ. Memento quod & ego ipse multis incognitus extiti. Si me persecuti sunt, & te persequuntur. Si me oderunt, & te pariter odio habebunt. Memento sermonis mei quem dixi, quia non est seruus maior domino suo. In humilitate & patientia erit fortitudo & consolatio tui. Respondens autem paupertas in persona pauperis ad dominum dixit: Ego ancilla tua, fac mecum secundum voluntatem tuam. Tu locutus es ad famulam tuam, & vnde hoc mihi vt inueniam tantam gratiam coram oculis tuis? Quam clemens es in misericordiis tuis, vt peregrinam agnosceres, viduam benediceres, & desolatam non relinqueres? Non præ gaudio se capit cor meum, quomodo tanta maiestas non indignatur me infirmam aspicere, tanta celsitudo humiliatam & conculcatam inquirere, tam potentissimus rex & opulentissimus pauperulam diligere. Et quid hæc aliud, quam diuitiæ bonitatis eius, viscera misericordiae eius, & ineffabilis dulcedo charitatis eius? Magnū erat si mei recordari voluisset, & aliquem ad me de minimis seruis suis destinasset: nunc autem surrexit de folio suo regali, potentiam regalem paupertate commutans, habitu inuentus est vt pauper homo, formam etiam serui induens, nec tantum serui, sed etiam mali serui, vt pro omnibus morti tradetur & crucifigeretur, qui nihil morti debebat, in quo nec dolus inuentus est. Per omnia similis factus mihi, ætate, habitu, & cognatione, quia puer paruulus & pauperulus erat: non diuites, sed pauperes etiam parentes elegerat. Magna mihi proinde gloriatio & exultatio, multa fiducia & consolatio in Christo Iesu. Consolamini consolamini popule meus, dicit dominus deus vester. Quis populus domini, si non pauperes eius? Nō populus dei, diuites seculi. Væ enim vobis diuitibus, quia habetis cōsolationē vestrā. Propterea dixit Iesus, Beati pauperes spiritu, quoniam vestrū est regnū celorū. Siue decor-

Mat. 20.

Humilitas sola paupertatem amat.

Ioan. 13.

Phil. 2.

1. Pet. 2.

Iaco. 2.

Esa. 40.

Luc. 6.

Matt. 5.

porali siue de spiritali paupertate id intelligitur, in singulis voluntaria paupertas praedicanda & amanda videtur. Videte ergo ne contemnatu vnum ex pusillis istis qui in me credunt, & pauperes propter nomen meum facti sunt. Ego enim dicit, dominus deus, sum pater pauperum, iudex orphanorum & viduarum. Desiderium pauperum exaudiui, praeparationem & humilitatem cordis eorum audiuit auris mea. Nolite tangere eos, neque per vim, neque per fraudem nocere eis. Ego vindicabo omnium. Ne ergo velitis eos contristare, mei enim sunt omnes pauperes. Et nunc ubi estis pauperes mei? Nunquid non audistis vocem meam? Ecce quanta pro vobis edidi testimonia, ut vobis grata esset dilecta paupertas amica mea. Hanc dixi amicam, quia proprio actu & habitu feci preciosissimam, ut discant omnes reges & principes terrae non eam habere contemptui, sed suscipere & venerari sicut vere charissimam, quam caeli & terrae rex super omnes reges in sacra sua dedicauit infantia. Si non creditis verbis meis, operibus credite. Ite ergo & videte locum ubi positus erat dominus, aut in praesepio, aut in sepulchro. Nonne ego ipse sum Christus? Palpate ergo & videte, quia diuitias & voluptates non habeo, sed pannos & sudarium. Iam credite quia diues non sum, & paupertatem meam diligite. Haec ad laudem paupertatis sufficiant, quae vere laudabilis est, & ab omnibus dei seruis multum amari debet, quia deus illam & omnes sancti cunctis diuitiis mundi praeferebant.

De humilitate. Cap. II.

Sed consequenter ad virtutem humilitatis transeamus. Humilitas enim si paupertati coniuncta non fuerit, deo placere paupertas non potest. Sicut igitur de paupertate, ita domine deus meus & de humilitate loquere mihi. Multis modis istam commendari in scripturis tuis audio, & miris in te modis emicuisse praeter ceteris inuenio. Quis sic veram humilitatem ostendere & docere potuit, quemadmodum deus homo factus? Vnde aperte omnibus dicitis: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Et si aliud exemplum verae humilitatis non haberem, quam te dominum meum Iesum, nec aliam humiliandi causam, omnino ipse solus sufficeret. Quem sequar, si te non sequor? Cui credam, si tibi non credo? Quis mihi persuadere poterit quod humilitas est via regni caelestis, si ille non valet qui de caelo venit? Vique quo insipientis eris anima mea ambulans per vias non rectas, semper errans, & ad veritatem nunquam perueniens? Ecce humilitas via est, & alia non est. Ego (inquit)

sum via, veritas & vita. Humilia te, inclina te queso anima mea, & erit Christus vita tua. Noli attendere quid alii dicant, sed vide quid Christus humilibus dicit: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri meo dare vobis regnum. Hinc rursus & in alio loco exultans in spiritu sancto ad patrem ait: Confiteor tibi pater domine caeli & terrae, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic beneplacitum est ante te. Quid tibi videretur de Christo, cuius filius est? Vere filius Dei erat homo iste. Si ille in mundo nihil habere voluit, qui omnia cum patre condidit, quid tu adhuc in illo quaeris & diligis? Time quod dicit, Vos de mundo estis. Cum Iesus esset adhuc cum discipulis suis, & hora appropinquaret passionis, volens illis exemplum dare perfectae humilitatis, ac mutuae dilectionis: surgit a coena, & ponit vestimenta, & mittit aquam in peluum, coepitque lauare pedes discipulorum suorum: et ait illis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis. Si ego dominus & magister vestros laui pedes, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut & vos ita faciatis. O vere summum humilitatis exemplum. Deus ecce hominum seruus factus est, & homo adhuc homini aut potius deo subiectus non est. Confundantur & reuerentur omnes superbi, quia contempserunt consilium filii dei. Vicisti nos domine Iesu, vicisti nos humilitate tua, ecce confundimur in superbia nostra. Confusio operuit faciem nostram. Quid, inquis, facere debui tibi o superbe, & non feci? Cur respicis in me? Putas quod sis melior me? Si non hoc apparet tibi, forsitan humiliastes te, nunc vero superbia tua ascendit semper. Conuertimini filii hominum, & nolite ascendere, quia non sum vobiscum. Si enim ascenderitis, cadetis coram inimicis vestris, & subsannabunt vos, & cognoscetis quia superbis resisto. Humiliamini sub potenti manu mea, & exaltabo vos. Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur. Quanti volebant ascendere, & ceciderunt quasi lapis in profundum? Pharao & currus eius submersi sunt in mari rubro. Adam & Eua expulsi sunt de paradiso. Angelus, & qui cum eo erant, proiecti sunt de caelo. Et hi omnes propter ascensum montis superbiae corruerunt in damnationem mortis aeternae. Heu heu domine a facie furoris irae tuae quis sustinebit? Deiecisti eos dum alleuarentur. Cecidit Babylon, & facta est ruina eius magna. Sed quid faciam miser? quod fugiam? Tremens factus sum ego & timeo, quia deus nec angelis

angelis nec hominibus superbientibus pepercit. Vae mihi si sic ascendero, & vae iterum mihi si non descendero. Quis ostendet mihi viam, per quam possim secure & sine periculo ambulare? Ego (inquit dominus) sum via: per me si introieris, saluaberis. Trāsite ad me omnes qui concupiscitis me, & scandalum non erit vobis, quemadmodum contrigit superbis. Ego lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. Ego forma iustitiae, ego exemplar humilitatis. Ego pastor bonus, qui pasco oves meas. Paui eos in innocentia cordis mei, & in verbis oris mei confortavi illos. Domine qui pascis me a iuuentute mea, ne derelinquas me. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum quia uiuificabis me in humilitate tua. Ipsa est via saluam faciet animam meam, & ab aeternis caecibus custodiet eam. Si fuero humilis, saluus ero. Memento mei domine, ait humilis & contritus latro, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. O quanta est virtus humilitatis, quae latroni aperuit gaudia paradisi? Adam ubi es? Domine (inquit) vocem tuam audiui, & timui, eo quod nudus essem. Miser, quis te nudauit, nisi superbia tua? Eritis sicut dii, aiebat princeps vester. Mentita est iniquitas sibi, & factus est ille & ecce filii eius omnes miseri, & nihil deitatis inueniunt viri diuitiarum in manibus suis, sed labores & dolores comprehederunt eos. Melior est ergo iste humilis latro, quam Adam quod iustus & elatus. Per humilitatem suam iste ascendit, per superbiam ille descendit. Sed quid dixi descendit? Vtinam descendisset, nunc autem cecidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, quia superbia nunquam descendit, sed semper cadit. Cecidit in caelo, cecidit in paradiso, in mari, & in omnibus abyffis. Christus descendit, & de caelo descendit, & ipse est qui etiam ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia. Bone Iesu quum vndique pugnas pro me, deponens superbos & potentes de sede, & exaltans humiles. Et clamaui, Zachaeus festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, & filius Abraham factus est. Domine descende priusquam moriatur filius meus, sic orabat quidam regulus. Et dixit illi Iesus. Vade, filius tuus viuuit. Descendit etiam Iesus de monte, & secutae sunt eum turbae multae. Descendisti domine ut saluum faceres genus humanum, quod perierat ascendendo. Et quare omnes tam cupidi ad ascendendum, tam tardi ad descendendum in-

uenimur? Magister (ait alius) sequor te quocumque ieris. Bene dixit sequor te, quia sequendo te nemo errat, quoniam lux es & dies, & qui ambulat in die, non offendit. Sequor te quocumque ieris siue ascendendo siue descendendo, quia bonum ascensum & descensum docuisti me. Bonus ascensus de mundo ad patrem: libenter illuc ascendam, quoniam ibi est thesaurus meus indeficiens, & celebrantur ibi nuptiae agni, sed & magnus dies festus omnium sanctorum mox appropinquabit. Ascendite ad diem festum hunc. Ite & dicitis fratribus meis. Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, deum meum & deum vestrum. Quis ascendet in montem istum, aut quis stabit in loco sancto eius? Mons dei mons pinguis est iste, ut quid suspicamini montes conculatos? Altus mons huiusmodi, a iacentibus non videtur. Propterea Ioannes qui penitus contemplationis eleuabatur, vidit agnum stantem supra montem Sion. Quem Propheta sequi cupiens orabat, Quis dabit mihi pennas sicut columbae, & volabo & requiescam? Ascendit etiam Simon Petrus, & ait, Domine bonum est nos hic esse. Isti viri sancti te domine Iesu sunt secuti, & ostendisti eis gloriam sempiternam, quam promissisti diligentibus te. Iam ascensum audiui, quia transit ad regnum tuum omnis qui relinquit mundum. Sed iterum descendimus, quoniam modo tepus descendendi aduenit. Domine inclina caelos tuos & descende, range montes superbiae, & fumigabunt. Descende ad nos, quia ad te ascendere non valemus. Si nitimur, deficimus: & si interdum ascendimus, curuum iter facimus, & peius agimus, & labimur in lutum profundum. Si qui uerit claudus currere, & contractus pedibus ambulare, tunc potest etiam superbus proficere. Quanto plus currit, tanto magis offendit: & quo altius salit, eo desperatius in ima ruit. Si posueris in caelum o superbe nidum tuum, inde te detraham, dicit dominus. Audiuiimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius & arrogantia eius plusquam fortitudo eius. Quid superbis terra & cinis? Terra es, & in terram ibis. Descende prius, & tunc ascendes. Vanum est tibi ante lucem surgere, surge postquam sederis, quoniam quidem sic sanctos imitaris. Se debat Iob in sterquilinio, Dauid coram domino, Ezechiel in medio captiuorum. Sede tu & scribe cito. Memento quae so domine quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Et ora cum Propheta, Peccaui, & malum coram te feci. Non ergo intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Recordare

Paupertas igrata deo abique humilitate.

& illius Publicani, qui stabat à longè, & non audebat oculos in cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Amen dico tibi, quia descendit hic iustificatus ab illo, id est prae illo, scilicet pharisæo. Quis sicut tu domine deus noster qui in altis habitas, & humilia respicis in cælo & in terra, qui suscitās à terra inopem, & de stercore erigis pauperem? Esto in humilitate nostra memor nostri, custodi paruulos tuos, & humilia peccatores vsque ad terram. Iudicare domine deus pupillo & humili, vt non apponat vltra magnificare se homo super terram. Ecce per scripturas sanctas transiens video sicut vulneratum superbum, & ipse de manu tua repulsus est. Sed iam videre libet e contrario, qualis etiam humilis actu sit & moribus, quæ cogitatio eius, & quod signum sanctitatis eius, Et dominus. Ecce domus latet, quia humilis locum semper querit nouissimum, sicut scriptum est: Cum inuitatus fueris ad nuptias, vade & recumbe in nouissimo loco. Non tamen hoc fice, sed hunc deberi sibi sentit ex digno. Alioquin non erit illi gloria neque merces apud patrem qui in cælis est, qui omnia videt in absconso. Si ab aliis obiurgatus & diffamatus fuerit, patienter sustinet, & humiliter tacet. Meditatur in corde quanta opprobria sustinuit Saluator mundi. Dicebant enim Iudei de filio dei, Demonium habet, & seducit turbas. Vorax est, & potator vini, amicus publicanorum & peccatorum. Consolatur his verbis seipsum humilis, & dicit: Non est seruus maior domino suo. Si patrem familias Belzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Sequar dominum meum Iesum, quia ipse dixit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Noli conturbari anima mea, quoniam digna factis recipis, Iesus autem nihil mali gessit, nec quicquam morte dignum fecit, & tamen vsque ad mortem crucis semetipsum humiliavit. Quia si in viridi ligno quod erat in paradiso dei, hæc fecerunt, in arido, quod tu es, quid fiet? Et ideo iniuste querulor, iuste autem pacior, quotienscunque & à quocunque vituperor. Si fuerit humilis in crepatus & accusatus, non querit excusationes, aut redargutiones, sed omnem ostendit humiliationem, confitetur culpam, promittit sui emendationem. Cur hoc? Quia non hominibus placere, sed deo querit satisficere. Paruipendit confusionem hominum, quia timet diuinum iudicium, vbi occulta erunt manifesta. Quisquis humiliter modo confitetur culpam propriam, percipiet tunc à me peccatorum suorum remissionem. Dicit ergo humi-

lis siue iuste siue iniuste reprehensus, Peccati, & malum coram te feci. Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annūciabo, & cogitabo pro peccato meo. Sentit vulnus peccati interius, & ideo fert leuius quicquid cruciat exterius. Hoc est enim magnum humilitatis indicium, cōfiteri in redargutione peccatum proprium. E contrario quidam superbi agunt excusando, & se defendendo coram aliis. Non (inquit superbia eorum) hoc feci: aut si feci, bene feci. Si male, non multum male, neque in tantum sicut isti dicunt. Quis est ille homo qui talia loquitur de me? Et tamen istiusmodi fabulatur aliquando publice de perpetratis malis suis, ibi inquiens fui, & talia feci: hæc dixi, & sic respondi. Quarta miseria & cæcitas est, istud ore proprio pronūciare se male egisse, & peccatorem se reputari ab aliis ferre non posse? Filij hominum vsquequo diligitis hanc vanitatem, & queritis mendacium? Si interrogatus fuerit humilis, non promptulus ad responsa inuenitur, sed serus & prouidus. Non est etiam ad risum facilis, sed grauitate temperatus. Cor eius deuotione spiritali citius tangitur, quia de temporalis gaudio non consolatur. Compunctio- ni est deditus, & ad considerandum se inuenitur primus. Studet propria flere mala, aliorum bona cōsiderare, & infirma eorum portare, & pio modo excusare. De magnis & sublimibus presentis vitæ rebus, de honoribus & dignitatibus, de gradibus & cathedris minime curat, sed omnia peritura & vana esse considerat. Homo enim cum interierit, non sumet hæc omnia secum. Et vbi (inquit) sunt qui in hoc mundo floruerunt? Tanquam peregrinus & hospes vnus noctis, sic pertransierunt. Contemnit ergo omnes mundi honores, amplectitur opprobria & abiectioes. Eligat abiectus esse in domo dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Suscipit leue iugum Christi, abicit laboriosam seruitutem diaboli. Nihil laboriosius quam velle ascendere, & hoc frustra, quia superbus timet semper ne superetur, & quotidie deiicitur, ipso etiam ignorante. Pax autem & gaudium cum humili, qui per viam planam sanctorum graditur, & in vallibus commoratur. Valles enim abundabunt frumento, hoc est consolatio- ne spiritus sancti: clamabunt & hymnum dicent pro donis quæ perceperunt. Propterea nil iam querit in terrenis, quia spes eius tota suspensa est in cælestibus. Orat cum propheta, & dicit: Spes mea domine à iuuentute mea tu es, portio mea in terra viuentium. Quid enim mihi est in cælo, & à deo meo quid

quid volui super terram? Deus cordis mei & pars mea deus in æternum. Subesse desiderat, aliis seruire paratus est, propter nomen meum. Recordatur enim scripturæ dicentis: Remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Vbi mox sequitur: Et descendit cum eis, & erat subditus illis. Et iterum, Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Dicit ergo ad semetipsum, Nonne subiecta deo eris anima mea, quoniam ab ipso salutare meum? Veruntamen subiecta deo esto anima mea: quia ipse est salus tua. Familiaris est humilibus amor subiectionis, despectio- nis, & nullius reputationis. Et vbi possunt tales inueniri? Domine mi tu scis. Tibi nota est omnis congregatio sanctorum, quoniam humiliu inhabitator es metium. Non sum ex illis, sed miserere mei, & parce peccatis meis, vt detur mihi locus poenitentiae, illorum saltem meritis. Gaudeant qui huiusmodi sunt, quia magnam gratiam apud te inueniunt. Ecce ad memoriam venit illa omnium sanctorum sanctissima dei genitrix virgo Maria, cui ab angelo dicitur, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud dominum. Et ego cur non inuenio gratiam in oculis tuis? Quia (inquit dominus) necdum paruus factus es sub oculis tuis. Defectus gratiæ est propter aggeres superbiæ. Et ecce primu hanc trabem de oculo tuo, & tunc videbis quid facturus sis humili seruo meo. Quando negauit humili gratiam? Et quando non exaudiuit orationem pauperis? Audi prophetam. Iste pauper clamauit ad dominum, & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum, quia respexit deus in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Multi elato corde accedunt ad me, & ego non exaudio eos. Petunt non vt sanentur à peccatis, sed vt appareant sancti hominibus. Optant deuotionem, sed pati nolunt mecum confusionem: humilitatem concupiscunt, sed cum humilibus contemni ab hominibus refugiant. Sic amare querunt virtutes sine odio vitiorum, & falluntur in desiderio suo. Qui enim vult habere dulcedinem virtutis, extrinsece debet cor à vitis & passionum tribulis. Humilis autem nititur semper destruere omnem elationem cordis, & odit prælationem super alios, quæ est iniquitas maxima. Nam hæc angelos fecit demones, & homines constituit peccatores, quia immudus est coram deo omnis qui exultat cor suum. Vt qui magni estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudetes. Vt qui creditis omne altum sanctu, & ad omne sublime dicitis, honor deus est, & gloria eius. Et quare decipitis cor vestrum? Multum erigimini filij Leui. Nolite ambulare in magnis &

mirabilibus super vos, sed inclinate rebelles ceruicem vestram. Quod si non feceritis, ego ascendam contra vos, & conuocabo cælum & terram & omnia elementa aduersum vos, & pugnabit mecum orbis terrarum contra in sen- fatos & superbos. Et incuruabitur altitudo vestra, & sublimis erit in conculcationem, & gloriosus terræ in confusionem. Vt qui ascenditis ad latera aquilonis super motem excelsum valde, vt videatis omnia regna mundi, & gloriam eorum. Et dicitis, Spes nostra turris Babylonis: illic sedebimus, & gaudebimus. Sed non erit neque stabit verbum istud. Planctum istu pro cantu audietis, Filia Babylonis misera: beatus qui retribuere tibi retributionem tuam quam promeruisti. Ecce malleus & incus, virga & baculus, stridor & stetus super omnem arrogantem. Casus & deiectionis, ignominia & confusio super omnem presumentem. Nolite ergo in altum extollere cornu vestrum, nolite loqui aduersum deum iniquitatem, sed exinanite vos vsque ad fundamentum in ea congregatione, in qua statis. Fundamentu est ipsa humilitas, & aliud fundamentum nemo potest ponere, præter id quod positu est, quod est Christus Iesus. Hoc fundamentum fundatur in motibus sanctis. Diligit enim dominus portas Sion super omnia tabernacula Babylonis. De humilibus loquendum fuerat, sed superbia Sathane hoc impediuit. Nam sunt plurimi ad ascensum tam prompti, ad descensum vero pigri, satis parati ad honores, ad gradus & prælationes. Sentiant de se magna, præsumunt fortia, & imaginantur his multa similia. Hæc mala cauenda sunt, & à corde pauperum Christi citius repellenda. Est etiam laudandum in humili valde, quod tam tardus inuenitur ad tumultus seculi, ad interiora vero sollicitus, quoniam apparere foris nimis metuit, & abscondi ab hominibus velut mortuus gaudet. Studiū eius circa humilia exempla sanctorum, circa materiam propriæ fragilitatis, & memoriam humilis Iesu inter homines conuersantis. Multam inuenit seipsum humiliandi causam, & sylvam magnam querit deuote meditandi tam diebus quam noctibus. Legit ergo in scripturis sanctis, & considerat quam longe sit à sanctorum virtutibus. Miratur eorum exercitia, labores, tentationes, abstinentias: intuetur summam humilitatem, fortissimam patientiam, perfectam obedientiam, & plenam omnium rerum secularium mortificationem. Deslet ideo acriter, & contristatur vehementer, quia non est in eo talis virtutum feruor, neque pro acquirendis virtutibus consimilis labor. Ah puluis, inquit, quid nos sumus? Caro & sanguis, in qui-

bus nos inuoluti iacemus, Terra patria nostra, terrena cogitatio nostra, animalis conuersatio nostra, lignum & lapides occupatio nostra. Esca & potus, somnus & ocium in finibus nostris. O quantum in imo sumus, qui vix veftigium pedis de virtutibus sanctorum habemus? Et tamen adhuc superbimus, & viam humilitatis non quaerimus. Adhuc in bonis tepescimus, in malis quotidie fenescimus, & putari aut videri ab aliis aliquid volumus. Hoc est enim alienum ab humili corde, quod feruet iugiter proficiendi desiderio. Considerauit enim se, & abiit amarus in indignatione spiritus sui, ad interius cubiculum suum, vt ploret ibi. Deinde surgens legit in apostolo Paulo quid de se sentiat. Ego (inquit) sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam dei. Et in euangelio de beata virgine. Respexit deus humilitatem ancillae suae. Et iterum in propheta. Humiliaui in ieiunio animam meam, & posui vestimentum meum cilicium. Et cum Abraham. Loquar ad dominum meum, cum sim puluis & cinis? Omnia haec operatur in electorum cordibus vera humilitas, quae omnium virtutum causa est & custos. Surge nunc, atque occurrens illi, dic ad eam. Beneueniat domina mea humilitas. Ingredere ad me o virtus Christi, inuentrix gratiae, singularis gloriae virginis Mariae. Accede ad me o reparatio laesae charitatis, reconciliatio totius humanae perditionis. Per te caeli aperti sunt, & per te claustra inferni contracta. Per te erecti sumus, & per te ad patriam reducti. Tu de peccatoribus facis iustos, & iustos angelis associas. Tu Christum de caelo vocasti, & Mariam super choros angelorum exaltasti. Deus licet diues sit in gratia, nemini tamen nisi humili conferat gratiam. Et quia haec virtus praeparat omnibus in Maria abundauit, ideo & ipsa gratia plena fuit. Iam claret quod humilitas est omnium sanctorum & fuit semper virtus maxima. Ipsa meretur quod meritis non debetur, ipsa percipit quod litera non docetur. Haec casum nescit, quia nunquam de se magna praesumit. Qui hanc habet, diligit & custodit, in pace Christi dormiet & requiescet, sicut Christus humilibus repromisit. Discite a me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.

De patientia. Cap. III.

Postquam domine de sancta paupertate & humilitate quaedam eloqui dignatus es, restat iam vt secundum promissum tuum de patientia mirabili virtute, seruo tuo aliqua insinues. Fateor hoc nanque coram te, multum me hac virtute egere, & valde mihi opus esse

Patentia virtus mirabilis.

multa patientia. Qualis est enim vita mea nisi quaedam longa miseria a die natiuitatis vsque in diem sepulturae meae? Et nihil inter haec vacat, quod non laborem & dolorem mihi multiplicet. Et quomodo in hanc veni miseriam deus meus? Tu nosti bene quanta mala circumdederunt me in corporis carcere positum, & nemo est qui ita nouit miseriam hominum, sicut tu domine deus noster. Vide ergo quam necessaria mihi sit patientia. Quid est anima mea quod in terra inimicorum es? Nam si in via dei ambulasses, habitasses vtique in pacis, sicut per terram. Dereliquisti dominum deum tuum fontem aquarum viuentium, & fodisti tibi cisternas quae non poterant aquas continere, & ideo tradita es manibus odientium te. Sed reuertere ad me, dicit dominus, & ego suscipiam te. Propter peccata mea domine, haec omnia iusto iudicio tuo euenerunt super me. Peccavi cum patribus meis, & porto graue iugum super omnes filios Adam, quoniam filii irae omnines filii eius. Veruntamen nisi subuenisset nobis auxilium tuum de caelo, quasi Sodoma fuisset, & quasi Gomorra similes effemus, quae submersae sunt in momento. Ideoque misericordiae tuae multae domine, quod consumpti non sumus: & bonitas magna nimis, quod adhuc viuimus. Filii mortis eramus omnes, sed praenouisti nos in miserationibus tuis, & non sicut delictum nostrum, sic & iudicium tuum, sed superabundauit misericordia tua super omnia opera nostra pessima. Recordatus es quia puluis sumus, & homo sicut foenum & flos agri. Tibi haec dixi deus & pater misericordiarum, vt scirem miseriam meam & causam miseriarum omnium rectum iudicium tuum. Sed tamen adhuc quaero ex omnibus his si qua sit consolatio in Christo Iesu domino nostro. Et si non ad plenum merear consolari, tribue saltem ex parte aliqua. Quis ergo consolabitur animam meam? Multos inueni desolatos narrantes mihi iniquas fabulationes, sed non vt lex tua domine. O consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium, qui imple omne animal benedictione, aperi manum tuam, & effunde benedictionem de caelo super arentem terram meam. Expando ad te manus meas, quia sum sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me domine, defecit enim spiritus meus. Et ego sine te quod ibo? Et ad quem confugiam? Tu es domine, deus meus, & ideo suscipe propitius preces meas. Leuaui ad te animam meam, tu noli me despiciere. Ostendi misericordiam tuam, tu noli oculos auertere. Peccaui, noli me condemnare. Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea domine, noli me derelinquere. Dixisti enim per te ipsum nos consolari cupiens

Vita hominis quasi quaedam longamiseria.

Baruc.

Hier.

Eccle.

Ephes.

Esa.

Thre.

Psal.

Psal.

Psal.

Psal.

Psal.

Matt. 11. piens, Venite ad me oes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et iterum. Si quis sitis, veniat ad me, & bibat. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea? In terra deserta, inuisa & inaquosa, habitatio mea domine. Terram arentem dedisti mihi domine, da & irriguam superius. Neque enim parua est miseria mea, qua affligor in hac vita mea. Nam quocumque me verto, dolores & labores inuenio. Et ideo quaeso ne irascaris mihi, quia anxius est in me spiritus meus, & verba mea non murmure, sed dolore plena sunt. Effudi in conspectu tuo orationem meam, & tribulationem meam ante te pronuncio. Est enim misero saepe consolatio, suam miseriam amico reuelare. Et vulnus tuum dum aperitur, minus dolet, & citius curatur. Tibi ergo reuelauit causam meam pater misericordiarum. Et ait dominus. Quid vis vt faciam tibi? Animae quior esto fili mi. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, & descendi liberare eum. Sed cum etiam benefecero tibi, memor eris nominis mei, quia saluator & redemptor tuus ego sum. Iam noli contristari, quia ego ipse qui loquebar, ecce assum. Quare ergo moerore confumeris? nunquid consiliarius non est tibi? Recordare sermonis, quid promiserim discipulis meis: Non relinquam vos orphanos: sed mittam promissum patris mei in vos spiritum veritatis, vt maneat vobiscum in aeternum. Ille est enim, qui in aduersis consolatur corda sanctorum. Et dixi hoc de apostolis. Domine & discipulis tuis dixisti, & implesti in eis promissum tuum: sed de me nescio quomodo fiet istud, quoniam non fueram ibi. Et dominus, Nonne & tu discipulus meus vis fieri? Etiam. Quod dixi eis, dico omnibus, quia pusillum & magnum ego suscipio. Rogauit patrem meum non tantum pro his: sed etiam pro eis qui credituri sunt in me per verbum eorum. Omnis enim qui voluerit esse discipulus Christi, particeps erit bonorum omnium quae promisi electis meis. Elegi eos, & posui eos vt eant & fructum afferant in patientia, & fructus eorum maneat in vita aeterna. Hoc loquor tibi, vt in me pacem habeas, & in patientia animam tuam custodias. Pacem meam relinquo tibi, pacem meam do tibi, non quomodo mundus dat, ego do tibi: Patiens esto, & aduersa libens suscipe. Ne deficias in tribulationibus, quia tribulatio ignis consumptionem, fugat dissolutionem, ingerit salubre tristitiam, dat odium mundanorum, & facit Christi imitorem. Velles istis lucris carere? Non domine. Haec tamen operatur in tribu-

Tribulatio fructus.

lacione vera patientia. Noli proinde quaerere pacem nisi in deo, pacem & gaudium in spiritu sancto, quam mundus non potest dare. Et dixi, O pax & gaudium domini mei Iesu Christi, quales filios tu facere conueuisti, quibus modis te mentibus electorum de caelo veniens infudisti? O pax & gaudium in spiritu sancto, quod non datur impiis, sed manifestatur humilibus & omnibus deuotis dei seruis. Vtinam dirumperes caelos & ad me descenderes, & infirmam animam meam visitares frequentius, & experimento discerem, quoniam benignus est spiritus sapientiae, & pax multa diligentibus legem tuam, & gustantibus suauitatem spiritus sancti. Quam libenter tunc ista caduca & terrena omnia contemnerem, vt eius dulcedini semper inharerem. Quam patienter omnia aduersantia susciperem, cum praeparatione eius graue quicquam esse non sentirem. Et quid tunc ultra oblectare me posset, quando ille sic me absorbuisset? O quam suavis est domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios gratiae demonstrares, pane suauissimo de caelo praestito esurietes animas replesti bonis internis, fastidiosos diuites dimittes inanes, quia consolatione sancti spiritus digni non sunt. Haec omnia operatur vnus & idem spiritus tuus, diuidens singulis prout vult, adiuuans infirmitatem nostram, & consolans nos in peregrinatione nostra in grandi exilio, quo relegati sumus. Sed scio domine quia haec est hora diei tertia, quando Petrus aperuit os suum & loquebatur verbum tuum cum fiducia magna, quando repletus est vino nouo quod lactificat cor hominis, quando vnctus est oleo gratiae & laetitiae cum confortibus suis. Haec est hora de qua coapostolus eius dicit. Caritas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, quia non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui ex deo est. Et scripsit dicens. Gaudete fratres in domino semper, iterum dico gaudete, dominus enim prope est. Vere illi prope erat, qui tantam gratiae copiam a domino perceperat, vt esset ipse plenus, & aliis propinaret ex abundantia cordis tam multiplices consolationes. Siue (inquit) mente excedimus deo, siue sobrij sumus vobis, omnia propter vos charissimi. Haec est hora in qua propheta laetatur dicens. Et immisit in os meum canticum nouum, carmen deo nostro. Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum viuum. Et plures fuerunt qui de hac multa praecinuerunt, & gustauerunt bonum dei donum, virtutem quoque & gra-

Sap. 11.

Psal. 118.

Sap. 12.

1. Cor. 12.

Act. 2.

Roma. 5.

Rom. 8.

Philipp. 4.

2. Cor. 5.

Psal. 39.

Psal. 70.

Psal. 81.

Hebr. 6.

monitus exemplis & doctrinis, omni tempore patientiam in corde serua, & in omni tribulatione & angustia teipsum mihi resigna.

1. Pet. 3. Quis tibi nocere poterit, si bonus amulator virtutis fueris? Ecce omnes gemitus tui numerati sunt: & tam paruum nihil pateris, pro quo non coronaberis. In tribulatione positus, memento quod hæc est via sanctorum, per quam transitur ad regna cælorum. Consolare etiam teipsum, quia Christo Iesu domino tuo in hoc assimilaris, & gratias age si modicum illi retribuere possis. Dico tibi quoniam maioris meriti est aduersa pati, quam bona operari. Quamplurimos seruos ego video habere: sed parum possunt sustinere. Modica tribulatione franguntur, pauca contumelia irritantur, leui occasione scandalizantur, cito de illata iniuria conqueruntur, multa argumenta cogitant quando arguuntur. Nō est ista via bona, sed mihi & omnibus sanctis dissimilis valde. Quidam etiam dicunt quia paruum pacem habent, & ego dico quod ideo pacem non habetis, quia patientiam non seruatis. Ideo pacem non habetis, quia proprietarij estis, quia carnales estis, & secundum hominem ambulatis. Vnde bella & lites in vobis, nisi ex concupiscentiis vestris? Pacem in presenti vita non inuenietis, nisi in patientia vestra. Quanto quis patientior fuerit, tanto maiori pace perfruetur. Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat. Pax mea in patientia multa, in malorum tolerantia, in contemptu secularium gaudiorum. Qui enim voluerit esse amicus dei, sic oportet eum facere.

Matt. 10. Luc. 11. Esai. 48. Non veni mittere pacem in terram, sed gladium. Pax in terra erit hominibus bonæ voluntatis, quia non est pax impiis, dicit dominus. Habete pacem in deo, & non cum mundo: pacem non cum vitis & concupiscentiis vestris, sed pacem contra vitia pugnando forrifer. Hæc est bona & sancta pax, & acceptabilis mihi. Memento etiam in tribulatione tua, quod omnis labor & dolor finietur breui tempore: sed merces erit æterna & copiosa apud me in cælis. Rursum attende de damnatione malorum, quanta erunt cruciamenta eorum. Si tam parum modo vales sustinere, quid fiet de inextinguibili poena infernali? Infer digitem tuum in flammam ignis, & forsitan vix tolerare sufficis. Quid ergo erit si totum corpus mittatur in gehennam ignis? Noli proinde timere eum qui occidit carnem: nec indigneris ei qui flagellat miserum corpus: sed time eum qui postquam occiderit, potestatem habet & corpus & animam perdere in gehennam. Istud dico time, istud pondera, istud frequenter cogita, & videbis quod nihil

est omnis tribulatio tua. In omnibus igitur mundi pressuris, his te verbis consolaberis: **Patiens esto vsque ad aduentum domini, quia finis omnium mox appropinquabit.** Transit omnis mundus, & concupiscentia eius. Qui etiam nihil amat in mundo, leuius aduersa tolerat. Decipiuntur omnes amatores eius, in nihilo confidetes. Sancti vero homines ad æterna præmia anhelant, & exire de mundo citius concupiscunt. Nil in eo habere volunt: sed thesaurum in cælo sibi recondunt. Aduersa tamen multa sustinent: sed patientiæ armis se defendunt. Sæpe carere aduersitatibus & tribulationibus mallent: sed tamen in omnibus his se manibus meis commendant, dicentes: **Pater fiat voluntas tua. Pater nō sicut ego volo: sed sicut tu vis. Omnia quæcunque voluit dominus minus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis: & ideo nemini contingit aduersitas sine mea permissione & iusta ordinatione.** Et dixi, **Domine tu omnia nosti, tu scis quid expediat mihi.** Ecce seruus tuus sum ego, fiat mihi secundum verbum tuum. Omnia iudicia tua vera sunt & recta: hunc humilias, & hunc exaltas, quia in manu tua sunt omnes fines terræ. Iustus es domine, & rectum iudicium tuum. **Fidelis es & sanctus in omnibus operibus tuis.** In voluntate tua cuncta sunt posita, & nō est qui possit resistere tibi. Tu enim fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ cæli ambitu continentur. dominus vniuersorum tu es, propterea in manus tuas commendo spiritum meum, quia redemptor meus tu es. **Liberator meus ab inimicis meis iracundis, passionibus & vitiis meis, susceptor in tribulationibus, cōsolator in angustiis multis quæ circumdederunt me nimis.** Domine patientia mihi necessaria est, patientia defensor mea. Dixi patientiæ, soror mea es: paupertati, amica mea: humilitati, domina mea & mater mea. Vos estis omnes dilectæ domino, & verbis oris eius benedictæ. **Vtinam mihi & omnibus seruis eius tam gratæ & iucundæ, quemadmodum illi acceptæ. Obsecro semel & iterum, vt permaneat nobiscum vsque in finem vitæ nostræ, quia securi ad dominum veniemus si vobiscum permanserimus.**

FINIS.

Incipit libellus de vera compunctione cordis.



Lete mecum oēs amici mei, & videte dolorem meum, quia vehementer est. **Attendite plagam meam, quoniam profunda est. Quid est quod desiteo? Hoc inquam est, quia proiectus sum**

sum a facie Dei cæli, a facie oculorum eius. In tenebris & in vmbra mortis sedeo, & lumen cæli non video. Quale igitur gaudium potest esse mihi? Miser ego homuncio descendi ab Hierusalem in Hiericho, & incidi in latrones crudelissimos, qui etiam despoliauerunt me tunica immortalitatis, & plagis impositis abierunt, semiuivo relicto. Inuenerunt me custodes ciuitatis, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum. Nunc ergo filia Hierusalem, nunciare dilecto, quia dolore repletus sum. Mitte ad illum dicentes, Ecce Lazarus quem amas, infirmatur. Domine, puer meus iacet in lecto paralyticus, & male torquetur. Iam multos annos habeo in infirmitate, claudus sum ego seruis tuus ex vtero matris meæ, quia graui vinculo originalis peccati obnoxius sum & constrictus. Filius Adam præuaricatoris ego sum, & filius mortis, totus in peccatis natus. Miserabilis introitus meus, & horribilis exitus meus. Et quo fugiam? Nescio. Si ascendero in cælum, tu illic es, qui peccantibus non parcis. Et si descendero ad infernum, ades, vt punias præuaricantes. Vbi abscondam me a vultu iræ tuæ, quia peccaui nimis in vita mea? Aspexi sursum in cælum, & dixit deus, Tollatur impius, ne videat gloriam dei. Respexi iterum in abyssum, & insonuit vox terribilis, Ligatis manibus & pedibus proiците eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Ex his conturbatus factus coepi pauere & multum moestus esse: sed & omnia ossa mea immutata sunt a facie iræ indignationis domini. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi, **Quis ergo poterit saluus esse? Si iniquitates obiterauerit, quis sustinebit? Terribile & sanctum nomen eius. Sed nunc tace anima mea. Audiui enim consolatoriam vocem, loquentem ad eos qui in tristitia & luctu sunt.**

Matt. 5. Matt. 3. Scribe, beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et iterum, **Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Vox domini consolantis seruos suos, Vox domini post tergum monentis, Conuertimini filij hominum, & viuite. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et propheta occurrens moerentibus sic ait, Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde. Et de semetipso loquitur verbum consolatione plenum, Audiuit dominus & miseratus est mei, dominus factus est adiutor meus, quoniam non spreuit deprecationem pauperis. Ecce adhuc locus est, & necdum elausa ianua. Poteris ergo per poenitentiam**

omnia instaurare, & mala quæ fecisti, & bona quæ omisisti. Iam noli nimis expauescere. Venit enim filius hominis querere & saluum facere quod perierat. Et rursum, **Nō veni vocare iustos, sed peccatores. Eleua igitur te anima mea in confidentiam bonam, quia dominus locutus est. Vita tua inferno appropinquauit, & morti tradita eras: sed deus miseratus est tui, & cogitauit tecum facere misericordiam suam. Timuisti valde a facie dei, & cogitasti vt absconderes te ab eo, sicut pater Adam fecit quando peccauit: sed hoc frustra cogitasti. Meditata es quoque fugam in aliquam regionem, quemadmodum Ionas fugit a facie domini in nauim: sed & in hoc vane laborasti. Neque enim occultando neque fugiendo manus dei euades. Reuertere igitur per aliam viam in regionem caelestem, quam ostendit tibi deus vt ambulares per eam. Hæc est via: Poenitentiam agite. Optimum consilium & forte auxilium datum est tibi de cælo. Consilium tale est, vt digne poeniteas, & flendo peccata tua vindices, & sic reconciliata pacem habeas ad deum. Auxilium tuum a domino, qui fecit cælum & terram. Qui cum ranteus esset, pro te omne debitum soluere dignatus est. Tradidit enim in mortem animam suam, & pro transgressoribus exorauit vt non perirent, & ita morte sua eripuit te a morte æterna, & auxiliatus est tibi per crucem suam. Istud quoque recommendans fidelibus Paulus apostolus ait, Peccata nostra tulit affigens illa cruci, condonans nobis omnia delicta, vt viuamus cum illo. Hinc in alio loco idem apostolus loquitur, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Ecce qualem consolationem & quantam spem reliquit deus peccatoribus, sed poenitentibus, sed conuersis. Memento verbi sancti sui, in quo spem dedit tibi. Et nunc domine proster no me in oratione ante te, & clamo ex toto corde meo.**

Oratio.

Domine deus, sancte pater, peccaui in cælum & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus. Sed pater mi fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. Iuste agis si proiicis me a facie tua: sed misericorditer facis, indignum omni beneficio recipiendo. In hac confusus misericordia procido ad pedes tuos, lachrymas fundo, vestigia tua adoro & osculor deuote, te deprecans humili & contrito corde. Respice misericors deus super pulicem vnum, & canem mortuum, & repropitiare mihi sicut beatissimæ Mariæ Magdalenæ quondam peccatrici veniam ad pedes tuos tam cito

Maiores meriti est mala pati, quam bona operari.

Pax ex patientia.

Iaco. 3.

Ioan. 14.

Matt. 10. Luc. 11. Esai. 48.

Matt. 10.

Iaco. 1. Ioan. 1.

Luc. 11. Psal. 114.

Luc. 11. Psal. 114.

Psal. 118. Psal. 144. Hebr. 11.

Psal. 118.

Psal. 54.

Psal. 129.

Psal. 110.

Matt. 5.

Matt. 3.

Hier. 3.

Ezec. 18.

Matt. 11.

Psal. 33.

Psal. 29.

Luc. 19. Matt. 9.

Gen. 3.

Ion. 2.

Psal. 123.

Eph. 5. Eia. 53.

Colof. 2.

1. Tim.

Luc. 17.

Oratio agnoscetis se peccatores.

Psal. 35. promerenti. Præterde misericordiam tuam scientibus te. da dexteram profugo seruo tuo, & videant oculi tui piissimam contritionem cordis. Nec irascatur dominus meus in perpetuum super malignitatem serui sui: sed vniuersam multitudinem misericordie sue à seculo recorderetur: & sit hodie placabilis in seruum suum. Exaudi domine hanc vnicam petitionem quam fundit coram te seruus tuus, genua flectens ante omnipotentiam tuam, adorans super terram vultum glorie tue: quia stulte egi & insipienter nimis, multotiens offendens mansuetudinem tuam, non veritus thronum regni tui. Dimitte obsecro omnem noxam seruo tuo, & ne deleas nomen meum de libro viuendum: sed in electorum tuorum numero me scribere digneris, vt inueniar in laudem & gloriam sancti nominis tui. Amen. O quanta est misericordia tua domine, qui vt bonitatem tuam abundantius ostenderes, voluisti hominem dignum morte à morte liberare. Insuper profugos & fugitiuos seruos voce benignissima reuocare studuisti, mittens fideles seruos & amicos tuos hora cœnæ dicere inuitatis, quia parata sunt omnia, venite ad nuptias. Debueras ex iustitiæ ordine misisse expeditos vernaculos post inimicos tuos, qui noluerunt te regnare super se, & occidere homicidas illos, quia digni erant, aut in carcerem mittere, donec redderent nouissimum quadrantem, aut deputare cum iis qui in inferno sunt. Sed non es vsus hac potestate: sed omnem mansuetudinem tuam ostendisti, patienter ferens omnia vsque ad tempus, vt liberetur dilecti tui, & fugiant à facie arcus, hoc est vt iudicium horrendum cõuersatione digna præueniant. Si enim voluisses extendere manum tuam in impios & in cunctos qui peccauerunt, multos perdidisses, qui iam amici tui facti sunt, & inter primos apud te locum inueniunt. Non haberes nunc Petrum, qui ter negando peccauit: nec Paulum, qui persequendo blasphemauit: neque Matthæum publicanum, qui terrenis lucris inhiauit: sed nec vnum quidem de principibus magnis apostolis tuis, quos constituisti iudices super omnem terram. Nunc quidem charissimi tibi facti sunt, & nota fecisti eis omnia quæcunque audisti à patre, & clarificatus es in eis, & ipsi clarificauerunt nomen tuum super terram. Hęc fecit omnipotens manus tua, & misericordia tua, & dextera tua repleta omni dulcedine. Abscondens enim omnem iram tuam, voluisti nos facere filios gratiæ, & consortes diuinæ naturæ, & coheredes regni tui. O fons pietatis & infinitæ miserationis, qui nunquam supereffluere cessas, sed appropinquantibus

tibi semper expansus permanes. Ad te vtinam omnes ingrediantur, & gustent de cibis mensæ tuæ, quoniam suaues sunt, & non est in illis mors neque amaritudo aliqua. Sed non in omnibus beneplacitum est tibi. Multi enim cõuertunt se retrorsum, diligentes hoc seculum magis quam coctum sanctorum filiorum tuorum, desperantes semetipsos, & seruientes impuditiis & iniquitatibus, quorum manet iudicium certum, & longe à te facti, sub sensibus esse delicias putant. Dilecti vero filij tui & fideles serui tui odientes mala, ipsi diligunt te in toto corde suo, meditantur die ac nocte in mandatis tuis, & hos abscondisti sub alis tuis, ne capiantur illecebris seculi. Hi plerumque desiderio magno vitæ perpetuæ flagrant: citius dissolui cupiunt, vt tecum multo felicius viuant. Et cum non exaudiuntur ad voluntatem suam, fit tamen ad salutem ipsorum & tuam dispensationem, vt adhuc laboribus exerceantur. Non quod tu domine minus illos tunc diligas, quia illorum mox preces & desideria non implēs: sed differendo copiosius vis remunerare, quos amplius fatigari in hoc mundo permittis. Bene illis qui tantam ascuti sunt à te gratiam, qui iam æternam vitæ desiderio æstuant, & per fructum boni operis manipulos retributionis præstolantur. Ego qui peccator sum, & peccatorum meorum pondere premor, quomodo leuare audeam oculos meos in montes istos eximios sanctos tuos & perfectos viros, qui terrenam habitationem tanquam vallem lachrymarum altitudine conuersationis excreuerunt, & cælum iam contemplationis acumine tangunt? Væ væ (inquit Ioannes apostolus) habitantibus in terra. Væ carnalibus mentibus, & hunc mundum adhuc per desiderium inhabitantibus. Væ etiam his qui passionum multarum aculeis circundantur. Et væ longe errantibus à via iustorum, qui non flent, sed vane ridet, & (quod grauius est) cum in præsentia dei male agunt, hoc ipsum non metuunt, sed subito paruipendunt. Quid ergo mirum si nunc doleo, si tamen vt dignum est & vere doleo? Nā dolor internus mutat affectum hominis, & non vult gaudere nec amodo consolari in terrenis. Vide vnde dolere & flere debeas. Satis raro perfecte se colligit animus, & interdum vix lucet de super veritas, & modica ex parte fruitur anima suo cælesti cibo. Ideo merito gemere potest amore grauata terreno, quia deo facta est & sibi ipsi tam ignota. Deploret igitur quicumque cor intus habet in semetipso, & dicat, Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fetu miscebam. Hoc inquam est quod intra meipsum

Questus peccatoris ob miseriam & pericula vitæ præsentis.

Iob. 30.

Dei pietas ergi suon.

Apost.

Psal. 104.

psum percogitans desleo, quia terrenis pro dolor & visibilibus rebus sine necessitate sæpius implicor, aliquotiens delector, quandoque difficulter quod grauius est auellor. Heu me ab iis quæ nociua mihi sint, & quæ detestor sæpius & odi, rursum tamen captiuor ab illis. O lutum lutum, vsquequo adhærebis mihi? O tenebræ & lubricum, quæ diu inuoluar à vobis? Quandiu patiar vos, & quousque ero vobiscum? Magna infirmitas mea, vt stare sit difficile, procliuum autem vitiis & mentis calamitatibus succumbere. Sum etenim terrenus de terra formatus, & ideo naturali fragilitate plus terrenis quam cælestibus me sentio cogitationibus commoueri. Aeterna bona minus auide quæro, quæ sursum sunt non sapio, & arefcit tanquam testa virtus mea, quia oblitus sum comedere panem meum. Meum inquam meum, quem deus pater dederat mihi: sed iam mutatus est mihi in terrenum. Et qui cælesti frumento satiari potuissem, ecce manduco cinerem. Miser & multum infelix ego sum, qui ad hanc inediam perueni, vt superna nesciens & negligens, ad amandum hæc inferiora me vtero. Ad edendum & gustandum delicias perpetuas super mel & fauum dulciores creatus eram: sed peccans in deum meum exæcatus sum, & illas amisi epulas, atque mundi huius cupiditatibus foueor. Tantoque licentius cor meum ad singula terrena solatia effusum est, quanto longius se ab intimis expulsum deprehedit. Conuersus tamen aliquando ad meipsum, in istis terrenis felicem me non inuenio. nam multis aduersitatibus multisque doloribus circundor & repleor, & in multa positus angustia læpius cõtristor, & quid eligam ignoro. Coarctor nimis è duobus, & vtrum præponam alteri, tarde quidem & vix discerno. Illa quæ supra me sunt peto vt veniant, & non semper præsto sunt: hæc quæ infra me deus posuit, opto vt discedant, & ipsa manere iuxta me non vocata volunt. Veniunt cateruatim ad me, & cum eis cogitationes diuersæ quædam ex seculo, aliqua ex carne, plures ex diabolo, & circundantes me vndique dicunt, Os tuum & caro tua fumus. Maneamus paululum apud te. Cõsentire nobis. Amicus esto noister, & sede hic etiam apud nos. Blandimentis suis & promissionibus magnis astute mihi insidiantur, minis & terroribus variisque malorum euentibus animam meam nituntur affligere. Ego autem quoniam mortalis sum homo, & imbecillis ad resistendum, horum suasionibus & importunitatibus vt oportet non satis contradico. Et tamen si ita vt suadent fecero, certum est quod fallor, quoniam in dolo mecum

loquuntur, & non est ex deo ista suasio, sed ex maligno. Qui enim ex deo nati sunt, resistunt diabolo, & tugit ab eis. Et qui odio habet mundum & quæ in eo sunt, non est quod retardet illos. Qui etiam in deo sapientes sunt, non credunt omni spiritui: sed probant omnia, vtrum ex deo sit spiritus, an ex mundo. Audiunt quidem, sed non contentiunt, dicentes. Nescimus vnde sis. Discedite, quoniam ex patre diabolo estis, & veritas in vobis non est. Talis est conflictus piorum: & quis sit labor tentationum omnium, nouit dominus qui vniuersa respicit. Vita ista doloribus & pressuris plena est, sicut optime norunt qui de amaritudinis eius calice biberunt. Quærit idcirco humanus animus vnde possit recreari, & frustra est omnis consolatio, nisi a sit diuina. Quotidiana instruitur experientia, quod fallax est omnis spes terrena, & in amaritudinem illi proueniet, quicquid extra deum in tempore huius peregrinationis quærit. Heu mihi quia longinqua facta est habitatio mea, & non est vti que in hac vita tale quid, in quo requiescat tutè anima mea. Dicunt mihi singula membra mea: Noli pro nihilo fatigari, quia prius consumeris antequam poteris satiari in his terrenis. Dicit proinde spiritus meus, qui cibum suauem delizioso & optimum semper appetit, Reuertar in domum meam vnde exiui, quia melius mihi erat tunc quam nunc, & iam nauseam patior in his quæ foris oblata sunt. Sed o caro mea vtinam hanc vocem audires, & postposita tua prudentia spiritum æmulari velles. Proculdubio vitam inuenires, & mortem euaderes sempiternam. Temporale debitum oportet te persolueri, quia damnata es in prima præuaricatione. Et ideo prudenter ageres si te omni mansuetudine spiritui subderes, rebellemque te non faceres: vt secunda mors te non tangeret, sed in requiem æternam, quam maxime diligis, introires. Sequere ergo me, & spiritum tuum noli contristare aduersus eum concupiscendo, magis vero ad omnia quæ ille præcipit, paratior esto. Dico tibi, si particeps fueris tribulationis, eris & consolationis. Indue te cinere & cilicio, descende, sede in puluere filia Sion. Plange mecum, quia non est mihi bene, & dolor meus non est modicus neque momentaneus. Deus meus & dominus meus iratus est super seruum suum, & maledixit operibus eius, & dixit, In sudore vultus tui vece-
ris pane tuo. Et ego confiteor quod ideo terram desiderabilem iuste amisi, quia mandatum dei non custodiui. Cibus meus non erat antequam huc cecidissim, animalis, terrenus, & corporeus: sed cælicus, angelicus, & spiri-

Longanimitas Dei in expectando peccatores.

Matt. 22.

Psal. 107
Psal. 59.

Joan. 1.

Anima spiritui obediat.

Gene. 3.

tualis. Panis triticeus subtilis & discussus erat, quem parauerat mihi deus, nunc autem ordeaceus grossus & mucidus factus est: etiam si dixerō quod sit subcinericius qui non est reuerfatus, verum fatear. Bene ergo deploro ego dolorem meum quem concepi de exilio in quo natus sum, & damnū meum quod sustineo in terra aliena. Plangite simul filij hominum, & flete super vos ipsos filij Adam, qui cinerem tanquam panem manducatis, qui celestem cibum pro terreno commutastis. Et o infelices & cæci filij, quid amisistis? Verum quia non agnoscitis, propterea minime fletis, & eod magis defendi estis, quod tam grandem miseriam vestram non videtis. Intuemini exidium meum, quibus priuatus sum deliciis, & quantis malis circumseprus. Laboro iam in præfenti vita, & die ac nocte suspiro pro æterno conuiuio, vbi nemo esurit, sed omnes in iucunditate vinum bibunt, vinum lætificans & clarificans sanctorum corda, non mentes euertens: nec est qui mihi hautum ex illo præbeat. Vix pugillus aquæ salutaris, quæ in cælestibus regnis exuberat, datur postulanti. Clausum est cælum super me, & terra non dat fructum suum, sed spinas & tribulos germinat mihi, & vos dicitis, Cur fletis? quare non comedis & bibis? Filij hominum vsquequo graui corde? Vsquequo talia sapitis? & quare affligitis cor meum loquētes mihi stultitiam? Non est vobis pars in sermone domini, & subuertere quæritis iustum mendaci promissione, dicentes, Pax pax, & non est pax. Quid vobis & paci? Non est pax impiis, dicit dominus. Nec enim propterea fleo, quia diues non sum, quia vino & pane, frumento & oleo non abundo, sicut vos abundare quæritis: sed quia in mundo sum, & illum nondum video qui est vera pax, & summa beatitudo. Intendite plagæ meæ, & palpate vulnera mea, & si mecum non vultis flere, dimittite me vt plagam paululum dolorem meum antequam vadam ex hac vita, & amplius non reuertar. Sedebo interrim lugens, & contristatus incedam, foras non egrediar: sed moriar in nidulo meo, & sepeliar in sepulchro quod effodi mihi. Gaius sum vehementer quod inueni sepulchrum, vt dormiam in illo, & non videam mala super terram. Tædet animam meam vitæ meæ, & dolor meus renouatur quotidie. Peto ergo mi domine deus, vt absoluas me ab omni peccatorum vinculo, & desuper terram eripias me, quia melior est mihi mors quam vita. Et quid hic amplius faciam? Transeunt dies & dies, anni & anni, seruus autem tuus non multum proficit. Ne protrahas indignum seruū tuum: nec patiaris eum diutius vagari post va-

nitatem huius vitæ. Erraui sicut ouis quæ perit, require seruum tuum domine, quia tempus est. Neque iustitia mea, neque bonitas mea domine: sed misericordia tua & mansuetudo quæ menfurari non potest. Secundum hanc fac mihi seruo tuo, & visita me in salutari tuo ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in læticia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tuam quam acquisisti sanguine tuo. Qui cum patre & spiritu sancto manes deus benedictus in secula. Amen.

FINIS.

Incipiunt capitula libri sequentis qui dicitur Ortulus rosarum.

- De bona societate quærenda, & mala fugienda. Cap. i.
De fuga seculi, & laqueis diaboli. Cap. ii.
De vera sapientia quærenda apud deum. Cap. iii.
De pugna contra propria vitia. Cap. iiii.
De deuotionis gratia acquirenda. Cap. v.
De auditione & lectione diuini sermonis. Cap. vi.
De diuina consolatione in tribulatione. Cap. vii.
De gaudio bonæ conscientie in spiritu sancto. Cap. viii.
De bonis moribus humilis fratris. Cap. ix.
De instabilitate humani cordis. Cap. x.
De fiducia in deo habenda tempore angustie. Cap. xi.
De virtute orationis, & utilitate sacræ lectionis. Cap. xii.
De laude charitatis, & fructibus eius. Cap. xiii.
De vigili cura & labore contra tentationes. Cap. xiiii.
De fraterno onere inuicem portando. Cap. xv.
De amore Christi, & odio mundi. Cap. xvi.
De imitatione sanctissimæ vitæ domini nostri Iesu Christi. Cap. xvii.
De æterna laude dei. Cap. xviii.

De bona societate. Cap. 1.



Um sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Attende diligenter frater amande in Christo, ne seducaris a sociis maleuolis, dissolutis & mendosis. Iunge te fratri virtuoso & disciplinato & erudito, a quo audias

Qui me dias semper verbum bonum consolatorium, & imitatione dignum. Sicut enim carbo frigidus coniunctus igni ardenti fit calidus & ardens, sic tepidus socians se feruido & deuoto, fit sæpe feruidus & deuotus, doctus & morigeratus. Sic apostoli adhaerentes Christo, facti sunt viri sancti, repleti spiritu sancto. Sic Marcus adhaerens sancto Petro fit eruditus in euangelio sancto, quod audiuit ab ore beati Petri cum ingenti gaudio. Sic Timotheus adhaerens sancto Paulo, fit doctus in scripturis sanctis a iuuentutis suæ exordio. A quo postmodum proficiente dei gratia ordinatur episcopus in Epheso, multum prædilectus ab eo, sicut filius vnicus a patre charissimo. Sic sanctus Polycarpus coniunctus sancto Ioanni apostolo fit feruidus prædicator fidei in populo, & inclutus martyr cum sancto Ignatio. Sic beatissimus pater noster Augustinus instructus ac baptizatus a sancto Ambrosio episcopo, fit tandem gloriosus doctor sanctæ ecclesiæ, illustrissime iam nominatus in toto mundo. Sic sanctus iuuenis Maurus adhaerens sancto Benedicto, fit deo iuuante postea abbas sanctus, virtutibus & miraculis clarus. Sic deo dilectus Bernardus adhaerens venerabili abbati Stephano in Cisterciensi monasterio, fit lumen religionis in ordine suo, & tanquam sydus clarum fulgens in cælo. Exempla sunt plurima tam noua quam vetera, quia prodest salutis animæ, societas bona, & nocet conuentio praua. Prodest lectio bona, nocet auditio mala. Prodest solitudo cum silentio, nocet tumultus & vagus discursus in mundo. Aut igitur esto solus deo vacando, aut cum socio deuoto de Christi virtutibus conferendo. Caue de altis rebus curiose quærere, stude vitia tua cognoscere, & remedia sana morbis adhibere.

De fuga seculi, & laqueis diaboli. Cap. 2.

Adiēs sapiens sapiētior erit. Audi adolescentule bone verbum æternæ sapientiæ, super omnes sapientes mundi tibi magis vtile. Noli secundum beati Ioannis dictū, diligere mundum, & ea quæ in mundo sunt: sed respue omnia tanquam stercore & venena. Cogita de fine sine fine, & cessabit tentatio. Caue animæ tuæ periculum: non sis alicui scandalum: nec loquaris indecens verbum. Si te retrahit a deo pater carnalis, responde quod patrem habes in cælis. Si mater aut soror impedit, dic eis; Mortales estis & fallaces: qui me creauit, ipse me gubernabit. Qui deo seruit, omni bono non deficiet. Commenda omnes amicos tuos deo, orans vt se emendent; & caueant a peccatis, ne deū offendant, & pro ter-

renis cælestia perdant. Magna cordis inquietudo, amicorum visitatio frequens. Mundus transit, & concupiscētia eius, & tu pariter transibis, & amici tecum omnes. Multi laquei diaboli, & qui vult fieri diues, & videri magnus, incidit in varias tentationes eius. Laquei quotidiani sunt cibus & potus, oculus vagus, sermo ociosus, inconstantia cordis, & tædiū boni operis. Omnia vanitas, honor, diuitiæ & potestas. Quid quæris, quid cupis videre in mundo, vbi nihil est mundum? Totum vanum, lubricum & dolosum, præter amare deum, & facere semper bonum. Nō potes perfecte amare deum, nisi contempnas te ipsum & mundum propter deum, qui reddet tibi centuplum in præfenti, & vitam æternam in futuro. O frater peregrine nō sit tibi graue elōgari ab amicis & notis, qui sæpe sunt impedimentū æternæ salutis, & subtractio diuinæ consolationis. Vbi sunt focij tui, cum quibus lusisti & risisti? Nescio. Abierunt, & me reliquerunt. Vbi est quod herividisti? Euanuit. Vbi est quod comedisti & bibisti? Totū periit. Quid nocuit quod abstinisti? Nihil omnino. Sapiens ergo qui deo seruit, & seculum cum suis delectationibus funditus spernit. Vere ita est. Væ omnibus mundi illecebra ebriis, quos cito omnis iucunda societas deseret, fugiet atque sepeliet. Ecce mortui sunt omnes. Non vltra reuertetur ad me, ego magis sequar eos, deo vocante. Hospites fuerunt super terrā, & ego. Omnia hic reliquerunt, & ego. Tanquam vmbra subito transferunt, & ego.

De vera sapientia apud deum quærenda. Cap. 3.

Beatus vir qui inuenit sapientiam. Quæ re veram sapientiā quæ Christus docuit, & exemplo suo ostendit. Verus sapiens odit iniquitatem, loquitur veritatem, & operatur iustitiā. Qui sobrie, caste, pie, humiliter & deuote viuit, & pericula tentationum cauet, sapiens est, & deo placet. Hic bonam famam habet, bonam conscientiam seruat, tristitiam fugat, pacem possidet, & cordis lætitiā frequenter a deo accipit, quam mundus ignorat nec sapit. Sapiētia mundi vanitas est, & stultitia reputatur apud deum. Decipit suos amatores, & in fine torquet amantes. Sapientia vero carnis mors animæ est, quæ subito tollit pariter vina bibentes, & deliciis inhaerentes. Nam Iustus & pœna, post carnis gaudia fœda. Trahitur autem vera sapientia de occultis verbis & sacris actibus Christi, qui suadet spernere mundum, fugere delicias, domare carnem, pati dolores, subire labores, amare virtutes.

De pugna contra propria vitia. Cap. 4.

Matt. 11. Regnum cælorum vim patitur. Multorū est incipere, paucorum proficere, paucissimorum ad perfectionem peruenire. Aut enim ad carnem nimis labimur, aut in superbiam erigimur, aut aduersis frangimur. Hæc raro hic inuenitur qui deum pure quærat, & seipsum perfecte vincat, & funditus relinquat. Dixit quidam deuotus: Rara auis perfectio, arduum nimis vincere seipsum. Qui nõ laborat pro virtute, non satiabitur eius dulcedine. Omnis virtus bonum habet sibi annexum, & recreat bene operantem. Qui vitiose agit, generat sibi malum finem, perdit tibi honorem, destruit quietem, inuenit dolorem, auget tristitiam, tollit boni saporem. Qui autem abstinet à licitis, securior est ab illicitis. Qui canis linguam restringit, morsum non timebit: & qui silentium stricte seruat, labiis suis non offendit. Longe est à mendacio, à lite, à detractio- ne, à maledictione, ab ira & murmuratione, qui libenter latet & tacet. Qui non audit mala, nec videri vana, facilius ea vitat, & negligit similia recogitare. Sensuum enim custodia puritatis est causa, pacis disciplina, deuotionis camera. Quando ira venit ad mentem, sapien- tia recedit à prudente. Qui iracunde loquitur, latranti cani assimilatur. Qui autem mā- suete respondet, iræ motum frangit, & pro spi- nis rosas præbet afflicto. Benedicta lingua prudentis, quia sanat vulnera irascentis. Qui resistit vitis cum primum oriuntur & parua videntur, facilius ea expellit antequam durio- ra fiant. Qui innititur deuotis exercitiis orā- do & meditando quæ cælestia sunt, assimila- tur sapienti ortulano, plantanti rosas & lilia in agro suo. Hic valde gaudebit in futuro, cū sanctis angelis in cælesti paradiso. Angelis est similis, qui puritatem custodit mentis & cor- poris. Dæmonum est seruus qui consentit vi- tiis, & delectatur in cogitationibus prauis. Du- ra est pugna delectationi resistere: sed durior erit poena futura, in æternis ignibus cruciari. Ardor ardore vincitur, clauus clauo expelli- tur, risus mœrore fugatur. Cum amor dei in- trat, cuncta transitoria de corde recedunt. Prudēs est ille, qui spernit milia mille. Omnia sunt nulla, rex, papa, & plumbea bulla. Cun- ctorum finis, mors, caro fœda, cinis. Quan- tumcunque enim quis se extollit, nil est, mors omnia tollit. Felix peregrinus, qui habet ho- spitium in cælis.

De deuotionis gratia acquirenda.

Cap. 5.

Luc. 6. Vae vobis qui ridetis, quia flebitis. Sicut virtus nõ potest stare cum vitio, sic deuotio non potest acquiri cum risu & in con- uuiuo: sed cum luctu & in silētio. Perfecta au-

tem virtus non subito acquiritur, sed paula- tim cum multo gemitu & dolore, cum firmo proposito proficendi semper in melius, vim sibi faciendo, sepius scilicet ieiunando, vigila- do, orando, meditando, studendo, scribendo, laborando, à fabulis abstinendo, & in secreto libenter manendo. Omne gaudium quod de deo non est, cito perit, maculat, & lædit. Bo- nus sermo suauis est ad audiendum, durus turbat amicum, ociosus perdit temporis fru- ctum. Esto diligens in operando bona, paties in tolerando mala, & beatus eris in vita tua, deum laudando omni hora. Raro tibi vnum vel alterum deerit, tristari aut lætari. Felix qui omnia ad bonum trahit, & de aduersis lucrū sibi facit. Qui deum diligit, amara sicut dulcia æqualiter à deo accipit, & gratias agit. Bene & firmiter stat, qui non in se nec in homine, sed in deo spem suam ponit.

De auditione & lectione diuini ser- monis. Cap. 6.

Beatissimi qui audiunt verbum dei. Vile est solatium humanum, quod impedit diui- num. Cum sacra lectio legitur, deus tibi lo- quitur: ideo cum humilitate verbum dei audi- grantanter. Veritas non est aspernanda, à quo- cunque simplici proferatur. Qui bene viuunt, bene docent: & qui bene legit, dei nuncius est. Fidelis nuncius nociua tacet, vitia refert, sin- gere nescit. Pura veritas, iucundam verbum. Subtilis sermo paruulis nocet, blandus saepe decipit. Falsus narrator pacis turbator: qui illū audit, scandalum non euadit. Iudex discretus, omni laude dignus: durus & immisericors, nõ est misericordia dignus. Iracundus animus tor- quet seipsum grauius, vexat innocētes sepius, maledicit potentibus occulte, & deridet aper- te bene agentes. Dolosus in verbis fallit sibi credentes: ideo paucos habebit amicos. Bonū est tacere mala, sanctum vera proferre, ratio- nabile modeste agere. Iustum est nulli nocere, piū omnibus prodesse, religiosum verbis & moribus proximum ædificare. Prudentis est agenda præmeditari, & sine causa nil noui quærere, ignota non facile enarrare, dubiosa non statim confirmare. Magnum bonum pro pace cordis silentium oris. nam os fatuū quasi semper apertum, rixisque proximum. Qui deo placere desiderat, cor & os custodiat ne deuotionis gratiā perdat, & quietem amā- tes offendat. Multa pulchra verba non implēt faccum: nec eloquentia verborum sanctificat ociosum, neque ambitiosum. Qui bene facit, bene habebit.

De diuina consolatione in tribulatione.

Cap. 7.

Iuxta

Psal. 33. Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde. Nemo inuenitur tā bonus & deuotus, cui non occurrat aliquid oneris & graui- tatis. Cum ergo fueris in tribulatione & cor- dis mœrore, tunc es cum Iesu in cruce. Cum autem iterum consolaris in oratione per gra- tiam sancti spiritus, tunc quasi ex mortuis cū Christo resurgis de sepulchro, & celebras pascha in nouitate vitæ cum Iesu in corde iu- bilando. Cum vero audieris aliquem indigna & dura verba tibi dicentem, tunc datur tibi de calice domini bibere pro medicina anime tuæ. Tace & bibe salutis pocula sine murmu- re, & dominus respondebit pro te in vita & in morte. Non obliuiscetur tui deus. Nihil gloriosius, quàm silendo & patiēdo obstrue- re os loquentis iniqua, & sequi exemplū Chri- sti tacentis coram Pilato, cui multa falsa fuere obiecta. Non enim es melior deo tuo pro te flagellato ac deriso, & tandem à malignis oc- ciso. Nescit homo quàm bonus sit & virtuo- sus, nisi cum vexatus fuerit aduersis. Christus multos habet amatores & sodales mentis: sed paucos sectatores abstinentiæ. Verus ama- tor crucifixi non refugit pati dolores, nec confundi à peruersis, vt sit Christo confor- mis in scandalo crucis. Nam cui Christus vi- uere est, huic pati & mori pro Christo lucrū est maximum. Quanto ardentius deum quis diligit, tanto minus mortem timet, & eo am- plius dissolui concupiscit, vt cum Christo fe- liciter viuat, & in perpetuū cum angelis gau- deat. Felix anima quæ Iesum medullitus ama- mat, præsentia bona amore æternorum vili- pendit, pro nomine Iesu mala patienter to- lerat, & ad pedes Iesu humiliter se prosternit & orat vt in virtutibus proficiat, & constans perseueret.

De gaudio bonæ conscientie in spiritu sancto. Cap. 8.

Phil. 4. Gaude in domino semper. Congaude bonis, sustine malos, compatere afflictis, ignosce delinquentibus, ora pro omnibus. Proiice à te malam tristitiam, quæ importat acediam & rancorem. Assume dulcem & sanctam meditationem de vita & passione Chri- sti, & inuenies veram consolationem contra omnem tristitiam & tentationem. Bona vita meretur laudem, tepida conuersatio sibi & aliis est onerosa. Bona conscientia parit gau- dium, mala conscientia generat sibi tormen- tum. Studeas semper bene agere, & eris in bo- na pace. Non te nocebunt mala prauorum, si permanseris firmus in recta via iustorum. Bona conuersatio hominis fert secum lætitiā cordis, & famam iustæ laudis. Vana exultatio

cito perit ab ore laudantis. Plus nocet blanda laus stulti, quàm dura correptio iusti. Hu- milis oratio ascendit in cælum, placat deum, impetrat gratiam, repellit diaboli fraudem. Humilis confessio meretur veniam, friuola excusatio aggrauat culpā. Vera contritio de- let maculam, feruens meditatio minuit pœ- nā. Vana fabulatio subtrahit deuotionis gra- tiam, bona locutio auget lætitiā. Cauta cu- stodia sensuum vbique necessaria, utilis est va- go clausura. Frequēs oratio firma protectio, oris silentium pacis domicilium. Multi fer- uenter incipiunt, sed perseuerantia accipit gloriæ coronam. Iugum Christi amantibus est suauis, tepidis graue, superbis amarum, mi- ribus leue, humilibus charum. Dulcis Iesus om- nia dulcia & leuia facit. Carnalis semper mollia quærit, spiritualis talia fugit & odit. Maxime iustus dolet, quod omnes motus vi- toriū extinguit nequit. Sed quare deus ista permittit? Ideo, vt homo semper se humiliet, & adiutorium diuinum semper imploret. Si- cut superbus in honoribus, & diues in diui- tiis lætatur, sic verus humilis in contemptu sui ipsius, & pauper spiritu in paucitate rerum delectatur. Gloria & diuitiæ seruorū dei, Chri- stus rex cælorum. Extra deum omnis delecta- tio praua, omnis lætitia vana, omnis copia rerum inopia est. Nil quippe animæ famem sariat, nisi solus deus qui eam creauit. Magna libertas animi, nil concupiscere quæ sunt mū- di. Vita iusti bona agere, mala pati, in omni- bus deum laudare, de bonis nõquā superbire. Ille deum veraciter laudat, qui vilit de se sen- tit, & quicquid boni cogitat loquitur & facit, hoc totum deo fideliter ascribit. Cum ergo de vana gloria tentaris, non consentias: sed cum propheta protinus humiliter dicas: Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Fortissimus triumphus hominis, vin- cere quod delectat, aggredi quod terret, suf- ferre leuiter quod grauius dolet.

De bonis moribus humilis fratris. Cap. 9.

Humilibus autē deus dat gratiā. Omnis actio & locutio religiosi fratris debet humili verecundia ornari, & nulla re vana occupari. Bonum signum futuræ probitatis in nouitiis & iuuenibus, humiles habere mo- res, parum loqui, & præcipue inter seniores. Qui non assuescit primo audire & discere tacere, raro reputabitur inter doctos & sa- pientes. Ideo multi iudicantur stulti, quia moribus sunt inculti. Cito obedire, frequen- ter orare, deuote meditari, diligenter labora- re, libenter studere, diuersus vitare, solitu-

k ij

Gen. 4.

dinem diligere, deuotum faciunt monachum, & tranquillum animum. Legitur in Genesi quod deus ad Abel & munera eius respexit, ad Cain non aspexit. Quare? Quia Abel innocens & humilis: Cain autem inuidus & peruersus. Esto Abel patiendi tibi molestum, non litiges cum Cain, ne perdas pacem, & boni nominis famam. Melius est tibi rem tuam perdere, quam offendere deum, & lædere fratrem, ac frangere charitatem. Si vis lucrari thesaurum cælestem, proice à te terræ molem. Si cupis honorem perennem, despice gloriam temporalem. Si desideras pacem, caue contentionis locum, & iræ radicem. Si vis magnus esse in cælo, esto paruulus in mundo. Non te iustifices coram hominibus, quia vana laus humana, ubi accusat mala conscientia. Audax & verbosus ambo vituperabiles, modum rectum non seruantes. Multi fortes ceciderunt, quia nimis de se ipsis præsumperunt. Multi infirmi conualuerunt, quia in deo sperauerunt, & eum inuocauerunt. Humilis & mansuetus amabilem se facit omnibus. Austerus & rigidus auerit sibi approximantes. Vincit sibi contrarios patiens & taciturnus, cum obsequio charitatis. Multiplicat amicos, qui libenter seruit aliis & compatitur tribulatis. Qui nescit tacere cum tempus est, confundit se coram multis.

Prudens est & habilis in artibus, qui scit se ipsum facere bonum & commendabilem in virtutibus. Ille fortis est viribus, qui fortiter resistit vitis. Magnus est dominus, qui dominatur prauis desideriis suis. Fortis est miles & bene armatus, qui carnem domat continentia armis. Dignus est locari cum angelis in cælis, qui caste viuunt in terris. Homo castus amicus dei, & angelorum socius. Humilis & castus vincit dæmones. Magnus est prælatus qui virtuose se regit, & dat bonum exemplum subditis. Ille dignus est laude honorum, qui nititur sequi virtutes eorum. Nobilis est & ingenuus, quem nobilitat sua virtus. Pulcher hic est homo, qui mundus est à peccato. Malus est si ornatur foris, niger tamen est intus. Ille felix est & diues, qui gratia dei plenus est, & nil cupit honoris. Fatuus est & infans, qui amat sibi nociua, & dimittit animæ salubria. Hæc est sapientia diuina querere bona sempiterna, & despiciere omnia transitoria. Sapiens, qui à statutis patrum non deuiat, & fidei articulos custodit & seruat. Dilectio dei & mandatorum eius, honorabilis est sapientia. Si quis à te appetit doceri, viam humilitatis ei ostende, & exemplo præcede. Verus humilis nescit inflari, spernit laudari, contemptus gaudet, læsus cito ignoscit.

De instabilitate humani cordis.

Cap. 10.

Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Cogitationes & affectiones hominum variæ sunt & instabiles: sed inanes omnes & impuræ, quæ de deo non sunt. O cor humanum cupidum nimis & infatiabile, quam malum est tibi & amarum relinquere deum tuum? Cur multa inania cogitas, quæ te perfecte consolari nequeunt, nec plene satiare? Quid igitur facies, quod te vertes vt bene habeas? Reuertere cito ad cor tuum, vide in quantis offendisti, cura emendare quæ deliquisti. Præpara deo domum mentis, custodi te ab irruentibus imaginibus & curis externis, vt replearis consolatione sancti spiritus. Qui sapius foris euagatur, raro inde melioratur. Omnia ad nihilum tendunt, quæ foris nitida apparent. Nec videntem fatiant visa, nec audita implent corda: & nisi omnia referantur ad laudem creatoris, inanis est omnis visio videntis. Hinc sanctus David cum cithara laudes canit deo in ecclesia. Delectasti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Nemo stabilitur in bono creato, sed tantum in deo solo summo bono. Sta in veritate, & veritas liberabit te de omni mendacio & iniquitate, de tua persona fabulata. Omnia quæ de proximo male finguntur, reuertentur in caput obloquentis. Christus veritas est: & qui sequitur Christum, amator est veritatis, & omnis virtutis. Qui deserit veritatem propter lucrum temporale vel honorem, perdit fidem & virtutis decorem. Deus veritas est, & mendaces non sinit diu latere. Malus ad tempus fingere potest: sed finaliter veridicus præualebit, & fictus confundetur vbi non opinatur. Noli aliqua cogitare nec desiderare, nisi quæ recta sunt, & deo maxime placent. hæc enim sunt virtutes & bona opera ad honorem dei facta. Qui loquitur veritatem, & odit iniquitatem, hic magnus erit in regno cælorum. Qui operatur iniquitatem, & odit veritatem, in æternis poenis cruciabitur. Mane in veritate & charitate, & eris acceptus deo & angelis & hominibus. Nec timeas. Malus potest auferre aliqua transitoria: sed deus reddet patienti multo maiora & æterna. Si vis habere pacem & bonam conscientiam, serua humilitatem patientiam & obedientiam. Nullus hostis peior tibi, quam tu ipse tibi grauius commotus. Si enim proprios defectus caute consideres, aliorum facta parum ponderabis.

De fiducia in deo habenda tempore angustia.

Cap. 11.

Spera

Psal. 36. Spera in domino, & fac bonitatem. Nemo de suis amicis & cognatis nimis confidat, quia omnia incerta sunt, & plena periculis. Qui autem confidit in domino, & in necessitate ad eum clamauerit, non deseretur ab eo, in quacunque tribulatione fuerit. Pax magna bene agentis, bona loquenti, nemini nocenti, ab omni via mala & iniqua cogitatione se custodienti. Claude ostium domus tuæ. & eris in pace. Cedit facillime qui non proponit quotidie aliquid boni in corde, tanquam scutum contra iram fatanæ. Multi cum eis non succedit prospere, desinunt orare & repugnare. Attamen sine labore & certamine virtus non acquiritur: nec sine diligenti cautione custoditur. Vagus & leuis moribus horret disciplinam & cellam, sicut auis capturam. Non desperes grauius tentatus, aut duriter correptus, aut derisus, aut confusus, aut despectus: sed memento quod iniquitas tua despici & castigari iuste meretur. Sustine patienter, & loquere confidenter. Bonum mihi domine quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. In tentatione & tribulatione homo addiscit deum sibi esse magis necessarium, propter suam indigentiam, & defectuum grauitatem. Fatuus & infidelis est seruus, qui de bonis domini sui vult superbire, & alios despiciere. Qui conseruos suos despicit, & se meliorem reputat, deum & omnes sanctos offendit. Hic error maxime in nobis oritur, quia humiles non sumus: nec proprios defectus attendimus, quos semper attendere & deslere debemus. Vnquisque sufficiens onus sibi ipsi est. Quid ergo prodest quod alienis te ingeris, & plus tollis quam portare vales? Ideo interdum homo aperte cadit, aut errat, aut aliqui negligit, vt confusus coram aliis se humiliet, compati discat, erranti subueniat, & apud se casu proprio doctus dicat: Hic homo est, non angelus. Sicut mihi accidit, sic & illi contigit. Fratres sumus. Ego male, ipse forte bene prætendit. Qui nunquam cadit nec errat, solus deus est. Quare deride lapsu alterius? Qui stas, vide ne cadas. Deride lapsum tuum. Aperta confusio sæpe est extinctio vanæ gloriæ.

De virtute orationis, & vtilitate sacræ lectionis.

Cap. 12.

1. Th. 5. Sine intermissione orate. Quare? Quia vbique sunt tribulationes & tentationes, vbique insidia, & immisiones per angelos malos. Raro audiuntur bona noua, vbique insurgunt prælia multa, intus timores, foris pugnae. Nulla dies sine labore, nulla hora abs-

que mortis horrore. Fiunt autem iusto dei iudicio bella & incendia, propter hominum peccata, & vt electi excitentur flagellis ad cælestia querenda. Ideoque continua oratio summe est necessaria contra omnia mundi pericula, tanquam fortis lorica contra hostium iacula. Qui non orat, non pugnat: & qui viriliter non resistit, cito vincitur, & coronam perdit. Sed quis potest semper orare & pugnare? Omnia potest, qui deum inuocat, & in eo confidit. Nam prope est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Si non potes semper ore clamare, ora spiritu & mente, ora desiderio & pia intentione. Iuge sacrificium in ara cordis, est bona voluntas semper bene agendi, & semper deo seruiendi. Semper enim orat, qui semper bene facit. Qui de præteritis malis dolet, & pro futuris bonis gemit, orare non desinit. Dic cum sancto David: Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Valde vtilis est sermo dei, & sacra lectio, ad recolligendum animum per diuersa distractum, aut aliqua passione grauarum. Lectio ostendit rectam viam viuendi, exempla prouocant ad imitandum, oratio impetrat gratiam ad perficiendum. Bona est lectio de deo, melior oratio ad deum, optima operatio propter deum. Beatus qui omnia verba & facta sua ordinat ad laudem dei, sicut in beatitudinis finem, vt sit deus omnia in omnibus, & super omnia benedictus & laudatus in secula. Quomodo potest dici religiosus, & effici deuotus, quem delectat magis fabulari quam legere & orare? Qui libenter vana audit, & leuia profert, vili precio animam suam vendit. In omni tribulatione & tentatione ad orationem recurre, sicut ad portum animæ tutum, diuinum implorando auxilium. Quanto citius, tanto melius: quanto tardius, tanto peius. Quanto sapius, tanto vtilius: quanto feruentius, tanto deo acceptius. Pius & misericors deus vult rogari, causas dat orandi, spem promittit exaudiendi, dicens. Petite, & dabitur vobis. Horatur verbis, prouocat exemplis, minatur virgis, blanditur donis, castigat aduersis, lætificat prosperis, & sic fit vespere & mane dies vnus. Sæpe etiam dat deus experimentum internæ suauitatis deuote orantibus, secreto manentibus, & libenter tacentibus, quod denegat fabulantibus & foris vagantibus. Qui vult bona noua audire, re, audiat Christum loquentem de regno dei, de iudicio futuro, de cælesti Hierusalem, de felicitate ciuium supernorum, de ordinibus & choris angelorum, de gloria & honore omnium electorum, de præmio

k. iij

sanctorum lætantium in secula seculorum.

Audiat prophetas mysteria Christi nuntiantes, & peccatoribus pœnas intonantes. Audiat apostolos & euangelistas opera & miracula Christi aperte narrantes. Audiat doctores pulchre fermocinantes, obscura clare exponentes, moribus vitam ornantes, hæreses & errores extirpantes. Capiat quilibet quod sibi deseruit & placet, non spernat simplicia, nec reprehendat quæ non intelligit alta. Stultum est enim reprehendere sapientes, & iniquum iudicare diuinos & sanctos. Stude primo humiliter discere, & parua implere, & deus dabit tibi maiora (si uile fuerit) citius intelligere. Scriptum est enim: Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi. Qui multa scit & legit, si non facit quæ nouit & didicit, vacuus & famelicus de bona mensa recedit. Qui raro orat, & parum laborat, diu frigidus & pauper remanebit. Qui contra uicia disputat, & uitiis non resistit, bona semina inter spinas iacet. Paruum fructum de multis uerbis colligit, qui orando cor a prauis cogitationibus non præmunit. Felix anima, quæ ab omni impuritate irruente stricte se custodit: nec patitur quid morari in abdito cordis, quod de oculis dei latenter offendat. Humilis confessio peccatorum, purgatio est omnium uitiatorum in corde humili & contrito ante deum. Deuotus delectatur in precibus, studiosus in libris, uirtuosus in uirtutibus, superbus in honoribus, humilis in despectibus, diues in prædiis, auarus in pecuniis, mendicus in elemosynis, gulosus in cibis & potibus, ociosus in fabulis, sobrius in abstinentia, sapiens in sapientia, bonus monachus in ordinis disciplina: super omnia autem delectat & lætificat amor dei, & bona conscientia. Si vis vincere animæ tuæ nequissimos hostes, fuge, tace, quiesce, ora, ieiuna, stude, labora. Sanctus cogitat sancta, loquitur uera, operatur recta, spernit præsentia, contemplatur æterna. Humilis audit consilia, prudens cauet pericula, patiens pie fert sibi molesta, diligens non negligit opera sua. Qui parua non cauet, ad peiora corruiet. Tepidus in mane, raro feruescit in uespere. Qui cito abiicit a se torporem & arripit laborem, gaudium sibi acquirit & magnum honorem: & si non ab hominibus, certe a deo, quod est omnibus amplius oprandum & præferendum. Nam ipse merces omnium bonorum laborum, sudorum & dolorum, perpèsque corona sanctorum. Ociosus non satiatur fabulis, uirtuosus etiam abstinet a licitis. Ille bene stat, & recte ambulat, qui in humilitate se fundat, & omnes mundi honores pro nihilo taxat. Ille optime sapit

& sapienter agit, qui soli deo placere studet, exteriora fugit, interna quærit, cælestia appetit, terrena omnia fastidit atque despiciat, & amorem dei omnibus bonis semper præponit.

De laude charitatis, & fructibus eius.
Cap. 13.

OMnia uestra in charitate fiant. Nobilis uirtus est Charitas, quæ omnibus uirtutibus supereminet, & scientiis & donis. Hæc deum amplectitur, & angelos sociat hominibus, & de filiis hominum efficit filios dei & amicos. Hæc Christum fecit nasci de uirgine, & crucifigi pro humana salute. Hæc animam a peccato purificat, & ad amandum deum toto corde, toto affectu, toto intellectu sursum trahit, ac mira dulcedine replet & accendit. Hæc de peccatoribus facit iustos, de feruis liberos, de hostibus amicos, de peregrinis ciues, de ignotis familiares, de uagis stabiles, de superbis humiles, de peruersis mites, de tepidis feruidos, de tristibus lætos, de tenacibus largos, de terrenis cælestes, & de indoctis sapientes. Hæc omnia operatur charitas diffusa in credentium cordibus per spiritum sanctum datum eis de cælis. Hæc alās habet latissimas & longas, uolat super cherubim & seraphim, & super omnes choros angelorum. Coniungit summa infimis, transit per media, redit ad summa, unum efficit de multis, lætificat omnes & singulos, non in seipsis uane gloriantes, sed in diuino amore se super se extēdentes. Charitas circuit cælum & terram, mare & aridam, & omnia quæ uidet & audit in creaturis, ad laudem & gloriam refert creatoris. Non enim est aliquid tam paruum & uile in rerum naturis, in quibus non luceat bonitas entis, & opus artificis, potentia creatis, sapientia disponentis, & prouidentia omnia rectissime gubernantis. Hæc consideratio facit animam deuotam deum laudare, omni loco ac tempore benedicere, exultare & iubilare. Per hanc animus ardescit intus, & sicut cera liquefcens a facie ignis, nescit modum tenere: sed super omnia cæli luminaria uolat, ut unicum dilectum suum & omnium rerum conditorem omnibus præsentem inueniat, quatenus in eo felicissime gaudeat, & secure quiescat. O quam iucunde & quam bene illi est, cui adherere deo & secreta frui datum est? O si parum mihi gustare liceat, quod angelis clare patet, & finem non habet.

Sed ad actiuam vitam redeundum, & contra tentationes quotidianas fortiter per uirtutem charitatis præliandum. Sæpe enim post gaudium sequitur lætus, post solatium

tristitia,

tristitia, post risum fletus, post pacem & tranquillitatem bellum & anxietas, & post magnam consolationem sequitur grauis desolatio, aut importuna tentatio, vel corporis læsio, aut hominum vexatio, aut amicorum subtractio, aut hostium inuasio, aut mentis conturbatio, aut derisio paruulorum, aut increpatio maiorum, aut dura correctio prælatorum. Omnia hæc contingunt ad humiliandum cordis nostri superbiam, ad compatiendum infirmis, tribulatis & tentatis. Non ergo confidamus in nobis, nec alta sapiamus, nec comoda nostra quæramus: sed in omnibus humiliemus nos, subiecti deo, & omni humanæ creaturæ propter deum in uera charitate. Per charitatem uenit deus in mundum, per charitatem reduxit hominem ad cælum. Per charitatem Christus descendit ad hominem peccatorem, per charitatem & crucis ignominiam ascendit ad patris dexteram, & dedit homini maximum honorem. Charitas nunquam est ociosa, operatur enim magna & sublimia. Inclinat se etiam libenter ad humilia & abiecta. Ipsa perficit diligenter honesta, delectatur uilliora sibi iniungi ex obedientia. Non abhorret tangere infirmorum uulnera, lauare pedes, sternere lectulos, purgare uestes, tergere sordes. Ipsa patienter fert aspera, lætatur inter opprobria. Sicut ignis consumit ligna, sic charitas uicia extinguit. Cor mundat per contritionem, lauat per confessionem, abstergit per orationem, illuminat per facram lectionem, accendit per deuotam meditationem, colligit per secretam habitationem, coniungit animam deo per feruentem amorem. Charitas excitat os hominis ad laudandum deum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum, oculos ad contemplandum, memoriam ad recordandum, exteriora membra ad seruiendum, interiora dona ad amandum deum super omnia bona in cælo & in terra. Ipsa charitas in humili anima delet mala præterita, munit contra futura, instruit de præsentibus, liberat de multis dubiis, prohibet a curiosis, amputat superflua, excludit uana, arguit falsa, odit turpia, mitigat dura, illuminat obscura, aperit oranti cæli secreta, ordinat omnia intus & extra. Charitas est bona uoluntas in anima sancta, quæ nõ desinit reuera operari, quanuis debilitas uel necessitas quandoque non permittat agere bonum quod præterdit. O felix munda anima, cui deus est omnia, quæ præter deum nil sentit iucundum nec preciosum, sed cuncta amara ei uidentur & onerosa. Talem deus requirit, talem diligit, qui se & omnia propter eius amorem spernit & relinquit, fortiter certat, & cor suum in puritate

custodit. Cito & libere ad deum anima pura pergit, & super omnia mundi condita euolat, quæ in terris nil comodi uel honoris concupiscit. Charitas Christi omnia uincula mundi soluit, omnia onera leuia facit, & quæcunque deo placent, fideliter implere fatagit. Vnde cum Christo orat & dicit: Pater non mea uoluntas, sed tua semper & ubique fiat. Amen.

De uigili cura & labore contra tentationes.
Cap. 14.

Resistite diabolo, & fugiet a uobis. Vbiunque fuerit bonus homo occupatus cum deo orando, meditando, studendo, scribendo, ibi assunt angeli sancti congaudendo, assunt & dæmones ipsum tentando & distrahendo. Cum inceperis orare, fugiunt dæmones, quasi ab igne sancti spiritus: & cum uolueris fabulari, redeunt omnes celeriter ad excitandos rumores inanes. Si autem superuenerit bonus prælatus, dissipabit mox omnes fabulantes, & arguet ocio vacantes, & bona opera negligentes. Maneas ergo in silentio, & cogita de deo tuo pro solatio habendo, & liberaberis de tedio boni operis, perseverans in bono incepto. Esto fidelis in modico, & lucraberis decem milia talenta in regno superno. Non sis ociosus in secreto, nec uerbosus in publico, & fugiet diabolus uictus a taciturno. Odit enim laborantem & tacentem, orantem & bona meditantem. Vbiunque fueris solus uel cum aliis, oportet te certare, uigilare, & orare contra tentationes carnis & spiritus. Certa fortiter, ora feruenter, labora diligenter, stude frequenter, tace libenter, sustine patienter. Spera in domino semper, quantumcunque fueris tribulatus, & desolatus uehementer. Qui seipsum in omni loco & tempore ponit ad patientiam, maiorem nunc habebit pacem, & de aduersariis uictoriam, & in futuro cum electis clarioris gloriæ coronam obtinebit.

De fraterno onere inuicem portando.

Cap. 15.

Alter alterius onera portate. Quoniam quidem omnes in Christo unum sumus, ideo fraternam charitatem tenere debemus in uinculo pacis, & in bono semper concordare. Omnes Christi membra sumus, renati in baptismo per gratiam spiritus sancti, passione Christi redempti, sanguine Christi mundati, corpore Christi refecti, uerbis Christi eruditi, miraculis Christi confirmati, exemplis Christi edificati. Quare ergo alter alteri nocetis fratres mei? Qui alium uerbo uel facto lædit, Christum offendit. Christus uindicabit, Christus puniet, nisi cito se emendauerit. Unum deum patrem habemus in cælis, omnes in Christo fratres sumus, de quacunque ciuitate

k iij

vel patria hic congregati, aut quantalibet parentela nobili vel ignobili generati. Vnus deus nos omnes creauit, vnus pascit & gubernat, vnus ad vnus beatitudinis finem nos vocauit & quotidie vocat, per vocem foris, per contritionem intus: qui se nobis videndum promisit in primum aeternum in conspectu angelorum, cum vnanimi felicitate omnium ciuium supernorum. Si ergo a deo vnanimiter vocati sumus, vno precio redempti, vno spiritu omnes potati, studeamus mutuo diligere & inseruire. Si Christo placere cupimus, propter Christum inuicem onera nostra portemus, & ex charitate pro inuicem oremus, quia sic deus in nobis est, & nos in deo sumus. Quicquid ergo imperfectionis & ineptitudinis videmus vel audimus, hoc pie in bonum interpretari debemus, sicut de nobis fieri optamus. O frater amande porta & portaberis, excusa & excusaberis. Compatere peccanti, & cōpateris tibi. Confolare lugentem, & confolaberis a gaudente. Erige cadentē, & erigeris domino auxiliante. Sicut feceris alteri, sic fiet etiam tibi, deo iuste iudicante & vindicante. Nō mireris nec indigneris si cadit homo fragilis in mundo, quia angelus cecidit in caelo, & Adam in paradiso victus a modico pomo. Saepe valde parua res est, vnde homo valde grauer tentatur in seipso, vel etiam vexatur ab alio. Hoc deus iuste permittit contingere, vt veraciter cognoscas, quod si nō potes parua vincere, non poteris grauiora superare. Esto benignus in fratrem tētatum, & ora pro tribulato sicut pro temetipso. Bonum tuum bonum meum per congratulationem, & malum tuum malum meum per compassionem. Nam omnes fragiles homines sumus, idcirco pro inuicem orare ex charitate tenemur. Nemo alteri impropere potest defectum eius se neglecto, quia si quis aliquem defectuosum despicit, quasi cæcus cæcum illudit, & surdus surdo maledicit, & stultus stultum deridet. Tace de alio tibi non commisso male loqui: sed teipsum magis respice, & corrige quod prae fecisti. Si recte iudicas, & proximum emendare intendis, a teipso incipe. Et tunc procede, non commote, sed modeste & discrete. Si diligis me sincere & fraterne, compatere mihi sicut tibi, & ora pro me. Qui alium corripit, & pro eo non orat nec condolet, crudelis est hostis, nō medicus pius, sed onerosus fabulator. Qui pro alio sicut pro seipso orat, duplex bonum facit. Quanto quis plus habet de bono fraternae charitatis, tanto libetius pro eo orat, vt perfectus se emendet, & oculos infirmorum non offendant. Ideo amplius cōtristatur si audire noluerit, & admonēti indignatur. Qui-

Ora pro eo que corripis, alioqui hostis es non medicus.

libet est alteri aut rosa redolens, aut spina pungens.

De amore Christi, & odio mundi. Cap. 16.

Mane in dilectione mea. Vox Christi vox dulcis ad audiendū, salubris omnibus ad obediendum. Amor Christi iucunditas mentis, paradus animae, excludit mundū, vincit diabolum, claudit infernum, aperit cælum. Amor Christi & amor mundi contrarij sunt, & nihil commune habent: nec simul cōmorari possunt. Amor Christi curru Heliae ascendens in cælum: amor mundi quadriga diaboli trahens ad infernum. Amor sui, laesio sui: obliuio mundi, inuentio cæli. Plus nocet blanda locutio ficti amici, quam dura correptio hominis iusti. Cogitatio dolosi fingit mendacia, mens iusti recte procedit in causis. Non euadet scandalum, qui alteri infert scandalum. Rector & cognitor omnium deus nō diu patitur ouiculā suam errare & balare: sed aut baculo timoris feriens reuocat, aut amoris oculo intuens, ad conscientiam reducit. Vbi pax & concordia, ibi deus & omnia bona. Vbi lis & dissensio, ibi diabolus & omnia mala. Vbi humilitas, ibi sapientia. Vbi superbia, ibi radix malitiæ. Vince superbiam, & inuenies pacem magnam. Vbi dura verba, ibi læduntur charitatis viscera. Vbi solitudo & silentium, ibi quies monachorum. Vbi labor & disciplina, ibi profectus religiosorum. Vbi risus & dissolutio, ibi fugit deuotio. Ociosus & verbosus raro compunctus, raro a delicto purus. Vbi prompta obedientia, ibi læta conscientia. Vbi fabulatio longa, ibi operis negligentia. Vbi propria exquisitio, ibi charitatis defectus. Vbi doctrina Christi viget, ibi salus animae crescit. Vbi fratrum concordia, ibi dulcis melodia. Vbi mediocritas seruatur, ibi virtus concordiae diutius perseuerat. Vbi discretio in corripiendo culpas aliorum custoditur, ibi nemo iuste conqueri debet, nec facile prelatō indignari. Vnde quidam: Omnibus adde modum, modus est pulcherrima virtus. Vbi patientia, ibi magna hostis victoria. Vbi turbatio intrat, ibi pax cito de domo recedit. Claude oris ostium, & pondera verba tua, antequam loquaris. Vbi fides & veritas, ibi pacis securitas. Vbi dolus & nequitia, ibi stulta cogitatio & cæca prudētia. Vbi charitas, ibi spiritus sanctus. Vbi leuis suspicio, ibi frequens indignatio. Vbi veritatis cognitio, ibi rectis corde lætitia. Vbi ficta narratio, ibi saepe amici deceptio later. Vbi humilis cōfessio, ibi facilis veniæ impetratio. Vbi terrena sapientia deficit, ibi diuina protectio amplius est inuocanda.

Omnet alter alteri sumus aut rosa aut spina.

Ioan. 15.

Provi.

Iaco. 1.

Luc. 7.

Gala. 6.

1. Cor. 13.

Matt. 23.

Qui quomodo Iesu vel imitentur, vel in honorent, & conuocant.

inuocanda. Quicquid malitiose iniusta pretēdit, ipse malum sine cōsequetur. Pax multa bene agenti, & ad paciētiā se preparanti. Vt impio in malo, & ficto in bono, quia nemini plus nocet iniquitas eius, quam illi ipsi. Vbi duplicitas, ibi inconstantia, & multa nequitia. Bene simplici & iusto sine dolo, quia deus cū eo, dirigens omnia opera eius itinere recto. Qui verbū suū male seruat, quis facile ei credet? Qui autem verbum suum in melius mutat, verbum veritatis non infringit. Delectabile est bona audire, sed laudabile magis opere exercere. Optima collatio, vitæ emendatio. Fructus bonæ collationis abstinere a peccatis, & proficere in virtutibus. Fructus deuoræ orationis vnire cor suum cum deo in seruore sancti spiritus. Ille deuote orat, qui omnia vana a se excludit. Qui imaginem crucifixi sibi preponit, diabolica phantasmata cito repellit. Pulchra animæ imaginatio, passionis Christi iugis recordatio. Qui sacra Iesu vulnera quotidie pensat, mentis suæ vulnera mitigat, purgat & curat. Qui omnia terrena tanquam lutum vilipendit, nec honores desiderat, cordis munditiam acquirit, & deo libere vacare potest. Ille deum summe laudat & honorat, qui seipsum profunde humiliat, & defectus suos caute cōsiderat, gemit & plorat. Magnus clamor in auribus dei, vera cōtritio cordis ex ore humilis peccatoris. Quicquid boni facis, ad laudem dei facis. Qui virtutes suas & aliorum quælibet opera bona simpliciter & integre, pure & libere ad laudem & honorem dei refert, totum deo ascribendo, nil meritis suis nec viribus attribuendo, sed ab omnibus se spoliat & denudat, superbiam, inuidiam, & vanam gloriā funditus calcat & necat. Aeterna nanque gloria & honore se priuat, qui in se & nō in deo solo summo bono gaudet. Ideoque beata virgo Maria pro maximis donis sibi collatis in suo deuotissimo cantico iubilās dicit: Exultauit spiritus meus in deo salutari meo. Qui se aliquid esse putat, cum nihil sit, seipsum seducit, ait apostolus Paulus: qui in tertium cælum raptus non est ex hoc elatus, sed quicquid boni fecit, docuit & didicit, hoc totum fideliter deo attribuit, dicēs: Gratia dei sum id quod sum.

De imitatione sanctissimæ vitæ domini nostri Iesu Christi. Cap. 17.

Quod vni de fratribus meis fecistis, mihi fecistis. Notate verba, signate mysteria, imitami exempla. Qui fratri indigenti subuenit, Iesum per manū retinet. Qui onus sibi impositū patienter sustinet, Iesum & hūc crucifixum in humeris suis portat. Qui fratri conuocato solatiofum verbum respondet,

osculum amorosum ori Iesu tribuit. Qui alterius culpam plangit, & pro eo veniā petit, pedes Iesu lauat & extergit. Qui irascentem ad pacem reformat, lectulū floridum Iesu in anima parat. Qui fratri in mensa meliora quam sibi apponit, Iesum charitatis dapibus & fauo mellis pascit. Qui bonas meditationes de deo assumit, Iesum in thalamum cordis sui introducit. Qui fratri librū sacræ lectionis porrigit, vinum optimum ori Iesu propinat. Qui ociosa verba loqui prohibet, muscas de mensa Iesu expellit. Qui detractiones audire renuit, & loquentes inhonesta corripit, nigrum canē de domo Iesu baculo ferit & fugat. Qui inter refectionem bene & distincte legit, conuiuantes in mensa Iesu poculo cælesti lætificat, & inebriat sitientes. Qui male legit, sapor ē cibi minuit: & qui saepe titubat, mappam Iesu maculat. Qui mala alterius audit, & multum inde dolet & gemit, sacra Iesu vulnera tangit & perungit. Qui bona exempla & virtutes de proximo suo narrat, pulchros flores oculis Iesu representat. Qui verba Iesu deuote legit & prædicat, in naribus audientium dulcia aromata spargit. Qui defectus alterius pie portat & excusat, misericordiā Iesu cito impetrabit. Qui diffamiam alterius & scandalum proximi occultat, nuda Iesu mēbra vestibus tegit. Qui diuina miracula & humilia Christi opera ledulō cogitat & suauiter ruminat, mel & lac ex ore Iesu accipit. Sic enim beatissima Agnes dixit & fecit, quæ etiam pro amore Iesu sanguinem suum fudit. Qui pro debili & infirmo fratre legit aut cantat, ante incunabula Iesu cum angelis iucunde citharizat. Qui deuote orat, & a delicatis cibis abstinet, & propriis rebus renunciat, cū sanctis Magis tria preciosa munera Iesu manibus offert. Qui capita fratrum ac vestes lauat, cum sancto Ioāne Baptista Iesum baptizat. Qui cellam suam custodit & tacet, cum Iesu desertum intrat. Qui vitis resistit, & corpus castigat, cū Iesu ieiunat. Qui fratri salutare verbū dicit, cum Iesu regnum dei prædicat. Qui pro infirmo & tentato fideliter orat, cum Iesu Lazarum visitat, & cum Maria & Martha plorat. Qui pro fidelibus defunctis missas celebrat, & vigiliis legit, cum Iesu ad monumentum Lazari transit, orans vt animas a pœnis misericorditer liberet. Qui cum fratribus ad commune refectorium vadit, vt sacram lectionem audiat, cum Iesu & discipulis eius coenat & bibit. Qui eloquia dei in mensa læta in corde suo recondit, cū sancto Ioāne apostolo supra pectus Iesu in coena recūbit. Qui in aduersis humiliter & prompte obedit, Iesum veraciter cum discipulis in montem Oliueti sequitur, vbi traditus & captus fuit.

D. A. gnes.

Qui in tribulatione & tentatione instanter & feruenter orat, cum Iesu in agonia contra diabolum pugnat. Qui suum velle & nolle totaliter relinquit, cum Iesu voluntatem patris sui gratater implet, & crucem in Caluariam portat. Qui pro aduersariis suis orat, & in se peccantibus libeter indulget, cum Iesu pro inimicis rogat ne male pereant, sed conuertantur ad deum, & viuant. Qui omnibus quæ sunt mundi sponte renunciat, & cuncta visibilia obliuioni tradit, cum Iesu in cruce moritur, & cum Paulo in paradysum rapitur. Qui corpus suum mundum & quietum seruat, Iesum in sindone munda inuoluit, & in corde sepelitur. Qui in seruitio Iesu vsque in finem perseverat, cum Iesu in sepulchro suauiter dormit & requiescit. Qui beatæ virginis Mariæ in doloribus eius compatitur, hic iterum ab ea in angustiis suis cum pio filio eius Iesu consolari meretur. Qui omnia verba & gesta Iesu mente recolat, & dente conterit, dulces aromatum species illi preparat, quæ ad solatium animæ tristis optimè valent. Qui de beneficiis sibi collatis humiliter & deuote gratias agit, cum Maria Magdalena ad monumentum Iesu cum aromatibus venit. Qui post contritionem & confessionem peccatorum firmiter se emendare proponit, cum Iesu à morte culpæ resurgit. Qui torporis mentis abiicit, & nouum feruorem arripit, nouum pascha in spiritu cum Iesu celebrat, & alleluia cum eo in choro iubilians cantat. Qui omnia seculi gaudia spernit, pericula fugit, religiosam vitam querit & acceptat, cum Iesu & discipulis eius coenaculum clausum intrat, vt in secreto liberius deo seruiat, purius viuat, & spiritum sanctum plenius accipiat. Qui omnia temporalia negligit, & in meditatione sancta ad caelestia totus inardescit, cum Iesu ad caelos pergat & ascendit. Beata anima, cui Philipp. 1. Christus viuere est, & mori cum Christo lucrum. Oportet quod sibiipsum moriatur, qui Christo viuere desiderat. Oportet quod omnia caduca relinquat, cui Christus sapere & dulcescere debet. Labor est in relinquendo, dolor in moriendo, sed æterna salus & vita cum Christo feliciter regnando. O quando hoc erit, vt solus deus mihi totus sit, & ego illi totus intentus & vnitus? Quandiu enim anima fidelis non est deo vnita in gloria, non potest plene esse beata. Sequere ergo Christum passibus amoris in vita tua per fidem charitate feruentem, vt dignus fias videre eum facie ad faciem angelos beatificantem. Ad quam intuendam nos omnes perducere dignetur Iesus Christus post mortem, qui pro omnibus

nobis amaram pertulit crucem. Amen.

De æterna laude dei. Cap. 18.

Semper laus eius in ore meo. O dulcis vox Psal. 133. in auribus deuotorum, sed dulcior in presentia dei & sanctorum angelorum. Si omnia organa musicorum canerent, & laudem dei non resonarent, in vanum concreparent, nec animam sanctam recrearent, neque fatiarēt. Oportet enim quod deus & honor eius sit causa canendi, & omnis vanitas sit exclusa, si laus debet esse deo grata & accepta. Si intentio tua fuerit pura, tunc poteris exultare in Luc. 1. vera cordis læticia cum Maria. Dulcis symphonia in cælo & in terra, laudare deum puro corde & consona voce cum omni creatura, pro sua immensa bonitate, & excellenti magnificentia. Delectabile opus laudare deum omni tempore, diligere creatorem cæli & terræ, honorare maxime æternæ vitæ largitorem. Siquidem sanctorum angelorum vita honor & gloria laudare deum totis precordiis, & nunquam à laude cessare, qui nunquam possunt fatigari, nec inaniter gloriari. Hoc etiam agunt sanctorum animæ in caelesti patria, liberatæ de vinculis corporum, de laqueis satanæ, ab omni tentatione eius securæ, & iam deo vnitæ in perfecta charitate, & perenni læticia, & ineffabili beatitudine repletæ. Recogitant modo liberæ cum maxima dulcedine, in quanta fuerunt tribulatione & amaritudine, & quanta euaserunt pericula & tentamenta huius miseræ vitæ. Verba sunt eis omnia lamenta in cantica lætitiæ, & dura verbera in augmenta pulchrioris coronæ. O quam beata illa patria, vbi pacata sunt omnia, tristitia nulla, omnia iucunda, diuina laude & dulci iubilo plena. Benedic ergo & tu anima fidelis dominum Psal. 113. de caelis, lauda deum tuum Sion, grauata portare carnis. Inuoca sensum in loco certaminis, vt adsit tibi à dextris tuis & sinistris cū angelis sanctis. Ora ne preualeat contra te demonum impetus, ne decipiat te mollities carnis, ne frangat te rigor ordinis, aut labor corporis. Suscipe pro Christi amore onus sanctæ crucis, quæ aperiet tibi portam regni caelestis. Quid amplius cupis? Via regia veniendi ad Christum est vincere propriam voluntatem, sustinere defectum, non querere carnis commodum. Habebis certe æternam requiem pro paruo labore, æternum honorè pro humili situ & infimo loco. Sit ergo semper laus dei in ore tuo, in prosperis & aduersis: multum enim in hoc potes promereri, si plenè te resignaueris ad voluntatè dei. Quicquid grauitatis tibi occurrerit

Deo prope tuo laudandus ab oibus per oia. currenit interius aut exterius, hoc accipe pie & gratiosè de manu benignissimi creatoris, qui curam gerit de omnibus nobis pusillis & magnis. Qui te fecit ad imaginem suam, non relinquet te in necessitatibus tuis, propter immensam bonitatem suam. Aperi ergo os tuum in laudem dei omnipotentis, cuius prouidentia reguntur omnia in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Lauda creatorem tuum qui te fecit hominem & non bestiam: & si te muscam fecisset, adhuc laudatus esset, & bene fecisset. Non potest leo gloriari de fortitudine sua contra muscam & culicem, quia si leo potest altius clamare, non tamen potest tam alte sicut musca volare. Ne ergo sit contentio inter magnum & paruum, inter diuitem & pauperem, inter fortem & debilem, inter sapientem & simplicem, inter regentè & seruientè. Omnes pariter laudemus dominum deum nostrum, qui creauit omnem creaturam mira pulchritudine & varietate ad laudem nominis sui & gloriam, & hominum vtilitatem largiter & aperte demonstrandam. Lauda anima fidelis redemptorem tuum, qui te redemit de manu æternæ mortis per passionem suam benedictæ crucis. Cui dignè regratiari non poteris, etiam si millies pro ipso mori & crucifigi posses. Lauda protectorem tuum, qui te à multis periculis & peccatis custodiuit. Lauda benefactorem tuum, qui tanta beneficia tibi tribuit, quæ vix enumerare sufficis. Ecce adhuc quotidie noua dona tibi transmittit, & per se etiam ad te in altare venit, in quo optimè donum quod ipse est & habet, tibi ad comunicandum præbet. Nil aliud pro his à te requirit, & tam gratum habet, nisi vt ipsum pure & intime propter seipsum ames & laudes. Cū fueris lætus, & bene tibi successerit, lauda & gratias age, quia pius dominus te consolari dignatus est, ne in via deficias. Nam totiens panem de cælo tibi ad refocillandum spiritum tuum mittit, quotiens verbum dei audis & legis, ac de incarnatione & passione Christi deuote meditaris. Cum fueris tristis aut debilis, lauda & gratias age, quia deus te visitat, probat & purgat, ne superbias, & de te presumas. Afflictio enim corporis, saepe est reductio ad compunctionem cordis. Cum fueris sanus & fortis, lauda & gratias age, quia deus dedit tibi vires, vt labores & aliis seruias, & tempus nunquam ociose expedas. Cum fueris in orto vel in pomario videns diuersas species & arbores, flores, & rosas, pyra, poma, barbarum virores, & lilia odorifera, lauda & gratias age, quia ostendit tibi deus multa mirabilia opera sua in terra germinantia, quæ omni anno renouat mira potentia ac sapietia sua pro magna sua bonitate, & homi-

nium vtilitate. In omni ergo loco & tempore lauda deum & gratias age, quia plena est omnis terra maiestate eius, & super caelos gloria eius. Lauda deum cum omnibus sanctis in terris, quem laudat omnes angeli in caelis. Si laudas, angelis assimilaris: si non laudas, ingratus es, & peior bestiis. Ecce volucres cæli cantant, pisces natant, canes latrant, pecora clamant, & omnia elementa ad laudem dei se mouent, & magnificentiam creatoris sui naturalibus motibus demonstrant. In cunctis ergo quæ agis habe deum præ oculis tuis: caue offensas, gratias age pro beneficiis impensis, & in fine cuiuslibet operis tui cordetenus regratiado deo sic cõclude. Deo gratias, deo laus, nunc & in æternum. Ois spiritus laudet dominum. Amen.

Explicit Ortulus Rosarum.

Incipit Prologus in librum qui dicitur Vallis Liliorum.

Livus germinabit sicut liliū, Os. 14. & florebit in æternum ante dominum. Iste libellus potest nominari Vallis Liliorum, ad distinctionem alterius præcedentis, qui Ortulus Rosarum intitatur: quia sicut ille tractat de multis virtutibus tanquam de rubeis rosis in ortulo Iesu natis, sic iste loquitur de multis virtutibus tanquam de candidis liliis in valle humilitatis à domino Iesu plantatis, & spiritus sancti intima aspersione dulciter irrigatis. Nam testante beato Gregorio, qui sine humilitate virtutes congregat, in ventum puluerem portat. De his quoque liliis loquitur etiam sponsa Christi humilis & deuota anima ad Iesum sponsum suum in Canticis canticorum, ore cantans, & corde iubilians de visitatione sui & donis eius. Dilectus meus Cant. 6. (inquit) mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Et iterum, Dilectus meus candidus & rubicundus, inter ybera mea commorabitur. Cui laus honor & gloria in secula seculorum. Amen. Cant. 4.

Incipiunt Capitula.


De triplici statu humanæ vitæ. Cap. i.
De laude dei in paupertate. Cap. ii.
De probatione deuotorum per contraria. Cap. iii.
De vero amore dei. Cap. iiii.
De gratitudine animæ pro omni bono. Cap. v.
De conformitate animæ deuotæ cum crucifixo. Cap. vi.
De ambulatione animæ puræ cū deo. Cap. vii.
De pace cordis & quiete in deo. Cap. viii.
De recollectione cordis cum deo. Cap. ix.

- De vigilatione & oratione contra tentationes. Cap. x.
- De timore æternæ poenæ contra vitia carnis. Cap. xi.
- De memoria dominicæ passionis. Cap. xii.
- De inuocatione sancti nominis Iesu & beatæ Mariæ. Cap. xiii.
- De forti certamine contra vitia. Cap. xiiii.
- De stabilitate in loco & in ordine. Cap. xv.
- De diuino solatio in tribulatione. Cap. xvi.
- De custodia conscientie. Cap. xvii.
- De solitudine & silentio. Cap. xviii.
- De refugio pauperis ad deum adiutorē suum. Cap. xix.
- De paupere & infirmo Lazaro. Cap. xx.
- De claro intellectu sacræ scripturæ. Cap. xxi.
- De magnis meritis patientiæ pro Christo. Cap. xxii.
- De bonis morib⁹ humilis monachi. Ca. xxiii.
- De prouida locutione, & fraterna cōpensione. Cap. xxiiii.
- De incerta hora mortis. Cap. xxv.
- De æterna laude dei. Cap. xxvi.
- De laude sanctorum angelorū. Cap. xxvii.
- Oratio deuoti amatoris dei. Cap. xxviii.
- De vnione cordis cū deo habenda. Cap. xxix.
- De vera pace in solo deo. Cap. xxx.
- De recta intentione ad deum. Cap. xxxi.
- Oratio humilis & contriti spūs. Cap. xxxii.
- De bona societate cum Iesu & sanctis eius. Cap. xxxiii.
- De summo bono & vltimo fine in solo deo ponendo. Cap. xxxiiii.

Incipit Vallis Liliorum. Ad laudem dei, pro solatio tribulatorum.

De triplici statu vitę humanæ. Cap. i.

Cant. 2.
Christ⁹
flos cępi
& lilii
conualliu



Flores campi, & lilium conuallium. Hęc est vox Christi ad sanctam ecclesiam in generali, & ad quilibet animam deuotā in speciali. Christ⁹ enim est speciosus sponsus sanctę Ecclesię, & caput omnium fidelium, flos omnium virtutum, & lilium conuallium, amator humilitatis & castitatis. Qui ergo vult Christo seruire, & cęlesti sponso placere, studeat vitia sua vincere, lilia virtutū colligere, ocium vitare, libenter studere, libros scribere, manibus operari quod vtile est, frequēter orare, & deo intime vacare, tumultus fugere, secretum diligere, & de alienis rebus & sibi nociuis tacere. Habitus nāque exterior parum valet sine interiore virtute coram deo. Vas est foris orna-

tum, sed intus vacuum. Sicut ex bono vase vini bonus odor procedit, sic ex bono corde religiosi bona verba & sancta opera procedūt, ad laudem dei, & vtilitatem proximi. Attende ergo frater statum tuum in quo stas & coram hominibus ambulas, vt deo digne placere studeas, & alios factis & moribus sanctis ædifices. Totum enim in te redundabit quicquid boni feceris, & quicquid mali coram deo commiseris. Quando ergo comedis & bibis, dormis & quiescis, & quocūque volueris pro libitu tuo trās, tunc facis opera carnis, & assimilaris bestiis terrenis, quę discurrunt comedunt & bibunt, & replent ventrem suum donec saturētur. Et si quis eis resistit, illum stimulant cornibus & vngulis, terrent vultibus, & mordent dentibus, & clamāt vocibus horrendis. Tales sunt carnales homines, gulosi, auari, superbi, iracundi, & litigiosi, spiritum dei non habentes, sed passionem suam sequentes. Sed quando vigilas & oras, legis & cantas psalmos & hymnos de deo & sanctis eius, vel quando ieiunas & abstinēs a vitiis, & proximo seruis, aut pro peccatis tuis doles gemis & ploras, confiteris, & veniam petis, tunc facis opera spiritus sancti, & secundum spiritum ambulas, & religiosę vitę ordinem seruas. Tunc etiam sanctis angelis assimilaris in cęlis, qui semper deum laudant & cātant, & benedicunt, & nunquam faciem suam ab eo auertunt. Quādo vero superbis, irascens, detrahis, murmuras, fallis, mēditis, alios perturbas, & de malis eorum gaudes, & de bonis tristaris, aut quando proximiū despicias, & cōmodum tuum in omnibus queris, tunc diabolum sequeris, & dæmonibus assimilaris per malitiam & vitia quę committis. Nā ipsi passionem suam & nequitias sequuntur quantum possunt & audent facere: & in malis delectantur, quia boni non sunt, & alios seducere & peruertere nituntur. Vita ergo iustorum angelis similis, vita carnalium bestiis equalis, vita superbiorum dæmonibus comparatur. Caue serue dei, ne laqueis eorum inuoluaris, & in iudicio ab eis accuseris & confundaris.

De laude dei in paupertate deuotionis. Cap. 2.

Pauper & inops laudabunt nomen tuum domine. Quando sentis te aridum, frigidum & tristem in orando, meditando bona de deo, nō debes propterea desperare, nec desistere Iesum humiliter inuocare, sed in paupertate spiritus tui deum lauda, & gratias age, & istum versiculum pro consolatione libenter lege, Pauper & inops laudabunt nomen tuū domine. Multi enim sancti & deuoti fuerunt etiam quandoque aridi, & per longum tempus

tempus a deo derelicti, vt discerent patientiā & aliis cōpati per doloris & inopię experientiam, & non presumerent nimis de seipsis in tempore deuotionis & iubilationis. Lege etiā versum istum sequentem cum propheta in psalmo: Ego autem mendicus sum & pauper, & dominus sollicitus est mei. In domino confido, quia ipse virtus & salus mea. Verum est, nā omne bonum a deo. Noli ergo presumere cum lætus fueris, nec te deiicere tristitia grauatus, sed sicut domino placuerit in oculis suis, sic esto contentus in omnibus. Nil enim boni habes a teipso, sed totum est a deo. Cum gratia deuotionis datur, sol de cęlo lucet, & anima illuminatur, & quasi in diuini exultat. Sed miser deciperis, si presumis & inflaris. Cū vero occulte subtrahitur gratia, & ab ingrato tollitur, tunc vere pauper es & infirmus, & parum potes sustinere, & tædet orare. Sed hoc pro beneficio accipe, quod deus te pauperem facit & humiliat cum electis suis, & percutit dorsum tuū filiorū virga pro excessibus tuis occultis, & negligentis multis quōtidianis, vt tibi ipsi vilescas, & nunquam alte de te sapias, sicut consulit sanctus Paulus ad Romanos. Noli, inquit, altum sapere, sed time. Magnum lucrum anime, de se viliter sentire, & deo omne bonum funditus ascribere.

De probatione deuotorum per contraria. Cap. 3.

Gaudete iusti in domino. In cęlo semper est gaudiū, in inferno semper est luctus, in mundo vtrunque ad tempus, ad probandum homines bonos & malos. In ætate sunt dies clariores, & in hyeme obscuriores. Sic est etiam cum anima deuota. Quādo gratia dei venit, & eam illuminat, tunc multa abscōndita cognoscit & intelligit, cantat & iubilat cum magna deuotione quam sentit. Sed in tēpore tentationis cum subtrahitur gratia deuotionis, tunc est in hyeme & frigore, in obscuritate intellectus, & in pauore mentis. Tūc patientia est necessaria & deo magis accepta, & crescunt virtutes per aduersa, & augētur per patientiam æterna præmia. Humiliatur anima & purgatur per flagella, confunditur superbia & euanescit vana glōria. Quādiu viuunt anima in corpore, exercetur in vtroque, pro profectu ampliore in Christi amore. Magna ergo ars, magna virtus est, bene vti bonis & malis. Benedic ergo anima mea domino in omni tēpore, lauda deum tuum Sion die ac nocte, & erit merces tua magna vtrobiusque coram deo in cęlo & in terra, & omnia seruient tibi prospera & aduersa, bona & mala, læta & tristia. Vnde Apostolus Paulus ait: Diligentibus deū omnia cooperantur in bonum, & nihil deerit

timentibus eum. Beati qui in omnibus sequuntur voluntatem dei.

De vero amatore dei Cap. 4.

Diligite dominum omnes sancti eius pusilli & magni, quia pusillum & magnū ipse fecit. Verus amator dei amat pure deum, scilicet deum propter deum, & propter eum solum frūendum, & nō propter lucrū ab ipso habēdum, nec propter aliquod proprium cōmodum, nec solatiū aut præmium inde promerendum, sed totaliter & finaliter propter suam infinitam bonitatē & superexcellentem dignitatem. Ideo in laudem dei Psalmita frequenter dicit & repetit, Confitemini domino quoniam bonus, & hoc dicere dulce est amanti. Sed dicere, quoniam in æternum misericordia eius, dulcius sapit poenitenti & dolenti de peccatis suis. Ne ergo desperet homo fragilis in malis suis, additur, quoniam in æternum misericordia eius. Ille autē amplius placet deo, qui profundius se humiliat, & feruētius ipsum amat. Beatus qui se viliorem omnibus reputat, & cauet omne quod deo displicere cognoscit. Beatus qui propter deum & beneplacitum eius totū opus suum facit ex charitate cum pura intentione, & quicquid boni cogitat, hoc ad dei honorem & laudem & gloriam integre refert. Beatus qui nil sibi retinet, sed totum deo liberē reddit, quod a deo accepit.

De gratitudine animæ pro omnino bono. Cap. 5.

Magnificat dominū mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. Ille magnifice deū laudat, qui de minimis etiā beneficiis gratias maximas agit, quia ille dat quod super omnia maximus est. Nil tibi paruum nec vile esse debet, quod altissimus tibi ex gratia libere præstat. Non querit deus nec exigit aliquid magis quā vt gratis ametur, & omnis offensa caueatur, atque gratitudo semper & vbique ei reddatur. Magnus coram deo est, qui se ex vera humilitate spernit & subternit, & omnibus bonis & beneficiis indignum se iudicat, nec in aliquo bono vane exultat, nec laudem concupiscit. Maior tamen ille, qui sicut Iob percussus, contemptus, conuiciatus, depauperatus, neglectus, tentatus, afflictus, derisus, & confusus gratias agit, lætatur & benedicit, & omnia grauamina & exilia sibi contingentia pro maximis lucris cōputat, & propter deum sustinet, & conqueri cessat. Beatus qui virgam doloris sicut Iob de manu dei pie accipit, & totaliter voluntati diuinæ se offert & cōmittit. Beatus qui hoc semp querit & eligit quod deo magis placet, & pro deliciis vilia capit, & læsus lætior manet, & dānum temporale, animæ lucrum reputat.

De conformitate animæ deuotæ cum crucifixo. Cap.6.

Cum ipso sum in tribulatione. Quid est hoc domine? Expone mihi verbū istud quod dixisti, aperi sensum huius versiculi, pro solatio serui tui. Audi fili. Quando es in tribulatione & cordis mœrore, tunc es cum Iesu in cruce: & quando iterum cōsolaris in deuotione, & delectaris in hymnis & canticis diuinis, tunc refurgis cum Iesu in nouitate spiritus, & quasi à mortuis fuscitaris de sepulchro, alleluia late canendo. Cum autem flexis genibus oras pro peccatis tuis, & intime doles & ploras, tunc duris ictibus ante portam cæli pulsas. Cum vero omnia terrena iam negligis, & sola cælestia intus meditaris, tunc cum Iesu ad cælum pergis, & angelis sociaris. Esto ergo mitis, humilis, & patiens in omni euentu & infirmitate irruente super te propter deum, & porta crucem tuam patienter cum Iesu, moriendo quotidie in cruce pro æterna salute tua, quia omnis afflictio carnis patienter tolerata medicina est animæ, & satisfactio pro peccatis, & spes futuræ beatitudinis & gloriæ. Amen.

De ambulatione animæ puræ cum deo. Cap.7.

Ambulate dum lucem habetis. Ille ambulat cū deo in luce, q̄ nil cupit de hoc mundo habere, sed habet cor suum fixum ad deum in cælo. Nam ibi est thesaurus animæ absconditus dominus Iesus Christus, in quo omnia bona continentur. Semper miser est & eget, quicquid habet, qui deum amicum non habet. Ille deū habet, qui eum amat, & sermonem eius seruat. Ille verbum dei bene seruat, qui ociosum verbum nunquam profert, qui opere ostendit quod ore prædicat, qui propriam gloriam non quærit, sed omnia bona quæ facit, & in aliis videt, pure ad gloriam dei refert. Qui autem sibi placet, stulto placet, & deo displicet. Ideo in omnibus bonis quæ agis & dicis, deo placere studeas, vt ampliora bona ab eo recipias. De bonis naturæ quid gloriaris, cum sis mortalis à vermibus mox rodendus? Audi senē iuuenis, Recipe te à rebus te distrahentibus, quia requiem non inuenies, nisi ad cor tuum redeas, & deum super omnia bona quæras, & intime diligas.

De pace cordis & quiete in deū. Cap.8.

In pace factus est locus eius. Quis est in bona pace? Qui mitis est, & humilis corde. Quare vis scire de statu aliorū qualiter sit cum eis, & te ipsum negligis in multis? Ecce qui melius scit se humiliare, & pari propter deum, hic melius est in pace. Huius omne onus sit leue, propter deū quem habet in corde. Beatus qui loquitur cum deo orando, meditatio, cantatio,

legēdo, & de alienis tacet quæ sunt in mūdo. Vbicunque es & transis vel fugis, cogitatio tua tecū transit. Bona meditatio lætificat, mala contristat. Ira perturbat, inuidia excæcat, odium necat. Deuota lectio instruit, oratio accendit, operatio verbum implet. Sermo sanctus corda mundat, vanus maculat, ociosus scandalizat, durus grauat, pius placat, moralis ædificat, historialis fidem confirmat, cælestis ad æthera leuat. Mūda ergo cor tuum ab omni malitia, & eris in bona pace. Nō est pax bona nisi in deo & cum virtuoso, qui omnia bene agit propter deum quem diligit. Mane in silentio, & sustine modicum propter deum, & ipse liberabit te ab omni onere & inquietudine. Beata vita & bona conscientia dant fiduciam ad deū in tribulatione & in morte, mala autem conscientia semper est in timore & in lite. Iracūdus cito cadit de vno malo in aliud peius. Patiens & mitis de hoste facit amicum, & deum inueniet sibi semper propitium propter pietatem erga peccantem.

De recollectione cordis cū deo. Cap.9.

Qui non colligit mecum, dispergit, ait dominus noster Iesus Christus. Cum fueris multum dispersus & indeuotus propter multiplices diaboli phantasias, & amaras passionem cordis & hominum displicentias te inquietantes, stude te recolligere in secreto per orationem dominicam & angelicam salutationem, & prosterne te solō tenus ante sanctam crucem, vel beatæ virginis Mariæ imaginem, aut alicuius sancti deuotam picturam, ad dei honorem sanctorumque memoriam factam. Inuoca præcipue Iesum & Mariam cum omnibus angelis & cæli ciuibus, pro misericordia & gratia diuinæ consolationis tibi iterum reddēda, & dic cum sancto Dauid in psalmo, Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Domine spes mea à iuuentute, ad te cōfugio in tribulatione mea. O domine doce me semper sequi & facere voluntatem tuam, & relinquere meā: quia hoc beneplacitum est tibi, & vtile mihi pro salute animæ meæ. Domine nunquā mihi cōtingat aliquid cogitare vel desiderare aut operari quod displicet tibi, aut alteri nocet, sicut præcepisti mihi & omnibus seruientibus tibi. Cum cōtrarium ago, corrige me in misericordia tua, & nō in ira perdas me: Quia deus meus es tu, & ego pauper & fragilis seruus tuus, gratia & misericordia tua in omnibus maxime egens. Sit nomen sanctū tuum nunc & in æternum super omnia benedictum.

De vigilatione & oratione contra tentationes. Cap.10.

Vigilate

Vigilate & orate, vt non intretis in tentationē, carnis vel spiritus, vel diaboli, vel mundi. Caro suggerit concupiscentiam, spiritus superbiam, diabolus inuidiam, mundus vanitatē. Christus autem ē contrario docet, nam suadet seruare castitatem, humilitatem, charitatem, & contēptum mūdi, ad promerendum regnum dei, & euadēdum poenas inferni. Vigilandum igitur & orandum omni tempore & in omni loco, quia nullibi securitas ab aduersario maligno, qui nō dormit nec quiescit à tentando, sed circuit & querit quem decipiat & molester, & à bonis exercitiis impediat, & ab oratione cessare faciat. Ideo dominus noster Iesus Christus sciens nequitias diaboli, & vtilitatem orationis, fortitudinem hostis, & debilitatem hominis, admonet fortiter discipulos suos & omnes fideles vigilare & orare, si non velint ab hostibus suis, id est vitis superari. Vigilate igitur & orate, vt non intretis in tentationem diaboli, nec ei cōsentiatis. Si non potes totum psalterium legere, lege vnum psalmum, vnum versum, vnum deuotum hymnum de Iesu, de Maria, aut de aliquo sancto, ad excitandum cor tuū sursum in deū, per gemitum, & viuæ vocis oraculum. Prope est enim deus omnibus inuocantibus se cum humilitate. Nā humilis oratio iusti penetrat cælos, dat fiduciam ad deum, & fragit diaboli consilium & vires, minas & nugas. Si impediris foris ab hominibus, intra cubiculum tuum secundum Christi consilium, & clauso ostio ora patrem tuū in abscondito. Ipse enim scit quid cogitas & desideras, & quid opus est tibi. Sic ergo in omni petitione ora: Pater fiat semper voluntas tua, non mea: fac mecum sicut placitum est tibi, & vtile mihi. Si fueris cum aliis in choro, lege & canta cum eis, sicut angelus coram deo. Sic cāta exterius, vt compungaris interius. Sic placeas hominibus, vt non displiceas deo & sanctis angelis eius. Deus enim magis attendit compunctionē cordis, quā clamorem altē vocis: quia per humilem precem deus placatur, per vanam gloriam offenditur. Per mœroris fletum gratia acquiritur, & virtus augetur, per dissolutionis sonum deuotio perditur, & pro omni culpa & negligētia poena reddetur. A quibus malis diuina pietas nos semper custodiat, & ad cælestia regna perducat. Amen.

De timore æternæ poenæ cōtra vitia carnis, & superbiam mentis. Cap.11.

Confige timore tuo carnes meas. Vtilis est hæc oratio contra carnis vitia, & ad superbiam mentis deprimendam. Ista enim duo mala quotidie hominē impugnant & vexant. aut enim caro illicita concupiscit, aut spiritus

de bono superbit, & laudem quærit. Vtrunq; magnum malum, vtrobique periculū graue. Cum te tentat caro misera cito moritura, cogita æterni ignis tormenta, & sic ignem concupiscentiæ extingues igne gehēnæ, & motus maiores expellent minores, vt spiritus saluus fiat per ignē. Breuis est omnis delectatio carnalis, fallax & vana omnis mundi lætitia, omnis decor corporis, omnis honor & gloria. Sicut dolor capitis cogit dissolutum gemere & flere, sic timor mortis & ardor inferni faciunt passionatum & tētatum à peccatis abstinere. Qui sine timore est, cito corrumpitur in malum: & qui se non humiliat coram deo & sanctis eius, confundetur in iudicio à dæmonibus, & punietur durissime ab eis. Firma & vera sententia ista stat, nec fallit. Siue homo, siue angelus sit, deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiā. Misericordia autem domini ab æterno cum sanctis & electis suis vsque in æternum. Time ergo superbe iudicium dei in omnibus factis tuis, & noli gloriari in vanis reputationibus tuis. Cum feceris totum quod poteris & debes, adhuc deficis in multis, & vix vnum pro mille reddere vales. Time virgam dei, time baculum, time iudicium futurū. Nil transibit impunitum, nil erit in bonis irremuneratum. Si cella tua arderet, nōne timeres, & cito surgeres & fugeres? Ecce quid facit timor & tremor, & cogitatio de poenis futuris, quæ nullis finiuntur temporibus. Expellunt nanque teporem, & inducūt orationis feruorem, propter nimium inferni horrorem.

De memoria dominicæ passionis contra dissolutos. Cap.12.

Beati qui lugent, quoniā ipsi consolabuntur. A quo? Certe à Christo in secreto corde, non de hoc mundo in vanis rebus. Leuia enim & iocosa verba & frequens risus, nō congruunt sacræ passioni Christi, & amarissimis vulneribus eius. Si enim haberem vnam acutam spinam de corona Iesu in capite meo, aut in dorso meo transfixam, nunquid riderē? Minime, sed præ dolore magis flerem, & alte clamarem. Si etiā vnum clauū crucis in pede haberem, quō irem & currem? Nusquā vtiq; irem aut currem, sed magis fiederem & dolerem, & per experientiam dolorum meorum Christo compati discerem. Et vtinam amarissime possem flere, in remissionē omniū peccatorum meorum. O quā sanctus dolor & dulcis fletus, ex compassione sanctorum vulnerum domini nostri Iesu Christi largiter effusus. Quando ergo grauaris, aut tentaris, aut infirmaris, recurre cito ad orationis scutum, & sanctę crucis vexillū, & in sanctorum vulnerum Christi fixuris quere vitorum tuorū fa-

Mar. 14.

1. Pet. 5.

Ecc. 35.

Matt. 6.

Psal. 118.

Iaco. 4.

Matt. 5.

Expēde vim argumētī.

luciferam medicinam, per deuotam orationē & ferioſam paſſionis eius recordationē. Pondera ſanctę crucis magnitudinem, longitudinem, & altitudinem, in qua Ieſus Chriſtus pependit nudus diris clauis pro te confixus. Nūmerā attente quā multę acutę ſpinę in corona domini fuerunt, quę ſanctum verticem capitis filij dei tam acriter punxerunt, & largiſſime cruentari fecerūt. Pone hęc & cętera arma paſſionis Ieſu Chriſti iuxta te pro bona cuſtodia diei ac noctis, ne inuidus hoſtis diabolus inueniat te vacuum à diuinis imaginibus, & inquinat cor tuum ſordidis picturis & vitiis. Sit tibi proinde lectulus tuus ſine plumis, in memoriam ſanctę natiuitatis domini noſtri Ieſu Chriſti, quaſi anguſtū & pauper- culum preſepe virtutibus plenū, in quo puer Ieſus vagiebat in cunabulis pannis inuolutus, modico focno pro ſerico pallio tectus, paruoque lacte matris virginis reſectus. Sit duritia & vilitas culcitre tuę recordatio quędā duri & lapidei ſepulcri domini noſtri Ieſu Chriſti pro te crucifixi, & vere mortui, & in corde terrę ſepulti, ac grandi lapide clauſi. Hic ergo in pace Chriſti quieſce, oīa oblitus quę ſunt in mundo, omnia reputans vilia & pro nihilo quę magna videntur & iucūda, vt cum eo reſurgas nūc in virtutibus & gratia, & in nouiſſimo die cū electis in gloria ſempiterna Amē.

De inuocatione ſancti nōminis Ieſu & beatę Marię virginis matris eius. Cap. 13.

Dirige domine deus meus in conſpectu tuo viam meam. Vię tuę domine Ieſu Chriſte vię pulchrę, vię mundę & ſecurę, ad ambulandum in eis rectę & perfectę. Et omnes ſemitę tuę paciſicę & ſanctę, ad perducendum omnes fideles tuos & humiles corde in regnum tuum cęleſte. Vbiunque ergo pergis, ambulas itas & reſides, inuoca Ieſum & Mariam piam matrem eius, & hunc ſanctum verſiculum libenter pro conductu vię lege, Dirige domine deus meus in conſpectu tuo viam meam. Deinde conſimiliter iſtum adde: Perfice pie Ieſu grefſus meos in ſemitis tuis, vt nō moueantur veſtigia meę ad videndum vana, & loquendum ocioſa, animę meę nociua. Poſt hęc etiam hunc dulcem verſiculum pro viarico ciborum aſſume, & quaſi baculū in manu firmiter tene, & ſępe orans deuote lege: Ieſus & Maria ſint mecum ſemper in via, in omni loco & in omni tēpore pro bona cuſtodia, ne forte per deuiā errem, & diſpergar per multa phantaſmata intrus & extra. Hęc ſanctā oratio, Ieſus & Maria, breuis eſt ad legendum, leuis ad portandum, facilis ad tenendum, dulcis ad cogitandum, fortis ad protegendum, fidelis ad

cuſtodiendum, ſocialis ad ambulandum, delectabilis ad recreandū, amicabile ad cōſolandum, potens ad adiuuandum, prudens ad perducendum recto itinere omnē pauperē peregrinum & ſeculi contemptorē ad vitā æternam. Hęc ſanctā oratio habet ſecū meliores comites, & potentiores milites præ omnibus regibus & principibus mundi, & altiores ſanctos præ omnibus ſanctis in cęlo & in terra. Hęc ſanctā oratio trahit ad ſe in feruore ſpiritus totam cęleſtem curiam, quę ſequitur cū omni reuerētia dominum ſuum Ieſum Chriſtum, & dominam ſuam ſanctam Mariam matrem Ieſu benedictam, omni laude digniſſimā, ab omnibus honorādam. Qui illos pro lociis ſecū habet in via huius vitę, etiam pios patronos inueniet mortis tempore. Noli iam ipſos deſerere, ſi cupis cū Ieſu & Maria ſemper viuere & gaudere. Bene ergo & ſecure ambulat, qui Ieſum & Mariam in corde portat, ore ſępe nominat, labiis benedicit, manib⁹ plaudit, pedibus tripudiat, voce clamat, corde iubilat, oculis plorat, vultu ſuſpirat, oſculis placat, brachiis amplectitur, & flexis genib⁹ adorat. Beatus qui Ieſum & Mariam ſedulō inuocat, deuote ſalutat, amoroſe commemorat, eximie honorat, lætiſſime collaudat, altiſſime glorificat, ardentiffime amat, ſuauiſſime eructat, iucundiſſime celebrat & cantat. O quā dulcis eſt Ieſus, & quā dulcis ſanctā Maria dilectā mater eius. Beatus peregrinus qui in omni loco & tempore exilij ſui in corpore meminit patrię cęleſtis, vbi Ieſus & Maria gaudent pariter cum omnibus angelis & ſanctis ſuis in maxima læticia & æterna gloria. Beatus peregrinus qui non quærīt manſionem in mundo, ſed cupit diſſolui & eſſe cum Chriſto in cęlis. Beatus pauper & mendicus, qui quotidie tranſit pro pane cęli, & donec accipiat vnam micam, non ceſſat ſupplicare humiliter ante dei menſam. Beatus qui vocatur ad cęnam agni, & donec perueniat ad cōuiuuium ſuper- num, accipit eius ſacramentum. Quotiens enim aliquis deuote communicat, aut ſacerdos ad honorem dei reuerēter & deuote celebrat, totiens cum benedictio Ieſu & benedictā matre eius ſpiritualiter manducat & bibit. Iſte eſt diſcipulus Ieſu, capellanus beatę Marię virginis, focius angelorum, conciuus apoſtolorum, domesticus dei, cognatus ſanctorum, amicus cęli. Hic turbas fugit, fabulas vitat, verba Ieſu cogitat, & cor ſuum cum cęteris ſenſibus ſuis ſollicite cuſtodit, ne Ieſum & Mariam & omnes ſanctos offendat. Hic accipiet benedictionē & miſericordiam a domino Ieſu ſalutari ſuo, & quā cito ad eū clamauerit, exaudiet eum de cęlo ſancto ſuo, in quocunq; loco fuerit & periculo.

& periculo. Nā cū diſcipuli ī mari nauigarēt, & præ timore ſubmergēdi Ieſum inuocarēt, ſtatim ipſe Ieſus aſſuit & dixit, Quid timidi eſtis? Habete fiducia: Ego ſum, nolite timere. Vox enim Ieſu vox dulcis ad cōſolandum, fortis ad protegendum, iucunda ad lætificandum, benigna ad indulgendum, grauoſa ad tri- buendum vitam æternam. Amen.

De forti certamine contra vitia per exempla ſanctorum. Cap. 14.

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrū. Sicut per paſſionem & crucem Ieſu, & ſanctorum martyrum pœnas, diſcimus aduerſa tolerare, ſic etiam per beatam virginem Mariam & per omnes ſanctas virgines, viduas, & cōtinētes diſcimus carnalia vitia vincere, diuitias contēnere, honores fugere, & per contēptum omniū mundanorū cęleſtia quęrere & amare. O ſerue dei ſtude virorum fortium patiē- tiam inſuperabilem ſequi, diabolo & conſilio eius reſiſtere, & per debiliū puellarum cōſtantiam virginalem, oīa delectabilia carnis cum cęteris vitis lōge à te proicere & ſpernere. Si bona temporalia deus dederit pro ſua clemē- tia paupertati tuę, noli inde miſer extolli, noli ſtulte cor apponere, quia neſcis quādiu hic eris, & iſtis fruēris. Noli lōgam optare vitam, ſed bonam, quia melior eſt bona conſcientia, quā oēs theſauri mundi. Quanto enim plus habueris de rebus terrenis, tanto diſtrictius inde iudicaberis. Heu fallax gratia & breuis gloria mūdi, in diuitiis, honoribus, prælaturis, & deliciis huius vitę gaudere, poſt quę ſequitur maximi dolores & ſterus, cū diabolo ſemper ardere, vbi nulla eſt redēptio à pœnis eorum. Sed o quā magna iucunditas electorū cum angelis ſemper lætari, vbi ſumma felicitas omnium bonorum cum deo & ſanctis eius ſine fine durabit. O quę felices viri, & prudē- tes virgines, qui oīa propter Chriſtum reliquerunt, & per arctam viam ad æternam patriam peruenire ſtuderunt. Scitote ergo omnes fideles & deuoti ſerui Ieſu Chriſti, quōd oportet vos contra varias tentationes carnales & ſpirituales pugnare, vigilare, orare, ieiunare, & laborare quādiu viuitis. Oportet carnem caſtigare, ne intumefcat & concupiſcat contra ſpiritum, & ne decipiat & præualeat cōtra animam trahendo ipſam in gehennā. Quid prodeſt hic carnē delicate nutrire, & poſtea in inferno grauiffime torqueri? Et quid iuuat hic laudari & honorari ab hominibus, & in futuro confundi & condēnari cum impiis & dæmonibus? In mundo doctōr & magnus reputari, & in numero electorum non computari, maxima confuſio & deriſio eſt coram deo & omnibus ſanctis eius. Pro Chriſto autem pati

& vilipendi à maleuolis, maximus honor, laus, & gloria apud deum & omnes ſanctos. Hinc ipſe ait diſcipulis ſuis, & cōſolatur vbi que oēs fideles pro nomine eius iniuriā & preſſuram patientes. Beati eritis cum vos oderint homines, & exprobrauerint propter nomen meū. Gaudete & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cęlis. Amen. Matt. 5.

De ſtabilitate ī loco & in ordine. Cap. 15.

Stabiles eſtote ī omni opere domini ſem- per. Dic mihi bone frater, quid vtilitatis & ſanctitatis tibi confert huc illuc diſcurrere, & multa vbi que videre & audire, & ad regnū cęlorum nō poſſe peruenire? Beatus qui ab omni euagatione cor ſuum & corpus cuſtodit, & cito ad ſeipſum cum gemitu redit, & veniam petit. Væ tibi qui ſępe foris euagaris, & tempus infructuoſe expendis, & alios ſcandalizas. Pax multa libenter in cella manenti, deo in ſecreto vacanti, ſępe oranti, ſacros libros ſcribenti, ſcripturas ſtudioſe legenti, ac ſanctis meditationibus affectuoſe inſiſtenti. Ocioſus & fabuloſus multa correptione dignus, & à comuni colloquio ſeparandus, ne forte ſimplices & puſillos inſiciat, & vanis verbis ac moribus peruerſis ſcandalizet ac perturbet. Time diſſolute & iocoſe futura ignis purgatorij tormenta, vbi pro quolibet leui & ocioſo verbo & cogitatu maligno patieris à dæmonib⁹ duriffima verbera. Multo melius eſt ergo modo timere & cauere, poenitere & flere, quā in futuro cum impiis ſine fine torqueri, & à dæmonibus fuſtigari. Certe nō eſt riſus & iocus, in inferno ſemper ardere, vnde nullo auxilio poteris liberari. Si quis iſta frequenter penſaret, & ſtrictē ponderaret, omnia mundana cito contēneret, & omnia delectamenta carnis exhorreret, vt æternas pœnas euaderet, & ad cęleſtia gaudia poſt mortem perueniret. Sed vācis modo, & amplius in futuro, qui diuina iudicia modicum attendunt, & fere omnia pro leuib⁹ ducūt, quia pœnas illas in corpore non ſunt experti.

De diuino ſolatio in tribulatione pro Chriſto. Cap. 16.

In mundo preſſuram habebitis, ſed cōſidite, ego vici mundum. Dicitur in prouerbiis à multis, ſolatiū eſt miſeris ſocium habere in pœnis. Quis eſt iſte ſocius tā bonus & pius, qui ſcit cōpati miſeris & infirmis? Iſte eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis paſſus & crucifixus, qui in euangelio dicit ſe medicum & paſtorē eſſe animarum, & cōſolatorē tribulatorū pauperum, & infirmorum, lapſorum & vulneratorū. Nō eſt (inquit) opus ſanis medicus, ſed male habentibus. Et ſimiliter de eodē Ioan. 16.

Psal. 30. loquitur sanctus Dauid, ita cōsolando tristes: Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde. Et iterū in alio psalmo de quolibet tentato & tribulato ne desperet, ita per seipsum loquitur deus dicēs: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Est enim vere magna consolatio trīstibus, & variis modis afflētis, quia Christus fuit etiam tentatus, trīstis, & in multis doloribus pro nobis afflētus. Nisi enim esset vtilis & salubre animæ nostræ pati & tribulari in mūdo, nō permitteret hoc deus fieri, qui est summe bonus & iustus in omnib⁹ viis suis. Qui ergo proprio filio suo nō peperit à flagellis, tu quis es qui audes cōtra dicere verberibus eius, reus in multis peccatis? Iustum est enim vt seruus malus & inutilis nō contradicat domino suo percussus saltem in modico, quando filius in omnibus dilectus, & in nullo culpabilis, tātis plagis fuit percussus. Iustum etiam est, vt de eodem calice ægrotus sanādus modicum breuiter bibat, de quo medicus sanus totum amaritudinis poculum sibi oblatum bibit, vt totū mortis venenum purgaret, & hominem in anima & corpore necatum perfecte sanaret, & ab æterna morte liberaret. Alleuiatur igitur multum onus serui, in consideratione grauioris ponderis innocentis domini sui. Mitigatur valde dolor languētis, si diligenter pensat quoniam hæc afflictio pie tolerata est purgatio pro peccatis, & spes æternæ salutis. Magnū nanq; & honorificū est pauperi seruo, si ipse fuerit domini sui panno eodē vestitus, & purpura filij regis insignitus, cum qua meretur ad regis æterni nuptias introire. Panni Iesu sunt humilitas cordis, paupertas in necessariis, patiētia in aduersis, perseverantia in virtutibus. Qui virgā dei pro munere accipit, salutē animæ ex verberibus reportat, & coronā amplioris gloriæ in cælo recipiet.

Psal. 40. Beatus qui intelligit super egenū & pauperem Iesum pro nobis nudū & inopē factum, cum esset dicissimus omnium, & sequitur eum patienter ferendo crucem suam in quotidianis laborib⁹ pro salute animæ suæ vsq; ad mortē. De custodia conscientię in omni loco & tempore. **Cap. 17.**

Psal. 118. **A**nima mea in manibus meis semper. Nihil vtilius & salubrius cupiēti ad vitā æternā peruenire, q̄ semper cogitare de aīæ suæ salute. Lege & percurrere oīa, non est salus animæ nisi in deo & in bona vita. Hinc ait dominus & redemptor animarū discipulus suis:

Matt. 16 Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animā vero suę detrimentū patiat^{ur}? Qui istud frequēter cogitat, & magis de animæ suæ salute curam gerit, q̄ de tēporali lucro vel corporali cibo, hic verē sapiens ne-

gociator est, quia æterna spūalia omnibus perituris preponit & querit. Ille est vnus de bonis & fidelibus Christi seruis, qui de duobus talentis quatuor, & de quinque decem facit, & vnum non abscondit in terra, nec secludit, nec à se proicit, nec contēnit, sed pauperi potius tribuit vt pro se oret, aut ad altare deo offert regratiando ipsi etiā pro minimo dono quod accepit. Beatus seruus super pauca fidelis & prudens, qui omnia tempora sua vtiliter expēdit, & de extraneis rebus ad se non pertinentibus tacet, sed tanquā surdus & mutus propter deū factus, pacifice tumultus seculi pertransit, & animam suam ante se in manibus suis semper portat. Noli ergo de statu aliorum curiose querere, nisi quantum charitas dei & fraterna cōpasio exigit. Noli laudes hominum appetere quæ vanę sunt, nec vituperia expauescere quæ non obsunt, sed animam purgant & humiliāt, & in cælo alte coronāt. Nemo dignus est à deo sublimari, nisi qui scit pro deo vituperia pati. Sicut enim tu domine deus passus es pro me, ita & ego debeo pati pro te, & te sequi pro posse. Tu enim sancto Petro dixisti, Sequere me. Sed heu mihi domine quia tā parum possum pati pro te. Sæpe propono, & de decē vix vnum perficio. Multa sunt verba, sed opera pauca. Totum est culpa mea, & excusatio nulla. Nam desidia & negligētia propria, augent peccata mea. Quid ergo restat ad ista dicere & cogitare, nisi veniā petere & orare? Peccaui domine, miserere mei. Sic enim oēs sancti ante te fecerunt & docuerunt, & adhuc quotidie omnes fideles faciunt. Omnes sancti & amici dei orate pro me, quia infirmus sum, & omnibus bonis indigeo, & ab omnibus iuari humiliter peto.

Oratio pauperis.

O Sancte sanctorū domine deus meus, inclina aurē tuam ad precem pauperis serui tui. Adiuua me & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper. **O** vitinā merear vnus de pusillis gregis tui esse in regno tuo, quod preparasti humilibus & diligētibus te. Diligam ergo te domine virtus mea ex toto corde meo, sicut præcepisti ore sancto tuo. Tu spes meā & salus mea, & totum desiderium meum. Da mihi intellectum clarum contra omnem errorem, cor mundum contra omnē impuritatem, fidem rectam contra omnē dubitationem, spem firmam contra omnē diffidentiam, charitatem feruentem contra omnē acediam & negligentiam, magnam patiētiam contra omnem turbationem, sanctam meditationem contra turpē imaginationem, continuam orationem contra diaboli impugnationem, diligentem attentionem ad lectionē

contra

contra frequentem mentis euagationem, bonam occupationem contra cordis tedium & somnolentiam, deuotam sacræ passionis tuæ recordationem cōtra omnium vitiōrū mortificationem. Adesto mihi in his bonis deus meus, & confirma me in omnibus verbis sanctis tuis. Amen.

De solitudine & silentio. **Cap. 18.**

Psal. 54 **E**cce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. **Q**uare? Propter multa bona inde prouenientia, & ad cauendum distractiones cordis mei in multis reb⁹ visis & auditis, quia quæ oculus non videt, nec auris audit, cor nō dolet nec cito turbatur. Igitur latere & tacere bonum est pro pace cordis, & obtentu deuotæ orationis. Ad hoc iuuant locus secretus, & recessus à turbis, vbi non est strepitus. Sicut enim piscis extra aquam cito moritur, ita monachus extra cellam leuiter distrahitur & inquinatur. Nam prudens apis mel ex floribus colligens statim inde euolat, & secretum gaudens repetit, & hoc in aluëario caute abscondit, vt habeat vnde in hyeme latenter viuat. Ideo enim suauitatem odoris abscondit, ne foris vagando fructum laboris sui iterum perdat. Nā preciosa aromata in pyxide clausa fortius fragrant, aperta & ostensa virtutem odoris citius amittunt. Flores quoque pomarii clausi seruantur, & muris altis firmati tutantur. Crescunt rosæ in ortis clausæ securæ, arefcunt & calcantur pedibus in viis proiectæ. Sic vagus & instabilis monachus vilefcit sæpe foris visus, fugiens autem turbas & manēs intus reputatur sanctus. Candela ardens à vento cito extinguitur, in lucerna latens custoditur. Sic feruor deuotionis in secretario cubiculi tutius seruatur, & in negotiis externis facilius dissipatur. Igitur cellā & silentium dilige, si vis deuotus & pacificus intus permanere. Oportet quod valde fortis sit & custoditus, qui foris inter homines ambulat, & interius non impeditur nociuis. Maneas ergo libenter in solitudine & in cella, deuotionis causā, sicut beata virgo Maria māsit sola in cubiculo clausa, loquens cum sancto angelo sibi misso à deo de cælo, vt etiam ad te veniat sanctus angelus domini nuncius celestis, & custos animæ tuæ fidelis, & recedat à te longius spiritus malignus cū omnibus phantasiis suis. Dixit quidam deuotus silentij amator: Raro loquor diu hominibus sine aliqua læsione conscientię intus. Et alius quidam: Oportet vt sit valde ædificabile verbū, quod emendet silentium. Et tertius ait: Nobile est verbum in suo tempore dictum. Et quartus adiecit: Qui os suum firmiter claudit, non detrahit, nec mentitur. **O** quā laudabile & iu-

cundum loquentis verbum, nil mali, nil vani, nil doli, nil falsi habēs admixtum. Multi multa loquuntur, sed non sine periculo linguæ pronæ ad malum. Pax igitur multa custodiet os suum, & manenti in cella, & sæpe oranti. Lauda quoque taciturnum virtuosum, in cella pa vagum verbosum, caue dolosum. Fuge tumultum, dilige secretum, sequere humilem & deuotum, sustine patienter tibi molestum, propter Christum pro te crucifixum. Frater interrogauit senem, Quod est statutum in ordine pro pace & deuotione maxime proficuum? Respondit notabile verbum. Seruare à patribus silentium statutum, vitare tumultus hominum, & ocium. Hæc tria in ordine valde necessaria, deo & angelis accepta, scilicet laborare manu contra ocium, amare lectionis studium contra cordis tedium, & continuare orationis vsum contra diaboli dolum. Hæc laudat sancti pares antiqui & noui, quia frater tacens & deo vacans ab ipso cælitus benedicitur, & ad contemplanda diuina secreta aptior inuenitur, & altius illustratur. Vagus vero & fabulosus qui ociose circuit, donis cælestibus indignus efficitur, & aliis est molestus. Nescit tuperbus diu tacere, quia cupit doctus videri, & præ aliis laudari. Qui presumptuose loquitur, à multis vituperatur: qui autem verecunde tacuerit, gratiam ab astantibus meretur. Magna humilitas cordis, sentire de seipso vilia, & de aliis semper meliora. Grādis superbia abūdare in sensu suo, & stare in propria voluntate deo & communitati fratrum contraria. Hæc est lepra pessima quam odit deus, & percutit sæpe subitanea morte. Simplex & innocens humiliter obediens, vbique lætus & securus. Laudabilis fama habere pauca verba, cauere leuia, loqui vtilia, & omnia agere cum modestia. Omnibus adde modum, modus est pulcherrima virtus. Et hoc est quod ait Christus, Habete sal in vobis, & pax. **Matt. 18** cem habete inter vos. Et Paulus apostolus, **Colos. 4** Omnis sermo vester sale conditus sit. Et sanctus Iob, Quomodo potest comedi, quod nō est sale conditum? Castus & pudicus custodit cor suum, os suum, & omnes sensus suos pronos semper in malum, vt non peccet, & deum ac proximum offendant. Non est corde cōpunctus, qui vana libenter audit, & recitat coram aliis. Perdit cito compunctionis gratiam, qui nō custodit cordis & oris ianuam. Monachus pronus ad loquendum, facile excedit loquendi mensuram. Si haberes Iesum crucifixum in corde tuo fixum, non exiret cito de ore tuo verbum vanū & ociosum. Sed quia nō habes Iesum firmiter in corde tuo clausum, ideo sæpe queris solatiū forinsecū debile & friuolum,

I ij

Dicta vitorū pro ri de silentii laude.

tria mo necho culibet necellaria.

parum iuuans intus à doloribus prementibus cor tuū . Solus enim Iesus præstat verum animæ solatium, & sanat omnes languores vitorum. In breui momēto & vnico verbo potest liberare dolentem ab omni malo . Nam amplior est gratia dei in bono, quàm culpa in malo. Cur audis vanos rumores seculi, qui sæpe te conturbant & distrahunt in corde? Quare negligis dulces sermones Christi, qui te cōsolari possunt, & confortare in omni tribulatione tua die ac nocte?

De refugio pauperis ad deum adiutorem suum. Cap. 19.

Psal. 9.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor . Beatus ille pauper, cui deus est adiutor in omni tribulatione sua, consolator in angustia, vnica spes & confidentia in extremis, corona gloriæ in regno æternæ beatitudinis. Preciosa virtus voluntaria paupertas assumpta pro Christo, cuius merces æterna permanet cū angelis in cælo, quòd fur non appropriat ad furandum, nec raptor ad prædandum, neque latro ad occidendum. In multis periculis & curis quotidianis sunt diuites huius seculi, à quibus liber est seruus Christi renunciās omnibus quæ sunt mundi . Magna libertas anime fidelis, quæ nil proprietatis habet in aliqua re mudi propter regnum dei, & amorē Iesu Christi, sed omnia possidet in Christo, qui pro nobis pauper & dolens factus est. Qui pendens nudus in cruce non habuit vbi caput suū reclinaret, vel manum aut pedem vsquam moueret. Quis huic pauperi in omnibus indigentis similis? Vere nullus. Propter hoc exaltatū est nomen eius solius super omnia in cælo & in terra, & super omnia benedictum in secula. O bona pauperies, nisi te deus ante tulisset, tunc tua durities, cunctis despecta fuisset . Felix paupertas rerū, quæ tollit superbiam oculorum, & occasionē multorum vitorū. Vere ille est pauper spiritu, qui de nullo verbo & factō bono superbit, nec in altiore gradu esse cupit, ne grauius cadat . O quàm magna virtus abdicata paupertas, nil habēs in proprio, quæ animæ aperit cæli portam, auget gloriæ coronam, & cum martyribus meretur accipere patientiæ palmam, post huius vitæ angustiam in Christi seruitio consummatam. Nam hoc est veraciter & fideliter Christo seruire, pro eius amore penuriam & alia multa incommoda sustinere. Beatus qui de necessitate & infirmitate sua facit virtutem, & de omni quod patitur, sequitur dei voluntatem . Noli ergo pauper nimis contristari cum inopiam pateris, nec indignari si derideris, aut ab amicis tuis relinqueris. Conuerte cor tuum ad Christum pauperem pro te factum & infirmum, quare

Psal. 148.

solatium tuū à deo & in deo solo, si optas semper esse in gaudio. Nam omnia alia solatia foris quæ sita nulla sunt, nec durāt, nec sufficiūt, quantumcunque videntur magna. Elige itaq; Iesum Christum dei filium in specialem amicum & cognatum tuum, reliquos omnes relinque propter ipsum. Caue omnem socium volentem te impedire à sancto seruitio Christi, & trahere ad seculum & portas inferni. Lata est enim via quæ ducit ad inferos, & multi sunt qui intrant per eam, ait Iesus Christus. Solus ipse sufficit ad perfectum solatium habendum, qui potest dare regnum cælorum omnibus relinquentibus regnum mundi, & omnem ornatum eius. Transit enim mundus & concupiscētia eius, tanquam fumus vēti, & flos agri arefcens. Sta ergo frater paupercule firmissime in bono proposito semper seruiendi deo, & permane cum fratribus tuis die ac nocte in laboribus multis, in loco isto quē propter deum primitus elegisti, & parentes ac cognatos sponte reliquisti, & integre te deo obtulisti, vt etiam cum eis maxime congaudeas in regno Christi, & omnibus sanctis. Nā pro paruo labore & breui dolore in mundo, reddetur tibi æterna requies in cælo . Recogita sedulo sacra vulnera Christi, & acerba vlcera pauperis Lazari, & proderit tibi in agone quādo debes mori, & de hoc mundo transire.

De paupere & infirmo Lazaro. Cap. 20.

Ego sum pauper & dolens, deus adiuua me . Hæc vox pauperis & infirmi ad deū suspirantis pro regno dei . O pauper & infirme, sustine paciēter per modicum tempus dolores corporis, & penuriam in cibis & vestibus, quia non diu hic eris & dolebis . Gratias age deo, quia leuius est modo flagellari cū pauperibus & debilibus, quàm postea cruciari in inferno cum fortibus & diuitibus . Recordare malorum tuorum præteritorum, quibus deū & proximū sæpe offendisti, & sustine virgam domini in remissionē peccatorum tuorum, de quibus non plene poenitisti nec satisficisti. Memento etiā pro consolatione tua omnium grauium dolorū & sanctorū vulnerū Christi, quia multa & grauiora ipse flagella pro te sustinuit. Memēto quoq; pro alleuatione tui, pauperis & vlcerosi Lazari post mortē in sinum Abrahamæ late recepti : & pauesce finem delicati diuitis post cōiuiua sua in inferno sepulti, vnde nunquā poterit liberari . Vide nunc quid potius eligendum sit tibi, an pati modicum & egere cum Lazaro infirmo, & gaudere semper cum Christo : an deliciarī breuiter superflue cum diuite sano, & subito mori, & sepeliri in inferno, & ar-

Mat.

1. Cor.

Psal.

Lug. 10.

dere iugiter cum diabolo? Intelligenti satis dictum est paucis verbis. Beatus qui intelligit, & emendat se tempestiue de omnibus malis suis, ne damnetur cū impiis, duris verberibus cruciandus. Quem enim modo sacra verba non compungunt nec corrigunt, postea sæua verbera sine fructu lacerabunt, nec vnquam torquere cessabunt . Ab his malis liber est Lazarus pauper & infirmus, ab angelis sanctis in sinum Abrahamæ lætissimè portatus. Audi adhuc multa beneficia dei huic pauperi Lazaro misericorditer ostēsa. Non habuit (vt existimo) amicos diuites se visitantes, nec aliquos seruos aut socios sibi seruiētes, sed (sicut dicit Iesus) canes ad eum veniebant, & lingebant vlcera eius. Ipsi soli in tanta miseria pro solatio sunt relictī. Et quid miserabilius, quàm hominem humano solatio destitui, & bestiis consolandum relinqui? Nec tamen ex ore pauperis impatiētia sonuit, aut vox murmuris, sed potius gratiarum actio, & vox laudis. Sed cui negabat humana impietas solatium, brutorum feritas mansuete exhibuit obsequium . Tu ergo in firme ne murmuraueris si ad horam inconsolatus relinquaris, & infirmitatum stimulis agiteris, sed cogita tibi ex diuina misericordia dispensante id euenire, vt hic sectus hic vitus non pereas . Ipse forte in minutissimis peccatis, tu autem in grauissimis crebrius offendisti. Patienter ergo dolores infirmitatum sustine, & te derelictum interdum ab hominibus gaude, vt cum Lazaro mercaris cælestis regni ianuam introire.

De claro intellectu sacre scripturæ. Cap. 21.

Psal. 118.

Declaratio sermonū tuorū illuminat, & intellectum dat paruulis. Quæcunq; in lege vetēri & noua scripta sunt, ad doctrinam animæ nostræ scripta sunt, vt deo fideliter seruiamus odiendo malum, & adhærendo summo bono corde puro, integro & perfecto hic & in futuro . Quæ igitur ignoras, humiliter quære, & quæ non bene intelligis, pete reuerenter à doctioribus tibi declarari. Nā declaratio sermonū dei illuminat corda paruulorum. Si non potes adhuc altiora capere, tunc parua cum paruulis discere, sicut dominus Iesus dicit: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Quæ ergo intellectū tuum excedūt, noli temere perscrutari, sed omnina hæc spiritui sancto committe, & firmiter vera esse crede, quia spiritus sanctus doctor est omnis veritatis, & non potest testis esse falsitatis. Quòd multi habent multa dubia, non est culpa nec vitium sacre scripturæ, sed cæcitas mentis eorum, & negligentia studij in fa-

Mat. 19.

cris libris, qui continent æternæ salutis necessaria documenta. Igitur canonicas scripturas libenter lege, & expositiones doctorum cum diligentia aduerte, & intelligere stude. Nec tamen propter diligentiam studij est ab oratione & missarum celebratione cessandum. Sæpe enim in oratione & in missa multa secreta deuotis panduntur, quæ pōpōlis & curiosis, scrutatoribus occultantur. Prodest autem valde paruulis & rudibus cum simplicia verba eis proponuntur, nocent vero subtilia, attamen iuuant si obscura dicta explanantur. Et qui diligenter ad lectiones in choro & resectorio aduertunt, & cautius perscrutantur quid intrinsecus verba historiarum continent, pascūtur fauo mellis ex omni verbo dei quod audiunt & legunt. Vnde quādiu homo corpore mortali viuit, semper magis addiscere potest, & ad altiora capiēda proficere: sed ad clarā intelligentiam angelorum & beatorū visionē non attinget, donec ad æternę beatitudinis gloriā Christo auxiliāte perueniat. Solidus & fortis cibus nocet paruulis & infirmis, mollis cibus & tenuis potus nutrit infantes. Simplicia organa & moderata cantica dulcius sæpe resonant & lætificant, alii clamores quasi dura tonitrua debiles animos magis terrent quàm recreant. Crebra fulgura excæcant oculos, lux in laterna conseruat aciem visus. Profunda flumina submergunt incaute natantes, per pontem transeuntes euadunt pericula aquæ securius. Sæpe per iter planum agnus liber transit, vbi bos fortis cadit & rapitur, ligatur & mactatur. Sic simpliciter credens, & humiliter obediens gratiam inuenit, & sibi confidens perdit quod habet. Alta extollunt leuiter superbos, & in fine confundūt gloriantes. Vidi simplices in oratione ex deuotione flere, & alte clamantes & discantantes nil tale in corde sentire . Quare hoc accidit? Quia simplex & humilis deo placere studet in omni quod agit & loquitur. Vox simplicis corde, apud deum in cælo: vox vagi cordis & dissoluti cantoris coram hominibus in vicis & plateis ciuitatis. Qui sensum psalmodum seriose attendit, & paulatim legit & cātat, magnam deuotionis dulcedinem concipit . Vere enim suauis est dominus rectis corde, qui gloriā eius quærunt, non propriā laudē. Benedictus sermo ex ore loquentis & cātantis, vnde cōpungitur cor audientis . Gallus antequam cantet, prius seipsum alis suis verberat & excitat . sic bonus frater & deuotus orator se primitus corrigere debet, antequam alium increpet. Ille bene & prudenter docet, qui à seipso incipit, & primo emendat quod in aliis notat & reprehendit . Sic sanctus Paulus alios

Ne istud ostendat equo se veretho mo inca piendo clarissimo sa- crarum literarum intellectu

instruens, humiliter se peccator ē prę aliis nominat dicens: Quia Iesus Christus venit in hęc mundum peccatores saluos facere, quorū primus ego sum, qui non sum dignus vocari apostolus. Et quare o sanctissime Paule? Quia persecutus sum ecclesiam dei. Vnde ergo sanctus & vas electionis vere digne glorificadus? Non ex meipso, nō ab hominibus, sed per vocationem & reuelationem Iesu Christi, a quo didici mitis & humilis esse, & euangelio eius obedire. Nihil boni mihi attribuo, sed quicquid egi & docui, hoc totum ei principaliter ascribo, qui me vocauit per gratiam suam ad fidem quam prędico & seruo vsque ad mortē.

1. Cor. 15. Nā sola gratia dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua nō fuit, sed semper in me manet & manebit, donec perueniam ad eum qui me precioso sanguine suo redemit & saluauit.

De magnis meritis patientiæ pro Christo. Cap. 22.

Luc. 21. **I**n patientia vestra possidebitis animas vestras. Quando ergo aliquis dure tibi loquitur, aut te iniuste increpat, nō statim irasceris nec dure respondeas, sed tace, aut humiliter loquere, & sustine patienter, sicut fecit Iesus. Nā accusatus a multis tacuit, & flagellatus non murmurauit. Aut si opus est loqui & profiti, tunc respōde benigne, & doce prudēter, sicut Christus dura alapa percussus respondit seruo pontificis verbis rectis & mansuetis. Sic enim alios magis ædificas, & teipsum a cōfusione liberat. In omni euentu rerū & contradictione linguarum prauarū, tene patientiam, & tace pie ad obiecta. Attende profectum anime tuæ in omnibus, quā magni meriti sit patientiæ virtus, quæ ornat animam virtutibus, & ducit ad palmam cum martyribus. Hanc Christus docuit, & factis in passione exemplificauit. Cum enim accusaretur a principibus sacerdotū, & senioribus populi, nihil respondit. Impleuit opere, quod dixit sermone, Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris. Non inuenitur alicubi requies vera & pax secunda, nisi in solo deo, in vera humilitate & benigna patientia, in qua vincuntur omnia aduersa. Sit ergo in deo tota spes tua, non in aliqua creatura parua vel magna, quia sine deo omnia vana, & cum deo omnia bona.

De bonis moribus humilis monachi. Cap. 23.

Cant. 8. **F**vge dilecte mi, fuge. Quare? Propter multa pericula mundi, quæ sæpe homini contingunt qui in seculo conuersatur. Nā qui deo vacare appetit, libenter solus est & orat, studet & scribit, & sic per multa bona ex-

ercitia a vitiorum periculis custoditur, & tempus suum fructuose expendit, & alios ædificat. Qui autem libenter foris ambulat, & hinc inde fabulari desiderat, raro est quin cor suum maculet, & indeuotior ad cellā pacis amicam redeat. Sermo pius & modestus cunctis acceptus, durus & incōsideratus offendit amicos. Qui verax est, vera loquitur: & qui fictis verbis alium decipit, oditur. Verus humilis de bonis operibus laudes non querit, sed omnia bona deo ascribit, & mala sibi. Qui mendacium ore profert, Christum a corde fugat: & qui alta querit, seipsum cōfundit, & iuste decipitur. Qui plane & recte loquitur, ab omnibus honoratur & amatur. Omnes fratres sumus ab vno deo creati, omnes peccatores ex parentibus nati, sed per gratiam Christi ad fidem vocati & baptizati mundamur, & Christo vnimur. Nemo ergo alium cōtemnat, nemo derideat, neque in aliquo lædat, sed potius propter deum iuuet & instruat in quantum valet, sicut sibiipsi fieri desiderat quando indiget. Qui ergo debilem in fide sacris verbis confortat, panem cæli languenti porrigit. Qui tristem consolatur, potum vitæ sitiēti propinat. Qui iracundum sermone blando mitigat, fauo mellis linguam canis vngit, ne duris moribus aliquem lædat. Qui dissolutum tacere facit, magnam pacem inter fratres deuotos generat. Qui aliis se præfert, stultum se ostendit & confusione dignum. Qui in omnibus se humiliat, gratiam ampliore meretur & gloriā. Pius & humilis laqueos diaboli orando frangit & euadit, quos iuperbus vane gloriādo incurrit & perit. A quibus pius Iesus nos semper custodiat, & ad cæli gaudia perducatur. Amen.

De prouida locutione, & fraterna compafsione. Cap. 24.

Luc. 4. **M**edice cura teipsum. Istud in mēte semper habeas antequam loquaris, & aliquem corripas, ne forte amplius pecces indifcrete vel iniuste aliquem arguendo. Os iusti & prudentis seruat tempus & modum loquēdi, & personam ac naturam hominis prius attendit, ne forte perdat aut lædat quem sanare debuerat. Os bene eruditum & discretum est quasi vas solidum auro ornatum, vnguento plenum, balsamo odoriferum, & omni honore dignum. Ex bonis verbis tuis & religiosi moribus seculares ædificantur, pigri excitantur, negligentes arguuntur, dissoluti compunguntur, ignari instruuntur, deuoti inflammantur. Magis enim per viuida exempla homines trahuntur ad contemptum seculi, & emendationem vitæ, quā per multa verba secularis scientiæ. Non est magna

gna ars & virtus velle alios docere & corripere, sed seipsum bene regere, & correptiones pie suscipere, & feruenter se in istis emendare, hęc magna est sapientia apud deum & homines. Disce dubiosa ad meliora trahere, ignota non iudicare, aperta mala cauere, propriū scandalum tegere, mores & defectus infirmorū supportare: & quæ non potes emendare, deo cōmitte. Cogita quod deus in multis te portauit, & adhuc quotidie portat, nec tamen te emendas sicut sæpe dicis & proponis, sed pie te tolerat & expectat, vt peniteas, & infirmitatem tuam magis cognoscas, & veniam humiliter petas, & neminem spernas, nec temere iudices. Porta ergo fratrem tuum in paucis, sicut te deus portat in multis. Paucis verbis deuotus & humilis vitetur, ne per excessum iratus distrahatur. Superbus rigide loquitur, intradus alios perturbat, & correptus turbatur. Miris correptus patienter sustinet, obsecrat magis quā increpat, peccanti condolet, & amicum factis se probat. Qui præesse aliis appetit, periculis se exponit, & vilescit. Amator vanæ gloriæ nescit diu tacere, ne videatur ignarus esse. Erubescit vilia & seruilia opera facere, & post alios stare, & in infimo loco federe. Et tamen honor maximus est in omnibus humilitatem ostendere, & aliis inferiorem se sentire, & omnibus libenter velle propter Christum seruire, qui ait: Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Disce iuuenis prius tacere antequam loquaris, ne coram senibus confundaris. Tutius est tacere, quā insipienter loqui. Magna ars scire tacere cū fueris correptus, & magna sapientia loqui modeste in tempore suo quod iustum est & decet, coram eruditis. Insipientes nescit seruare tempus & modum & ordinē, ideo multa mala illi occurrunt, & iuste reprobatur. Iuuenis audax & ad loquendum velox insipienti similis, & casui proximus. Si instruetus audit, & correptus tacet, & obedit, spes magni profectus erit, & in virtutibus quasi lilium florebit. Grādis superbia stare in propria voluntate deo cōtraria, & nolle acquiescere seniorū cōsiliis & verbis. Sed quia difficile est homini in omnibus verbis & factis modum tenere, & se custodire, ideo religiosi eligunt & querunt in secreto manere & tacere, turbas fugere, & orationi vacare.

De incerta hora mortis, & celeri fine huius vitæ. Cap. 25.

Matt. 5. **V**igilate, quia nescitis diē neque horam. Felix anima, quæ sæpe cogitat de nouissima hora, quādo omnia sunt cessatura in hac vita, læta & tristia, honores & vituperia. Felix anima paupercula propter deū peregrina fa-

cta, quæ spernit oīa mundana culmina, quārumcumq; sint magna & decora. In illa vltima hora peribūt ab oculis oīa castella, villæ & oppida, omnia vasa argentea & aurea, omnia ferula lauta, & pocula varia cū aromatibus dulcorata. Cessabunt pariter lyra, tuba, tibia & cithara, omnis ludus, iocus, risus, saltus, plausus, cantus & discantus, clamor in plareis & in domibus: quia ad nihilum redigētur omniū uiuentium corda, & pauebit a facie dei oīs terra. O quā sapiens qui quotidie hæc pēsat, & ad futura bona & æterna gaudia percipiēda cum fetu se præparat? Beatus qui sponte deserit quęcunque carnaliter delectat in terra, vbi omnia sunt periculis & laqueis plena. Beatus peregrinus qui sæpe gemit & dolet in hoc exilio, & cupit dissolui & esse cum Christo in cælesti regno. Beatus qui odit hunc mundum, & quæ in mundo allicere possunt ad peccandū, & fugit cum Helia in desertum ad monasterium, a facie multorum periculorū, quæ sæpe trahunt hominem incustoditum ad infernū. Beatus qui vigilat die ac nocte cōtra tentationes suas, & frequenter orat cum Helia dicens: Sufficit mihi domine, tolle animam meam: quia melius est mihi cum bona spe mori & decedere in gratia, quā videre mala, & viuere inter tot pericula. Nā quādiu anima est in corpore, & corpus alitur cibis terrenis, non est homo purus a peccatis omnibus, nec liber a tentationibus suis, neque certus a casibus futuris. Decipitur ergo valde & errat tanquam insipientis corde, qui hic diu viuere appetit, & multa agere proponit, & nescit an craftinum habebit. Memento homo nobilis & diues in deliciis tuis, qualis eris post mortem in terra sepultus. Et quid proderunt tunc omnes diuitiæ? En hodie rex viuuit & imperat, & cras non inuenitur nec auditur. Hodie in alto folio sedet, & aureo pallio vestitur, & cras sub terra sepelitur, & amplius non videtur. Hodie a multis honoratur, & cras a nullo curatur. Hodie magnificatur ab omnibus, & cras priuatur diuitiis & honoribus, villis & castellis. Hodie speciosus præ filiis hominum & in numero regū, & cras cibus vermium, & foetor narium. Sicut nudus venit in mundum, sic quasi pauper & exul fertur in sepulchrū. Nā omniū deliciarū & pōparum seculi breuis finis, mors, dolor, luctus, & pavor inuadit omnes. Moritur dominus papa & cardinalis, & succedit alius cito moriturus. Nemo quippe vnus diei certitudinē viuēdi habet, nec impetrare potest a papa bullam nunquā moriēdi, nec obtinere pecunia præbendā iugiter manentē. Sæpe enim post impetratā gratiā & prælaturā repentina mors venit, & omnia simul tollit. Sicque fit vt

ita pauper & nudus homo de Roma recedit, sicut prius ad curiā venit. Legitur in historiis de multis antiquis patribus qui valde diu vixerunt, qui fuit, qui fuit, qui fuit, & sic de aliis sequentibus, & in fine cōcluditur, & mortuus est. Omnes enim morimur, & tanquam aquæ labimur in terram, vnde facti sumus. Quid est totum tempus vitæ nostræ, nisi nūc breue instans, quasi ventus volans, & aurora mane pertransiens, & hospes non reuertens? Quasi fulgur cæli in ictu oculi, sic pereunt omnia regna & tēpora mūdi. Numera omnes dies, horas, menses & annos vitæ tuæ, dic vbi iā sunt? Transferunt tanquam ymbra solis, & perierunt sicut aranea texens. Flauit ventus, & periiit opus eius. Nihil ergo stabile & durable super terrā, de qua factus est Adam, & filii eius. Totum enim vanum & fragile, quicquid videtur in seculo magnum decorum & delectabile. Non ergo te decipiant illecebræ, nec frāgant iniuriæ. Qualitercunque sit aliquid ornatum coloribus, aut auro & argento & gemmis preciosis decoratū, vilescit & arefcit mortuū ac sepultum. In omni igitur opere quod agis, & in quocunque loco fueris, quocunque pergis, & quacunque transis, memor esto finis vitæ tuæ, & vltimæ horæ quā nescis. Felix qui cupit cum Paulo dissolui, & esse cum Christo. Hoc enim multo melius, quā in carne diutius viuere & à deo peregrinari, & in fluctibus seculi quassari & turbari. Si Iesum in mente semper geris, & vere diligis, & ad eū quotidie oras, tunc vtique fiduciam habebis de regno eius qui ait: Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Beatus ille seruus, qui meruerit audire in extremis dulce verbum Christi, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium domini tui.

De æterna laude dei, & desiderio æternæ gloriæ. Cap. 26.

Lauda anima mea dominū, à quo omne bonum procedit, & nunc & in æternum permanebit. Ad ipsum ergo omnia referre debes, sicut ad omnis boni principium & finē, & cum magna gratitudine ipsum intime laudare, vt iterum in te fluant dona cælestis gratiæ largiori munere, donec peruenias ad fontem perennis vitæ, & ad patriā claritatis æternæ, & visionem diuinitatis & gloriæ. Nil quippe tibi melius, nil salubrius, nil suauius, nil iucundius, nil dignius, nil altius, nil felicitius, nil perfectius, nil beatius, quā ardētissime amare & altissime laudare deum. Hoc centies dico, hoc millies replico. Nullum studium elegantius, nullum opus eminentius, quā amare & laudare deum creatorē ac redemptorem tuum ex toto corde tuo, ex tota

2. Reg. 14.

Philipp. 1.

Ioan. 12.

Matt. 25.

Ama & lauda Deū, & omnia facis.

anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Hoc age quādiu viuus, sentis & intelligis, hoc perface opere & sermone, die ac nocte, mane, meridie, vespere, omni hora, omnique momēto. Pro posse & nosse, integre, pure adhære semper deo, vt sit deus omnia in omnibus, ante omnia & super omnia à te dilectus, benedictus, laudatus & superexaltatus in secula, & tibi bene cum eo sine fine. Exulta ergo anima fidelis in domino deo tuo, sicut beata virgo Maria exultauit in Iesu salutari suo. Exulta & lauda deum tuum qui te fecit & redemit, quia debitor dei es in valde multis & magnis beneficiis, & quotidianis bonis tibi benigne collatis, pro quibus omnibus plene & digne deo regratiari nunquam sufficis, etiam si angelus sanctus esses. Attamen lauda & gratias age, vt homo mortalis, misericordia dei indigens, & eam semper querens & implorās. Non cesses orare & laudare deum. Licet sepe cadis, peccas & eum offendis, non tamen inde desperabis, sed magis te humiliabis & orabis. Ama & amaberis, quia amor omnia mala preterita emendat, purgat & sanat, illuminat & accendit, fugat tristitiam, & parit cordi gaudium, quale mundus non nouit, nec caro & sanguis sentire valet. Lauda deum & laudaberis, benedic & benediceris, sanctifica & sanctificaberis, magnifica & magnificaberis, glorifica deum & glorificaberis ab eo in corpore & in anima. Sed quando erit hoc domine? quādo replebis os meum laude perpetua, & exultabit cor meū & anima mea cum sanctis tuis in gloria tua? Sustine tempus ad modicum, & videbis mirabilia magna cum sonuerit tuba nouissima. Tunc dabo sanctis meis pro omni labore & dolore requiem & vitam æternā. Quid vis amplius? Proferus nihil. Tu solus sufficis mihi deus meus, qui das vitam æternam amatoribus & laudatoribus tuis, pro paruis immensa, pro infimis summa, pro perituris æterna. Da te ipsum deo & totum quod habes, da ei quicquid agis, scis & vales, & eris di-tior, & charior deo quā fuisti. Dic cum sancto Paulo, Tanquam nihil habentes pro proprio, & omnia possidentes in deo. Quasi viles & pauperes ac tristes in hoc mundo, sed diuites ac hilares semper in domino, certi de futuro prēmio in celo. O domine deus salutare vultus mei & deus meus, quando lætificabis me in regno tuo clarissimo vultu tuo? O quando illuminabis omnes tenebras meas splendore lucis æternæ? quando auferes omnia obstacula mea de medio cordis mei, pax vera, beatitudo summa, & felicitas perfecta? O quando sine omni impedimēto contrariorū sequar te securē & liberē quocūq; ieris domine?

Luc. 1.

2. Cor. 1.

ne? O quando oculis meis clare te videbo sine speculo, sine ænigmate, sine parabolis, sine figuris, sine quæstionibus, sine dubiis, sine opinionibus, sine interrogationibus à magistris? O quando omnia sciam quæ credo in scripturis sanctis, & lego in libris variis, & audio auribus meis à lectoribus in multis locis, de deo meo, de angelis & omnibus angelorum choris, de gloria & beatitudine cælestis patriæ, de pace & ineffabili gaudio ciuium supernorū? O quando ibi ero? quando veniam & apparebo in conspectu tuo, & contemplabor lætam faciem tuam & gloriam regni tui cum cherubim & seraphim & omnibus sanctis? Sed nondum venit hora illa, clausa est adhuc ante me cæli porta. Ideo gemo corde & ore quādiu hic fuero, donec veniam ad te deus meus.

De laude sanctorum angelorum in celo. Cap. 27

In conspectu angelorum psallam tibi. O rex altissime, deus summē laudabilis, creator omnium rerum, angelorum & hominū, quādiu morabor in terris, & elongabor à te & ab omnibus sanctis angelis tuis in cælis? Heu me pauperem & infelicem, quādiu māducabo cum hominibus panem terrenum, panem laboris & doloris, & priuabor pane angelorum continente omnis saporis suauitatem? O domine quando audiam vocem laudis tuæ ex ore angelorum tuorum in celo, sicut beatus Ioānes apostolus relegatus in exilium audiuit vocem multorum angelorū psallētium in vnū, sanctus sanctus sanctus? O vtinam essem vnus cum ipsis, & talem vocem haberem? Quā libenter vellem te laudare cum eis, & super omnia altissima cæli cantica cantare & magnificare nomen sanctum tuum in æternum? O cherubim & seraphim quā dulciter quā pulchriter quā feruenter & excellenter cantatis & iubilaris coram deo, sine omni tædio, sine fatigatione, sine cessatione in æterna felicitate. Ideo omnis vox humana est mihi rauca, omnis cātus dissonus, omnis psalmus aridus, omnis musica grauis, omnis cithara surda, omne organum mutum, omnis mundi lætitia grandis tristitia, omnis ludus vlulatus, omnis cibus & potus insipidus, omnis caro fœnum, omne vinum fel & acetum, omne mel venenum, omne iucundū asperū, omnis decor fœtor, omnis ornatus stercus, omnis honor & gloria vanitas & fumus, omne preciosum & nobile vile & deforme, immo omnia nulla comparatione æternæ vitæ, æternæ gloriæ, æternæ lætitiæ in conspectu dei & angelorum, qui altissime collaudant sanctam & glorio-

Psal. 137.

Sap. 16.

Apoc. 14.

sam trinitatē die ac nocte sine fine. Sed quia ad ista sublimia cælorum cantica ascendere nequeo, nec plene ea comprehendere sufficio, ideo me ipsum plango, & valde despicio, & coram deo & omnibus hominibus flecto genua mea, & humiliter veniam peto. Nam opera mea vere nulla sunt sine gratia & misericordia tua domine, quā maxime ostendis super omnem creaturam tuam sine numero & mensura: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quā profunda sunt iudicia tua & vera à seculo vsque in finem seculorum, super bonos & malos, super gratos & ingratos, super pios & impios, ita vt nemo possit plene inuestigare opera tua: nec debeat iuste conqueri in aliquo facto improviso. Benedictus ergo semper deus meus.

Oratio deuoti amatoris & laudatoris dei. Cap. 28.

Irigatur domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Cupio domine deus meus cum omnibus sanctis tuis & creaturis in omni loco & tempore deuote te laudare, benedicere & prædicare, & puro corde semper amare, & super omnia opera tua nomen sanctum tuum magnificare & exaltare in perpetuum: Quoniam tu es deus meus, & ego pauper seruus tuus. Tu lux mea & spes mea deus meus. Tu fortitudo mea, patientia mea, laus & gloria mea deus meus. Tu sapientia mea & prudentia mea, pulchritudo mea, & dulcedo mea deus meus. Tu musica mea & cithara, organum meum & tympanum meū deus meus. Tu psalmus meus & hymnus meus, cantus meus & iubilus meus deus meus. Tu galea mea & lorica mea, arcus meus & gladius meus deus meus. Tu thesaurus meus, aurum meum, argentum meum, talentum meum, ad soluendum omne debitum meum deus meus. Tu domus mea & castrum meū, & palatium meū deus meus. Tu scutum meum, & vexillum meum, turris fortitudinis & defensor vitæ meæ deus meus. Tu ortulus meus & pomarium meum, viridarium meum & refrigerium meum deus meus. Tu aula mea & mensa mea, cibus meus & potus meus deus meus. Omnis enim cibus qui non est à te coctus & paratus, insipidus est mihi, deus meus. Tu cinnamomum meū & balsamum suauitatis meæ, nardus mea & electa myrrha mea cum preciosis vnguentis deus meus. Tu rosa mea & lilium meum, tu seruum meum & corona mea deus meus. Tu thalamus meus & lectulus meus, sudarium meum ad tergendū, linteum ad inuoluendum deus meus. Tu lucerna mea & lampas mea, candelabrum meū & sydus meum deus meus. Tu liber meus in-

Rom. 11.

Psal. 140.

De^o anī
mæ amā
ti est o-
mnia.

tus & foris scriptus, biblia mea in qua tota sacra scriptura iacet, magister meus & deus meus. Tu lector meus & instructor meus, medicus meus & apothecarius meus deus meus. In te omnia inuenio & habeo te donante & miserante: & quicquid extra te quero & desidero, parum vel nihil mihi prodesse sentio. Aperi ergo cor meum in lege tua sancta, redde mihi læritiam salutaris tui, dilata cor meum ad currendam viam tuam, confirma me in verbis tuis, quia non est qui adiuuet, nõ est qui præter te saluum faciat, & ad vitam æternam perducatur. Exaudi me deus meus cum deprecor, cum tribulor, cum læror, cum sanus sum. In omnibus me tibi commendo, & te in æternum benedico. Amen.

Psal. 118.

De vnione cordis cum deo habenda.

Cap. 29.

Psal. 114

Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Ipse enim est requies tua, & pax tua, ipse vita, salus, & beatitudo tua. Igitur omnia opera bona quæ facis, vides & audis, semper ad laudem dei referas, vt pacem & bonam conscientiam habeas.

Animo diligenter Dei felicitas.

Non in te nec in aliis stes, nec mancas nec exultes: sed in deo solo pure, firmiter, & perfecte, qui dat omnia & operatur omnia in omnibus pro sua magna bonitate & immensa clementia. Quis mihi det talem gratiam, vt omnia ad laudem & honorẽ domini dei mei referam, & recte faciam sicut teneor & possum facere, & nulla res parua vel magna a deo me retrahat, nec inficiat nec conturber, nec in aliquo impediatur? Sed forte mihi non est possibile ad hæc modo posse venire. Est tamen totum deo possibile, qui animam deuotam potest sibi per gratiam in amore cito vnire.

Amoris est vnire

Hoc enim perfectus & purus amor dei in momento facere potest quotienscunq; voluerit, vt omnibus oblitis sibi soli sum perfecte vnitus, & igne amoris eius vehementer accensus & liquefactus. O deus meus amor meus in loco peregrinationis meæ, quando ero tibi totus vnitus cum omnibus animæ meæ viribus a te mihi datis & gratiose infusus? Sileat ante te omnis creatura tua deus meus, tu solus mihi loquaris assis & illumines, qui es omnia in omnibus, & super omnia cæli luminaria æternaliter benedictus. Felix anima in hoc mûdo desolata, a deo consolata, ab hominibus ignorata, sanctis angelis nota, a malis neglecta, a bonis requisita, a superbis despecta, ab humilibus dilecta, a secularibus separata, a spiritualibus congregata, a magnatibus derisa, a paruulis honorata, foris quasi mortua, intus semper viua, carne afflicta, spiritu læta, corpore debilis, mente fortis, vultu deformis,

1. Cor. 15.

conscientia pulchra, labore fatigata, oratione roborata, onere pressa, solatio erecta, carne in mundo tenta, spiritu ad cælum rapta, & Christo copulata. Felix qui Iesum & Mariam & omnes angelos & sanctos dei habet amicos in hac vita, duces in via, consules in dubio, doctores in studio, lectores in mensa, sodales in cella, familiares in colloquio, cantores in choro, custodes in periculis, adiutores in prælio, defensores contra hostes, intercessores pro peccatis, subuentores in extremis, confortatores in agone, aduocatos in iudicio, patronos coram deo, susceptores in cælo. Sit tibi religiose & deuote frater postquam reliquisti seculum, pro terrenis parentibus deus cæli pater, Iesus frater, virgo Maria mater, angeli amici, religiosi cognati, omnes fideles propinqui, senes auunculi, iuuenes fratres, coniuges matres, virgines sorores, pauperes nepotes, peregrini consobrini, mites & humiles confodales, sobrij & casti commensales, infirmi & debiles familiares, afflicti & oppressi contubernales, derisi & despecti multum amicabile, omnes deuoti honorabiles, omnes mundum spernentes & Christo seruientes coheredes regni cælestis. Hæc est generatio sancta nobilisque progenies, ex deo nata, deo placita, fide fundata, spe roborata, charitate ornata, patientia armata, igne probata, constantia firma.

De vera pace in solo deo quaerenda.

Cap. 30.

Pax vobis. Ego sum, nolite timere. In Christo Iesu rota salus & vera pax anime consistit. Et qui Christum diligit, habet pacem, & in eo quiescit: nec vltra eum nec supra eum quid querere plus affectat. Pax animæ fidelis in hac vita, ferre multa aduersa pro amore dei & nomine Christi. Decipitur & errat, qui aliter sentit & cogitat. In vanum laborat, qui deum in omni facto suo & cogitatu non præponit, nec ipsum pure querit & cupit. Non est pax impiis, dicit dominus: sed pax multa diligentibus legem tuam domine. Pax quam Christus docuit & promisit, in profunda humilitate existit, & in abnegatione propriæ voluntatis, in mortificatione omnis prauæ delectationis, in abiectioe omnis mundanæ laudis, & externæ consolationis in rebus perituris. Custodi ergo cor tuum ad intra, & omnes sensus tuos ad extra, ne capiari aliqua illecebra & recreatione animæ tuæ nociua. Iuuant sepe creaturæ, si ad creatoris laudem & honorem dei recte & pure referantur, vel ad aliquam utilitatem suam vel alterius profectum moderate & discretè assumantur. Nocent autem sepe res pulchræ, si curiosè, impudicè & male

concupite

concupitæ aspiciantur, & desuper delectant, & contra rationem & honorem dei placent & animum mouent. Nam sicut boni se custodiunt, ita incauti vincuntur vitiiis. Tentat diuitiæ, corrumpunt pecuniæ, inficiunt deliciae, necant epulæ multæ, inflant scientiæ, tumunt potentia, eleuant honores. Respuunt peruersi humiles mores, vanæ laudes seducunt animos leues. Fatui sunt omnes & væcordes, qui ista terrena quaerunt, & pro magno reputant, quæ animam satiare non possunt, nec quiescere permittunt. Omnia temporalia delectuosa & indurabilia sunt, & præter deum nil est perfectum, nec pro summo gaudio & optimo bono habendum. In nulla ergo creatura viua, vel pulchra pictura, aut nobili genitura, aut alta statura, aut magna prælatura pone cogitatum & desiderium tuum, si non vis falli, turbari, & inquinari, quia totum vanum lubricum & noxium est, nisi omnia trahas ad deum, a quo omne bonum, & in quo omnia viuunt & consistunt. Non ergo vanè glorieris homo fragilis & mortalis, in multis culpabilis, & ad malum cito labilis, & ad standum & permanendum in bono debilis: nec confidas tibi ipsi nimis: nec stes fixe in te, nec in aliis, alte cogitando & præsumendo, sed quicquid boni consideras & intelligis in te & in omnibus creaturis, totum deo pure & integre offer & ascribe. Tunc pacem & quietem cordis inuenies in Christo, & non in aliquo bono creato, & implebitur in te & de te dulces & sanctum verbum Christi ab eo in monte prædicatum: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Cui laus honor & gloria ab omni creatura in secula seculorum. Amen.

Matt. 5.

De recta intentione ad deum erigenda.

Cap. 31.

Psal. 24.

Oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellit de laqueo pedes meos. In omni cogitatione locutione & operatione tua, habeas semper rectam & puram intentionem ad deum, vt omnia facias ad laudem & gloriam & honorem dei, & proximi ædificationem. Ipse est causa omnium bonorum meritorum, atque largitor æternorum præmiorum. Ipse principium & finis omnium operum tuorum esse debet, ne perdas fructum laborum tuorum. Si memor fueris terribilium iudiciorum dei, non vane gloriaberis. Pessimâ pestis vana gloria, & velle laudari foris ab omnibus. Hoc vtiq; vanissimum est, & superbiæ signum, gratiæ dei contrarium. Quid ergo facies, & in quo confides & sperabis? Non in te nec in homine, nec in aliqua re mundi, nec in stellis cæli: sed in solo creatore deo tuo, qui fecit te,

& habet te & omnia creata simul in manu & potestate sua sine onere & adiutore. Dic ergo & ora cum Dauid in psalmo: Oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellit de laqueo pedes meos. Et iterum. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. Relictis ergo vanis rationibus & consiliis hominum, in cunctis necessitatibus tuis potius cum precibus & sanctis desiderijs recurre confidenter ad dominum deum tuum, quoniam ipse est qui euellit de laqueo pedes tuos, vt non moueris a recta via virtutis & vera humilitate, sed stes fixus in deo vsque in finem. Omne opus bonum propter deum factum lætificat conscientiam, illuminat mentem, & ampliorem meretur gratiam. Omne autem malum opus mortificat agentem, & maculat famam bonam, & impedit diuinæ consolationis influentiam. Qui aliquid propter vanam gloriam facit, elationis vento lucernam extinguit: & qui propter mundum agit, & apparere appetit, cito deo irascente in lutum cadit. Non ergo læteris in aliqua felicitate huius mundi, quemadmodum stulti: sed sta semper in timore dei, & cognitione fragilitatis tuæ. Frequens lapsus & facilis error tuus, docebunt te humiliter & viliter de reipso sentire. Neminem velis in hac vita nimis laudare, quia nescis qualis sit quisque futurus. Nec temere iudices cadentem, quia potest deus cito erigere stetem. Pro omnibus ora, & omnes deo committe. Esto vilis in oculis tuis, vt fias magnus coram oculis dei, qui humiles respicit, & altos a longe cognoscit, & subito prosternit. Si ab hominibus despiceris, & alij tibi præponuntur, ne tristeris nimis, quia melius & securius est humiliari cum mitibus & simplicibus, quam a deo reprobari cum diuitibus & elatis. Caue laudari, time magnificari, erubescere honorari, fuge reputari, quere latitare. Elige deo vacare, sacris lectionibus & deuotis precibus sedulo immorari. Non est sine laude & honore, qui propter deum spernit laudes & honores. Nec est sine solatio diuino, qui omnia huius mundi gaudia reputat pro nihilo, & omnia sibi contraria sustinet libenter pro Christo, & quotidie anhelat esse cum eo in cælo.

Oratio humilis & contriti spiritus.

Cap. 32.

Ad te domine leuavi animam meam, qui habitas in cælis. O domine deus qui omnia prouide ac iuste disponis in cælo & in terra, cum angelis & hominibus & omnibus creaturis tuis, accipe pro magnis laudibus & gratificationibus tibi debitis omnes tribulationes & angustias cordis mei in vera contri-

Psal. 37.

Psal. 24. & 117.

tione peccatorum meorum tibi modo oblatas. Conuerte mihi omne malum in bonum, & bonum semper in melius, pro gloria nominis tui, & animæ meæ æterna salute. Tu scis omnem infirmitatem meam, & magnam ignorantiam meam, atque quotidianam instabilitatem memoriæ meæ, quàm cito vagor huc illuc longius à te sapiissime. Parce mihi domine secundum multitudinem miserationum tuarum, & reduc me citius ad te. Conserua cor meum apud te in deuota oratione & sacra meditatione die ac nocte. Quantum mihi est possibile in hoc fragili corpore, cupio placare benignissimam faciem tuam muneribus sacris & precibus, & præcipue tribus pauperum obolis, contritione cordis, confessione oris, & satisfactione humilis operis. Domine deus meus summe amabilis, memento mei pauperis, quia homo sum fragilis, nõ angelus sanctus: peccator magnus, non innocens agnus: tepidus orator, non feruidus contemplator. Et ideo nec dignus seruator tuus: nec inter deuotos oratores de beo computari, nec videri, nec nominari. Domine mi charissime, accepta sit tibi obsecro humilis oratio mea, & amara contritio peccatorum meorum, pro dulci cãtu & iubilatione angelorũ, & cõcordi laudatione omnium cælestium ciuiũ supernorum. Veruntamen non despero nec desperabo de venia & misericordia tua, quanuis sepius cado, & grauior in meipso ex infirmitate mea. Non cesso nec cessabo à laude tua in via mea: sed laudabo & magnificabo te, donec ad te perueniat, õ deus, anima mea. Nam te semper laudare & super omnia amare, summa felicitas est angelorum & beatorum in patria.

De bona societate cum Iesu & sanctis eius. Cap. 33.

Quærite deum, & viuet anima vestra. Nihil melius, nil animæ felicius. Qui aliud quærit, nihil in fine obtinebit. Si ergo vis habere bonum socium pro solatio, quære Iesum cum pastoribus in præsepio, aut cum sanctis magis in matris gremio, aut cum Symeone & Anna in templo, aut cum Martha in castello, aut cum Maria Magdalena in sepulchro, aut cum apostolis in coenaculo, ad accipiendum spiritum sanctũ cum magno gaudio. Beatus qui in his, & aliis sanctis locis Iesum deuote quærit; non corpore, sed spiritu & veritate. Beatus qui in omni loco & omni tempore Iesum intime quærit, & magnis desiderijs ad eius claram visionem & præsentiam anhelat, & quotidie se præparat. Beatus qui Iesum in vita sua per passionem & crucem sequitur, quia in extremis bene ipsi cum Iesu erit, & ab auditione mala non timebit. Non

Psal. 68. Iesus vbi quærendus. Luc. 1. Matr. 2. Luca. 2. Luc. 10. Ioan. 20. Act. 1.

solum Iesum quære, sed etiam discipulos Iesu, & omnes diligentes Iesum, & qui patienter ferunt aduersa propter Iesum. Amor nanque Iesu & amicorum eius mundum spernit, & omne vanum & impurum longe à se repellit. Relinque ergo amicos & notos ac sodales extraneos qui in solitudine & deuotione te impedire possunt, & quære pro singulari solatio tuo in secretario cellæ familiaritatem cum sanctis apostolis & cognatis Iesu, vt loquatur tibi de regno dei, & statu æternæ beatitudinis, & quomodo per multas tribulationes possis ad eorum societatem peruenire. Accede autem ante omnes sanctos & sanctas cælestis curiæ ciues ad secretum tabernaculũ atque oratorium beatæ Mariæ virginis à seculi turbis remotum, & quære ibi solatium animæ tuæ precibus insistendo. Audi quomodo angelus domini cum Maria loquitur de incarnatione Christi, & redemptione generis humani. Felix dies & beata hora, si poteris ibi facere moram cum angelo Gabriele & beata virgine Maria, audiendo ab eis mysteria cælestia. Crede firmissime omnia esse vera per angelum Mariæ nunciata, sicut Maria credidit deo, & angelo eius sibi misso de celo. Deinde quære diligenter sanctum Ioannem Baptistam præcursores domini nostri Iesu Christi in eremo latentem, & flexis genibus saluta eum deuotissime supplicando: Aue sanctissime & dilectissime amice Iesu Christi Ioannes. Multa bona & magna mirabilia audiui de te, quàm sancte & miraculose sis natus, quàm stricte & religiose fuisi à puero in solitudine conuersatus: ne leui saltem fame aut cogitatione peccares. Quære ab eo quando ibidem solus manserit, & maneat cum eo quantum placet, & tempus permiserit. Disce ab eo quid comederit & biberit, & quis ei necessaria ministrauerit, vtrum pater eius & mater aliqua ipsi miserint, & quandoque ad eum venerint, vel ipse ad eos, videndos exierit, an etiam sanctus angelus Gabriel ad eum quandoque descenderit, & multa secreta ei reuelauerit, & an Iesus ei personaliter apparuerit, & manus eius confortauerit, sicut scriptum est in euangelio: Etenim manus domini erat cum eo. Quicquid de istis sit, totaliter spiritui sancto committe, qui ipsum impleuit, docuit & crexit, & totam vitam eius virtutibus ornauit, & vsque ad exitum vite in eremo & inter homines & in vinculis & in carcere custodiuit, & tandem cum martyrij palma animam eius suscepit. Deinde ad apostolos Christi procede, & quære sanctum Petrum, & vade cum eo in templum ad orandum: vel etiam in coenaculum ascende ad accipiendum spiritum sanctum.

Familias & consuetudines sanctorum ambleda.

Luci.

Ioan. 8. pult.

Luci.

Petrus. Act. 1.

Paulus. Quære etiam Paulum in Damasco & in Epheso, & vade cum eo per omnia ad prædicandum euangelium Christi non in corpore, sed in spiritu. Ecce quomodo plus omnibus laborat, & quàm sæpe orat, & quàm frequenter in orando & contemplando rapitur per excessum in cælum. Sublimis volatus iste non omnibus datur, & tamen ad ima descendens dicit: Ego non arbitror me comprehendisse. Et iterum post alia, ad instruendum humiles in vita & in passione Christi ait: Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Sequere sanctũ Paulum, & ducet te recta via ad Christum, & per crucem ad cælum. Vade vltorius & quære Andream apostolum in Achaie partibus prædicantem Christum, & audi verba pendentis in cruce pro Christi nomine. Signa ea in corde tuo, & stude implere eum gaudio, inspirante & iuuante spiritu sancto quæcunque loquitur de passione Christi, & sanctæ crucis laudibus. Quære consequenter sanctum Iacobum maiorem passum & occisum ab Herode, & bibe cum eo calicem passionis huius miserabilis vitæ, patienter tolerando dolores pro amore dei, & animæ tuæ salute. Deinde procede, & quære Ioannem apostolum Christo dilectum, & pro nomine Iesu in exilium relegatum, ab omnibus secularibus curis & negociis segregatum, vbi diuina reuelatione altius illustratus, apocalypsum de statu totius ecclesiæ militantis & triumphantis, figuris & mysticis verbis scripsit, & post hæc etiam pro omnium ecclesiarum & fidelium eruditione & consolatione sanctum euangelium de diuinitate Christi vltimus edidit. Lege & stude in istis & aliis sacre scripturæ libris, pro captu tuo & consolatione exilij tui in hoc mundo, non vt doctus & sapiens videaris, sed mitis & patiens, humilis & obediens vsque ad mortem efficiaris. Quære adhuc alios sanctos apostolos pro consolatione tua, in Christi seruitio occupatos, pro fide & amore Christi occisos, verbo & exemplo multos ædificantes. Vide sanctum Iacobum fratrem domini epistolam canonicam scribentem, formam christianæ vitæ & religionis perfectionem continentem. Quære & sanctum Thomam in India, qui vulnera Christi reuerenter palpauit, firmiter credidit, & cum seruenti amore aperte clamauit dicens: Dominus meus, & deus meus. Quære etiam cum magno desiderio sanctum & eruditum apostolum Mattheum euangelistam scribentem hebraicis literis Christi euangelium toti mundo profuturum, omnibus nationibus populis & linguis variis ad salutem destina-

2. Cor. 12.

Philip. 3.

1. Cor. 7.

Andreas.

Iacobus.

Ioannes euang.

Apoc. 1.

Iacobi epistolæ laus.

Thomas.

Ioan. 20.

Mattheus.

tum. Simili modo & affectu quære alios sanctos apostolos & discipulos Iesu Christi in locis suis verbum vitæ retinentes, & populum docentes, & vsque ad mortem in vinea domini laborantes. Isti sunt sancti & amici dei, qui sanguine fuso per coronam martyrij meruerunt vitam æternam. Lege ergo libetè vitam & passiones eorum, & consolaberis in laboribus & doloribus tuis, quia nihil est quod tu facis & pateris pro Christo in seruitio dei, comparatione sanctorum & aliorum deuotorum.

De summo bono & vltimo fine in solo deo ponendo, Cap. 34.

Satiabor cum apparuerit gloria tua. O domine quomodo potest homo ad hæc gloriam peruenire? Per cõtemptum sui & omnium terrenorum, & per ardentem amorem omnium cælestium bonorum. Testes sunt animæ sanctorum lætantes in regno cælorum, & omnes fideles certantes & laborantes contra tentationes vitiorum. Ab hoc glorioso fine & summo bono æternaliter fruendo longe distant superbi dæmones, infideles pagani, peruersi Iudæi, & hæretici indurati, homines carnales mundum diligentes, deum negligentes, & in terrenis bonis & honoribus ac laudibus finem suum & felicitatem constituentes: qui, heu deus, propter hæc habenda augenda & seruanda currunt, laborant, student, vigilant, & fere nunquam quiescunt, nec sollicitare cessant donec aliquid acquirat. Et cum acquisierint, siue rectum siue indirectum fuerit, adhuc nõ contentantur: sed ad altiora scandere & gloriari super ceteros concupiscunt, & intumescunt, doctos se iactant, magnos se existimant, & ab aliis honorari affectant. Et tamen totum est vanum lubricum & nihilum, & finaliter periculosum & perditum, quod quærunt & cupiunt. Certe erratis & vos ipsos decipitis, quibus mundus adhuc dulcis est, & iucunda vita præfens, qui nil certi habetis de omnibus bonis vestris, & quotidie morti & iudicio dei futuro propinquatis. Nihil enim est in hac vita ita iucundum, quin habeat aliquid amaritudinis annexum: nil in creaturis tam preciosum & bonum & delectabile, quod possit animam hominis satiare & beatificare, ab omni malo eripere, & omni bono replere, & semper lætificare, nisi solus deus summe bonus æternus & immensus. Hic est creator omnium rerum visibilibus & inuisibilibus, angelorum & hominum, qui est ante omnia & super omnia & in omnibus deus benedictus in secula. Quid enim digne de deo dici potest aut cogitari ab aliqua creatura in celo & in terra? Excedit nanque deus omnia, ante cuius

Psal. 16.

oculos omnia videntur vana & nulla. Ideo fatua est omnis anima, & permanebit semper egena & misera, quæ extra deum aliqua querit & diligit, quæ a dilectione & honore dei mentem separant. Magna & mirabilia opera tua domine, & cogitare & perscrutari singula non est mihi nec alicui creaturæ possibile. Quid igitur faciam, quia non possum altiora capere, nec secreta cælestia penetrare, neque cum angelis faciem dei mei contemplari? Indignum me fateor tantis bonis frui, & cum sanctis in cælo conuersari. Ideo me semper humiliabo & despiciam coram deo & omnibus hominibus, quandiu fuero, & ero vilis in oculis meis, ut deus misereatur mei peccatoris nunc & in omnibus horis. Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, quibus iram merui, & placabo in gemitu & fletu deum, quem offendi sæpius verbis, factis, visu, auditu, & cæteris sensibus meis, quos mihi ad feruendum sibi dedit in toto corde meo quandiu in corpore viuo. Sed ne desperem & deiciar in malis meis, recordabor domine omnium bonorum tuorum, & omnium misericordiarum tuarum quæ a seculo sunt, donec ad te auxiliante gratia tua merear saluus peruenire. Libera me ab omnibus malis irruentibus, subito in me, quæ retrahunt sæpius cor meum a cælestibus bonis meditandis. Adesto mihi pie deus, & pone me iuxta te, ne incipiam vagari & elongari a summo bono quod tu es domine. Nam in te solo totum bonum meum. Da te ipsum mihi, & sufficit animæ meæ domine deus salutis meæ. Amen.

F I N I S.

Incipit consolatio pauperum & infirmorum.

Consolamini consolamini popule meus, dicit dominus deus vester.

Pauper.

Noli pauper contristari, quia diues non es.

Debilis.

Noli murmurare debilis corpore, qui sæpius infirmaris, nec habes quod delectat.

Lazarus infirmus.

Gaude in domino frater Lazare qui multis vulneribus modo repleus, quia tibi præparatur æterna requies pro modico & vilis cibo maleque parato, & pro breui dolore in corpore sustentato. Pro micis tibi negatis habebis splendidas epulas in conuiuio cælestis regis, & comedes semper panem cæli de mensa

Iesu Christi in regno patris sui. Pro vulneribus tibi inflicis habebis coronam miræ pulchritudinis, ornatam floribus immensæ suauitatis. Pro canibus lingentibus vulnera tua, habebis angelos tibi seruientes in lætitia magna, laudantes deum pro tua multiplici inopia & benigna patientia.

Ioseph peregrinus.

Lætare frater Ioseph innocens & mansuete pro longa peregrinatione tua in terra aliena, ubi non habes amicos te visitantes & honorantes, & munuscula tibi dulciter offerentes, quia magna erit merces tua in cælesti patria, & consolaberis ab angelis in paruo latens cubiculo, qui tibi præparabunt amplam & splendidam mansionem in cælo, quia humiliorem locum & viliorum vestem elegisti in hoc mundo.

Claudus despectus.

Exulta frater claudus qui a multis iam despicieris, quia non vales currere per vicos & plateas cum fortibus & diuitibus, qui lætatur in variis deliciis carnis, & subito descendunt ad inferos. Tu vero in secreto maneat, & indefinenter pro te & aliis ora, ac Christum specialiter lauda, qui multas occasiones peccandi tibi abstulit, & cælestis regni portam per arctam viam intrare ostendit.

Columbanus tacitus.

Vbila frater Columbane humilis & taciturne, sine dolo sine felle. Esto nunc obediens vsque ad mortem, qui abnegando temetipsum tollis verè crucem tuam eundo post Christum. Ideo gaudebis cum omnibus sanctis & electis dei in perpetuum: nec timebis damnari cum diabolo in ignem æternum.

Simplicianus indoctus.

Canta & lauda deum frater Simpliciane, quoniam reliquisti prudentiam huius seculi & fallacias diaboli cum nundinis suis, & curas terrenas longe abiiecisti. Gratiarum age quia meruisti audire veri Salomonis sapientiam domini nostri Iesu Christi, in sua humilitate & mansuetudine. Disce frangere propriam voluntatem, & carnis vincere voluptatem, & quotidie certa contra diaboli impugnationem, & cordis euagationem. Sta firmiter, pugna viriliter. Noli recedere a certaminis loco & bono cõsortio, quia tecum est dominus deus tuus & angeli eius, ante quorum conspectum fugiet cito spiritus malignus, tanquam fumus a vento repulsus.

Turtur solitarius.

Vdi turtur gemebunde, attende desiderator vite solitariae, & castitatis amator æternæ. Quando te subtrahis a tumultibus hominum orando, meditando, studendo, tunc

tunc appropinquas cælestibus choris angelorum, & recedent a te imperus dæmonum & imagines turpium idolorum, omniumque nocentium monstra vitiorum. Nemo tam quiete viuit in congregatione, tam lætanter ex hoc mundo transit, quam verus obediens, mitis & humilis corde, renunciens perfecte omni propriæ voluntati, subditus deo & hominibus propter deum ex virtute sine mora. Magna virtus, magna gratia, vincere seipsum, & mori omni hora. Dura pugna: sed gloriosa & æterna præmia reddentur pro victoria consummata.

Enchiridij Monachorum capita.

De recta via iustorum ad regnum cælorum.

Cap. i.

De bona custodia cordis & oris.

Cap. ii.

De frequenti inuocatione nominis Iesu & Mariæ.

Cap. iii.

De certamine contra quotidiana vitia.

Cap. iiii.

De optimis bonis animæ.

Cap. v.

De vera & interna consolatione animæ.

Cap. vi.

De recollectione cordis in silentio oris.

Cap. vii.

De remediis contra vanam gloriam & laudem.


Cap. viii.

Demunditia cordis a vitis & passionibus occultis.

Cap. ix.

De recta via iustorum ad regnum cælorum.

Cap. i.



Crux, v-nica ad regnum cælorum via.

Via iustorum recta facta est, & iter sanctorum præparatum est. Quomodo? Per dolorem & laborem. Sic enim itur ad regnum cælorum. Non est alia via ad vitam æternam? Non. Recta sola via crucis? Ita est. Hanc Christus verbo docuit, & sancto exemplo suo sequendam omnibus præostendit. Hanc omnes sancti secuti sunt vsque ad mortem, iuxta illam domini sententiam, Intrate per angustam portam, quæ ducit ad vitam. O monache, quid facis in cella? Lego, scribo, colligo mella. Hæc animæ meæ solatia. Bene dixisti. Nam cella monachorum in labore & studio librorum flagrare debet. O clerice quid facis in choro? Lego, canto, crimina ploro. Recte respondisti. Nam chorus clericorum in canore & iubilo psalmodum occupari debet, & deum corde & ore laudare, sicut angeli in cæ-

Matt. 7.

Monachi mella in cella.

In choro.

lo. O religiose quid facis in mensa? Fel Christi vulnera penso. Condoleo, numero, per singula vulnera ploro. Iuste & optime pensasti. Nam mensa egenorum in mœrere & fletu dolorum Christi versari debet, & deo regrari. O deuote quid bibis in cocna? Bona domine cocna deuotorum in sacra lectione & sensu verborum delectari debet. Nonne anima plus est quam corpus? Si sapit bonus haustus in ore, multo melius sapit bonus intellectus scripturæ in corde.

De bona custodia cordis & oris.

Cap. 2.

Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Nunquam sis ociosus nec verbosus, nec curiosus nec cachinnosus. Ante laborem & in labore memor sis domini dei tui, ut te custodiat. Semper inter hostes versaris, & inter pericula maris fluctuas: ideo incessanter orandum est, ne vincaris a vitis, & in profundo malorum desperando submergaris. Sta firmiter, & noli deficere in quotidiano certamine, & a tribus bestiis maxime caue. Mane certa contra accidiam, meridie contra gulam, vespere contra carnis lasciuam. Canis vult diu dormire, lupus vult multum comedere, asinus vult in stratu lasciuire. Canem excita virga, lupum percute baculo, asinum flagella spinis acutis. Virga est timor mortis, baculus est ardor inferni, spinæ passio Christi & sanctorum martyrum cruciatus. En tribus his armis vincuntur crimina quæuis.

De frequenti inuocatione nominis Iesu & Mariæ.

Cap. 3.

Adiua me, & saluus ero. Stude deum inuocare in omni opere mane, meridie, & vespere cum sancto Daniele, & iuuaberis in omni necessitate corporis & animæ. Iesum habe in corde, & eris mundus ab omni sordide. Sit aue Maria sæpe in ore, & repleberis spiritu sancti consolatione. Solitudo & silentium, oratio & ieiunium, arma sunt monachorum. Laborare in die, vigilare & orare in nocte, sanctorum exercitium speciale. Hoc deo & angelis est acceptum, dæmonibus contrarium, iuuenibus vtile, senibus delectabile, pigris graue, deuotis leue & suaue. Cum non potes bene vigilare, studeas Iesum inuocare, & fugiet a te diabolus bonorum inimicus. Si non potes dormire præ tristitia, studeas Mariam salutare cum lætitia, & aderit tibi angelus sanctus bonorum amicus. Si tædet orare, studeas psalmos ruminare, & confortabit te spiritus sanctus consolator optimus, doctor intimus, illustrator cordis maximus.

Psal. 38.

Aduersus tres bestias depugnandum.

Psal. 118.

De certamine contra quotidiana vitia.

Cap. 4.

Regnū cælorum vim patitur, & violētī rapiūt illud. Idcirco indue arma sanctæ crucis, certa sicut fortis miles, stude ut bonus clericus, ora ut deuotus monachus, labora ut fidelis dei seruus, & eris in cælo gloriose coronatus. Clauus clauo expellitur, vitium virtute superatur. Ira silentio compescitur, gula ieiunio refrenatur. Ocium labore fugatur, risus dolore quassatur. Odium amore necatur, hostis beneficio placatur. Pax cordis patientia acquiritur, & qui alios leuiter arguit, indignationem cito incurrit. Parua enim rerum implicatio, multæ pacis est acquisitio. Sæpe hoc dicitur, & sæpe repetendum est, ut bene custodiatur, Nil dictu facilius, nil factu beatius, Christo referente, Si feceris hæc, beati eritis si feceritis ea. Verboſi multi, taciturni autē pauci. Cupidi multi, pauci paucis contenti. Nemo perfecte contentatur, nisi summo bono plene fruatur. Inops est omnis mensa, pane carens & sale. Inſipida refectio, si desit sacra lectio, & affuunt inania verba. Optimum ferulum animæ, verbum dei audire & bene mastigare. Dulci cibo pascitur, qui sacris verbis delectatur. Diu aridus & indeuotus erit, qui vana libenter audit & querit.

De optimis bonis animæ. Cap. 5.

Diligam te domine virtus mea. Inter nobiles nil virtute nobilius, inter ignobiles nil vitio deterius. Inter pulchros & honestos nil castitate pulchrius, inter scientias nil sapientia altius, inter deuotos libros nil vita Iesu Christi salubrius. Inter omnes preces & laudes dei nil Pater noster sanctius, nil Ave Maria dulcius, & angelis iucundius. Omnia vota & desideria sanctorum oratio dominicæ excellit. Omnia enim dicta prophetarum, & melliflua verba psalmorum & canticorum plenissime & secretissime in se continet. Omnia necessaria petit, deum summe laudat, deo animam coniungit, & de terra ad cælum leuat, nubes penetrat, & angelos transcendit. Beatus qui attente singula verba Christi pensat.

Oratio dominicæ cæteris præstat.

De vera & interna consolatione animæ.

Cap. 6.

Vicenti dabo manna absconditum, & nomen nouum. Manna absconditū est consolatio sancti spiritus de spe veniæ, & contritione peccatorum, cum proposito bono & firma intentione se semper emendandi & proficiendi. Verax est deus, & omnia verba eius vera sunt & firma. Fidelis & verus amicus non mentitur: nec agit in dolo cum proximo suo. Qui alium decipit, non est veritas in eo.

Manna absconditum.

Qui de bono superbit, non est gratis nec fidelis deo. Noli superbire, ne perdas donum quod accepisti de cælo sine merito tuo. Curā habe de bono nomine: sed noli meliorem te fingere: nec sanctiorem aliis credere. Bonā vitā bonum nomen facit, & qui male se regit, bonum nomen perdit. Nomen nouum iterum acquirit, qui malos mores relinquit. Ille veraciter quasi hodie natus viuere incipit, qui in spiritu ambulare proponit, & omnia nociua vitæ & spernit. Melior est bona fama ex sanctitate vitæ, quam odor vnguenti preciosi, & diuitiæ multæ.

De recollectione cordis silentio oris.

Cap. 7.

Secretum meum mihi. Cum distractus fueris ex colloquiis lōgis, recollige te iterū in longo silentio, intus manendo in secreto solus, & gemendo pro commissis. Cito fit distractio cordis ex rebus visis & auditis: sed frequens oratio & interna compunctio expellit imagines noxias, & curas superfluas. Qui nil commodi querit nec concupiscit in terris, & elongat se à tumultibus cūctis, potest cito libere volare ad Christum in cælos, sicut ait deuotissima mater sancti Augustini in excessu mentis: Volemus, inquit, ad cælum fideles.

De remediis contra vanam gloriam & laudem. Cap. 8.

Vanitas omnis homo viuens. Noli extolli de aliquo bono coram hominibus, quia habes multos defectus intus, quos nouit deus, & tu non vides, nec ponderas sicut debes. Qui laudem humanam querit de singulari facto, sæpe confusionem incurrit deo permittente coram multis in aperto. Vana gloria & amor propriae laudis decipiunt multos priuando eos bonis æternis, ut patet in virginibus stultis. Quid stultius, quam vana diligere, & vera respuere? Quid peruersius, quam deū negligere, & hominem attendere? Quid amentius, quam mundum aspicere, & cælum despiciere? Cor diuitis in terra, cor pauperis in cælo. Cor humilis sub deo, cor superbi contra deum.

De munditia cordis à vitiiis & passionibus occultis. Cap. 9.

Beati mundo corde. Munda cor tuum à vitiiis, ut vere sis bonus. Quare miser vis laudari de bonis quæ non habes? Vere ita despicibilis es in multis, ut merito erubescere possis, quanuis libenter hoc non audis tibi dici ab aliis. Qui sunt qui vanitatem amant? Qui humanam laudem affectant. Humilis & sibi ipsi vilis in veritate stat, & nunquam se de bono eleuat: sed semper se humiliat, & peccatorem fateretur & dolet. Inspice te recte & interne,

Nomen nouum.

8. Mobilis.

terne, & noli leuiter credere linguæ alienæ, & famæ ventosæ. Vidi laudantem socium suum in facie, & post tergum detrahentem pessime. Consideraui arguentem amicum in charitate seriose, & excusantem eum publice ipso nesciente. Quando veritas & charitas sibi obuiant, tunc quæ pacis & salutis sunt pariter tractant. Laua manus tuas ab opere peruerso, & prohibe labia tua à verbo ocioſo, oculos à visu nociuo, cor à cogitatu maligno, & eris mundus coram deo. Sæpe lauas manus & faciem, ne displiceas hominibus: multo magis laua conscientiam tuam à vitiiis, ut placeas deo & angelis eius qui vident abscondita cordis.

De vera pace cordis in virtutibus.

Cap. 10.

Beatifici &c. Cor purū diligit deus, in pace habitat Christus, super humilem & mitem requiescit spiritus sanctus. In tumultu perditur Iesus, in risu offenditur, in ira expellitur, in mendacio conspuitur, in detractioe spoliatur, in dolo percutitur, in odio crucifigitur. Quicquid mali proximo ingeritur, Iesus sibi factum conqueritur. Caue offendere deum, caueas scādalizare proximum ad imaginem dei factum. Reuoca errantem, instrue ignorantem, da bonum exemplum, tolle omne offendiculum, sequere Iesum patiendo opprobrium, pro malo restitue bonū, & recipies pro omni modico hic passo præmium æternum, & gaudium cum angelis sanctis in regno cælorum. Amen.

Aduert' Iesum factis quicquid peccas.

Incipiunt capitula libelli qui dicitur Vita boni monachi.

- De renunciatione seculi. Cap. i.
- De remediis vitiorum. Cap. ii.
- De exemplis eremitarum. Cap. iii.
- De patientia martyrum. Cap. iiii.
- De studio doctorum. Cap. v.
- De labore & oratione confessorum. Cap. vi.
- De extirpatione vitiorum. Cap. vii.
- De exercitiis monachorum. Cap. viii.
- De corona & præmio monachorum. Cap. ix.

Incipit vita boni monachi.



Vdi religioſe monache, auſculta deuote clerice, attende ſenex & paruule, doctriſnam bonæ vitæ.

Sequere humiles mores Iesu Christi & exempla sanctorum, Quæ te ducant ad regnum cælorum.

Relinque curioſa argumenta verborum, Quæ impediunt profectum deuotionis & virtutum.

De renunciatione seculi. Cap. 1.

Monache ad quid venisti? Quare mundum reliquisti? Cur cappam istam induisti, Et pompam mundi despexisti? Nonne ut deo seruires, & cor tuum custodires? Cur ergo sic vagaris, & vana meditaris? Multum peccas euagando, tempus perdis ociando.

De remediis vitiorum. Cap. 1.

Apprehende arma & scutum: Euagari non est tutum. Ociari grande vitium. Fabulando perdis præmium. Operando vince tædium, Orando quære remedium.

De exemplis Eremitarum. Cap. 3.

Mane ergo in cœnobio: Viue caste sine proprio. Fuge, tace cum Arsenio, sede solus cum Marthario. Sæpe ora cum Antonio, labora cum Pachomio.

Ieiuna cum Euagrio, vigila cum Hilario.

De patientia martyrum. Cap. 4.

Sustine dolores cum Laurentio: Despice honores cum Vincentio. Dilige Iesum cum Ignatio: Fer damna rerum cum Eustathio. Confitere Christum cum Tyburcio: Resiste draconi cum Georgio. Coronaberis cum martyribus, Si resistis malis instinctibus.

De studio doctorum. Cap. 5.

Lege scribe cum Hieronymo, Viro sancto & doctissimo. Canta hymnos cum Ambrosio Psalms David in psalterio. Stude doce cum Augustino, De summo bono & diuino. Cuius librorum magna copia, illustratur sancta ecclesia.

Disce mori mundo cum Gregorio, Perseuerando in monasterio. Porta Iesum cum martyrio, visita ægrum in exilio.

Lætaberis cum doctoribus, Si fidem seruas cum moribus.

De labore & oratione confessorum. Cap. 6.

Vita boni Monachi.

IMitare sanctum Benedictum:
Serua omne verbum tibi dictum.
Bonum est laborare manibus:
Melius orare cum fletibus.
Quære Iesum cum Bernardo.
Cum Hugone & Richardo.
In canticis canticorū, & in choro angelorū.
In studio clericorum, & in verbis seniorum.
In commentis magistrorum, & in libris de-
uotorum.
Præmiaberis cum confessoribus:
Si abnegaueris te in omnibus.
De extirpatione vitiatorum. **Cap. 7.**
CAue curiosa legere,
Quæ possunt mentem distrahere.
Stude vitia tua cognoscere:
Et viriliter eis resistere.
Ambula cum simplicibus, adhære innocen-
tibus.
Benefac tibi contrario, supplica pro aduer-
sario.
Et eris charus dei filio, ac dignus sanctorum
confortio.
De exercitiis monachorum. **Cap. 8.**
Monachorum est orare, gemiscere, &
plorare pro suis defectibus.
Carnem suam castigare, vigilare, ieiunare à vo-
luptatibus.
Linguam refrenare, aures obturare.
A vanitatibus
Oculos custodire, pedes præmunire
Ab excuribus.
Manibus laborare, labiis exultare, corde iubi-
lare, in dei laudibus.
Caput denudare, baste inclinare, genua cur-
uare crucifixi pedibus.
Prompte obedire, nunquam contraire suis
maioribus:
Libenter seruire, cito subuenire, infirmis fra-
tribus.
Curas mundi abiicere, cælestibus intendere
toris conatibus.
De corona & præmio monachorum.
Cap. 9.
NE vincaris à dæmonio, omnia fac cum
consilio, & non facile errabis.
Nescis enim quādiu hic eris, certum est quod
morieris, nunquam tamen desperabis.
Esto internus deuotus deo totus, mūdo igno-
tus, & eris semper lætus.
Multum tibi vilis & despectus, fratri tuo pius
& subiectus, maturus & facetus.
De bonis deo da gloriam.
Et de malis pete veniam, omnem remittens
iniuriam.
Sicque per dei gratiam, peruenies ad patriam,
Post huius vitæ miseriam.

Ybi Iesus & Maria in summa gaudent gloria
cum tota cæli curia.
Ad quam nos post multa pericula, perducatur
agnus sine macula.
Cui laus per æterna secula. Amen.

Explicit vita boni monachi.

Doctrinæ duæ alta mente reponendæ.

Vitam Iesu Christi stude imitari.
Caste, iuste, pie disce conuersari.
De nato Iesu cane dulciter.
De passo Iesu dole grauiter.
Læta misce tristibus, tuis exercitiis.
Mala terge fletibus, caue à deliciis.
Iesum quære diligenter.
Clama pulsa vehementer.
In deuotis hymnis delectare.
Dulce est de Iesu cogitare.
Dulcius cum Iesu iubilare.
Dulcissimum cælos penetrare.
Iesu ob amorem,
Omnem fer laborem.
Sustine vim patiens.
Tace vt sis sapiens.
Mores rege, aures tege.
Sæpe ora, sæpe lege.
Omni die, omni hora
Te resigna sine mora.

Altera doctrina.

Assuesce Iesum inuocare.
Mariam sæpe salutare.
Cruce sancta te signare.
Omnes sanctos honorare.
Contra dæmones certare, vigilare, & orare,
Sacra verba ruminare, deo laudes decantare
Infirmis renunciare, ad superna cor leuare.
Extra Iesum nil amare, nihil velle, nil optare.
In domino semp spera, age recta, profer vera.
Coram deo te humilia, & gratiam inuenies.
Ama pauca & simplicia, & pacem multam
senties.
Qui modo est humilior, in cælo erit altior.
Et qui nunc viuit strictior, in futuro canet
lætior.
Secundum merita singulorū, reddentur præ-
mia beatorum.

Incipiunt capitula libri sequentis qui
dicitur Manuale paruulorum.

De vocatione paruulorum ad Christum.

Cap. i.
De doctrina Iesu, & humilitate eius. **Cap. ii.**
De puritate & sublimitate sancti Ioannis apo-
stoli. **Cap. iii.**
De san-


Manuale paruulorum.

90

De sanctitate & excellentia sancti Pauli apo-
stoli **Cap. iiii.**
De magna humilitate sancti Francisci
Cap. v.
De bona imaginatione contra malum.
Cap. vi.
De breuitate omnis rei sub cælo. **Cap. vii.**
De deuotione sancti Dauid regis in oratio-
ne. **Cap. viii.**
De paupertate spiritus propter Christum.
Cap. ix.
De studio simplicis fratris, in passione Chri-
sti. **Cap. x.**
De puritate multarum virtutum. **Cap. xi.**
De laude dei ex ore iusti. **Cap. xii.**
De arcta custodia cordis & oris. **Cap. xiii.**
De frequentia orandi. **Cap. xiiii.**
De æternæ vitæ præmio promerendo.
Cap. xv.

Incipit Manuale paruulorum.

De vocatione paruulorum ad Chri-
stum. **Cap. i.**



Inite paruulos venire ad
me, talium est enim re-
gnum cælorū. Hæc sunt
verba Iesu Christi sum-
mi pastoris & cælestis do-
ctoris nostri in schola
dei, quæ discipulis suis &

turbis loquebatur cum paruuli sibi à paren-
tibus præsentarēt ad tangendū. Quos pius
magister & dulcis dominus (sicut sanctus Mar-
cus narrat) complexans, & manus suas super
eos imponens, benedicebat eos & ait, Amen
dico vobis, quisquis non receperit regnū dei
velut paruulus, non intrabit in illud. Et iterū
secundum Matthæum ad omnes maiores ait:
Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut par-
uuli, nō intrabit in regnum cælorū. O bone
pastor & dulcis magister, quā dulciter lo-
queris, & veraciter doces, & paucis verbis ostē-
dis omnibus hominibus rectam viam tendē-
di per humilitatem ad regnum dei. Hæc san-
cta verba consolantur humiles & pauperes,
arguunt superbos & diuites, confortant sim-
plices & innocentes. Deus enim superbis resi-
stet, humilibus autem dat gratiam in presenti,
& gloriam in futuro. In omnibus ergo bonis
quæ agis loqueris & cogitas, ab humilitate no-
li recedere, ne perdas totum quod facis. Nam
nulla valēt opera bona, nisi fuerint in humili-
tate fundata, & charitatis melle perfusa, & ad
honorem dei pura intentione facta, Caue su-
perbiā, omnium vitiatorum foueam, & virtutū

ruinam. Esto innocens & quasi paruulus sine
dolo, ab omni malitia purus, & eris deo & ho-
minibus dilectus, & in te pacatus.

De doctrina Iesu, & humilitate eius. **Cap. 2.**

Discite à me, ait Iesus, quia mitis sum, & **Matt. ii.**
humilis corde. O humilitas virtus Chri-
sti, quantum confundis superbiam vanitatis
nostræ, qui de paruis bonis cupimus laudari,
& de multis malis nolumus vituperari? O bo-
ne Iesu tu pro nobis multa mala pertulisti quæ
non fecisti, & innumera nobis bona contulisti
quæ non meruimus, nec digni sumus habere.
Nam totum gratiæ est & immensa pietatis
quicquid boni fecisti nobis, & adhuc quoti-
die facis, parcendo delictis nostris, & benefa-
ciendo in multis. Gratias semper tibi pie deus:
sed vā nobis ingratis tepidis & superbis pro
innumeris beneficiis tuis & promissis.

De puritate & sublimitate sancti Ioannis
apostoli. **Cap. 3.**

Ecce puer meus electus quem elegi. Quid
fecit beatum Ioannem apostolum tā cla-
rum ingenio, & tam prædilectum à domino
nostro Iesu Christo, vt tam alta caperet & scri-
beret de Deo vltra omnes doctores in mun-
do? Magna puritas eius mentis & corporis,
perfecta quoque charitas ardens erga deum
& proximos suos, non verbo tantū & lingua,
sed opere & veritate. Hoc enim ipse aperte te-
statur in epistola sua de gemina charitate scri-
bens. Si ergo non potes cum sancto Ioanne
euangelista altiora contemplari de sancta tri-
nitate, stude humilitatem & patientiam Chri-
sti cum infirmo Lazaro cogitare & sequi. Et si
non vales cum sancto Paulo ad tertium cælū
euolare, stude cum beata Maria Magdalena
ad pedes Iesu plorare, & veniam petere.

De sanctitate & excellentia Pauli apostoli.
Cap. 4.

Vas electionis mihi est iste. Quid fecit
sanctum Paulum tam magnum & subli-
mem apud deum? Contemptus mundi & om-
nium terrenorum, cum abnegatione sui-
ipsius, & mortificatione carnis, & abiectione
omnis temporalis honoris. Quid plus
super hæc omnia? Perfectus amor dei & pro-
ximi, sine aliquo lucro terreno & proprio cō-
modo Christo seruiendo in hoc mundo. Quid
inter multas reuelationes sibi à deo factas
magis docuit & commendauit fidelibus Ro-
manis, Corinthiis, Galatis, & cæteris omni-
bus in vniuerso orbe constitutis? Iesum Chri-
stum, & hunc pro nobis crucifixum: Pro
quo ipse multa pati optauit, & mori non
formidauit, quia sacra stigmata passionis

m ij

eius quotidie in corde & corpore suo pro nomine eius & amore portauit.

De magna humilitate sancti Francisci.

Cap. 5.

Hic est qui contempsit vitam mundi. Quid fecit humilem & sanctum Franciscum tam deuotum & deo dilectum in hac vita, & tam altum in gloria? Vere profunda humilitas sua, & quia inter omnia beneficia diuina & exercitia quotidiana passionem Christi & sacra vulnera doloris eius immensi amoris plena in mente portauit, recoluit, condoluit, grauisimè ponderauit, amarissime fleuit, & ardentissime amauit. Nam magna gratia confertur humilibus, & passionem Christi quotidie recolentibus. Verus enim humilis non se reputat nec eleuat de bonis quæ facit: sed omnibus viliozem se existimat, & cunctis inferiorem veraciter confitetur. Hic propria mala sua inspicit & plangit, & aliorum bona videns congaudet, pro quibus deum laudat & benedicit, orans vt sui misceatur, & se à malis liberet.

De bona imaginatione contra malum.

Cap. 6.

Vade retro Satana. O miles Christi loquere hæc verba contra omnia mala phantasmata diaboli, nam arma tua sunt sancta verba & opera Christi. Igitur contra ignita carnis iacula, pensa amara Christi vulnera. Contra tædium cordis, sit semper in ore dulcis Iesus. Contra omnes malas suspiciones & indignationes tuas de aliis, cogita omnes culpas tuas quas fecisti ab initio natiuitatis tuæ vsque modo, & desiste indignari. Sint omnia bona tua aliis communia, & ad laudem dei facta: sed mala tibi soli imputa, & ad seruentiorum emendationem conuerte. Dum vacat tempus & hora ab externo labore, sit protinus psalmus & laus dei in corde & in ore. Cor nõ potest diu quiescere, nec lingua tacere. aut enim bona aut mala imaginatur, aut tristitia pefat, aut læta reuoluit, sicut molendinum quod à vento mouetur. Ne ergo mala subito irruant & maculent, sacra verba tanquam munda grana cordi tuo insere, & ea diligenter reuoluendo in cibum conuerte. O vti nam tot bona verba dicas & ores, quot ociosa dixisti, & tot bona recogites & rumines, quot mala & noxia cogitasti. Aperi cor tuum Christo, & claude diabolo, vt sit anima tua in cælo, & nõ in seculo. Loquitur tibi Christus in omni verbo dei, & in omni libro scripto digito spiritu sancti. Quæcunque enim in scripturis sanctis legis, scribis & intelligis, solatia sunt animæ fidelis in tribulatione, & remedia contra

Immitis cogitationum malorum vmbone bonarum repellenda, precipue verbo Dei.

diaboli venena, & reuocant cor vagæ mentis ad deum suum in cælum.

De breuitate omnis rei sub cælo.

Cap. 7.

Vanitas omnis homo viuens. Hodie homo est, & cras non inuenitur. Perit diues, perit pauper, perit iuuenis, perit senex. Perit pulcher, perit niger, perit doctus, perit indoctus. Perit magnus, perit paruus, perit nobilis, perit ignobilis. Perit dominus, perit seruus, perit prelatatus, perit subditus. Perit honoratus, perit refutatus, perit magister, perit discipulus. Perit clericus, perit laicus, perit canonicus, perit monachus. Perit theologus, perit astrologus, perit medicus, perit in omni arte peritus. Ecce omnia pereunt, præter amare deum, & iuste viuere.

De deuotione sancti Dauid regis in oratione.

Cap. 8.

Vis enim in omnibus sicut Dauid fidelis, pergens ad imperium regis cælestis? Hic in die fuit miles fortis in bellando contra hostes suos, & in nocte deuotus monachus orando cum gemitu & lachrymis pro peccatis suis commisis. Maxime autem regretiatur deo pro innumeris beneficiis sibi specialiter datis, & omnibus creaturis generaliter collatis, quas ad gloriam sancti nominis sui mirabiliter creauit & ornauit. Et ne de bonis acceptis superbiret, ait deum laudando. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et ne in aduersis deficeret, ait. Adiutor meus esto domine, ne derelinquas me. Et ne vnquam ingratus esset, ait. Sit nomen domini benedictum ex hoc nunc & vsque in seculum.

De paupertate spiritus propter Christum.

Cap. 9.

Tanquam nihil habentes in hoc mundo, & omnia possidentes cum Christo. O sancta paupertas spiritus super omnes diuitias mundi & honores amanda, quam Christus docuit, & vsque in finem vitæ seruauit, & omnibus perfectis pro exemplo reliquit. Hæc multi sapientes, nobiles, diuites & potentes Christum sequentes, propter regnum cælorum sponte elegerunt. O quanta libertas puræ animæ, quæ nihil habere desiderat de statu & ornatu seculi amore Iesu Christi? Vere magna securitas conscientia, & iucunditas cordis, stare in subiectione & obedientia, & propter Christum crucifixum se abnegare plene vsque ad mortem. O cæleste manna superbis absconditum, humilibus reuelatum, innocetibus propinatum, à deuotis pregestatum, qui pro speciali solatio recolunt Christum pro se passum & crucifixum.

De studio

De studio simplicis fratris in passione Christi.

Cap. 10.

Salus tua ego sum, dicit dominus. Plus sanctitatis & puritatis, scientia & prudentia contra omnes nequitias diaboli & errores mundi ac sordes vitiorum inuenit simplex & innocens frater in vita & passione domini, quàm altus speculator & subtilis disputator in consideratione totius machinæ mundi. Vitam & passionem Christi docemur imitari: machinam mundi speculari sine laude & gloria dei, vanitas est & stultitia. Melius est orare humiliter deum, quàm subtiliter persecrutiari cælum. Dei enim est gubernare omnia qui creauit omnia, hominis est seruare mandata eius, & cauere peccata. Omnes sancti essemus, si ista faceremus. Sed quia multi ista nõ faciunt, nec bene viuunt: ideo multa mala eis iusto dei iudicio contingunt. Fuge ergo frater seculum, intra lætus claustrum, sequere sanus Christum per arctam viam ad cælum. Bonum est tibi cum vno oculo intrare cælum, quàm cum duobus in infernum, vbi erit fletus & stridor dentium pro omnibus malis in perpetuum. Væ eis.

De puritate multarum virtutum.

Cap. 11.

Estote rationabiles sine dolo. O sanctum & suauè verbum, ex ore sancti Petri apostoli prolatum. Placet nanque maxime deo & angelis eius, castitas cum humilitate, scientia sine inflatione, prudentia sine præsumptione, eloquentia sine vana gloria, lætitia sine dissolutione, tristitia sine amaritudine, patientia sine murmure, locutio sine mendacio, responsio sine fallacia, promissio sine crastino, laudatio sine vituperio, dilectio sine vitio, oratio sine tædio, gratitudo deo pro omni bono sine termino, meditatio sine dispersione, contemplatio sine obscuratione, operatio sine iniquatione, quies sine pigritatione, vnio animæ cum deo sine intermissione. Ecce verus Israelita, in quo dolus non est. O quàm bonus deus Israel, his qui recto sunt corde. Dic ergo cum Dauid in psalmo, neglecto omni bono terreno intime orado: Mihi autem adherere deo bonum est, ponere in domino spem meam. Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. Nil aliud volo, nil cupio, nisi te solum domine, pro omni labore meo & præmio in cælo. Amen.

De laude dei ex ore iusti.

Cap. 12.

Rectos decet laudatio. Beatus qui omnia bona opera sua facit cum pura intentione simpliciter ad laudè dei. Beatus qui omni tempore cor suum ad beneplacitum dei dirigit, & nullum proprium commodum finali-

ter querit. Beatus qui omnia immunda idola antiqui hostis à se longe proiicit, & ad arma Christi crucifixi humiliter in angustiis confugit & orat. Hic bene procedit, & cum Iesu vbique per mare & aridam pergit: donec ad patriam cum eo perueniat. O Iesu dulces nomen super omnia nomina sanctorum in cælo & in terra, cui omne genua flectitur cælestium terrestrium & inferorum, angelorum & hominum. Tu via iustorum, gloria beatorum, spes egenorum, salus infirmorum, amator deuotorum, & consolator omnium tribulatorum. Esto mihi adiutor & protector in omni necessitate, propter nomen sanctum tuum benedictum in secula. Cum pauper fuero, laudabo te: cum tristis fuero, laudabo te. Cum letus fuero, laudabo te: vbicūque fuero, semper laudabo te. Amen.

De arcta custodia cordis & oris.

Cap. 13.

Cor mundum crea in me deus. Hæc oratio valde vtilis est & potes contra omne vitium dure tentas, & subito cordi irruens. Nil laboriosius & vtilius quàm custodire cor à vanis phantasiis, & os à verbis ociosis. Nil fructuosius quàm spiritualibus vacare exercitiis, orando, meditando, studendo, psallendo, & charitatis opera libenter faciendo. Pauca verba sufficiunt ad necessitatem, longa texunt superfluitatem, leuia inducunt vanitatem, curiosa important distractionem, dura excitant turbationem, alta generant elationem, simplicia ostendunt humilitatem, vera parat iucunditatem, falsa prouocant indignationem, bona meretur laudem, mala poenam, sancta vita eterna gloriam. Bonus ergo custos cordis sui sollicitè etiam custodit ostium oris sui, ne perdat gratiam deuotionis interius per incuriam sermonis exterius.

De frequentia orandi.

Cap. 14.

Quonia oportet semper orare. O quàm dulcis & salubris admonitio, quàm pura & sancta oratio cælos tægens, & terram deserens, deo colloquens, & hominibus tacens. Hoc itaq; verbum Christus ait ad Apostolos suos, & ad omnes religiosos. Sicut enim corpus viuunt & nutritur cibis terrenis: ita anima sacris verbis & orationibus & meditationibus confortatur. Dat fiducia orandi ingens dolor cordis pro comissis, & humilis confessio oris de perpetratis, cum intentione emendandi in istis. Nil quippe bona voluntate ditius, & deo acceptius, & animæ nostræ salubrius. Toties nanq; deum oras, quoties pro peccatis tuis gemis & doles, & quia quotidie peccas: ideo quotidie etiã orare & gemere debes, ac veniam petere pro offensis. Multum oras si multum doles, parum oras si parum doles. Parum impetras, si

m iij

Quæstus profecti simplici animæ in Christi cruce.

Quomodo per omnia placeas Deo.

Psal. 32. Iust' o-mniare fert in Deum.

Psal. 50.

Gemitus pro peccatis, oratio est.

parum attendis ad ea quæ legis & cantas. In multis fit excessus, sed quotidiana oratio & gemitus cordis cum feruore sancti spiritus expurgat languores hos omnes. Qui non orat & gemit pro culpis quotidianis, poenam sibi auget in poenis futuris. Non ergo pigeat semper orare, & deo deuotè gratias agere, quia ipse nunquam cessat nobis benefacere. Ideo nullus locus, nullum tempus, nullum opus, nullus labor, nullus dolor ab orando nos impedire debet, super quos deus oculos suos apertos hic & vbique semper habet. Quotiès enim domini dei tui recordaris & gemis, totiens cum eo secretè loqueris & oras. Si non potes semper voce orare, poteris tamen & debes mente & desiderio ad deum clamare, gemere, & plorare. Semper enim deum orat, qui semper bona cogitat, bona loquitur, & bona facit ad honorem dei. Amen.

Orare se per qni poteris.

De æternæ vitæ præmio promerendo. Cap. 15.

Lucæ. 6. **E**cce merces vestra multa est in cælo. Omne gaudium præsens breue est, & heu multis malis inuolutum: regnum autem dei gaudio semper plenum & æternum, supra omnem sensum & intellectum eleuatum. Hoc nullus tibi dare potest nec auferre, nisi solus deus creator omnium, iudex uiuorum & mortuorum, reddens singulis pro meritis operum suorum. Propter hoc regnum consequendum promerendum & æternaliter possidendum, fortiter est certandum, laborandum, alacriter vigilandum, & feruenter orandum, sæpe ieiunandum, sæpe gemendum, sæpe lugendum, sæpe consistendum, sæpe comunicandum, deuote ministrandum, deuote celebrandum, deuote psallendum, diligenter studendum, stricte silendum, libenter seruendum, prompte obediendum, patienter omne graue ferendum, omne carnale cito respuendum, omne seculare vbique vitandum, omne turpe fugiendum, omne honestum sectandū, omne vitiosum odiendum, omne virtuosum amandum, omne curiosum amputandum, omne simplex & purum eligendum, omne terrenum relinquendum, omne cæleste & diuinum summe amplectendum. Hæc est via vitæ cælestis, & formula renunciationis seculi in statu religionis, ducens paruulos mites & castos ad æternæ vitæ beatitudinem, & gloriam sanctorum æternaliter cum Christo perfruedam. Amen.

Factu quid op est ad regnum cælorū cōsequendum.

Explicit Manuele paruulorum.

Incipiunt capitula libelli qui dicitur Hospitale pauperum.

- De contemptu omnium mundanorum bonorum. Cap. i.
De quinque panibus in deserto huius vitæ. Cap. ii.
De duplici pugna carnis ac spiritus. Cap. iii.
De instabilitate humani cordis. Cap. iiii.
De obedientia simplicis ac humilis fratris. Cap. v.
De triplici signaculo sanctæ crucis. Cap. vi.
De pia compassione cum infirmis. Cap. vii.
De perseuerantia in bonis inceptis. Cap. viii.
De variis antiqui hostis insidiis. Cap. ix.
De scuto bonæ voluntatis contra hostes. Cap. x.
De laude dei in omni opere bono. Cap. xi.
De vitio vanæ gloriæ & propriæ complacentiæ. Cap. xii.
De variis bellis impiorum, & patientia piorum. Cap. xiii.
De malitia prauorum contra innocentes. Cap. xiiii.
De inuidia diaboli contra salutem hominū. Cap. xv.
De armatura Christi & sanctorum contra vitia. Cap. xvi.
De utilitate frequentis orationis. Cap. xvii.
De priuatis orationibus quasi iaculis acutis in hostes. Cap. xviii.
De versuculis ante initium operis legendis. Cap. xix.
De septem virtutum gemmis bonæ congregationis. Cap. xx.

De contemptu omnium bonorum mundanorum. Cap. i.



Nominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Quid habet homo amplius de omnibus bonis suis & diuitiis terrenis, nisi victum & vestitum? Vnde ergo superbit? Et cum obierit, omnia hic dimittet, & nihil secum sumet, nisi modicum operculum ad tegendum corpusculum suum sepeliendum, postea à vermibus corrodendum. Qui de omnibus præteritis reddet rationem deo, quibus vsus est, siue paucis siue multis, tanquam de expensis pro viatico sibi concessis, quæ cum vsura stricte requirentur. Quantumcunque aliquis magnus fuerit diuitiis vel honoribus subleuatus, non est ex hoc sanctior, nec perpetuus bonorum suorum dominus: sed tantum seruus conductus ad tempus

pus sub potestate superioris domini sui cælestis regis & æterni imperatoris ac iudicis, qui omnia tribuit ad lucrum bene agendi, non ad spatium & causam peccandi. Reddet autem pius dominus mercedem congruam, immo vltra condignum bonis seruis suis pro paruo labore æternam requiem, pro breui tristitia æterna gaudia, pro omni contumelia & iniuria pro se passa, æternam gloriâ & coronam. Dat etiam nunc vnicuique dona sua quantum sibi placuerit, secundum occulta iudicia sua iusta & recta, in omni loco & tempore sine errore. Nam bonis omnia ad bonum ordinat, & malis ad poenam conuertit, ita vt nemo de iudiciis dei iuste cõqueri possit, nisi de se ipso indigno & ingrato, meliora de proximo, optima semper sentiens de deo. Quidam honorabilis vitæ sacerdos in partibus Hollandiæ post mortem illustris domini sui prædicauit sermonem in populo dicens. Dominus noster comes Hollandiæ mortuus est, charissimi oretis pro eo. Fuit hic paruo & breuissimo tempore habens aliquos vsusfructus & reditus annales, quos iam amisit, & secum sumere non potuit. Si modo haberet alia qua hæreditaria manentia bona, maxime ipsi conuenirent. Cum quidam nobilis princeps mori deberet, ait coram multis sibi astantibus ministris, O qui semper pauper custodiuim fuisset, quanto securius mori posset quam ego? Alius quidam magnus dominus cum ægrotaret, venerunt multi postulantes aliquid pro memoriali & seruitutis impensis, O domine domine quid ego habebō, & quid dabis mihi modo? Tunc ille ait, Ecce omnes isti quæ sua sunt querunt, & nemo de anima mea cogitat, & ego ignoro vbi hac nocte hospitor & manebo. Et sic mortuus est, & sero poenitens cognouit omnia mundana esse vana & deceptoriam, quæ quasi in momento & tanquam fumus euanescent. Felix ergo pauper rebus, & virtutibus diues, qui cū propheta in fine vitæ suæ dicere potest confidenter: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, propter nomen sanctum suum.

Defunctum de minimum suū qno modo quidam commēdauit populo. Vox nobilis cuiusdam iam animam egeret.

Itē alius.

De quinque panibus in deserto huius vitæ. Cap. 2.

Matt. 4. **N**on in solo pane viuit homo, sed in omni verbo dei. Deus dominus ac Saluator noster locutus est olim antiquis sanctis per legem & prophetas, & nunc adhuc nobis quotidie loquitur in scripturis sanctis per sanctos doctores veteris ac noui testamenti expositores, quid credere, & qualiter viuere, & deo seruire debeamus. Libenter ergo lege

& scribe verba sanctorum ex ore dei, pro salute multorum. Dixit deuotus sacerdos dominus Florentius Dauentriensis vni de fratribus suis: Indifferens mihi est, nec multum refert, vtrum in antiquo an in nouo testamento lego, vtrumque enim deus fecit. Cum venerabilis magister Gerardus Magnus horas legeret cum discipulo suo, postea ab eo quaesuit: Intelligis bene Ioannes quæ legis? Qui respondit, Non omnia. Dixit ergo ipsi secreta, In singulis versibus & verbis psalmi varius & mysticus sensus mihi occurrit. Gratias deo & sanctis doctoribus qui me fideliter variis sensibus instruxerunt. Igitur de misericordia & gratia dei accipe quinque panes in deserto huius vitæ, ad virtuose viuendum vtilis & efficaces. Primus panis est dolor cordis de omnibus malis præteritis in seculo gestis. Secundus est confessio oris de quotidianis defectibus in ordine commissis, & de magna negligentia multi boni operis. Tertius est panis diuinæ consolationis in oratione, de spe veniæ, & de remissione peccatorum. Quartus est panis gratificationis pro beneficiis à deo acceptis, tam in prosperis quam in aduersis. Pro quibus omnibus deus sit iugiter benedictus, cuius misericordiæ non est numerus, qui vsque modo non desinit benefacere nobis. Quintus est panis internæ iubilationis & contemplationis, de spe æternæ beatitudinis, & magnitudine futuræ gloriæ cum deo & omnibus sanctis eius. Lauda ergo deum pro quinque panibus istis, & multis aliis beneficiis eius in his tribus signatis, scilicet bonis naturæ, gratiæ, & perennis gloriæ.

Florētij dictum delectio ne sacræ scripturæ Gerardij vox de sensibus sacræ scripturæ.

De duplici pugna carnis & spiritus. Cap. 3.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed nō vt lex tua. Custodi ergo omnes sensus tuos, ne seducaris à vanis & illecebrosis dæmonum figmentis. Nam quandiu homo viuit, pugnare oportet ne vincatur: sed non semper æque fortiter tentatur. Igitur in hoc bello positus clama precibus & sedulis cordis gemitibus ad dominum in cælis. Caro trahit deorsum, spiritus trahit sursum. Caro quærit mollia & blanda, spiritus sanctus contra suadet dura & aspera. Si sequeris carnem, decipieris: si sequeris spiritum, coronaberis. Attende diligenter, & caue ab omni parte, quia non es tutus ab hostium iaculis, vbicumque fueris, seu intus seu foris. Sint vulnera Christi cordi tuo firmiter infixæ: Iesus & Maria custodes in omni via. Istos pro armis indue, & pro gladio & baculo in manu retine. Cum indoctis, inexpertis & indiscretis,

Aliorū nos trahit caro atq; spiritus.

cum importunis & audacibus noli multum loqui, ne leuiter offendaris. Cum humilibus & simplicibus deum diligentibus libenter loquere, & confite. Iuuat bona societas colloquens de deo, nocet mala societas fabulans de mundo. Caue obloquentes, sequere simplices & tacentes.

De instabilitate humani cordis.

Cap. 4.

TAedet animam meam vitæ meæ. Quare: Propter laborem & dolorem & multa aduersa quæ mihi occurrunt, & à deo me separât. Quid igitur faciam, & quò me vertâ, vt melius habeam? Sustine patienter, & expecta dominum confidenter, quia iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Nam propter superbiam & mentis elationem desectendam, iuste patimur, affligimur, deprimimur & despiciimur. Reduc ergo ad mentem vitia & peccata tua, cum foris despiceris, & tacebit querela & indignatio tua de obiectis. Nemo purus à peccato, nemo liber à sordibus, nemo innocens à culpa & pœna, omnes enim peccauim?. Solus deus purus sanctus & immortalis, æternus, immensus, inuolabilis, & super omnia laudabilis in secula. Sit ergo tota spes & lætitia tua in deo, & bona voluntas etiam parata pati pœnam propter deum. Omne gaudium mundi cito transit, & omnis laus eius plena iræ & dolori. Omnis etiam delectatio carnis pœnam habet sibi annexam, & meretur confusionem & despectum. Qui multa habet, multam curam ex eis patitur. Qui modicis scit contentari, pacatior erit. Infelix est & miser, qui deo non seruit. Perdit totum quod habet, qui deum non amat. Vanus est & instabilis, qui in creaturis spem ponit, & deum negligit. Beatus cui deus est omnia in omnibus, & cum Paulo apostolo lætus dicit, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini mei Iesu Christi: per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Legitur in prouerbis de pigro & instabili corde in dei seruitio, Vult piger & non vult. Hoc est. Vult bene comedere & bibere, & non vult laborare & ieiunare. Vult diu dormire, & non vult cito surgere. Vult fabulari, & non vult vigilare & orare. Vult alios dure corripere, & non vult modicum sustinere. Vult alios docere, & seipsum negligit emendare. Huic debetur virga & baculus, nisi se emendauerit in prædictis defectibus. Qui autem permanferit stabilis in virtutibus, erit hic & in æternum benedictus. Amen.

De obedientia simplicis & humilis fratris. Cap. 5.

VIr obediens loquetur victoriam, ait sapiens. Quomodo? Qui a qui simpliciter obedit, vincit seipsum, propriam voluntatem relinquendo, & alterius voluntatem humiliter sequendo. Inde magna pax & concordia oritur, bona conscientia acquiritur, & cordis lætitia augetur. Iste confidentiam ad deum obtinet, & mori non timet, quia deus est spes eius, cui vsque ad mortem perfecte obedire paratus fuit. Nam opera bona in obedientia simpliciter facta, deo sunt gratissima, & maxime meritoria. Qui superiori vel æquali aut minori se subdit & obedit, diabolus vincit & profertur, qui instigare solet ne quis alteri humiliter cedat, sed duriter resistat. Ex quibus iræ, rixæ, & alia multa mala inter fratres & pacatos sæpe nascuntur. Hæc humilis Iesus Christus non docet: sed potius ad simplicem obedientiam omnes reuocat dicens, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Homo obediens homini propter deum, maximum honorem deo facit, & ei placet. Sine obedientia aut parua aut nulla sunt opera nostra æstimanda aut ponderanda. Cum humili & prompta obedientia etiam complacent deo valde parua & vilia seruitia, ex charitate pro utilitate communi facta. Verus obediens non est tardus, nec negligens, nec querulosus, sed pro posse paratus ad omnia deo placita. Siue ergo obediens orat, siue laborat, siue vigilat, siue dormit, siue loquitur aut tacet, siue stat aut ambulat, siue scribit aut legit, siue intrat aut exit, siue comedit aut ieiunat, omnia ex virtute obedientiæ in bonum & ad meritum ipsi conuertuntur. Igitur semper in gaudio est & pace, qui seipsum vincit, abnegat, spoliatur, & vilificat, & ad obediendum propter deum deo & eius vicario corde & animo omni hora sponte se resignat. Aperite huic cælum sancti angeli, fugite dæmones superbi, occurrite patriarchæ & prophetæ, succurrite apostoli & euangelistæ, intercedite martyres & confessores, supplicate sacerdotes & diacones, implorate virgines, viduæ, & continentes, subuenite omnes Christi fideles fratres & sorores, suscipite animam pauperis humilis simplicis & obedientis fratris vobiscum de ergastulo corporis, & in sinum Abrahamæ cum paupere quondam Lazaro collocare, vt requiescat in pace Christi dulciter, & sine timore confidenter, donec in nouissimo die resurgat cum omnibus sanctis in æterna gloria feliciter. Amen.

De triplici signaculo sanctæ crucis. Cap. 6.

Pone

Pone me vt signaculum diuini amoris super cor tuum, ad amandum me super oia, & scribe sanctæ crucis signum in pectore tuo, & omnia sacræ passionis meæ vulnera contra maligni spiritus iacula. Crux etenim mea salutis via, triumphale signum, & inexpugnabile scutum, fugat corporis & animæ pericula. Igitur in tribus locis præcipue statuetur sanctæ crucis signum, super cor, super os, & super brachiū tuū contra omne vitium. Signa cor tuum ne cogites mala, sed semper bona de deo & beneficiis eius, vt habeas cor custoditū, ab omni malitia tutum, cum deo & omnibus sanctis vnium. Signa os tuum, vt non loquaris mala nec leuia nec proterua, sed bona, sancta & vtilia, & eris deo charus & acceptus, & ab hominibus iuste laudatus. Signa brachium tuum, manus tuas & digitos tuos, ne facias aliqua illicita, sed pietatis opera proximo profutura, & de omnibus istis deū benedic & lauda. Cogita ergo semper & vbiq; bona, loquere semper bona, age semper bona, & eris passioni Christi cõformis vita tua, triplici signaculo sanctæ crucis præmunita. Per crucem Christi superabis omnia tementa, læta, tristia, dulcia & amara, quæ subito irruunt ad cordis tui secreta. Vix enim est aliquid tam bonū quod proponis facere, quin diabolus nitatur impedire, & ad malum semper trahere & maculare. Noli ea attēdere, noli reputare, sed omnia tanquam stercora respue. Iesum inuoca, cruce te consigna, ad Mariam iuxta crucem fuge, geme, plange, cõdoles: à cruce noli recedere, sed cum Iesu & Maria opta viuere & mori in hac vita, vt intres cum eis in tabernacula æterna. Amen.

De pia compassione cum infirmis.

Cap. 7.

Supportate inuicem in charitate, quia charitas operit multitudinē peccatorū. Nemo de se præsumat, nec infirmos despiciat, quia nullus scit quid adhuc de se fiet, & an perseuerabit. Omnes fragiles sumus, omnes adiuuari indigemus, omnes bonū cupimus, & malum abhorremus. Estote ergo misericordes, ait dominus, sicut & pater vester cælestis misericors est. Noli nimis esse iustus, ne obstupescas & indurescas, & perdas aut lædas agrū, quem sanare & cõsolari debueras. Superexaltet ergo misericordia iudiciū, iuxta beati Iacobi apostoli sententiam. Quam benignus sacerdos dominus Florentius tecutus dixit, Sæper plus lucratus sum pietate, quàm rigore & terrore. Verum est, sic Christus docet. Qualē te facis erga fratrem proximum, talem inuenies alium postea recto iudicio ad te ipsum. Quancunque enim bona agis in fratrem debile, tristem, ac læsum, Christo facis, tãquam angelus

reuerenter domino deo ministrando. Igitur cautus sis & sollicitus, vt tempus tuum vtiliter expendas, & omnia bona ad laudem dei referas, & nihil tibi vane attribuas. Nam dei dona sunt omnia quæ habes, scilicet esse, viuere, intelligere, cogitare, loqui & operari. Quando laudē & gloriam dei in his quæris, furtum ad deum cum angelis in cælum pergis: sed quando inanem gloriam quæris, & gaudes, & tibi ipsi places, & super alios te eleuas, tunc deorsum cadis, & cælum perdis, gratiam amittis, & pœnam incurris, ob superbiam & mentis elationem quam diabolo instante concipis, & à te non abiicis & despicias. Fœtet enim & immundus est ante deum, & coram angelis eius, omnis qui exaltat cor suū, & in seipso gloriatur. Qui autē vere humilis est & sibi vilis, omnibus benignus, pauperi misericors, infirmo compassius, tribulato consolatiuus, erranti instructiuius, cadenti erectiuius, dubitanti cõfirmatiuus, hic accipiet benedictionem & misericordiam à deo in hoc exilio, & vitam æternam in cælo. Amen.

De perseuerantia in bonis inceptis.

Cap. 8.

Sustinete hic, & vigilate mecum. Hæc locus est Iesus discipulis suis cum iret ad locum passionis suæ passurus mortē pro nobis. Hæc cogitare & ad se trahere debet, quicumq; monasterium vel deuotam congregationem intrat, quasi Christus sibi ore dicat, Sustine hic, & vigila mecum, ora & præpara te ad tentationes futuras. Exemplum enim vigilandi & orandi ostendi tibi & aliis, vt ita facias, & in bonis inceptis perseueres. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Multæ tentationes bonorum, multæ & cõsolationes corū. Non sunt tamen condignæ omnes passionis iustorum, ad futura præmia æternorū gaudiorum. Cum venerit tentatio, mox absit oratio. Non desperes nec recedas à loco, constans esto, & commenda te deo. Felix quem faciunt aliena & propria pericula cautum, humilem & mansuetum, misericordem, compatiuentem, obsequiosum, affabilem, & neminem spernētē. Beata congregatio vbi Iesus est in medio eorum, vita, virtus, pax, & concordia morum. Nō autem mireris nec scandalizeris, nec turberis, nec formides, nec desperes si interdum contingunt aliqua defectuosa in congregatione bonorum fratrum aut sororum, & in religiosis locis & personis, aut si aliqui recedunt à bonis inceptis, aut quidam murmurant in abstinentiis, aut tepescunt in virtutibus, & deuotis exercitiis à deo & sanctis institutis. Nam fragiles sumus & instabiles, ad malum proni, & ad surgendum pigri. Et nisi deus

gratia sua nos semper adiuuet, stare & perseuerare non valeamus, nec hostibus nec vitiis resistere. Deo autem iuuante omnia possumus, & incipere, & proficere, & consummare. Igitur ad cautelam attende, quia in angelis suis deus reperit prauitatem, & primus homo cecidit in paradiso victus à pomo. Et multitudo filiorum Israel perit in deserto, murmurando, inobediendo, carnes concupiscendo. Etiam Christo præsente & prædicante contigerunt aliqua defectuosa & imperfecta inter apostolos & sequaces eius, quis eorum inter eos esset primus, & maior in regno cælorum. Quos ipse pia redargutione compefcuit, & exemplo suo ac verbo docuit non alta quærere, sed humiliter inuicè seruire, & inuicem ex charitate pure diligere. Quod nobis facere & implere concedat Iesus Christus dominus noster. Amen.

De variis antiqui hostis insidiis. Cap. 9.

Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Quomodo? Per fidem & crucè Iesu Christi. Quibus armis? In vigiliis & ieiuniis, in laboribus diurnis, & orationibus nocturnis, in sacris lectionibus & deuotis meditationibus, in paupertate & castitate, in humilitate & simplicitate, in silètio à vaniloquiis, in solitudine à seculi tumultibus, in cõpensione cum afflicis, in supplicatione pro aduersariis, in perfecta obedientia, & multa paciètia in forti certamine cõtra vitia, in perseueratõa oim virtutù, in abnegatione proprietatis, & contemptu altitudinis laudis & honoris. Qui enim in his & aliis piis actibus & exercitiis sedulus & firmus permanferit, vere deo placet, & diabolo resistit. Nam variis modis & dolis religiosos magis quàm alios tentat, odit, terret, & inquietat, ita vt nemo liber ab eius laqueis existat, in quocunque loco & statu, aut in qualicunq; ordine & claufura fuerit. Quid igitur restat facere? Ad dominum confugere, ad Iesum clamare gemere & plorare, vt ipse te semper adiuuet confortet & custodiat, & post multa pericula ad se, vbi vera & æterna pax est, benigne cù gratia perducat. O quàm bene & prudenter facit, qui omnia terrena relinquit, & omnes vias peccandi vitat, & in secreto à negociis seculi se abscondit. O quàm vtiliter & fructuose studet, qui in vita & passione Christi quotidie se exercitat, & omnia curiosa & alta quæ à deo & internis retrahunt, dimittit, vt de vltimo sine & iudicio sapiissime penset. Fidelis & prudens seruus, qui humilia exèpla Christi & sanctorum eius deuote sequitur, & latas vias magnorum cauet & fugit. Nam diuitibus & magnatibus maxime insidiatur diabolus, & per honores & delicias decipit & perdit. A quibus pauperes & simplices sunt saepe magis liberi, sed non penitus se-

curi. Nã vidètes multos doctos in hoc mundo florere, & socios suos ad altiora conscendere, rētantur similia habere, & licite possidere. Sed Christus contradicit, & melius suadet dicens, Vendite quæ possidetis, & à vobis nō habetis, nec fecistis, nec creastis, & date pauperibus. Nolite thesaurizare vobis super terram, vbi omnia pereunt. Thesaurizate vobis thesauros in cælis, vbi omnia bona in æternum manent. Fuge ergo mūdum, & sequere Christum, vt euadas infernū, & intres cum eo cælū.

De scuto bonæ voluntatis contra hostes. Cap. 10.

Scuto circumdabit te veritas eius, nō timetis à timore nocturno, in longis matutinis, nec in die à dēmonio meridiano in laboribus multis & ieiuniis strictis. Iesus Christus via veritas & vita, salus, virtus, sapientia aderit tibi à dextris tuis & sinistris in omnibus quæ legis cantas & agis, vt perseueres lætus in dei semper laudibus. Ipse adiutor tuus, custos & protector fortis, ab omnibus hostibus malignis. Si deus pro nobis, ait Paulus, quis cõtra nos? Vis non timere hostem? Ama Christum. Quanto enim plus in te crescit amor dei, tanto plus vilescit amor mūdi, & perit timor mali. Amor dei mortem non timet, nec diabolū, nec infernum. Tene ergo fortiter scutum bonæ voluntatis in amore dei, & peribit omnis timor & fraus inimici. Bona voluntas odit omne malum, cauet pro posse omne peccatum, respuit fictum, negat falsum, fugit mēdaciū, detestatur omne vanum & inhonestum. Bona voluntas bene placet deo, diligit omne bonum, omne verum, iustum & sanctum, quærit pure vbi que honorē dei in omni opere & sermone bono, in omni loco & tempore, quandiu vixerit in mūdo. Bona voluntas congaudet proximo in bono, contristatur de malo, subuenit in necessariis, orat pro delictis, indulget offensis, miseretur infirmis, consulit meliora errantibus. Bona & perfecta voluntas habet deum semper præ oculis, & cupit soli deo placere in bonis operibus & cogitationibus suis, aliorū profectum corde & ore amat, & suum reputat, propriam voluntatem cito abiicit, laudē spernit, reputari subterfugit. omnia enim vana reputat quæ à deo retrahunt, & in infimis delectatur. O frater paupercule infirme & despecte, noli deficere in tribulatione & dolore, quia probaris cum Christo in cruce, & cum martyribus in claufura & carcere. Sustine ergo modicum patienter & libenter, qui non potes multa ferre gaudenter, sicut multi sancti fecerunt. Fer saltem pauca leuia verba, qui nō vales pati dura verbera. Sustine tu pro Christo aliqua tibi gra-

honoris ma-
xime in
stat dia-
bolus.
Luc. 12
& 18.
Matt. 6.
Psal. 96.
Ioa. 14.
Rom. 8.
Psal. 5.
Psal. 33.
Psal. 23.
Luc. 12.
Rom. 11.
Iaco. 4.

nia, quando tam multi seculares sustinent pro mundo grauiora sine numero. Noli perdere meritum tuum per impatientiã, qui omni die & hora potes promereri per piã sufferentiã regnū dei & æternam gloriam. In tribulatione & dolore statue ante te passionē Iesu Christi, & feres leuius omne graue quod te premit. Nemo est in mundo cui nō occurrit aliquid contrarium in corpore vel in animo. Nullus sine labore & dolore sub cælo, vnusquisque sibi ipsi onus est & passio, siue solus sit, siue cū alio, in ocio vel negotio. Necessaria ergo gratia dei & magna patientia intus & extra, tantam scutum bonæ voluntatis cõtra inimici iacula, & carnis vitia, & mundi blandimenta. Indue armaturam Christi serue dei, & certa vt bonus & fidelis miles, crucifixo firmiter adhæredo. Tota vita Christi crux fuit, sic & tua erit. Ipse enim dicit, Qui vult venire post me, tollat crucè suam, & sequatur me in regnū meū.

De laude dei in omni opere bono. Cap. 11.

Lauda anima mea dominū. Omnia bona fac ad laudem dei, & quocunque aliqua bona cogitas loqueris & operaris, dic in fine, Deo laus, deo gratia. Quia sine deo & gratia eius nil boni potes perficere nec incipere, nec bene, recte, & virtuose consummare. Deus omnis boni initium & finis, dat, & repetit quod dedit. Recedat ergo superbia, iactantia & vana gloria, veniat & intret humilis oratio, deuota meditatio, gratiarum actio, & vox laudis omni tempore. Quomodo potest aliquis venire ad puritatem & pacè cordis? Audi breuiter, & serua versum istum in psalmo, Declina à malo, & fac bonum. Custodi cor tuum à malis phantasiis, os tuum à verbis nociuis, manus tuas ab actibus illicitis. Ecce hic homo accipiet benedictionem à domino, & misericordiam à deo salutaris suo. Cogita ergo semper bona, loquere semper bona, age semper bona, & erit in pace vita tua, cum conscientia bona. Pax omni bono, humili, mansueto, simplici, omnibus renuncianti, & vsque ad mortem obedienti. Væ omni malo, iniquo, & doloso, peruerso, superbo, inobedienti, nemini plus quàm sibi nocenti.

De vitio vanæ gloriæ & propriæ complacentiæ. Cap. 12.

Nolite in sublime tolli, ait humilis Iesus. Non ergo vane glorieris terra vilis & cinis in teipso, cū bene tibi fuerit. nescis enim quid futura pariet dies, si stabis, an corrues. Dicit beatus Paulus ad Romanos, Noli altum fastidire, sed time. Noli superbire in bono, ne cadas in malo. Deus enim superbis resistit tam angelis quàm hominibus superbicibus, & de-

seipis præsumptibus, & sibi complacētibus. Heu superbia insidiatur omnibus, prelati & subditis, secularibus & religiosis. Superbia morbus valde cõtagiosus cito inficit cor hois, tētat castos & deuotos, iustos & innocentes, doctos & potētes. Quis ergo gloriabitur castum se habere cor inter homines, vt viuat ab omni malitia purus? Vere nullus. O deus tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus altissimus Iesu Christe: tu ante omnes, & inter omnes, tu super omnes angelos & sanctos benedictus es in secula. Oro itaque domine deus sana animam meam, quia peccaui tibi. Cor mundum crea in me, & omnes iniquitates meas dele, vt sim totus purus, totus tuus, tibi placitus & acceptus, mihi autem vilis & abiectus in oculis meis, vt inueniam gratiam & misericordiam coram te & omnibus sanctis tuis, nunc & semper pie Iesu Christe.

De variis bellis impiorum, & paciētia piorum. Cap. 13.

Expugna impugnātes me, quoniam multi bellantes aduersum me. Paciētia ergo est tibi necessaria, & præcipue gratia dei confortans te intus & extra in omni loco & tempore. Multa sunt bella in mundo, multus labor & dolor sub cælo, sed nō in cælo. Et quis enumeret omnia mala mundi, & occulta iudicia dei? Quis nisi deus solus iudex iustus fortis & patiens, hominum malitiam vincens, lucens & pluens super bonos & malos? Non est qui se abscondat à calore & notitia eius, & possit præter ire iudiciū eius, & effugere manus eius. In omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Dic ergo cum Dauid in psalmo, Oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Et, Nisi quia dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Non ponas spem tuam & pacem in homine, nec in aliqua creatura cæli & terræ, si non vis errare, falli & turbari. Salus in solo deo viuo, vero, æterno, & summe bono, qui omnia creauit ex nihilo, & regit recto iudicio.

De malitia prauorum contra innocentes. Cap. 14.

Benefac domine bonis & rectis corde. Beati qui ambulant in innocentia sua coram te domine, & sine dolo in bona simplicitate quærunt te. Beati omnes qui ante omnia & in omnibus verbis & factis suis laudem tuã, gloriam tuam, honorem tuum, & amorem tuum, secundum omnem voluntatem tuam prætendunt, & nil proprietatis in omni opere suo habent, nec habere cupiunt. Sit Iesus in corde tuo in omni loco & tempore, in labore & quiete, sine fictione, sine murmure, sicut

Prou. 20.
Psal. 40.
Psal. 50.
Psal. 34.
Psal. 55.
Prou. 15.
Psal. 33.
Psal. 93.
Psal. 124.

Diuitibus &

Pfal. 1.

decet humilē seruum dei, ad omnia bona paratum die ac nocte. Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proicit ventus à facie terræ, & in quibus non est timor dei ante oculos eorum, nec amor dei in cordibus eorum. Quid ergo in eis & inter eos regnat? Ois iniustitia, lis & discordia, superbia, inuidia, auaritia, fraus & nequitia. Hæc vita prauorum, qui non cessant malignari, & bonos ac simplices inquietare. Sed bonis ad meritū, ipsi malis ad supplicium: bonis ad virtutū profectum, impiis ad malorum cumulum. Da nobis domine cum bonis in virtutibus perseverare. Amen.

De inuidia diaboli contra salutem hominum. Cap. 15.

Sap. 2.

Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarū, & inde lis & discordia multa inter homines est exorta. Heu diabolus pessimus hostis generis humani, princeps tenebrarū, & rex super oēs filios superbiæ, non cessat adhuc tētare & inquietare fideles deo seruiētes. Fecit discordiam in cælo inter angelos, litem in paradiso inter deum & hominem, inter Adam & vxorem eius, trahens eos ad peccandum, inter Abel & Cain ad litigandum & occidendum, inter Iacob & Esau ad odiendū. Circuit quotidie per mundum ad peruertēdum, inter secularem & religiosum ad deridendum, inter laicum & clericum ad detrahendum, inter doctum & ignarum, inter stultum & sapientem. Fremit inter superbū & humilem, inter fortē & debilē, inter magnum & paruum, inter pulchrum & deformē, inter nobilē & degenerē, inter senē & iuuenem, inter prelatum & subditum, inter stabilem & vagabundum, inter deuotum & dissolutum, inter taciturnum & loquacem, inter simplicem & astutum, inter veracem & mendacem. Inter hos & alios multos bonos & malos satan discurret, nitens ad malum trahere, & à bono impedire. A quo nos custodire & protegere dignetur Iesus Christus dominus noster, qui per crucē suam principem mundi vicit, & precioso sanguine suo de manu eius nos redemit. Qui cum &c.

De armatura Christi & sanctorum contra vitia. Cap. 16.

Eph. 6.

Accipite & induite armaturā dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Qui enim perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et si quis aliquādo ceciderit & in aliquo offenderit, nō tamē desperet, sed cito poeniteat & resurgat, cautius se custodiat, & emendet. O quā bonum consiliū & salutare remediū certans contra omne malum dictum vel factum, promittens certanti & poenitenti magnum meritum, & vincētū ac

perseuerātū æternum gaudium post hoc exiliū possidendū. Vnde Ioannes Baptista prædicans regnū dei & cōtemptum mundi, ait, Poenitentiam agite, appropinquet enim regnū cælorum. Et dominus, Mensuram bonam & confertam & coagitatā & superfluentē dabit in sinum vestrū. Arma militiæ nostræ nō carnalia ab extra, sed spiritualia dona ab intra, charitatis opera, humilia seruitia, orationes, fletus, & ieiunia. Arma aurea sunt sanctissima nomina Iesus & Maria, & omnium sanctorū nomina deuote inuocata. Arma pauperis & humilis serui dei sunt crux, clauis, lancea, preciosa quinq; vulnera, & omnia passionis Christi stigmata in memoria scripta. Arma argentea sunt sacra scripturæ eloquia, doctorum volumina, clericorum iura, canonicorum decreta, monachorū statuta, deuotorum preces, humilium mores, obedientium exempla. Arma ænea & candida, sunt sanctorum martyrum prælia, & grauiora eorum tormenta pro fide catholica, ad destruedum idola vana, & ad exaltandū nomen Iesu Christi crucifixi super omnia regna & culmina mundi, & luminaria cæli. Arma ferrea sunt cilicia & ieiunia, & poenitentia dura opera carni onerosa, lōgæ vigilia, preces multæ, lachrymæ amaræ pro aīa salute, calores in ætate, labores in messe, frigora in hyeme, dolores in capite, in dente, in crure, in pede, & in aliis mēbris corporis, ad mandandum vitia carnis, & ad resistendum diaboli sagittis. Arma virginum, viduarum & matronarum, sunt castitas, verecundia, taciturnitas, humilitas, modestia, honestas, sobrietas, abstinentia à deliciis & ornamentis noxiis, mansio in domibus, cautio à viis publicis, & firma custodia cordis & oris in omnibus operibus, tēporib; & locis. His armis nos induc Iesu piissime, & ab hostium defende periculis, vt ad te secure peruenire mereamur, intercedentibus sanctis tuis pro nobis. Amen.

De vtilitate frequentis orationis. Cap. 17.

A pud me oratio deo vitæ meæ, in omni loco & tempore. Vbicunque ergo fueris, assit tecum sancta oratio pro socio & solatio, siue breuis, siue longa, pro temporis congruentia. Deuoto seruo dei omnis locus aptus ad orādum, omne tempus breue ad bona meditandum. Scriptum enim est, & quotidie in missa legitur, Pleni sunt cæli & terra gloria tua, osanna in excelsis. Vis fructuose & breuiter orare? Offer deo cor tuum plene, & ora, Obsecro saluifica, benedic & sanctifica me domine qui habitas in cælis, fiat voluntas tua in me omni tempore. Et si recte sapis & bene intelligis ac provide conspicias, tunc oīs bona

bona actio locutio & cogitatio de deo, de virtutibus & sanctis scripturis, est supplex oratio. Hæc ad cælum pulsata, veniam petit, gratiā & gloriam impetrat. Et quando hæc facis ad laudem dei, cōgaudent sancti angeli, turbantur dæmones, ædificantur proximi fratres & sorores, qui ad orandum excitantur oratione frequenti. Non ergo cesset os ab oratione, nec manus ab opere, nec cor à meditatione, nec pes tarder à diuino seruitio. Surgat tecum oratio nocte de lectulo, vigilet & cantet tecum hymnos & psalmos in psalterio, quiescat tecum in dormitorio, præcedat & sequatur te in choro, sedeat tecum in refectorio, doceat te in locutorio, soluat tecum gratias cibo sobrie sumpto, transeat tecum in agrum, plantet tecum species in orto, redeat tecum in cubiculū, nūdet tecum pedes à luto verborum, lauet tecum manus à sorde operum, comitetur te in omni loco priuato & aperto, habitet tecum in silentio, sit tecum in principio laboris, in medio & in fine eius, Ad laudem & gloriam sanctæ trinitatis.

De priuatis orationibus quasi iaculis acutis in hostes. Cap. 18.

Pfal. 32.

Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Verbum dei scutum animæ fidelis ad protegendum, & iaculum acutum contra inimicū. Multæ fraudes antiqui hostis, multæ vanæ immisiones eius contra deuotos simplices & humiles. Sed Christus dei virtus & sapientia omnibus potentior est in cælo & in terra, qui vno solo verbo potest satanam vincere & conterere sub pedibus suorū. Igitur si repentinus timor irruit super te, ora & lege. Esto nobis domine turris fortitudinis à facie inimici. Si caro putrida sit mulat, ora & lege. Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timeo. Si praua suspicio infuit, ora & lege. Cor mundū crea in me deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Si mala tristitia te premit, ora & lege. Redde mihi lætitiā salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Si vana gloria inflat, ora & lege. Non nobis domine non nobis, sed nobis mini tuo da gloriam. Si desperatio molestat, ora & lege. Spes mea domine à iuuetute mea, de ventre matris meæ tu es protector meus. Si P fal. 118. tadium mentem occupat, ora & lege. Adiuua me & saluus ero, & meditabor in iustificacionibus tuis semper. Si somnus opprimit, ora & lege. Illumina oculos meos ne obdormiā in morte, nequando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Si acedia impugnat, ora & lege. Excita domine potentiam tuam, & veni. Cōfirma me in verbis tuis, ne deficiam in via. P fal. 24. Si labor aggrauat, ora & lege. Vide humilitatē

meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Si iracundia conturbat, ora & lege. Da paciētiā domine & pacem seruo tuo, ne perdam coronam animæ meæ in cælo. Tu enim dixisti, In paciētia vestra possidebitis animas vestras. Si appetitus honoris & altior status te allicit & implicat, ora & lege. Inclina cor meum deus in testimonia tua, & non in auaritiā. Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Si cibus & potus immoderatus te tentat, ora & lege. Regnū dei non est esca & potus, sed pax & gaudium in spiritu sancto. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquā. Si curiositas audiendi noua aut videndi pulchra te mouet, ora & lege. Omnis gloria filiæ regis ab intus. Omnia enim infima caduca, oīa mundana vana, quātuncunque sint decora. In solo deo omnia bona plena sine fine. Si Iesum sequeris, & omnibus renunciaueris, omnia in eo possidebis. Post multa sacra verba hoc vnum retine, sæpe ora, sæpe lege. Mihi adhærere deo bonum est, ponere in domino totam spem meam.

De versiculis ante initium operis legendis. Cap. 19.

In corde meo abscondi eloquia tua, vt nō peccē tibi. Nam cito corruet homo in malum, si nō habuerit aliquid boni in corde suo de deo Iesu salutaris suo. Vt ergo prompte habeas deum in mente, omnia quæ audis & vides legis & pensas, trahe ad deum. Memor esto nominis domini dei tui die ac nocte, vt bene sit tibi cum eo, quia sine eo semper male tibi erit, vbicunque fueris, & quicquid habueris. Quando suscitaris in nocte, aperi oculos tuos & lege versiculum istum, & dic ad teipsum. Surge surge qui dormis, & illuminabit te Christus, qui promisit coronam vigilantibus & orantibus. Cum pulsatur iterum, mox lege. Ecce sponsus Iesus venit, exite obuiam ei. Qui tarde venit, confundetur, & benedictione carebit. Cum vocatus fueris ad laborem, lege: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula, & fac opera tibi iniuncta, quia melior est obediētia, quā victima propria. Inter laborem sæpe ora, psalmos deuote rumina, fabulas caue, Iesum inuoca, & genua flecte. Ad sonū campanæ lege Aue Maria, & ei te commenda. Ad pulsū chori lege. Hoc signum magni regis est, eamus & offeramus ei munera aurum, thus & myrrham. Quando chorum intras, lege. Introibo in domum tuam domine, adoro ad templum sanctum tuum in timore tuo. Quando cum aliis stas in choro, lege. In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Quando exis è choro, lege. Deduc me do-

mine in semita mandatorū tuorū, quia ipsam volui. Quādo intras sacrificiam, lege. Vere locus iste sanctus, in quo sacerdotes & ministri se preparant ad diuina celebranda. Quando gradum dormitorii ascendis, lege. Ascēdo ad patrem meum & patrē vestrum, deum meum & deum vestrum, alleluia. Quando descendis, lege. Zachæ festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Quādo intras cellam, lege. Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor domino. Hæc requies mea in seculū seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Quando exis foras, lege. Dirige domine deus meus in conspectu tuo viam meā. Domine sequor te quocunque ieris, quia verba vitæ æternæ habes. Cum redieris, lege. Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula cum Iesu & Maria & tota cæli curia, quia melius hic quā in platea. Cum pulsatur ad prandium, lege. Beatus qui manducabit panem in regno dei. Meus cibus est, ut faciā voluntatem patris mei qui est in cælis. Ante gustum cibi, lege. Cibabis nos pane lachrymarū, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Si male sapit cibus, lege. Dederūt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Cum ergo Iesus accepisset acetum, dixit patri. Consummatum est, & mox inclinato capite emisit spiritum. Felix qui cum Iesu in cruce moritur, ut cum eo resurgere mereatur. Si cibus bene sapit & potus pro communi paratus, lege. Quā dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauam ori meo. O quā suauis est domine spiritus tuus, & quā magna multitudo dulcedinis tuæ, quā abscondisti timentibus te. Ante initium operis lege. Adiuuorū nostrum in nomine domini, qui fecit cælum & terram. Omnia ad laudem dei, lege. Adesto omnipotens deus pater & filius & spiritus sanctus, lege. Assiste mihi o pia virgo Maria, cum Iesu dilecto filio tuo saluatore meo. In fine omnis laboris lege. Deo gratias, deo laus pro omni bono. Ante lectionem in libro, lege. O æterna sapientia reuela oculos meos, & cōsiderabo mirabilia de lege tua. Emitte spiritum tuum, & creabūtur in me virtutes & dona gratiæ, cum spe futuræ gloriæ. Post studiū pone librum ad locum suum, & recogita quæ legisti, memorans verbum domini quod in coena dixit. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. In omni verbo dei inuenies manna cæli, si recte intelligis, & bene viuus. Si malè viuus, lapis est, non panis suauis. Conuerte cor tuum ad humilem & pium Iesum, & inuenies animæ tuæ solatium, & omnia aduersa conuertēt tibi in bonum & æternum gaudium.

De septem virtutum gemmis bonæ

conuersationis. Cap. 20.

Generatio rectorum benedicetur, & iter impiorum peribit. Benedictio domini super caput iusti, maledictus vero qui declinat a mandatis domini. In omni bona & deuota congregatione fulgent præcipue septem commendabiles virtutum gemmæ tanquam deuotionis signa deo & angelis placita, sed de omnibus contraria. Prima gēma est obedientia in subditis, ut omnes superiori suo sponte, prompte & humiliter obediant, & vnusquisq; propriam voluntatem suam relinquat, & cum Christo omni hora dicat, Pater non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Pater fiat voluntas tua bona, & non mea mala. Sic vincitur diabolus, & consilium eius annullatur, crescit obedientiæ meritum, & augetur cælestis præmium.

Secunda gemma est cōcordia in bonis moribus, ut simul laborent, vigilent, orent, ieiunent, edant, & inuicem se confortent, iuxta verbum Iacobi apostoli. Orate pro inuicem, ut saluemini. Tertia gemma est constantia in locis, ne locum suum leuiter deserant, nec pro commodis propriis mutant, sed pro Christo firmiter se sustineant, ut a Christo audiāt, Vos estis qui permanistis mecum in tērationibus meis. Quarta gemma est patientia in aduersis, ut parati sint dura & aspera pro vita æterna sufferre, quæ sibi possunt contingere siue a seipsis, siue ab aliis, deo iusto permittente. In loco enim vbi multi congregantur ex diuersis atatibus & nationibus, raro est quin ibi contingat aliqua turbatio in verbis vel factis. Ideo necessaria est patientia optima medicina cōtra omnem turbationem, iuxta sancti Pauli doctrinam, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Quæ autem ista sunt onera, quotidiana experientia docet, scilicet infirmitas corporum, & imperfectiones animorum, & virtutū defectus in omnibus nobis, quia nemo perfectus in omnibus, nisi solus deus. Quinta gemma est mansuetudo sermonis ad consodales, nutriens charitatem, delens iram, & faciens pacē inter fratres, ut nemo alium verbo, signo, facto, risu, ioco, serio turbet, lædat, aut offendant, sed sicut seipsum attendat, diligat, & Christum præ oculis semper habeat qui dicit, Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris in mundo, & vitam æternam in cælo. Sexta gēma est gratitudo pro beneficiis dei, laudans & benedicēs deum pro omnibus bonis ab initio mūdi vsque ad finem & cōsummationem seculi. Tanta enim sunt beneficia dei in cælo & in terra, ut nemo explicare vel numerare ea sufficiat. Ideo omnia deo retribuenda sunt, & ab omnibus laus

semper

semper soluenda. Septima gemma est perseverantia finalis in omnibus virtutibus predictis, cum multis aliis donis istis annexis. Hæc ducit prudentem & fidelem seruum in paucis, pro quinque talentis lucratis in gaudiū domini sui, æternæ pacis requiē, vbi cum Iesu & omnibus sanctis gaudebit semper in gloria. Amen.

Incipit Prologus in Soliloquium animæ.



Onsolationis gratia aliquas sententias deuotas in vnum coaceruavi libellum, quem meo peccatori charius cōmittere volui, & quāsi quoddam delectabile pratum variis arboribus constitum, pulchrisq; venustū floribus habere disposui, in quod ad legendum speculandumq; optabiles materias tempore necessitudinis pro refouendis animis tædio vel mœrore obiectis quandoque introirem. Ut autem lucide & prompte inuenirem sub qua arbore requiescerem, vel quis ad legendum stos grator esset, singula capitulorum loca rubricatis titulis præfulgere feci. Vario etiam sermonū genere, nunc loquēs, nunc disputans, nunc orans, nunc colloquēs, nunc in propria persona, nunc in peregrina, placido stylo textum præsentem circumflexi. Rogo ergo, nemo legentium indignans moueatur super scribentis manum, quia ipsi totaliter cōfabulari placuit. Ignoscat quoque imperfectioni & facilitati dictaminis, pensans quod deo non artificiosa, sed simplicia & pura magis redolent. Quod si forte vspiam sensus aut minus integer, aut minus clarus apparuerit, super his pium flagitio correctorem, denunciāns ei si quid ineptum inuenerit, ex inaduerentia potius quā ex proposito id mihi prouisse. Adhuc quia humana iudicia quanuis probabilia falli possunt, ad te omnipotēs deus & pater luminum supplex discipulus recurro, & istud soliloquium tibi represento, ut tu digna approbes, vitiosa improbes, mihiq; vel alteri fidei seruo rectius seruanda quæ displicēt insinues. Precor itemq; pater sancte largire mihi exiguo mancipio tuo tempus & horam commorandi in vberibus pascuis scripturarū, quæ meæ charissimæ deliciae sunt & erunt, donec dies æternitatis elucescat, & vmbra mortalitatis inclinetur. Subtrahe proinde curas inutiles, amores temporales, passiones noxias, aliaq; causas ab ocio concupito meretardantes. Oportet enim liberum esse animum & tranquillum de intimis & diuinis meditari cupientem. Ideo ut talem cōsequi merear, benedictione cælestis dulcedinis tuæ me imbuere digneris & perfundere, ut tibi ad glo-

Oratio pro impetranda animi tranquillitate ad capiendas scripturas.

riam; mihi quoque ad qualemcunque loquar consolationis gratiam.


Explicit Prologus.

Incipiunt capitula huius operis.

- De desiderio animæ quærentis deum. Cap. i.
- De districto dei iudicio. Cap. ii.
- De dolore & fetu peccatorum. Cap. iii.
- De lamētatione tēporis & negligētiæ. Ca. iiii.
- De breuitate & miseria præsentis vitæ. Cap. v.
- De anhelatione æternæ vitæ. Cap. vi.
- De optatione bonæ mortis. Cap. vii.
- De mortuo mundo, cuius vita est in Christo. Cap. viii.
- De elongatione a creaturis. Cap. ix.
- De contemptu omnium consolationum terrenarum. Cap. x.
- De magna dulcedine & consolatione in deo. Cap. xi.
- De vnico & summo bono quæredo. Cap. xii.
- De vnione animæ cum deo, & subtractione gratiæ. Cap. xiii.
- De tristitia aīæ absente dilecti gratia. Ca. xiiii.
- De scrutinio super dilecto & donis gratiæ ei. Cap. xv.
- De benigna protectione dilecti, & sufferentia animæ. Cap. xvi.
- De responsione dilecti, quæ sit ratio recessus sui. Cap. xvii.
- De fiducia diuinæ miserationis. Cap. xviii.
- De desiderio diuinæ fruitionis. Cap. xix.
- De gemitu aīæ ex dilatione gloriæ. Cap. xx.
- De memoria cælestis patriæ. Cap. xxi.
- De accessu ad sanctum sanctorū Iesum Christum regem angelorum. Cap. xxii.
- De processu ad salutandam Mariā. Cap. xxiii.
- De consolatione eiusdem. Cap. xxiiii.
- De agendis gratis pro acceptis beneficiis. Cap. xxv.

Incipit Soliloquium animæ.

De desiderio animæ quæretis deū. Cap. i.



Ihi autem adharere deo bonū est. O breue & dulce verbum, deum amplectens, & mundum excludēs vniuersum. Quid amplius dicendū, & quid vltra cupiedum? Nonne satis est si fiat quod iam dictum est? Et si dicantur alia & alia multa, nonne ad hoc vnum reducenda sunt omnia? Dic ergo anima mea cū propheta, Mihi autem adharere deo bonum est. O deus meus tu vnicum bonū meum, so-

lus bonus & dulcis. De te loqui dulce est amanti, de te cogitare suaue est deuoto, cuius cor non est in mundo, sed tecum absconditum in celo, vt tu sis ei sola vera requies & intima suauitas, nec hic crucietur quotidie, vbi tētat falsa cupiditas. Deus meus quomodo est illi in corde, qui tuo feruet amore? Quale gaudium eius, quem nulla delectat creaturarum vanitas? An non vox eius canit in psalmo, de quo & sermonis suscepi exordiū, & talis est, Quid mihi est in celo, & à te quid volui super terram? O anima sancta, anima deuota & ad deū suspensa, quid hoc audio de te? Quid est quod loqueris? Parua tibi vidētur quæ in celo sunt & in terra? Parua mihi sunt omnia. Quid ergo quæris? Quem vis sine istis? Et vbi inuenies eum sine his? Habēt ne nomen aut locum, aut habitationem ad quærendum? Vbi est locus habitationis gloriæ eius, de quo cecinisti dicens, Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ? Responde obsecro mihi. Nam si poteris eum mihi indicare, ibo tecum, & quæremus illum simul, eritque deus tuus deus meus, & bene nobis cum fuerit inuētus à nobis & detētus. Quid hoc (inquit) quæris à me, aut cur tale aliquid scrutaris apud me? Putas quod tibi talia dicam, aut dicere valeam? Quod si charitas fauet, nonne rei huius raritas, aut etiam secreti mei profunditas magis dicere prohibet? Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt & viderunt: ecce hi sciunt quis sit ille quem quæris. Sed potius eū interroga, qui nouit omnia. Ipse enim est de quo fit sermo, qui melius se tibi indicabit, & vbinam habiter, longe clarius demonstrabit.

Psal. 93. Is utique est qui docet hominem scientiā, de quoque humilibus gratiam suam. Accede ad eum qui reuelat seipsum cum voluerit, & cui placuerit, nec est qui sine eo aperiat. Potēs est solus reuelare tibi gaudium amantium se, & vltra quam potes à me discere. Et nunc quid sic loqueris anima sancta & humilis? Ne autumes me velle à te inquirere, quod forte sciri non oportet, aut nequeat dici. Maneat secretum tuū tibi, clausum sit super te ostium tuū, stet firmum signaculum fidei, non moueatur velum à sanctuario. Manduca panē sanctum in sacrario, intra tabernaculum domus tuæ, ascēde superius cœnaculum, ingredi cellarium regis æterni, aut quod præstantius est, & amabilius sonat, thalamum scilicet cælestis sponsi tui. Scio scriptum, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum. Noui hoc & legi. Tu autem vide quid sequitur, & miserere mei secundum eloquium eius quæ dixit, Catelli edunt de micis cadentibus de mensa dominorum suorū.

Noli proinde celare verbum quod sciscitor, sed de vbertate internæ suauitatis effunde vel vnam scintillam amoris igniti. Da guttā paruulā vini preciosi, emitte de optimo vnguento vel modicum odoris, vt & ipse gustare valeam, cuius tibi nota est pars optima, & amabile tam crebro solamen. Quid cunctaris? Satisfac desideranti, & aperi ostium amico iam tertio pulsanti. Dic dilecta de dilecto, me tamen non neglecto. Si non vales sicut est dicere, dic vtunque potueris. Nam dicere sicuti est, quis valebit? Et quis dicētem caperet? Ergo si non vt in se est, dic saltem qualis sit in te. Si non quid sibi, eructa tamen quid boni fecerit tibi. Quis enim quid sit in te, inuestigabit? Tu non poteris, eo quod confessa sis & nō negasti dicens, Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. Quò ibo à spiritu tuo? Si ergo non sufficis penetrare spiritum tuum quem creauit creator & viuificator omnium spirituum, quomodo penetrabis increatum? Nonne ideo stupens dixisti, Domine quis similis tibi? Dic tamē obsecro per aliquam similitudinem cuius essentiam necdū attingisti. Neque enim ex parte negare debēs, cui totum reueladum non existimas. Fateor (inquit) quia nimium curiosus es tū, & importunus mihi. Perscrutaris omnia mea, & ad secreta cubilis mei mittis manum tuam. Misi te ad illum, & iterum venis ad me? Me quæris, an ipsum? Sed quæso te, cuius es spiritus? Quiesce obsecro, & noli mihi molestus esse, quia supra me est quem quæris. Et dixi, Nunquid qui deum quærit, tam facile conuiescet? Noli protrahere sermonem, qui potes cito adhibere consolationem. Quousque animam meam suspendis? Quid dicis & non dicis? Viuit anima tua quia non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Etenim pro benedictione mea erit, si ostenderit eum mihi. Iam ergo si vidisti illum, dicit mihi palam, & ego eum tollam. Rursus illa. Video te in desiderio esse, & in amore creatoris laborare. Rem difficilem à me postulas, & nescio an fieri possit quod optas. Scit bene quem quæris, quia non est meū hoc dicere tibi. Videtur tale esse scrutinium tuum, quale & sponsæ quæ in Canticis. Indica mihi (inquit) quem diligit anima mea. Vis ergo à me discere quis sit iste, aut quid boni mecum egerit ipse? Vtrunque autē secretum meum mihi. Sed non es contentus, nec illius magnitudine deterreris, qui cælos excedit: nec mea paruitate auerteris, qui nullius momenti sum in conspectu eius. Cur imposuisti mihi onus istud? Hoc enim dicere labor est ante me, donec intrem in sanctuarium dei, & intelligam. Cur vis scire quod lo-

qui

qui non licet? Et dixi. Nunquid non libet? Et quidem maxime. Placet enim ea sape magis scire, quæ difficilius panduntur. Mihi tamen quæso ne ita difficilis sis, vt omnino taceas. Ne timeas quod hæc inimicis mox prodam. Seruabo verbum tuum amice, & valde amice. Secure dicas mihi, in secreto silentij tui. Ecce duo hic soli sumus. Nec ego leuitate, nec tu arrogantia delectabimur, sed in eo qui nos considerare fecit, de quo & loquimur. Si autem superuenerit ipse, demus locum, & sit in medio nostrum. Et si dignetur loqui, libenter audiamus, nosque interim sileamus. Tu autem non teneberis illa hora respondere votis meis. Illo enim loquente silere debet omnis caro. At illa. Bonum pactum est. Sit ille tantum nobiscum, & feramur ad secretum nostrum. Sit ipse dux verbi, & ducat quò nos ire delectat. Dilectus iste de quo diligentissime sciscitaris, talis ac tantus est, vt sermone non possit explicari, cum sit ineffabilis. Tam altus & superexaltatus est omnibus creaturis, vt sit semper incomprehensibilis. Virtus eius & magnificentia eius interminabilis. Quicquid de eo dicitur aut scribitur, indignum eo totum creditur, quia omnibus superfertur. Cæli dixerunt. Pertransiuit nos, & ascendit, inualuitque super nos. Terra respondit. Si cæli cælorum non capiunt, nolite me interrogare. Stellæ cecinerunt. Tenebræ sumus & non lux, nisi illuxerit. Mare contremuit & ait. Non est in me, & abyssus ignorauit. Audis quid isti dicunt? Audiui & conturbatus sum, à voce eorum contremuerunt labia mea. Quid ergo fiet si interrogauerimus eum? Interrogemus. Domine si tu es ipse de quo cecinerunt viri, & cui omnia deseruiunt per tēpora? Vtique ego sum qui sum, & præter me non est alter. Ego primus & nouissimus, omnia creans & gubernans. Viuo ego, dicit dominus, quia regnabo in æternum & vltra. Quid dicis nunc vermicule, circumfusus tanto lumine? Ecce dilectus tuus loquitur tecum, quem putabas esse mecum. Mecum erat, quando illi dicebam, Mihi autē adhærere deo bonum est. Tecum erit, si dixeris & tu. Renuit consolari anima mea, & diem hominis non concupiui, sed in te domine sperabo, tu es enim rex meus & deus meus. Non eris similis vagis amatoribus, sed vnicus vnici, vnicus requirens, qui nullum de externis admittit sodalem. Sermo ergo tuus solius cum solo, etiā si abierit sede vacua, patienter ferens omnia. Nam hic est modus eius, ire & redire, & probare sibi dilectam, atque in amore facere perfectam. Non te cōturber recessus, si optas eius accessum. Expecta, expecta, modicum ibit, &

post modicā redibit. Hoc tamen totum amor facit, qui nūc fert ad summa, nuncque demittit ad ima. Amor eius gratiosissimus cunctis flosculis suauior, liliis candidior, & micantibus gemmis pulchrior. Eius siquidem amori nil in creaturis est preferendum, & ideo pro eius amore totū despiciendum. Ego tacta amore eius intrinsecus, intātum ceppi ardere corde tenus, vt omnibus valedicēs creaturis, eius solummodo precarer castissimos amplexus, & in consuetam multis edidi vocem, tanquam carbones ignitos de fornace ardenti preferēs. Quid mihi est in celo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea deus in æternū. Intellige nunc de dilecto tuo qualis ac quantus sit, qui omnia etiam entia incōprehensibiliter transcendit. Et licet sit ineffabilis & omnino inexcogitabilis, quia interminabilis, est tamen multum amabilis, atretabilis, socialis, exorabilis, ita vt cum capi nequeat, miro tamē modo amari possit. Etenim amando capitur, amando stringitur, sed desiderando quæritur, orando pulsatur, expectādo promeretur. Si necdum tibi satisfeci, satisfaciatur ille quem quæsiisti, & doceat te super omnes docentes, se inuenire.

De districto dei iudicio. Cap. 2.

Lactetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Deus meus multū amabilis es, sed & terribilis multū. Qui amat gaudeat, timeat vero qui non amat. Qui nec timeret hec amat, stolidus est & insanus. Est enim horrendum incidere in manus tuas. Et quis præ timore iram tuam dinumerare poterit? Aut quis stabit ad videndum te in iudicio venturo? Quia sicut rugitus leonis, sic rugitus tuus, & sicut ignis vibrans gladius tuus. A clamore vocis tuæ commouebūtur omnes inhabitantes orbem, & cōcutientur omnia fundamenta terræ cum veneris. Quis ergo non timebit? Aut quomodo poterit quis effugere manus tuas? Si absconderit se homo subter petram firmissimam, tonabis super eam, & scindetur fortitudo eius. Et si latuerit in speluncis aut in montibus, inde eruetur, & sustinebit iratum, quem non studuit habere placatum. Certe non est locus vbi homo à facie tua abscondatur. Omnia enim tibi nuda & aperta, penetras quoque omnia interiora hominis, & subtilissimos cogitationū motus perspicias. Nullū ergo secretum clausum est oculis tuis. O quam terribilis eris peccatoribus & induratis mentibus, qui modo gloriantur cum male fecerint, & exultāt in rebus pessimis, & dicunt, non videt dominus, nec intelligit deus. Tanquā non sis vē-

turus, sic inflantur verbis inanibus, & auertunt oculos suos, ne videant in fine. Tu autem venies hora qua non aestimat, capiuntque peccatorum suorum laqueis. Et sicut fures & latrones comprehensi confunduntur, sic confundentur in tempore suo. Deridebis eos qui nunc derident tuos, & reddes eis malitiam suam, qui odio habuerunt iustitiam tuam. Modo surdescunt ad vocem tuam, sed veniet tempus quando clamabunt, & nemo exaudiet. Vertunt nunc verbum tuum in fabulam, sed conuertentur tunc ipsi in flammam. Egredietur enim sermo tuus horribili statu, percutietque impios, & incredulos sine misericordia. Quid tunc dicit superbus, inflatus scientia, ac tumens potentia? Quid respondebit, cum tuba nouissima insonuerit? quando tu domine deus noster cum angelis & archangelis in maiestate apparueris? Tunc certe obtutescent omnes iniqui illusores verbi tui, & conturbabuntur vndique qui non timuerunt deuotos tuos insectari. Tunc confundentur confusione maxima, qui relicta conscientia & honestate vitæ, vanitatibus se subdidere & illecebris. Tunc soluent poenas, qui carni laxarunt habenas. Tunc dabunt mugitum ad cæ-
 lum, qui nunc tympanum tenent & chorum. Tunc totum vertetur in luctum, quicquid per immoderatum gaudium est contractum. Tunc ligabuntur in fasciculos ad comburendum, qui socij fuerunt ad inebriandum. Et quos amor ligauit in culpa, vltima flamma simul rotabit in poena. O stulti & miseri, o vesani & cæci amatores sæculi, quid agitis & præceditis? Quomodo effugietis iram domini? Cur ad æternos cruciatus festinatis pro modica voluptate quam amatis? Cur gehennam non horretis, qui paruum poenitentiam sic timetis? Et qui mortem carnis fugitis, quare æternam animæ mortem non præcauetis? Nisi ergo conuersi fueritis, & poenitentiam egeritis, hæc horrenda igneaque tormenta deo vindicante non euadetis. Tremens factus sum ego, dum extremum pensodiem & horam, quoniam tunc deus non flebitur precibus, sed erit iustus iudex omnibus. Sancte deus, sancte fortis, sancte & misericors saluator amare morti ne tradas me, sed da locum poenitentia, vt dignè queam peccata mea desistere, prius quam defungar hac luce.

De dolore & fletu peccatorum.
 Cap. 3.

Dolor meus in conspectu meo semper. Deus meus vitam meam maculaui peccatis multis, sed vide lachrymas meas, quas fundo in conspectu tuo pro eis. Scio enim quia non habitat in me bonum, & quando mortale gero corpus, non sum liber a pec-

catis. Facio igitur malum & pecco quotidie, & quod grauius est, multa patior abire sine gemitu & digna contritione. Nam exterioribus rebus & vanis curiositatibus sæpius intentus & implexus, non possum tam celeriter reuerti ad salutare fletum. Ideo tam fortiter multiplicatur in me peccatorum tenebræ, fontes obstruentes gratiæ, & venas diuinæ consolationis non admittentes. An istud paruum est malum? Grande est hoc malum deus meus, & fit tanto grandius, quanto citius transit à corde, nec villo me pungit dolore. Domine nunquid non respicies? Quando illudam te, & fallam me? Vtique taces domine? Vbi est virga? vbi stimulus & baculus? Quare subtrahis iudicium & infernum ab oculis meis? Si starent hæc ante me, putas negligenter agerem? Si taces, emendationis gratia patientiam exhibes. Sed si neglexero, nonne acriter post corriges? Si non hic, certe in futuro corripies. Nil quippe transibit inultum, nec paruum nec grande peccatum. Sed multo melius hic, vbi fructuosus fletus, labor breuis, satisfactio acceptior, & reconciliatio facilius est. Ne parcas igitur virgæ, sed acri collyrio vnge oculos meos, nec in posterum referues mala mea, ne forte tradar torribus ad soluendum nouissimum quadrantem. Melius est nunc parum & salubriter pungi, quam postea tam acerba luere tormenta purgatorij. Lugendum ergo mihi, & dolor ingens pro peccatis est habendus. Multa enim habeo quæ defleam, sed vnde rideam, non habeo causam. Tenebræ cordis, & lubrica conscientia, casus in vitia, & occasus gratiæ, flere & gemere mihi suadent, immo ex angustia me sæpe compellunt. Cogitans quoque diuersas tentationes & malorum incursum, ad quid risus? Parce mihi domine, parce mihi. Si enim fleuero tactus dolore intrinsecus, non est mirum, quia tempus fletu est. Felix hora, quando nascitur mihi pro peccatis dolor. Beata lachryma quæ stuit ex doloris vehementia, circumscripita omni cordis macula. Et quis sufficit abyssum hanc plene discutere, & latentes sordes sine palpatione arguere? Deus meus lumen verum tu potes omnes cordis mei tenebras illustrare, & omnes maculas eius in spiritu ardoris & iudicij concremare. Tuum est dare cor nouum, creare cor mundum, & præparare ibi secretum habitaculum, vt fiat locus requietionis tuæ, & tabernaculum nominis tui, qui es amator munditiæ, & hospes bonæ conscientia. Sed quia neglectam domum non libetè visitas, immo bestialibus motibus illudendam sæpe relinquis, ideo sollicitus sum ne id mihi contingat, sed ad reparandas ruinas meas

meas misericors & clemens succurre. Væ illi cui iratus abscesseris. Pax ei ad quem descenderis, & apud quem permaneris. Ego miser positus in medio laqueorum, & grauatus compe-
 dibus peccatorum, quale mihi est consilium, & quod salutis remedium, nisi vt ad te leuem contritos oculos meos, si forte audiat clamor meus in excelsis? Neque enim salubrius remedium inquinata conscientia inueniet vel habebit, quam amarissime se in oratione mactare. Et importuna tetratio quomodo melius curabitur ne preualeat, nisi vt continua oratio ad te fundatur, & multum se homo humiliet? Sed hæc bona quis mihi tribuet, orare & flere sicut expedit? Vnde mihi humilitas, & tanta lachrymarum copia? Vtique apud te domine, apud quem misericordia & copiosa redemptio. O domine deus dator omnis gratiæ, concede mihi digne flere etiam quantumcunque minima, & quæ latent & quæ patent omnia simul sine excusatione castigare. Hæc inter me & te mactata gratia mihi restituant amissam, & ad meliora præparent, ac viciniora salutem.

De lamentatione ob infirmitatem & inconstantiam in bono. Cap. 4.

Imperfectum meum viderunt oculi tui. Ah domine deus, quid vnquam fiet de me, cum deficiam quotidie? Quando emedabo perfecte vitam meam? Quando melius fiet? quando conualecam, & quando omnia vincam? Deiectus sum in limo, profundi. Putas adhuc spes esse poterit resurgendi, emendandi, proficiendi, & perueniendi? Non est mihi spes de me, & vix firmior sit in te. Desperatio mihi ingeritur valida, quia infirmitas mea grandescit ex longa vexatione, nec video finem doloris & iniquitatis. Et si dixerò nunc incipiam, ecce tempus est, conabor sicut poterò, statim adeest peccatum præ foribus, & erigitur aduersum me inimicus, & tenet me consuetudo mali tenaciter & inuite. Vide domine deiectionem meam, & conculcationem mei, & omnem quam patior calamitatem. Exaltetur dextera tua, & libera me ab his qui me concluderunt, quia cecidit timor eorum super me. Periit consilium à me, & fortitudo mea defecit. Brachium meum confractum est, & gladius meus saluare me non poterit. Non video ad quem diuertam, & qui me recipiat & curet, non comparet. Tu solus mihi ad refugium remansisti, sed quia offendi, hoc est quod me deterret. Peccaui, ignosce mihi. Poenitet me totum, & valde multum. Redde tu mihi quod tibi recte videtur, & propitius esto. Iuste me deseruisti, iuste me aduersario tradidisti. Memento quæso signum tui, & repara quod cecidit, nam per se stare non potuit.

Attende gemitum meum, & necessitatem meam. Labor meus & dolor cordis mei non sint in obliuione coram te. Captiuitatem & incarcerationem meam, oppressionem & exactionem meam respice misericors pater, & erue vinculum de domo carceris ac miseræ seruitutis. Si vixerit homo multis annis, quid ex hoc emendabitur? Et quis nouit vtrum melior an peior fiet? Incertus est hominis progressus & exitus, & dubiosa perseverantia, propter varios casus malorum, & tentationum pericula. Multi prima sunt conuersione boni & humiles, postea peruersi & rebelles. Prius timorati & deuoti, compuncti & taciti, post vero liberi & dissoluti, loquaces & incautissimi. Et qui prius cogitationes restringebant, postea de verbis & factis vix curam gerunt, sicque paulatim vadit in deterius omne malum non præcautum in principio. Quis ergo non debeat timere & circumspectus esse, cum bonis & modestis interdum soleat multa inausulta accidere? Quis etiam scit an electus fuerit, & omnia sustinere possit? Oportet vt omnes probentur, & quis certus est quod non comburatur, quoniam ignis tetratio est? Timendum ergo omnibus, & æque de meliori sperandum, sed non temere presumendum, nec sub vana spe torpendum. Aurum probatum saluabitur, tu autem homo vide cuius substantia sis. Cælestis confessor constabit, & filios Leui emundabit, omnes videlicet seruietes sibi. Non semper aurum est, qui hominibus fulget vt aurum, nec semper stipula aut reprobum argentum, qui vim patitur & sustinet flagella, quia deus intentiones aspicit & corda, operans etiam ibi plerumque mirabilia, vbi à multis putantur perdita. Domine deus quid mihi gaudij esse potest in mundo, cum pertractare cœpero incertitudinem & infirmitatem omnis rei sub cælo? De te tamen certus sum quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia tua super omnes te timentes. Nam bonitas tua & pietas infinito maior est quam omnis iniquitas mea. Et hoc meum erit solatiū, quando emendandi concesseris spatium.

De breuitate & miseria presentis vitæ.
 Cap. 5.

Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Quando in hoc mundo sum, mundus non sum. Et quando hic maneo, pauper peregrinus sum, & hospes super terram. Nichil intuli in hunc mundum, & nihil inde auferre possum, quia nudus huc veni, & nudus hinc egrediar. Quasi vmbra quæ præterit, & quasi pluma quæ vento tollitur, & tanquam hospes vnius noctis mox transibo. Omnis vita præsens vna breuissima nox est.

Dies mei pauci sunt & mali, & post modicum finientur, & erunt quasi non fuissent. Mortuo homine quid nisi vilitas in homine? Quis curabit de foetido cadavere? Aut quis quæret de absente mortuo, qui nec viuēs computabitur pro aliquo? Memoria hominis breuis super terrā, & apud notos & ignotos. Sed in memoria æterna erit iustus, quia deo qui non moritur, æternaliter erit cōiunctus. Felix igitur qui non ponit sp̄ suam in homine, nec nimium lætatur in aliqua re mūdi vel specie, sed in cælo habet cor fixum, quia hic totum caducum & vanum. Numera omnes ab origine mundi vsque nūc, dic quæso vbi sunt? Et quos adhuc viuere vides vel audis, quādiu putas durabūt?

Psal. 111. Pronuncia ergo de omnibus, quia vanitas omnis homo viuēs. O vitam pauperem & miserabilem, vitam fragilē & lamentabilē, quam boni magis patiuntur quā diligunt. Mali autem et si multum eam diligunt, tamen diu in ea subsistere non possunt. O quando finieris, & quando cessabis vniuersa vanitas mundi? Sed veniet tēpus quando liberabuntur a seruitute corruptionis oēs electi, qui iam sæpe lamentantur, quia longe sunt a regno Christi. Vtinam arefcant in corde meo totus hic mundus, & fiat mihi tantum suavis dominus deus meus sponfus immortalis. Vere fallax & amarissimū poculum est huius vitæ decurrens gaudium. Bibant qui volunt, quia solutionē duram oēs postea luēt. Et quanto plus quis eo fuerit inebriatus, tātō acrius sentiet eius cruciatus, quia omnia iucunda in hoc mundo celerius vento transibūt, & suis dilectoribus dolores & ardores relinquent. Fuge ergo a me fallax mundi gloria, & omnis fatua carnalisq; lætitia. Multos trahis & decipis, sed in fine eos relinquis & submergis. Væ credentibus tibi, væ submersis ibi. Veni & accede sancta abiectio, & omniū pōparum seculi plena despectio, & noli a me recedere peregrinationis meæ salubris recordatio. Quid sum nisi cinis & terra? & quorsum tendo nisi ad terram? O quā miser factus sum, & quā iuste tristari possum, cū reuoluo peregrinationē meam, qui etiam ignoro qualiter adhuc finiam eam. Si bene vixero, & sic perseuerauero, non est timendū de mala morte. Sed de bona vita & irreprehensibili conscientia quis poterit gloriari? Qui se talem no vit, in domino gloriatur, & mei peccatoris miseratur. Viuere mihi non libet, quia miseria vndique vrget. Mori conscientia mala timet, quia quid deo respondeat, vnum pro mille non habet. Non est simile huic trepidationi verbum prophetæ dicentis, Paratum cor meū deus, paratum cor meum. Domine deus salutis meæ da finem bonū vitæ meæ, & noli pro-

longare dies luctus mei. Lugens veni in hunc carcerem, & sine timore hinc non exibo. Lōga mihi videtur hæc vita, sed hoc miseria frequens facit & tristitia. Reuera autem non longā, sed velocius cursore decurrunt tempora. **Iob. 9.** Ei vero qui in tristitia & dolore versatur, omne tempus longum est, & diem quasi annum computat. Ideo tædiofa est mihi hæc vita, & tanto grauius me affligit, quanto verius singulas ei? miseria intueor. Sed et si aliqua intercurrunt consolationes & lætitiæ, circumspicere me oportet an ex deo sint, an nō. Si ex deo, libenter eas accepto, sed quādiu durabunt ignoro. Tamen quācumque exigua sint, mihi placent & sapiūt. Sed vtinam deus meus largiter influant, & horas non breues apud me faciant. Quæ autem ex deo nō sunt, viles sunt & cito peribunt, quāuis in facie iucundæ videantur & dulces. Sic sic transit vita ista, bonis & malis semper admixta. Quādiu ergo hic sum, pauper & peregrinus sum. Non possum dicere satis est mihi, quia fatietas nullius boni est in præfenti, sed bonum meum quod expecto, tu es, in quem credo. Cum ergo apparuerit gloria tua, & me impleuerit, tunc cōfitebor tibi, quia omnino mihi iam sufficit. Interim tamen quia verbum hoc absconditum est a me, multiplex luctus circumdat animam meā. Propterea memor verbi sancti tui, hoc sæpe dico, Tristis est anima mea vsque ad mortem. **Matt. 4.** Bonum mihi si hæc hora transisset, nec vllus luctus aut dolor occuparet. Sed pietas tua domine oro me conferuet.

De anhelatione æternæ vitæ. Cap. 6.

Educ de carcere animam meam. Doloris **Psal. 114.** vis silere me non patitur. Quid enim hic diutius moror? Nescio enim quid hic valeo. Tarde nimis proficio, & vtinam non magis deficerem. Quā bene mihi faceres domine, si cito me hinc tollereres, ne deterius mecum fieret. Vita mea in dolore suspirat, & in opere se non emendat. Si expectas, non ex hoc emendat, sed etiam tua longanimitate abutor. Et si corrigis vix patior, quia siccam stipulam persequeris. Cur ergo non tollis seruum tuum? Vt quid etiam terram occupat? Quod est dicere, Quare cum bonis habitat, & vitam ac mores non emendat? Cur locum alicuius melius conuersantis quādiu superest, & tam negligenter ac tepide se agit, indigne & damnose occupat? Et hoc triste nimis cogitans, in auribus dei mei loquor. Sed bone domine, noli in ira tua clamare contra me, Succidite arborem, & mittite in ignem. Ego in firmitatem meam accuso coram te, vt ignoscas confitenti mihi. Meum est accusare, tuum est indulgere

indulgere. Meum est flere & dolere grauius, tuū est flentē cōsolari misericorditer. Aut igitur domine deus præsta mihi maiorē gratiam in hac vita, aut tolle me cito de hoc mundo, ne peior fiat scissura. Nam diu viuere, & vitam non emendare, pœnam est accumulare. Nec mihi potest placere talis vita, quæ profectum nescit, & defectum nō plangit. Qui enim sancte & iuste viuit, dolet in quibuscunq; deficit, & vt magis in virtute ac gratia crescat, in desiderio semper habet. Sed quid hic faciet qui se quotidie sentit deficere, & grauius contra spiritum carnē surgere? Qui etiam non nūquam tædio victus & negligentia, & torpore tepescit iam cessat repugnare, aut proiectis armis spiritualibus sequitur impetū carnis, & quocunq; eū propria trahit voluntas. Talis heu domine deus appropinquat vsque ad portas mortis, & viuens in carne mortem incurrit animæ. O quantum vnicuique timendum est de seductione & supplantatione inimici. Nemo securus, nemo mundus, sed est fragilitas in omnibus. Tu autē domine qui omnia potes & omnia cognoscis, resuscita contra fructū corde, & munda immundum ab omni sordē, & da spiritum nouum in visceribus eius, vt discedat omnis tepor & lāguor, & reuertatur spiritualis feruor, & vsque in finē stet immobilis tuus amor. Solūmodo eget adiutorio tuo, qui præpeditur pondere suo. Nec valet per se abicere sarcinam peccatorum, donec tu de cælo præstes gratiam valentē soluere dura vincula passionum. Quā peto mihi donari, quia sine gratia nō potest esse bona vita, nec sine ea percipitur æterna vita. Quod autē nūc viuo in corpore, non est consolatio mihi, quia melior est mihi mors q̄ vita. Quare? Quia propter hanc vitam elongor ab æterna vita, quæ venire nō potest, nisi mors præsentem perimat, & mors ipsa simul destruat. Ideo desiderium meum sursum respicit, & cor quæret æternam requiē **1. Cor. 15.** alte suspirat & clamat: Sufficit mihi domine, tolle animam meam quam redemisti sanguine tuo. Aperi mihi portam regni tui, & introduce pauperē peregrinum, de exilio ad te reuertentem. Audi me domine, & solue me a corporis vinculo. Quid hic vltra faciā? Nec mihi, nec aliis sum vtilis. Ad quid ergo viuo? Mihi quidem onerosus, cæteris tædiosus. Quid fiet de me? Nescio domine an tu melius aliquid de me prouidisti quare tardentur desideria mea. Consentio ordinationi tuæ, quoniam bona est. Sed in me tantū malum inuenio, quare mihi viuere in mundo onus sit & tædiū. Nam peccato quotidie, & peccatū super peccatū adicio, & sicut dignum est non pœniteo. Si igitur solutus essem ab hoc corpore peccati, & tibi fo-

ciatus in regno, nec ego amplius peccarē, nec tu in aliquo offendereris, sed semper te laudarem. Sed adhuc sustines me, & omnē ostendis patiētiā. Cognosco culpam meam, quia ob peccata mea non licet regnum ingredi, nam nihil immundum in illud introibit. Sed quādo ero sine peccato, quando ad plenum mūdabor, vt nō timeam prohiberi, sed magis gaudeam intromitti? Si non profecero feruētius, nec sollicitior fuero q̄ hactenus fui, timeo q̄ spes mea parua satis erit. Sed du domine qui neminē vis perire, sed omnes saluos fieri, præsta mihi maiorem gratiam ad emendationem vitæ, & ad speranda bona cælestia da spiritum pinguedinis internæ. Nunquam hic sit cor meum secundum carnem lætum, sed timēdo expectet letum. Nulla creatura me teneat aut cura, sed tua oprata præfentia me trahat & cōsoletur. Beatus qui te expectat domine, sed beator qui iam emigravit ab hoc seculo nequam. non enim vltra aliquid molestiæ sentiet vel timebit.

De oratione bonæ mortis. Cap. 7.

Spes mea domine a iuuentute mea. In hac **Psal. 70.** spe ad te confugio, dum nouissima hora & tempus resolutionis meæ venerit. O si bene paratus essem, vt mori sub spe gratiæ possem? O si felici transitu diē extremum clausissem, & corpoream sarcinam deposuissem, quor tūc pericula & timores euasissem? Felix quē elegisti & assumpsisti, qui iam deposito corpore trāsit ex hoc mundo ad patrē, de exilio ad regnum, de carcere ad palatium, de tenebris ad lucē, de morte ad vitā, de periculis ad securitatem, de labore ad requiem, de cunctis miseriis ad perpetuam beatitudinē. Felix anima quæ iam potitur præmio suo, gaudēs in te domino suo. Sed heu mihi, quia incolatus meus prolōgatus est vsque adhuc. Quā gratiose & misericorditer mihi faceres, si citius me euocares, & ad te peruenire sineres, vt vbi tu es, illic & ego essem. Ah si maturius me ex hoc mundo tulisses, quādo necdū in quinamēta eius cognoscebam, & quando peccare etiā in paruis metuebam, quanta mihi bona in hoc præstitisses? Nunc autē diutius viuēdo vagatus sum lōgius a te, & offendi in valde multis. Væ mihi, quid feci? Secutus sum passiones carnis, vanitates attraxi, virtutes deserui, innocētiā nō custo diui, mala malis addidi, & pro dolor expertus sum quod legi, Væ impio in malum. Vix sero **Esa. 3.** redii, tarde incepti, in reditu non festinaui, in profectu nō ferui, i feruore nō creui, & quod deterius est, a pristino etiā calore refrixi. Hinc & mori sæpe timui, q̄ vrgēte cōsciētia nō vixi vt debui. Sed propter pericula tētationū, ne fieret nouissim⁹ error peior priore, mortē fre-

quenter optavi. Et dixi, O si in gratia mortuus iam essem, ne tantis afficerer malis super terram. O si deus me tempestive auferre dignaretur, & omnium laborum meorum sine imponeret, quam bene mihi tunc contigisset? Verum in voluntate tua domine omnia sunt posita. Si decreueris facere quod postulo, erit continuo. Sin aliter, fiat voluntas tua. Ego possum tibi insindare desiderium meum, & calamitatem quam patior, non quasi nescienti, sed ut tali alloquio aliquod refrigerium animæ meæ faciam. Scio quod nōdum bene paratus sum, conscientia enim adhuc multum metuit. Et quid mirum si ego peccator timeo, quando & multi sancti patres timuerunt, cum aliter sint iudicia tua, aliter iudicia nostra? Sed quomodo me præparabo? Bonum utiq; esset ut melius me præpararem in illum diem, quem ignoro vtrum hodie an cras futurus sit. Et innouabo firmiter propositum, præteritas negligentias deplorabo, totum me tibi immolabo, & tuæ misericordiæ me in perpetuum commendabo. Domine deus meus in misericordia tua stant omnia opera mea, & nulla sunt propria merita, nisi assit tua pietas & miseratio immensa. Et hæc est spes mea, & tota fiducia mea. Sed qualiter est cum bona & immaculata conscientia? Quid dicit casta & deuota anima? Veni (ait) domine Iesu, veni & noli tardare, relaxa facinora mea, solue vincula, educ vinctum de domo carceris, de lacu miseræ, & de luto foccis. Expectans expectavi te, intende mihi, & exaudi me. Noli me apud seculū diutius relinquere. Satis sit quod hucusque certavi, quod tanto tempore exulavi, quod te frui non merui: nec facie ad faciem contemplari potui. Nunc optato concede perfrui gaudio, quod nullo finitur termino, nec villo obnubilatur tedium. Ostende mihi faciem tuam, quam angeli semper vident. Sonet vox tua in auribus meis, quam illi sine intermissione audiunt. Veni domine Iesu, & tolle me de terra aliena, reuoca abiectum ad patriam, & in pristinum gradum lapsum restitue. Veni redemptor bone, fac me participem æternæ tuæ gloriæ. Tempus est ut reuertar ad te, tempus est ut commendes terræ corpus meum, de qua sumptum est. Non est magna cura ubi ponatur, vel qualiter tractetur, dummodo spiritus saluus fiat, & ad te perueniat. Habeat bene spiritus meus quem tibi commendo, caro autem mea requiescat in spe, in nouissimo die resuscitanda. Nam vbicumque recondita fuerit, tibi remota vel ignota esse non poterit. Recipe me ab hominibus, & sanctorum tuorum me coniunge societatibus. Tædet me vitæ tempo-

ralis, sola me delectat dies æternæ claritatis. Nō mihi obsistat in exitu de Aegypto serpens antiquus, non latet contra me in porta inimicus, non terra eius imago perterreat, nō mortis horror cōturber, sed sancti angeli tui fideliter assistant, fortiter iuuent, viriliter protegant, blande leniterque suscipiant, & ad caelestem paradysum cum exultatione perducant. Assistat & gloriosa dei genitrix virgo Maria, & tota caelestis frequentia. Et tu Iesu bone, dulcis, optime, redde mihi lætitiā vultus tui, & noli me reicere à dilectis sanctis tuis, sed recordare ô fili dei, quod precioso sanguine tuo ab inimico me redemisti. Suscipe me in gloria, in misericordia & in bonitate tua, quia desiderio desideravi apud te facere pascha. O felix dies optati premij mei, eia benedicta hora transitus beati, quam diu desideravi, & semper præ oculis seruavi. Quid mihi iam nocuerunt tribulationes & pressuræ in mūdo? quid obfuit contemptus & labor, & humiliatio pro nomine tuo? Tu mihi viuere fuisti, nunc autem mori lucrum erit, & esse tecum in regno multo melius manebit. Sit tibi laus & gloria, qui es vita viuentium, spes morientium, salus & requies omnium in te sperantium.

De mortuo mundo, cuius vita est in Christo. Cap. 8.

AVerte oculos meos, ne videam vanitatem. O Iesu vita vera, vita mori nescia, tribue mihi ex amore cōteri, ex amore vulnerari, ex amore mori, in caro possit mihi domari. Nōdū perfecte mortuū sum mūdo, sed viuūt adhuc in me vetus homo, suscitās in me varias rixas, & desideria multorum malorum, faciēs noctes amaras, & dies tēdiosos. O quādo fiet, ut cū fiducia dicā, Ego autē existimabā me tanquā mortuū super terrā? Qui enim mortuus est, non curat laudes hominum, nec vituperia exprobratiū, quā mortuū est. Qui est carne mortuū, nō loquitur, nō odorat, nō gustat, nec exercet quicquā operis, sed nec vanitatem huius mūdi audit: nō etiā videt curiosa & pulchra, & quæcunq; allucere possunt ad amandū aliquid vile super terram. Sed quā mortuus est mūdo, nō est in mūdo, sed in deo cui viuūt, sicut & dilectis discipulis Paulus dicit, Mortui estis, & vita vestra abscondita est cū Christo in deo. Iste sic loquitur, sic cogitat, sic videt ea quæ foris sunt, quasi nō sint: quia quod videtur, repale est & vanū: quod non videtur, æternū est & verum. Illuc igitur spectat, illic flagrat, hoc ei in corde est, ad hoc laborat, ad hoc peruenire desiderat. Hoc vult, hoc amat, hoc querit, hoc sapit quod intus est & latet, magnū videlicet bonū, summū, æternū bonū, de quo cogitare nunquā illi satis est, quia

quia nimis charum est, & dulce & delectabile, & plusquam ineffabile. Qui talis est, multū elogatus est à præsentibus, & totis affectibus inhiat æternis, habens sub se appetitum sensualitatis. Nam sensualitas quærit exteriora, cupit delectabilia, aspicit præsentia, negligit futura, fugit vbicumq; potest aspera & amara, quæ tamen spiritui sepe sunt salubria. Vnde nō sinit spiritum in silentio & quiete agere, sed diuersa ei adducit phantasmata, quæ vix sunt dicēda, pro nihilo tamē in veritate curāda. Qui autē habet gratiā spiritualis fortitudinis, potest citius subiugare insolentes motus carnis, pfallēs in verbo diuinæ virtutis, Dominus mihi adiutor, nō timebo quid faciat mihi caro. Quāuis igitur ista sensualitas bellū incitet, & vox carnis submurmuret, non tamen ei facile cōsentit, quia maior est vis amoris dei quæ interius confortat. Iste quandoque tam dulciter, tam fortiter & ardentem ad deum trahitur, rapitur & tenetur, ut non videat aut vix sentiat quæ iuxta se sunt & strepunt in mundo, quia non est ibi, sed alibi, non infra, sed supra, cum deo & in deo, qui spiritū in trorsus mouet, erigit, & quasi in curru igneo transfuehit, ut fruatur aliquando eo in felici & diu cōcupito cordis sui desiderio sancto. Non inuenitur foris, quia transtulit illū amator eius. Ibi solus audit verba eius, verba dilecti, & gaudio gaudet propter vocē sponi in nullo sibi suspecti. Nec statim effundit in solum phialā suam ad hauriendā vanitatem, sed inuentum thesaurū abscondit, & claudit sub signaculo, ne pes superbiæ intret, & virtus omnis deperat. Sic nanque dicit ei, **Cant. 8.** Pone me sicut signaculum super cor tuum, & quæ ibi sequuntur. Vtile est signare cor & custodire illud, ne forte dilectus declinet & fugiat, qui cor purum & humile specialiter querit & visitat. Conferat ista secum, & miratur tantum bonum, quod omnem sensum superat & donum. Miratur iterum & interrogat diligenter, quidnam est hoc? Et lætatur vehementer, quia manna de cælo descendit. Qui autem ministrat panem de cælo verum, dat etiam gustatū intellectum bonum, ut sciat quod omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminū. Hoc iam, inquit, à deo verbum est. Nihil sine eo, omnia mihi ex ipso sunt. Rursus miratur & cōqueritur quare tantum bonum tam modice curat, cum quo tamē non modice ei bene est: quare quoque non sæpius ad audiendum & videndum illud, cor suum inclinat, quo dulcius ac felicius ad fruendum nil esse potest. Et modo vtinam de cetero id fiat. Hoc enim summe me delectat, & amplius delectabit, si tamen operam ad vacandum dederō. Veniat dilectus

meus in cor meum, ut comedam de fructu pomorum eius. Declinet ad me, & ostendat se ipsum mihi, & ego me illi. Ipse bonum meū, & gaudium meum. Tūc incipit anhelare & desiderare ac vehemēter amare hoc bonum, in quo est omne bonum, hoc gaudium in quo est omne gaudium, hoc vnum in quo omnia, paruum & magnum, summum & imum, non tamen aliquid iporum conditorum, sed sine forma conceptuum humanorum, principium & finis omnium bonorum ab eo formatorum. Vnde quandoque vult ex toto illo bono repleri, ac gaudio suauissimo perfundi, & quodammodo ab ipso cupit ad fundum absorberi & consumi, ut satifiat insatiabili suo amori, ira ut nihil sui ipsius sit, sed eius totus cuius est ignis & æstus amoris, cuius est hoc mirabile opus, ut sic in eum auidius rapiatur, & vnus cum eo spiritus efficiatur. Nec propter hoc se extollit, aut se aliquid esse putat, aut ceteros despicit vel minores iudicat, quia non est hoc eius, sed munus dei gratuitum, ut merito non debeat inde extolli, cum se senserit taliter ab eo consolari. Non enim quærit laudes, neque fauores curat extraneos, sed dilectum quærit, eius laudem & fauorem solummodo sicut, in quo omnia habet, & plusquam hæc omnia inuenit, quia amorem eius, dulcedinem eius, & gaudiosam fruitionem eius omnibus præfert transitoriis, & super omnia honorem eius cōcupiscit & diligit. Ideoque de nullo bono se efferre, nec vane gloriari potest. Ipse gloria eius, laus & exultatio eius. Ipse verum & sincerum gaudium, summum & vnicum bonum, totum desiderium & complementum eius. Magis autem vult & alios secum ita lætari, & tali frui bono sine fine nunc & in cælo. Hoc enim desiderat & orat, ut omnibus hominibus se notum faciat, & omnes ad se conuertat & trahat, ut ipse solus laudetur & glorificetur, quia dilectus eius charitas est, & amoris puteus, qui nō potest exhauriri. Plus enim omnes amat, quā ab omnibus possit amari. Placet tamen ei si quis eū ex fundo amare appetat, licet ad fundum peruenire nō valeat, quia ipse omnes in amore deuorat, vincit & superat.

De elongatione à creaturis. Cap. 9.

Ecce elongauit fugiens, & mansi in solitudine. O quam salubre, quam iucundū & suaue est sedere in solitudine & tacere, & loqui cū deo, ac frui solo summo bono, in quo sunt omnia bona? Vtinam sic essem cōiunctus illi simplicissimo & vnico bono, ut nullis moueretur affectionibus & distractionibus rerū transentiū, nulli creature nulliq; rei visibili oculos videndo & aduertēdo curiose præberē. Infe-

rom. 7. **lix** ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Heu quam saepe moritur anima mea propter creaturas quas amat, saepe creatoris sui propter eas obliuiscitur & seducitur. Instabilis mens mea nunc istud vult, nunc illud, nunc hic est, nunc ibi, pacem querens in creaturis, & non inueniens, quia omnis creatura etsi delectatione aliquam habet ad usum, non tamen praestat satietatem ad fruendum. Inscrutabile cor hominis, & quis cognoscet illud? Hier. 17. Deus tu scis cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. O deus aeternae, summe & immense creator omnium & rector, ego sum creatura tua, quam fecisti in virtute tua. Ad amandum te factus sum, & modo volo amare te, & non possum quantum volo. Ligatus sum vano amore & viscoso affectu rerum labentium, a quibus dum me excutere conor, vix aut nullatenus sine graui dolore possum. O si tu mihi dulcescas & sapias, quam cito fugient & peribunt? Interdum tamen video mentis intuitu inuisibilia tua per ea quae facta sunt, & te summum bonum, verum sempiternum deum. Et delectat me his immorari, sed statim nescio quo statu actus ab hoc studio reuocor, & in amore & podere visibilibus miser languens teneor. Ecce enim firmiter propono in corde meo, tanquam signum foederis inter me & te faciendo, quod nullam creaturam videre & amare volo propter amore tui nobilem ac preciosum, sed omnia contemnere, & me & omnia mea pariter relinquere. Post haec autem ascendunt cogitationes huius mundi, carnis peccatricis cognatae & vicinae, tam suauiter ad cor meum, quasi in ipsis esset aliqua felicitas, & quasi amissurus essem quid magni boni si eas contemnerem, laetam faciem preterdentes, finem tristem abscondentes, quid in praesentiarum sit exhibentes, quid mali autem sequatur tacetes, quasi vbiq; & in omnibus querendus sis creaturis, & nihil abiiciendum vel contemnendum quod a te deo meo constat factum: sicque abducunt me saepe a proposito meo, & tandem omnino seducunt. O quam vana, quam deceptoriam & prope nihil etiam stantes & flores probantur, quae post subitaneas suas delectationes diffugietes, me inter spinas & tribulos malae conscientiae relinquunt? Vae mihi domine, & vae iterum mihi, quia vanitati citius credidi & assensi, te autem qui veritas es, tam facile reliqui. O quantum in hoc deliqui, quod non omnibus postpositis tibi soli adhaesi? Nam ad amandum te & fruendum factus sum, sed creaturas inordinate sequendo te amisi, & in eis nullam cordis mei paulatim inueni. Couerte me domine ad te, & noli me in terrenis relinquere, quod caelestia te sequentibus dignatus es promittere. De contemptu consolationum terrenarum. Ca. 10.

Renuit consolari anima mea. Noli euagari anima mea post vanitates & infanias falsas, sed conuertere ad dominum deum tuum, quia ipse fons totius consolationis. Quicquid in hominibus quaeris aut in creaturis, perdes, & perditum senties, quia potest aliquid solatij in eis apparere, nihil autem permanere. Cur frustra deciperis? Stultum est medicare a paupere, cum diues sufficienter voluerit dare. Omnis creatura pauper est ad consolandum, deus autem diues est in gratia, qui dat omnibus affluentem, & non improperat, si tamen quaeris diligenter, patienterque expectaueris. Reuertere anima, reuertere columba ad Noe in arcam, ad Christum in cordis secretum, quia diu foris manere non est securum. Renuit consolari exterius, si vis recreari interius. Noli cum coruo extra arcam manere, sed cadaver cito fuge. Esuriens redi, pascet te Christus pane caeli. Si necessitas urget, vel infirmitas aliquando ad extra te tenet, moram caue, redi mox intra, ne diluuium verborum percas, aut laqueo tentantis inimici capiaris. Multae sunt insidiae libenter extra vagantis animae, & magnae tutelae cito reuertentis columbae. Quae cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad Noe in arcam. Et tu ergo vade ad cellam tuam, & habita ibi, sitque tibi graue esse alibi. Beata anima cuius conscientia ante deum munda est, nec vlla tenetur re vana, neque amore alicuius inquinata, neque odio tabefacta. Beata quae nullam consolationem ab aliqua creatura quaerit, sed omnem spem suam in deo ponit. Beata quae respuit omnem forinsecam & temporalem requiem, & quaecumque ad carnis pertinent commodum, atque libenter pro Christo amplectitur laborem & defectum. Beata quae seipsam deo committit, ut secum faciat sicut illi placuerit. Beata quae nunquam gloriam suam quaerit, nunquam voluntatem suam fieri desiderat, sed dei gloriam & voluntatem in omnibus rebus intendit amat & praeponeat. Beata quae se alienam facit ab omnibus temporalibus rebus, & puram se seruat apud deum in cunctis actibus suis. O quam cunque talis es anima, gaude & laetare non modice, quia vales iam versari in intimis & celestibus, & deum laudare diebus ac noctibus. Beata & benedicta a deo, cuius desideria sursum sunt, cuius manus & brachia expansa sunt, sicut duae alae Cherubim, cuius oculi mundi ad contemplandum deum, cuius omnis vigor & labor interior vadit & ascendit, & non reuertitur, donec inueniat quem solum praeparat omnibus amat. Et cum inuenit, tunc omnibus oblitis sequitur dilectum quocumque ipse voluerit & duxerit. Ut autem locutus

Gen. 25. **Ego dilectus tuus, vnicus & electus.** Ego merces tua magna nimis. Esto humilis ad prospera, & mane inter aduersa fortis. Ecce qui diligunt me, quomodo consolatur per me. Quam dulciter putas tractabuntur, cum deposita omni molestia corporis & animae ad aeternam requiem suscipiuntur? O si tali fruerer dulcedine quemadmodum anima sancta, deo dilecta & deuota, quando sopitis sensibus sursum in spiritu fertur, & eleuatur super semetipsam in amplexu dilecti, & deo per intimam dilectionis vinculum copulatur. O deus meus cordis mei thesaurus verus, non ignoras quin hoc doloris mei intus absconditi vnicum fore refrigerium. Sed huius vnctionis tu elargitor es & infusor. Tu doces, tu hortaris, tu foues, tu consolaris, tu prouehis & sustentas, tu ducis & reducis, tu facis cum anima quam elegisti, sicut vis, & totum bonum est quicquid agis & vis. Ego vero quasi vas acidum, & boni spiritus tui infusione indignus, peto sacramentum ipsius emanationem mihi ampliari, quatenus & internam dilectionis tuae dulcedinem gustare, & sacras illas delicias valeam praesentire, quas animam tibi studiose vacantem non diffido frequenter mereri. O odoravi a longe aromata caelestia, cum de anima sancta meditatus sum quaedam interiora mentis studia. Sed tu domine scis quam rara mihi, quam tenuis est aeternorum cogitatio, quam frequenter amentia verba, quam rudis intellectus & impacata conscientia, quam confusa interiora mea, inilluminata & in deuota, nec alicui nisi mea solummodo culpa. Interdum tamen viam quaerens ad interiora, assumptis mecum cogitationibus in secreto de bonis electae animae seriose pertracto, quantae sint laetitiae caelestes ac deliciae spirituales in eius corde, quae pax, quae tranquillitas, quae spes & exultatio in deo salutaris suo, cuius eloquium dulce, & facies decora. Et licet breuis sit mora, est tamen gratiosa hora. Haec autem me cogitante, & te illuminante tenebras meas, inuenio super me iustas querelas, & sentio per occultas gratiae rimulas, quia talis & talis est anima tibi intime vnita, & sic & sic tu ei locutus es. Illa tacet ab omnibus sensibilibus, & tu loqueris ei in spiritu de inuisibilibus. Videtur quasi derelicta ab omnibus creaturis, & tu eam consolatoris modis ineffabilibus. Dixi ergo rursus haec in corde meo, vae animae peccatrici, conscientiae graui, conuersationi tepidae, non habenti lumen gratiae, neque solatium spirituale, quaerenti lachrymas, nec inuenienti aliquas. Pax huic qui Christum syncere diligit, & oculos cordis sui ab eo nunquam deflectit: sed

quae placita sunt ei semper inquirat, quia in pace & aequitate ambulabit, & in gaudio eius non miscebitur alienus. Videbit quod bonum est oculum eius, & gustabit quia suavis est dominus deus suus in quo confidit. Elongabit se a tumultibus externis, & expectabit cum prouentu magno aduentum eius in intimis. Ecce sic operatur deus in vasis sibi electis. Si quis venit ad eum, non reuertetur vacuus, quia libenter dat aquam sitienti, & panem esurienti. Deus meus cum introieris in domum amantis te animae, nonne pasces eam tuo lacte, & deduces aliquando etiam extra se, praeparat abundantiam tua dulcedine, ad capiendum te sine aliqua corporali imagine? O veritas, veritas, quantum valer & agit charitas. Tunc loqueris illi verbum tuum secretissime, & ostendis ei omnia nouissima & antiqua in charitate & fruitione felicissima, vbi finiuntur omnia verba humana: Extunc facis maxime tibi confidentem de aeterna requie, de sanctorum societate, quia praerogando pignus specialis gratiae, valentiorum utique reddis ad speranda quae non videt, & ad speranda praesentia quae sensu tenet. Recordare mei pauperis mendici pater bone per viscera misericordiae tuae, & mitte panem de caelo verum, verbum bonum consolatione & gratia plenum.

De magna dulcedine & consolatione in deo. Cap. 11.

Omnia ossa mea dicent, domine quis similis tibi? Vnus est, & similis illi non est. Deus meus est, & omne comparatum ei nihil est. Dilectus intimus, & amicus fidelissimus, qui amantem se nunquam deserit, sed cum amante se libenter sociat. Et si aliquando se abscondit aut angustiari permittit, non hoc agit ut reprobet, sed ut probet purget & erudiat. Non ergo omnino tunc deserit, sed etiam sapientius instruit, ut appareat qualis quisque ex se sit, & quousque peruenerit. Pulcher es dilecte mi & amabilis valde, non carni sed menti, non oculo aut sensui alicui, sed animae credenti, mundum cor habenti, & ad inuisibilia atque spiritualia se transferenti. Qui ergo tibi per deuotionis affectum vniri desiderat, necesse est ut omnem carnalem affectum in se mortificet, & puritatem conscientiae maxime custodiat. Displicet enim tibi si quis graditur ad fragiles creaturas pro mendicando solatio. Propterea introrsus me vocas ut amem te, & iubes ut expectem te, quoniam tunc inueniam te, quotienscunque me postpono, & sicut tu vis, ita & ego volo. Et hoc erit totum bonum meum, ut gratis seruiam, nullam timens amissionem, nec aliquam faciens cum amore auaritiam, quia pure amantem appro-

bas animam. O illam vnam, in vita & in morte tibi soli vnitam. Ego autem longe à te proiectus saepe eo per aliam viam amando res perituras, non sicut oportet, nec ad quem finem decet. Sed ne cum his peream, reuertar citius considerando in eis laudes tuas, & ad te meas dirigendo affectiones. Tu domine deus meus qui omnia fecisti ex nihilo, da ex omnibus psallere nomini sancto tuo. Tua est enim potentia, tua est sapientia, tua bonitas ac pietas, aeterna quoque gloria & maiestas. Regnum tuum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione. Tu omnia disponis, quae sursum sunt & quae in terris. Omnia cognoscis, omnia in manu tua habes: nihil tibi resistit, nihil te conturbat: sed cum tranquillitate omnia iudicas, & rebelles etiam tibi subicis, & seruire facis. Scis omnia quae geruntur in vniuerso, & antequam fiant sine conclusisti certo. Tu es deus caeli & terrae, visibilium & inuisibilium creator & gubernator, omniumque temporum dispositior. Cōserua quæso per orbem famulos tuos longe lateque dispersos, tuo tamen seruitio specialiter deputatos. Fac eos laudes tuas enarrare, & voce consona vbi que gloriam tuam predicare. Excita corda eorum valenter in amore tui, & dona eis omnia opera sua sancto fine consummare. O quam pius, quam dulcis es diligentibus te? quam bene places gustantibus te? Qui experti sunt suauitatem tuam, norunt inde melius cogitare & loqui. Vincit enim tua dulcedo omnem dulcedinem, & dulcorat omnem amaritudinem. Domine deus meus de te viri sancti locuti sunt, & prophetae non tacuerunt. Quotquot fuerunt sancti ab initio mundi, in te crediderunt, tibi seruiuerunt, in hostiis & muneribus te coluerunt, nomen sanctum tuum laudauerunt, & benedixerunt, quia te creatorem suum & omnium rerum conditorem cognouerunt, & in te super omnia sperauerunt. Cognouerunt te in visionibus suis, tu siquidem reuelasti eis nomen tuum, alium praeter te nescierunt. Custodierunt legem mandatorum tuorum, quam eis dedisti. Non sunt secuti falsorum deorum figmenta stultissima: sed adorauerunt te viuentem in secula seculorum, qui creasti omnia. Leuaerunt vocem suam in confessione laudis tue, quia tu de excelsis clamorem magnum auribus eorum infudisti, dicens. Ego sum, qui sum. Ante me non est formatus deus, & post me non erit. Feci quae futura sunt, & praeterita non perierunt à memoria mea. Haec audientes & intelligentes eleuaerunt etiam in longinquo fidei oculos, credentes quod saluos nos faciet dominus, & qui venturus est, veniet

& non mentietur. Haec praescientes consolati sunt non minimum, & vehementer admirantes praesentia futura maiestatis, praestupore defecerunt. Respirantes paulisper, & praegaudio aspicientes dei potentiam venientem, dixerunt, Ipse est, ipse est, dominus deus noster est, & alius non est. Ipse cepit, & saluabit nos. Non potest negare seipsum, quoniam verus est. Sicut audiimus, ita & vidimus: sicut credimus, sic & loquimur, & testamur veritati. Semel locutus est deus, dixit & facta sunt. Dixit, Confilium meum stabit, vestrum filij hominum peribit. Vae qui cogitatis inutile, & post verba dei rideris. Vae qui fingitis de corde vestro sapientiam, & in potentia vestra erigimini. Audite verbum domini qui quaeritis dominum, scitote quia iudicium eius cum habitatoribus terrae. Non est bonum si auersi fueritis, stete & considerate vias eius. Reuertimini & venite, libenter suscipiet vos, quia misericors & clemens est dominus. Nec sicut homo iram seruat, sed omnia peccata donat, insuper & gratiam priorem cum posteriore restituet. Tantum in toto corde conuertimini, & donate vos illi ad seruiendum mente fideli. Haec vox sanctorum in auribus meis. Quasi melos in conuiuio, & quasi thus redolens de thuribulo, sic est verbum dei in corde puro. Sancti autem tui domine repleti spiritu tuo, memoriam abundantiae suauitatis tuae eructauerunt, & eloquia sua nobis eructanda reliquerunt. Meus autem sermo saepe clauditur inter angustias, ascendendi iter non habet. Sed si ignis deforsum venerit, ignitum eloquium meum erit. Et si incanderit, mox consumet me. Non subsistam à facie eius, quia sicut à vento palea, sic tolletur de corde mœstitia: & sicut rubigo ab igne, consumentur peccata mea. Ignis diuinus omnia comburens, mundabit aream cordis. Descende & accende, modicum tange me, & euolabo. Praeterita non erunt, & futura non computabuntur, quia omnia mala obliuioni tradentur. Vetera transient, in abundantia noua venient, & affluent desideria sancta, atque ex omni latere consurgent vbiunque flauerit spiritus almus. Timor non erit, sed amor totum implebit, cessabitque quassatio. nam dextrae dei est haec mutatio. Ideo quod loquor, non mea, sed eius est laudatio. Consolatio lugenti est, panis datur petenti, haustum suscepti sitiens. Manus aegro data est, vacillanti baculus venit. Deficiens vires resumpsit, requiem lassus inuenit. Desperanti noua lux oriri visa est, clamanti venit responsum. Caliganti insulsi dulce lumen, via patuit ignoranti, & porta illico est reserata pulsanti. Dubitanti affuit

veritas,

veritas, titubanti succurrit auctoritas, affectanti quærenti obuiam venit mater caritas. Cupienti dilecto loqui, lætior ipse occurrit. Ecce assum, inquit, dic, quid noui nunc accidit? An tibi excidit, pro me pati & agere debere? Volentem cum eo pergere, nec hoc prohibuit. Statimque ascendi, & oblitus sum quicquid molestiae habui. Desiderantem cum ipso habitare, mox contristari noluit: sed lenibus verbis edocuit, quod modo id fieri non conuenit. Desiderium tuum bonum est, & placet oratio quam praesentasti mihi: sed oportet adhuc differri. Vade & reuertere in domum tuam, & annuncia tuis quanta fecit tibi dominus. Et dic eis, Praeparate singuli corda vestra, & deponite graue onus peccati, & sitis cauti & fortes aduersus insidias diaboli. Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Tempus prope est vt veniam, videte vt paratos vos inueniam. Ecce praedixi vobis.

De vnico & summo bono quaerendo.

Cap. 12.

Dic animæ meae, salus tua ego sum. O quam nobilis es anima, quam mira virtus in te lateret, quae quiescere non vales, nisi summo adepto bono, & vltimato inuento fine. Quo cognito & inuento, cessat motus tuus. O bonum super omne bonum, o finis sine fine, quando fruar te sine modo & sine fine? Multa hic inuenio bona: sed quae alterant, non quae satiant. Porro vnum est necessarium. Hoc vnum quero, hoc vnum desidero. Propter vnum omnia, & ex vno omnia. Hoc si habuero, contentus ero: & nisi potitus fuero, semper fluctuo, quia multa me implere non possunt. Quid hoc vnum? Nescio dicere, desiderare me sentio, quo nihil melius nec maius est: sed nec cogitari potest. Non enim hoc vnum inter omnia, sed vnum super omnia est. Deus meus est, cui adherere, bonum mihi est. Huic dico, huic clamo, Dic animæ meae, salus tua ego sum. Quid vltra concupiscis anima mea, desiderij plena? Nonne melius est vt vni adhaereas quam multis? Ex vno multa, non vnum ex multis. Cessa multa quaerere, vni te iunge, vni adhaere, in vno totum consistit. Quærant alij multa & varia ad extra, tu quaere vnum internum bonum, & sufficit tibi. Ecce alius villam quaerit, alius in negotiationem suam vadit. Alius argentum & aurum multum congregat, alius voluptates ambit & honores. Alius amicos & cognatos requirit, notos & affines libenter visitat, alius vrbes & castella intrat, & varias mundi partes desiderio oculorum ductus lustrat. Alius sapientiam, alius potentiam, alius magisterium, alius regale aut principale petit obsequium. Et in

hunc modum alius hoc, alius illud, siue in seculari siue in spirituali statu requirit. Pauci vnum & propter vnum pure & simpliciter quaerunt. Ideoque nec stabilem pacem inueniunt, nec internam gratiam sapiunt. Quicumque enim sunt Christi, non temporalia, non terrena quaerunt, tanquam tunc magni & gloriosi essent, si his omnibus abundarent. Num ergo ad te pertinet quae isti quaerunt, o anima deuota? Profecto nihil. Detestor haec omnia, quia vnum est bonum meum, vnum diligo, vnum requiro, & ipsum melius mihi est, quam omnia bona infra vel supra. Si tantum bonum inuenisti, hortor te, & suadeo tibi, custodi & tene, pro quo omnia contempsisti. Nam illud habendo cæteris carere non erit onerosum, immo pro ipso lucrando, omnia dare & pati debere, iudicabis rectissime dignum. Quære ergo nunc anima mea tam singulare & supereminens bonum. Quamdiu in carne viuus, quaerere necesse est, quia nec satis inueniri potest, quod ad plenum comprehendere non potest. Erit autem finis quaerendi, cum venerit hora fruendi. Tunc enim erit omnia in omnibus, ipse solus vnus sufficiens omnibus & singulis. Et si ibi adhuc quaeritur vbi semper inuenitur, non tamen sicut hic cum labore, sed summo cum gaudio & amore. Qualis autem sit piis in hac vita, multis docetur nominibus: nec ignoratur ab expertis. Aduerte tamen aliquantulum experientia magistra iuuante, quae sint diuinae pietatis nomina. Pauca tibi appono: sed plura atque facratiora eius doceat gratia. Ecce sponsus est amantibus, & qui adhuc in timore ei seruiunt, metuendus dominus. Pater est bonis filiis, maleuolis autem districtus iudex. Infirmis est medicus, & sanis solidus cibus. Doctor est ignorantibus, & obtemperantibus sibi salus æterna. Via est incipientibus, veritas proficietibus, & vita perfectis. Spes est poenitentibus, & iustis consolator optimus. Gloria est humilium, & poena superbiorum. Lux est in tenebris, & lucerna in noctibus: dat medelam egris mentibus, & vinum lætitiæ multum tristibus. Stat cum pugnantibus, ambulat cum proficiscientibus, currit cum feruentibus, volat cum contemplantibus. Adest orantibus, loquitur cum legentibus, quiescit cum meditantibus. In omnibus his operatur vnus atque idem deus, apparens singulis prout vult, & non est reprehensio in sermone eius, neque inuestigatio operum eius. Magna sunt enim & inscrutabilia iudicia eius, & nemo dicere potest, cur ita facis? & quare hunc magis quam illum eligis? Stulta est hominis interrogatio aduersus omnipotentem, & omnis adinuentio fi-

Psal. 74.

Sap. 72.

Psal. 34.

Psal. 72.

Exo. 3.
Esaï. 43.

Colof. 2.

De qua
lis sit piis
hic, no-
mina ei
docent.

Sponsus.
Dominus.
Pater.
Iudex.
Medicus.
Cibus.
Doctor.
Salus.
Via.
Veritas.
Vita.
Spes.
Cōsola-
tor.
Gloria.
Lux.
Lucerna.

hiorum Adam, vanitas & nihilum. Quomodo placent tibi hæc, & qualiter sapit tibi deus? Bene sapit mihi, & opera eius non possunt mihi displicere. Iustus est, & quis potest eum arguere de iniustitia? Qui enim hoc fecerit, contrarium se illi constituit, & arguetur ab irreprehensibili lumine eius. Sed hæc quæ audisti, quid sunt in conspectu eius? Vix scintilla modica est, absque eo quod intrinsecus later. Quæris quid istud? Dico. Nescio quid est, sed est totum supra me, & quasi inaccessibilis quædam caligo, cuius principium sicut & finis ignoratur. Sit proinde potior meditatio tua, & affectus frequentior circa humilia vestigia Iesu, & noli ad alta cito conscendere, ne opprimaris à gloria. Verum quia amor intensus interdum obliuiscitur reuerentiæ & timoris, tolerandum est si aliquando de dilecto suo amans intense inflammatur, ut quærat non solum qualiter paruulus natus in præsepio vagiat, aut in patibulo crucifixus pendeat: sed qualiter gloriosus in cælo regnet, & cuncta sub cælo mirabiliter disponat. Libenter sequor te amande Iesu in terris: sed multo libentius sequeretur ad cælos. Vbi est thesaurus meus, ibi erit & cor meum. Thesaurus meus tu es charior omni creatura, qui es ad dexteram patris. Pro me incarnatus, pro me eleuatus. Exemplum te reliquisti in terris, præmium te seruas in cælis. Ad te igitur oculi mei, post te omnes gressus mei ibunt. Tibi dicit cor meum, exquirat te facies mea, faciem tuam domine iugiter requiram. Vtique domine visio gloriæ tuæ: Quare faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Scis vtiq; quia tam diu fertur huc illuc animus, trahitur & retrahitur in diuersa affectus meus, donec tibi tanquam suo amabili iungatur in cælis. Vis etenim amoris quiescere nescit: sed de suo amato incessanter quærit, nuncios emittit, preces geminat: sed nec sic dimittit, quia amor omnino possidere vult quod concupiscit. Trahe ergo me, ut currere incipiam feruenter post te. Opus mihi est tractu, & magno tractu. Nisi enim traxeris, nemo venit, nemo sequitur, quia ad se quisque curuatur. Si trahis, ecce venio, ecce festino, curro, ferueo. Si minus, nec curro nec quæro, vix est quod sequi desidero. Sed si manum dederis, tanto celerius curro, quanto fortius traxeris.

Trahit opus habemus.

Ioan. 13. Vox dilecti mei trahentis: Et ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

Cant. 1. Iesu bone trahe me post te, & non solum ego, sed omnes curremus in odore vnguentorum tuorum. Primum itaque trahe me post te, deinde sequantur alij viso exemplo bonæ vitæ. At ne superbire possimus, bonum est no-

bis hoc simul sentire, quia non in viribus nostris, sed in odore vnguentorum tuorum currere cœpimus. Hic est tractus diuinus, sine quo proficit nullus: sed nec incipit aliquis, sicut itidem dixisti: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Quem ergo trahit pater, vtiq; sequitur te, & deserit se. Bene tractus videbatur, qui dicebat: Magister, sequar te quocunque ieris. Sed non est omnium sic ad te affici: nec parua est animæ tam parate ad omnia te sequi. Quid tibi obest anima mea, quod propter Iesum non deseris omnia? Quare tam inuite separaris à vanis & perituris? Quid iuuat hæc visa? Ecce cum per res mortales & visibiles creaturas pergis volens in eis contentari, perdis meliora. A summo bono te diuidis cum hoc agis, & à vera ac beata æternæque vita te auertis. Idcirco misera & infelix manebis, plena doloribus & anxietatibus. Quocunque enim te vertere disponis, dolores temper inuenies, & tædium multa, nisi fueris iterum ad creatorem cœuersa, quia ipse est pax tua, & requies securæ. Verum si in terrenis moram minime feceris, nec pedem in limo fixeris, sed potius consideraueris & venerata fueris in speculo creaturarum non imaginem quæ trahit, sed eum cuius est hæc imago & superscriptio, beata eris, & non morieris. Cum enim cuncta visibilia non ad fruendum quæris, sed ad benedicendum creatoris tui nomen aspicias, fabricando tibi ex summis & imis operibus eius scalam quandam cui innitaris ad sursum pergendum, liberaberis vtiq; à seculi visco pessimo, & tuo desiderato fini satis intime copulaberis, qui est super omnia deus benedictus in secula. Amen.

De vnione animæ cum deo, & de subtractione gratiæ. *Cap. 13.*

Adhæsit anima mea post te. Deus meus consolator verus, tu scis quia non tædet me tui: sed quotidie libet tecum in secreto meo loqui. Sed vbi te quæram, si forte ad horam perdidero? Quis me perducet ad te? Tu super omnia deus, & ego inter inferiora homo pauperculus. Tu in cælo, & ego in mûdo. Tu solus altissimus, ego vero pauper & mendicus. Quis mensus est distantiam cæli & terræ? Hæc valde distant: sed tu longius à me. Quis ergo me tibi adunabit? Aut tu facies, aut nullus poterit. Veruntamen si vis fieri vtiq; celeriter. Tu autem nosti, quod cadere mihi proliuius ex me est, abs te vero stare donatur & proficere. Ideoque pender anima mea ex dignatione spiritus tui, & infusione gratiæ salutaris. Iubente te eleuabitur de terra, auertente autem te faciem tuam, ad se conturbabitur. Propter charitatem tamen tuam & mansuetudinem assumes me, & deducet me mirabiliter ad te dextera tua. Quique terrigenæ & filii hominum audite, quia possibile est ac facillimum apud deum, ut fiat quod scriptum est, Simul in vnum diues & pauper. Pauper ego sum & omnibus indigens: sed diues iste deus meus est, nullius egens. Huius rei etiam non magnam experientiam, habeo tamen fidele testimonium vnde id probem, quod poscit anima deo vniri per gratiâ. Dilectus meus inquit mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Hoc est testimonium amici & amicæ, sponsi & sponsæ: conueniens satis & validum sacræ legis testimonium. Secundum autem simile est huic: Volo pater vt omnes vnum sint, sicut & nos vnum sumus. Ecce duorum librorum præclara testimonia, quibus liquide patet deo posse animam familiariter coniungi secundum gratiam cælitus ipsi datam. Et si res est rara, tamen valde est chara, nec amanti ignota. Quamuis quoque sit difficilis, non est tamen penitus impossibilis. Quam ergo deus sibi sic coniunxit, nemo separare aut conturbare audeat. Si stupes dignationem vnionis huius, obstupescere & admirare excellentiam bonitatis eius, nec non & assumptæ humanitatis vnionem singularem. Licet ei agere quod vult, qui facit mirabilia magna solus. Si meritum quæris, inuenies beneplacitum voluntatis eius. O dulcis societas, cum Christo & sub alis Christi. O gratiosa coniunctio, plena dilectione & suauitate spiritus sancti, quæ melius sentitur quàm dicitur. Hæc pertinent ad animam quæ omnibus mûdanis te fecit alienam, quam non tenet amor vitæ præsentis: sed sursum vexit secretum mentis. Quanto istud notius est amanti, tanto obscurius est & mihi. Vellem tamen libenter interessere quando animæ deuotæ solet bene esse. Est autem illi bene, dum fuerit cum sponso in meridie. Est & illi male & multum ægre, si contigerit Iesum abesse, si desinant fluere aromata gratiæ, si minus sapiant literæ sanctæ, si tædet orationi aut meditationi insistere, si sic densantur cordis nebule, & tantum prævalent cogitationes noxiæ, ut cohiberi vix valeant, sed pene simul omnia bona priora obruere nitantur. O domine deus, quid sic facis? Quis est iste ludus? O pie Iesu, quid in hoc facto prætendis? Si tibi non displiceret, optarem latius inter te & dilectâ tibi habere colloquiû. Ex eo quod ipsa votis omnibus tuam gratiosam quærit præsentiam, qua castis foueatur deliciis, miror cur ipsam pateris interdum federe sic desolatam. Quasi ipsa non esset quæ te expectasset, ita pertransis & recedis. Ipsa autem gemens & sola. Eius enim vox ista vide-

tur, Anima mea desiderauit te in nocte. Nox ei est, cum tu vera lux non ades. Precatur ergo tuam præsentiam, ne tenebræ peccatorum eam comprehendant. Sentit vtiq; incommoda multa, subtracta sibi visitationis tuæ gratia. Nisi enim aliquid passa esset, non tam desideranter post te clamasset. Clamauit & altera, cuius verba iam supra, Adhæsit anima mea post te. Sed nullam existimo huic tam molestam fore vel videri molestiam, quàm tuam abesse præsentiam. Et non mirum si ex hac etiam carentia incidat anima amorosa in quendam cordis sui languorem. Tu enim difficulter quandoque inueniris, & cum fueris tandem inuentus, illa gaudet ad reditum tuum, sperans letum diem agere tecum: sed minus cauta de recessu tuo, nihil triste suspicatur. Tu autem aliud tacite tractans, sæpe fugam exhibes. Recedis quippe repente de manibus eius, illa non præsumente. Laudo te, in hoc quomodo laudabo? Si quid laudis habes & dulcoris, cur in hoc facto videris illud auertere? Nisi tu esses, forsitan scandalum illi generares. Sed non potest in te scandalizari, à quo se nouit tam valenter amari. Si ergo quid iustæ rationis tali documento figuras, indica mihi obsecro deus. Vellem enim libenter intelligere: nec inutile iudico vel parum inde scire. Occulta nanque iudicia tua nemo per se intuetur: sed lux tua est quæ obscura quæque illustrat, & noxia fugat. Quare igitur est quod te subtrahis interdum tam occulte ab anima, ipsa ignorante? Diligis eam, an non? Si diligis, cur fugis dilectæ mi? Si non diligis, cur pridem visitasti? Etiam si non diligis, cur de nouo reuerteris, & ostium pulsas & intras? Nūquid leuitate vteris eundo & redeundo? Absit. Sed non est illi leuis tam frequens alteratio, quin immo nascitur non modica turbatio. Adhuc minor forsitan querela esset, si palam illi diceres, Vado & venio iterum, & gaudebit cor tuum, & gaudium tuum nemo toller à te. Nunc autem prouerbum nullum dicis: sed illius verbi recordatur cuius veritatem experitur, quia Iesus abscondit se, & exiuit de templo. Habeo ergo aduersum te pauca: sed ex bona radice orta est mea conquestio. Cupio humiliter erudiri, non impatienter litigare. Dabis proinde interroganti respōsum, cum fuerit opportunum. Loquatur etiā ad maiorem intelligentiam aliquid pro se anima deuota. Responde & tu libere partem tuam. Loquere inquam o anima ad dilectum tuum libere. Dilectus enim patienter te audiet, & occurrerit verbis pacificis, ne detrimentum ex eo patiaris. Quis enim te consolabitur, si non ipse fuerit consolator? Et tuam infirmitatem

Esa. 26.

Psal. 62.

Animæ quare te turbat Deo.

Psal. 48.

Cantic. 2.

Ioan. 17.

Psal. 135.

Psal. 66.

Animæ etiam libere posse ad Deo ui-

quis clementius feret, quam qui cuncta sine onere portat? Cui etiam tutius reuelabis si quid triste habueris, quam omnia plene scienti? Aut cui magis fidem dabis, quam non fallenti veritati? Iam hæc si quis externorum audierit, & qui non est de amicis sponsi, præ foribus arceatur. Sin vero sponsum diligit, si fidelis fuerit, si deuotus & internus, illi liber concedatur ingressus. Si custos conscientia, si amator virtutis fuerit & disciplina, si affectu purus & intellectu clarus, si in se humilis & ad suos pius, si bona audita non male capere, non vane efferre, non temere arguere, non animosè defendere, non superbe prædicare nouit, sed e contrario non intellecta venerari, obscura & mytica sane interpretari didicit, talis introducat, & huic inter sit grati colloquio. Affectus enim cordis ex verborum sonitu magis pensari debet, quam vocum qualitates. Indica ergo mihi anima, qualiter te sustines absente dilecti gratia? Ego me sentio minus leuiter posse sufferre, si se in longum voluerit differre, & puto aliquid simile de te. Si vis sedeamus hic pariter, & conferamus super hoc verbo pro aliqua consolatione nostra.

De tristitia animæ absente gratia.

Cap. 14.

Dormitauit anima mea præ tædio. Quid est iste sermo quem loqueris? Quare dicis Sion, reliquit me dominus? Noli timere filia Sion, anima amans & speculans, ecce rex tuus dilectus dilecti veniet tibi. Surge, sta in excelso, & vide iucunditatem quæ veniet tibi à deo tuo. Quæsiui (inquit) & non inueni: vocaui, & non respondit mihi, propterea dormitauit anima mea præ tædio. Et ego. Hæc vox turturis amisso compare. Non est hodie sicut heri & pridie, quando cantabas cantica lætitiæ. Præcessit mane, venit vespera. sponsum autem cubat in meridie: nec datur accedere. Verba tua tristitiam sonant, & oculi tui lachrymis rigantur. Anima in dolore es, & consolari opus habes. Sed dic, vnde est? Non est mihi super auro & argento, aut qualibet re mundi quæstio, non de lucro aut damno, non de iniuria aut penuria, quæ mundo iam mortua sum & crucifixa. Si bene te noui, diu omnibus mundanis abrenunciaisti. Sed an etiam te in omnibus perfecte abnegasti, & vsque ad contemptum, tui veneris, inquiri. Hoc paucissimorum est, & exigitur specialiter à te. Vnde est ergo dolor tuus? Quid amisisti? Si de dilecto est, scio quia non immerito tristitia impleuit cor tuum: nec est quidquam tibi iucundum, donec reuertatur, & reddat tibi aspectum suum. Sed quomodo interim, te sustines, o

delicata & innixa super dilectum? Et mihi constat quia semper pro voto non adest. Ergo dum abest, quid solatij habes, & in quo te quietas? Narra mihi secreta tua, etiam si sint dolere plena. Te Christum absentem dolere nemo dubitat, nisi qui non amat. Habes modo tristitiam: sed de sponso Christo, non de mundo isto. Et scio quod illo reuertente iterum consolaberis, quia non in perpetuum tui obliuiscetur. Dixit enim. Non relinquam vos orphanos, vado & venio ad vos. Non ergo sunt vacua verba tua cum tanto dolore prolata, sed cor amantis ostendunt, & gelidum cor ferriunt, quod amore Christi non ignescit. Vox enim tua vox turturis, non clamor murmuris. Ideo confido quod inuenies eum, quem doles amissum. Interrogo tamen te, Quid dicis de eo quem sic absentem ploras? Bonus est, an aliud suspicaris? Et quidem bonus, & bonus valde, iustus & fidelis, in quo non est iniquitas, sed nec esse potest. Cur igitur doles de bono, in quo non est dolus? Non de bono doleo quia bonus est: sed me miseram lugeo, quoniam bonum & fidelem amicum amisi. Ego ego sum quæ merui: sed væ væ, quia sollicite gratiam eius non custodiui. Perdendo didici, quid habendo possedi. Indicat dilecti absentia, quid contulit eius præsentia. Lætabar cum eo & iucundabar: sed minus cauta fui de celeri recessu. Venit saliens in montibus, hilaris & iucundus in ostiis domus meæ. Et statim clausi fores carnis, & introduxi ad me dilectum. Sedique cum eo, & requieui sub eius umbraculo à turbine & à pluuia. Et gaudium visum dilecto. Quid ni gauderem? Ipse gaudium meum, & exultatio cordis mei. Etiam quid habui, & quid in illa hora possedi? Non possum indicare tibi quam bene mihi celsit: nec nunc quidem dicere expedit. Plus desiderare non potui præsentem illo quem solum dilexi. O quantum dilexi, quando me & omnia neglexi. De omni re quæ delectare potuisset, parum vel nihil curauim, quia eius amor me totam rapuit, & quicquid ipse non erat, incongruum videbatur & insipidum. Quo ablato projectum est cor meum pene extra me. Dependebat enim anima mea ex gratia eius, quia aliud non habui solatium, nisi hunc quem plango subtractum. Sufficiebat mihi & satis erat ad omnem lætitiæ veritatem. Sicut volebam sic ille erat, & quicquid mihi præcipiebat libenter acceptabam, meque illi totaliter & prompte donabam. Et concors animus, & tranquillitas magna nobiscum. Nec fuit ausus quisquam nostrum irrumperere silentium, illo nimirum sic iubente per os suum. Adiu-
ro vos filie Hierusalem per capreas hinnu-
lòsque

lòsque camporum, vt non fuscitetis neque uigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Iam nunc perpende, si vales verba mea sentire, quantum mihi de absentia dilecti necesse sit dolere, cuius ex præsentia omnibus bonis cœpi abundare. Ad hæc respondi. Scio quid loqueris, experimento sæpius probaui quod dicis. Sed in hoc consolemur, quia eius dispensatio voluntatis, nostræ deuotionis est profectus. Et nunc quæ dixisti, grateranter suscepi, sed adhuc perfectius ea vellem audire. Tardioribus enim sensu, opus est morosior declaratio.

De scrutinijs super dilecto, & donis gratiæ eius. Cap. 15.

Benedictus deus qui non amouit misericordiam suam à me. Assum igitur pio rursus scrutinijs quærens, si quando te sine interna consolatione reliquerit dilectus, quid interim agis, quid etiam super hoc consulis? quali quoque arte possit reconciliari vel reuocari? Rogo te charissima & deuota Christi amica, nihil horum sileas à me quæ venerim interrogare. Potes prodesse hac vice, pandendo mihi quod pie lentis. Ex tuis sermonibus potero mensurare pondus mei doloris, iuste ne sit an iniuste quod dolui. Vidi enim te quandoque hilarem, quandoque vero triste, rursusque conspexi gaudentem, & ex te perpendi aliquantulum me. Sed causam huius mutationis hanc reor esse potissimam, de transitu & reditu vnici dilecti tui. In quo casu plura te percurrisse intelligens informandus accessi. At illa. Desideriis tuis annuens, conabor saltem modice propalare quæ intra me aguntur, siue cum fuero cum dilecto, siue cum ablectata remanserò sola, expectando eum quem diligit anima mea. Sane hoc primum noueris. Quantum mihi gaudij & dulcedinis eius confert gratia, tantum doloris & amaritudinis ministrat illius absentia. Sed cur sic dispensat vices suas, vellem eum potius dicere quam me. Audies autem vbi compleuero verba carminis mei, quia postremo introducemus eum ad nos, sedenque in medio nostrum docebit nos ordinationem suam, quam solitus est exhibere amantibus suam præsentiam. Sed iam audi patienter me, & imperfectum eloquium meum non sit tibi graue. Ad excitandum nanque corda nostra in vnum conuenimus, vt vel pariter lugeamus, vel ex amore in simul gaudeamus. Væ enim soli, quia cum ceciderit in aliquam tristitiam vel tentationem, non habet subleuantem. Et si fuerint duo pariter, consoleantur mutuo, dum vno tristante alter consolationem ingerit, aut si consolari respicit, compassionem mox præ-

bet, & super amico contristari vehementer incipit, sicque sit vt aut pariter gaudeant, aut de ablato gaudio lachrymis se mutuis consolentur. Et quanuis adhuc dolor de aduersa causa vel re flebili insit, animæ quiores tamen sunt, quia tam vnica se inueniunt, vt rebus mutatis corda minime mutari seu corrumpi potuerint. Quis non diceret considerata hac animorum tam fida concordia, Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum? Possum igitur liberius tibi dicere quod sentio, quia nil doli vel captio-
nis in te formido. Ecce iste dulcissimus spon-
sus & dilectissimus amicus meus dominus
meus Iesus Christus amator animarum san-
ctarum, ex amore cessare non valens, attraxit
me miseram ad se. Et cum non essem, de-
dit mihi esse, viuere, sapere, & communi hac
frui luce. Contulit & renasci per gratiam bap-
tismi, & suorum me vestiuit gloria merito-
rum. Dehinc cum multis peccatis me deforma-
assem, & inepta ad redamandum essem, non
aspexit ad meam sceleratam, sed ad finem mi-
serationum suarum. Etenim adhuc longius
me vagantem, vocauit per gratiam suam, non
sinens me perire in hoc seculo. Prouidit de-
inde locum mihi ad pausandum modicum,
quandiu in hoc fragili corpore dego. Non est
tamen vera pausatio, neque diuturna ista qua-
liscunque habitatio sub ymbra dilecti. Illa est
vera pausatio, quæ post præsentis vitæ labores
percipitur in patria. Est tamen suo modo sua-
uis quædam animæ releuatio ad deum suspi-
rantis, exutam se videre à grauibus seculi ne-
xibus, & illic iam esse quo possit dilecto ple-
nius seruire, atque in secreto silentij sibi & il-
li vacare. Non defuit etiam diuersis necessi-
tatis meis, iuuans & in tentationibus pri-
mitiuis. Frequenter quoque me sermonibus
instruxit vtilibus, confirmans me in verbis
suis. Et sicut nouellæ plantationes rigari so-
lent imbribus, sic internis me rigauit con-
solationibus, ne tanquam testa, virtus in me
inchoata arefceret. Et dixit mihi. Si volueris
& audieris me, videbis omne bonum. Si fece-
ris quæ dico, eris amica mea. Si me elegeris,
& super omnia amaueris, fiet tibi à patre meo
quodcumque petieris. Sin autem me dimiseris,
erit tibi hoc in offendiculum, & ponam
contra te zelum meum. Et cum quæsieris al-
terum, non diu tibi placebit: sed in tædium
& amaritudinem conuertetur, quia ego sal-
lus & vita sum animæ. Et conuerti me ad
eum qui benefecit mihi, & excutiens me de
puluere terrenæ affectionis, statui in corde
meo de reliquo viuere illi soli, quoniam ni-
hil melius eo: nec vllum salubrius hoc pa-

Psal. 137.

Donæ
gratiæ
Dei erga
animam.

Ios. 24.

Mal. 65.

Quib.
bene
animæ
purgat
gratia.

Ecl. 4.

Can. 4.

to . Eant & requirant quicumque volunt quem ament & cui seruiant, mihi comperitum est hunc verum esse animæ virum, pro quo nec mori erit difficile, vt eius semper inhæream amori. Adhæsi ergo illi, placuit enim semper mihi: nec meliorem inuenire potui. Talem enim vehementissime desiderauit anima mea, quo nemo maior, nemo melior nec dignior esset, & qui omnibus bonis afflueret. Et quia multum benignus erat, consolatoria adhuc verba dabat, præuidens sollicitè ne quidam asperitate & duricia nimia me terrent & frangerent, sed quod leue ac suauē esset ad portandum, magis imponerent & docerent, vt sic affectus initiatus melius traheretur, ac fortius in amatum tenderet, nec resiliret. Melius (inquit) docebitur & proficiet, si non coacte, sed sponte prouocetur. Facilius suscipiet iugum meum, si amor magis per præmia inuitauerit, quàm timor per supplicia terruerit. Quod si impulsu indiger, solerti moderamine tamen fiat, ne violentia subruatur. Ipse enim sciebat quid nouellæ plantationi expediret, & quid mihi postmodum vtilitatis hæc ipsa pietas conferret, maxime instante probationis tempore, cum possem faciliter recogitare quanta in initio fecisset animæ meæ, & ideo non deficerem in aliquo certamine. Nec mox mihi indicare voluit, quæ & quanta in eius seruitio essem passura: sed lætis quandoque permixuit tristitia, considerans imbecillitatem & incapacitatem primo nascentis fruticis, donec ad ardua conualescerem. Post hæc circumduxit me & docuit, atque in humeris suis portauit. Circumduxit per paginas sacras, & sancto flamine me armavit contra diaboli nequitas. Proposuit mihi omnium virtutum specularia, sanctos videlicet patriarchas & prophetas, ac noui testamenti gloriosa luminaria. Circumduxit etiam me per loca eremi, & tabernacula Aegypti, vbi vigere inceperat & crescere monachorum ac cœnobarum nomen magnificum, qui suis exemplis imitabile & credibile fecerant suauē esse iugum domini, & amaram atque fallacem latam viam seculi. Docuit me sicut mater parvulum, frangens mihi nuges spirales, & inferens faucibus meis nucleos, quia dulces erant ad vescendum. Inuestiga si potes quid significant, & vbinam tales inueniantur. Aperi codicem apostolicum, & coniectis oculis lege, si potes tanta capere mysteria. Reuolue Esaiam, inspicere euangelium lumen omnium luminarium, & vide si non producant ex se dulcissimos nucleos. Quicquid ex his inuenieris obscurum, & intellectu difficile, nucleus in testa

Obscuritas in sacris literis

est. Sed si audieris exponi & intellexeris quod ante non potuisti, testa nucis frangitur, & dulcedo nuclei saporefcit in corde. Sic & in aliis sententiis subtilioribus existimandum est. Vnde & tot potes intueri nuges, quot sensus latentes. Et quomodo putas portauit me in humeris? Fecit hoc quotiescunque infirmitatem meam aspexit: nec tamen abiecit neque despexit, sed patienter & longanimitate me sustinuit. Portauit etiam me in humeris suis, quando aliis inspirauit & virtutem dedit patiendi infirmitates meas, & quicquid in me reprehensibile erat. Portauit adhuc multo charius me in humeris suis, quando baiulans sibi crucem exiuit in eum qui dicitur caluarie locum, vbi & crucifixus est. Ego enim ab ipso magis ibi portabar, quàm crux ipsa. Et erant onera grauiora humeris eius peccata mea, quàm hoc lignum crucis. Nam propter me portata est crux illa, non propter ipsum. Meruit tamen dedicari & honorari propter eum qui baiulauit eam, & mortuus est in ea. O quantum mihi super omnia amandus est & venerandus, cuius merito & gratia sic quæsitum sum & redemptus. Erit igitur mihi dilectus iste, sicut vnicus matri suæ. Et ego veraciter noui, quia nequaquam eius conuenio dilectioni. Tamen quicquid præsumpsi, de illius processit dignatione. Et consequens non fuit, vt illo tam benigne se gerente ad me, non occurrerem ad vicarios amplexus. Memoriter teneo quid dixerit Dauid, Quis sum ego, vt fiam generis? Sed est longe maior ista quàm illa affinitas: quia hæc est celebs & sincera cognatio, vbi caro & sanguis locum non habent, sed fides inuoluta & bonæ conscientie ad deum interrogatio. De qua & ille discipulus quem amabat plurimum Iesus, dicit: Quia maior est qui in nobis est, quàm qui in mundo. Deus enim charitas est, & ipsa hæc cognationem parturit. Cum ergo Dauid, tantum se humiliauerit vt generi terreni regis fieret, quàm humiliter me oportet sentire, quod rex regum dominus me pauperulam dignatur agnoscere, & ad sui amorem trahere? Fecit itaque mecum nõ sicut merui, sed quemadmodum beneuolentissima virtus eius dignabatur, sicut per omnia charitati & infinitæ bonitati eius placere videbatur. Felix & benedicta anima, diuini amoris vinculo colligata. Quàm nobilis & ingenua, quæ tam sanctæ copulæ non ignorat vota? Et quia iam prolixior sermo de dilecto processit, nec tamen quod quæ rebas narratum est, ex ordine afflatu tamescentes ignoro. Nihil ergo mecum agit in tuto: sed hoc mihi pro scuto manet & tegumen-

De benigna

De benigna protectione dilecti & sufferentia animæ.
Cap. 16.

ECce sicut oculi ancillæ in manibus dominae suæ, ita oculi mei semper ad dilectum meum. Ex eo tempore quo eum amare coepi, etiam perseuerare cum ipso volui. Quod cum instituissem, placuit ei hoc ipsum, & confirmauit dicens. Qui manserit in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Sed vt probaretur virtus dilectionis, quàm vera, quàm fortis & quàm casta esset, necesse fuit vt tentatio illud aperiret. Tentari autem non possem, nisi ipso permittente, & paululum se abscondente. Et quia ad purgationem interioris hominis, nec non ad fecundiorum fructificationem virtutum, atque clariorem spiritalium donorum perceptionem tentatio proficere solet, ipsa me apprehendit, & exercere coepit. Quàm fortiter & quàm frequenter huc illuc me iecit, quem nullum latet secretum deus & dominus meus clarissime nouit, qui testis est omnium quæ in corde meo gerebantur. Et nunc vsque me conspicit, nec aliud quàm fragile figmentum esse cognoscit. Nisi ergo adiuuisset me, quando grauabar tam anxie, ita vt viuere vix me crederem, paulominus habitasset in inferno anima mea, tanquam prolapsa in desperationis foueam. Sed ipse misertus est mei, qui tribulatis corde solet adesse. Quis enim ad tolerandas præualeret tam multas tentationes, nisi deo se protegente & adiuuante? Quod igitur stare potui ante faciem venti, eius fuit misericordie. Et quod adhuc stare me cognosco, ex eiusdem pietatis munere venit. Vnde mihi nequaquam confidere debeo, donec in carne viuo. Etiam si cælum serenum sit, non puto quod securitas amodo erit. Subito enim aer concitabitur, & fortassis quando minime existimatur. Tanto igitur magis mihi necessaria est dilecti mei gratia & protectio, quanto verius experior pene omnia patere periculis. Nusquam locus tutus est nisi in cælo, vbi dilectus meus pascit electos suos in lætitia & exultatione. Sed quando ibi? Dicere inde quid possum? Cogitare vix modicum inde licet, nec tamen clare: sed introire minime licet. Vtinam veniat ipse, & collocet me in loco pascuæ sanctorum lucidissimo tutissimo & amoenissimo, vbi non est Saran, neque occurfus malus decætero. Adhuc in mari laboro, & an portum attingam salutis, propter tentationes ex diuerso afflatu tamescentes ignoro. Nihil ergo mecum agit in tuto: sed hoc mihi pro scuto manet & tegumen-

to, quod fidei lumen semper aspiciam, quod dilecti mei gratiam humiliter requirã, quod bonam spem ad eum indefesse geram, quod ab eius charitate separari nullatenus consentiam, quod denique eius prouidentie & abyssali misericordie plusquam propriae industriae me relinquam. Quapropter licet etiam frequentissime titubem, ac nonnunquam in vitia cadam, nequaquam tamen desperare debeo, sed ad ipsum instanter clamabo & ciulabo: Domine deus meus miserere animæ meæ, & ne sinas me periclitari in tentationibus meis, sed adiuua me fideliter, vt fortiter resistam & vincam. Operi manuum tuarum porrige dexteram, qui me probas per Saranam, & sæpe ponis ad partem sinistram. Quod si tam grauis tentatio aduenerit, quæ me ad dominum clamare prohibuerit, mox ex intimo corde suspirabo. Ipse enim nouit abscondita cordis, & scit quid desiderat spiritus. Non enim est voluntas eius, vt pereat vnus ex his pusillis qui credunt in eum. O quàm magna misericordia eius super me, etiam ignorante me, vel non aduertente, quod mecum fuerit in tribulatione? Nam multoties præseruauit me vt non traderer passionibus. Quandoque vero ex occulto eius iudicio factum est, vt caderem & vincerem etiam in paruis, ne forte superbirem, & in magnis præsumerem, sed humiliata & confusa discerem quia nihil eram etiam cum bene stare videbar & florere. Suadeo ergo ne temere aut cito me laudes, licet prospere procedam, sed fini sancto reserua potius laudem, immo non me, sed dominum lauda. Laudetur solus gloriosus deus, qui astitit mihi frequenter in tentationibus meis. Sæpe nanque cum capta essem ab eis, pie liberauit me. Interdum autem cum venirent vt turbo ad dispergendum me, emisit sagittas suas, & dissipauit eas, fulgura multiplicauit, & conturbauit eas. Et recesserunt à me vsque ad tempus. Nam omnino carere eis me noluit, quod raro alicui sanctorum in hac vita donauit. Habui ergo post hæc modicam requiem, largiente dilecto meo pacem. Quia tamen adepta, non ad corporale neque ad seculare ocium me contuli: sed ad mentale ocium me verti, vt terram de longe cernerem, & cæli iam secreta parumper inspicerem. Intendi itaque mihi vt viderem qualis essem, & quibus modis illi melius placere possem, qui tanta mihi dilectionis ostendit signa, merita mea valde excedentia. Non poteram in turbine tentationis videre quàm suavis esset dilectus meus: sed in sereno mentis, & quiete solitudinis.

o

Et quantum in me erat, hanc pacis serenitatem sine intermissione optabam, ut illi perfectius adhererem, & sine aliqua abstractione & molestia vacarem. Sed non secundum desiderium animæ, effectus semper comitatur gratiæ. Datur tamen nonnunquam desiderata dulcedo, nonnunquam vero differitur ex iusto. Cui etenim non optabilius foret sub ymbra pausare dilecti, dummodo liceret, dummodo tempus & locus admitteret? Nunc autem vicissim operatur mecum dilectus meus. Nec semper sentio quod turbat, nec indefinenter fruor quod delectat, sed fit vespere & mane dies vnus, quia eundo & redeundo per læta & tristia, agitur tota hæc mortalis vita. Senferat nimirum hoc idem sanctus qui dicebat: Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Videtur tamen aliqualis requies, si non nimis continua sit aut importuna tentatio. Cum ergo donatum mihi fuerit vel parum in dilecto meo suauiter requiescere, gratum omnino habeo, & optabile. Gaudeo in hoc & semper gaudebo, pro tam deifico munere. Præstat insuper fiduciam affandi eum, quacunque de causa fuerit, quod totiens benigna visitatione sua me gratis præuenerit. Si quidem ipso appropinquante, & diem festum mecum agere volente, subito lux cordi meo insulget, ante cuius conspectum omnium inanum cogitationum caligo pellitur, & diu optata serenitas possidetur. Ad ingressum nanque eius stare non potest aliquid turpe aut indecens, quia munditiæ amator est & infertor: sed necesse est ut abscedat omnis illusio diaboli, cum omnibus pompis mundi. Suppressis ergo passionibus & tentionibus meis quas pertuli, clarius cum cœpi agnoscere, atque feruentius diligere: studui quoque gratias eidem agere quod iam fero dignatus sit vitiorum à me tumultus prohibere. Etenim ipsa solent pacem meam inquietare, & os meum moliantur obstruere, ne loquar ad dilectum meum. Sed frustra est eorum conatus aduersus potentiam eius & sapientiam, qui in quolibet tumultu potest illabi cordi meo, & secreta sua mihi silenter infundere, ita ut cunctas eorum miserationes pro nihilo ducam, penitusque non aduertam. O mi cordialissime & pulcherrime dilecte, sic quæso assume me ad te, quotienscunque videris affectus meos premi aliqua vitiorum mole, aut teneri inutili occupatione, ne longius à te post greges malarum cogitationum vagari incipiam, ac quam cito priuari gratia tua, sine qua non potero durare in tua exquisita amicitia. Tu es enim dominus meus & deus meus, qui verbo tuo

omnia sanas & sanctificas, qui posuisti animam meam ad vitam, & non dedisti commoueri pedes meos, sed de tempore iniquo & de laqueis mortis extraxisti me. O quanti derelicti sunt & perierunt, qui innocentes me fuerunt? Benedic igitur anima mea domino, & omnia quæ intra me sunt, nomen sancto eius. Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Parum est utique, & modicum nimis, quicquid dixeris aut cogitaueris vel promiseris in laude eius. Maior est enim omni laude, & suauior omni melodia. Propterea adhæret tibi anima mea, & super omnia data te diligit, quauis pulchrum sit & dulce quod mihi ex charitate miseris. Tu nanque solus es sponsor, cætera donaria sunt, & indicia amoris. Non diligam ea pro te: nec credam sine te omnia mihi posse sufficere, ne forte cum illis amittam & te. Vti propter te multis finis: sed pro te frui nec aliquibus rebus vis. Ideo dilecte mi sponte Iesu Christe omnibus te præposui, & præ omnibus amare curavi. Da ergo mihi feliciter te frui, & fruibili vnione vnâ tecum perpetuo beatificari. Sed quod perueni? Longius forsitan te protraxi quam volebas. Sed indulge anime. Sustulit enim me paululum amor summi ac vnici amici, & vnam decætero magis sustollat, ac te pariter leuet in altum. Prouideat nobis cælestem ascensum, non autem teneamus humilem descensum. Si relinquitur interdum à dilecto quærere? Dico, etiam. Quid facis inter hæc? Sustineo me quanto æquanimius possum, & expecto donec veniat. Natura grauior: sed spiritu interius me sustento, ne sit inconsolabilis dolor. Memor sum, quia sine dolore non viuatur in amore. Ex fide uiuo, scripturis sanctis credo, verbis consolatoriis assentio. Et licet adhuc male habeam, melius tamen posse fieri non diffido: nec diffidere debeo. Vera sunt enim & firma quæ narrantur eloquia. Ipsi nanque in multis sunt exercitati, & in similibus probati. Natura semper optat alleuari, & in aliquo consolari quærere: sed spiritus tamen promptus est ad perferendum omnia quacunque deus pati me voluerit. Si itaque indeuotior & pigrior ad bona facienda fuero, propterea non erit sine remedio plaga mea. Etiam si occiderit me, ait iustus, in ipso sperabo. Si virtutes diligo, patientia magna virtus est, seruetur ergo & modo. Difficultas nanque operis, sæpe auget claritatem virtutis. Vt autem probetur, magisque clarificetur virtus, per contrarios solet experiri successus. Cum igitur tale probamentum aduenerit, ne diffidas, nec con-

De responsione dilecti quæ sit ratio recessus sui.
Cap. 17.

cidas, sed conserua patientiam, & dei commendam iustitiam. Non est deus tam seuerus & immisericos, ut diu inconsolatum te patiarur manere. Tantum caueas ne immoderate doleas, & velis aduersus iustum & sanctum remurmurare, quia relinqueris, ne & malignus spiritus acerbiores tibi tentationes de fide & blasphemia immittat, & ex his nimium pauidus plus crucieris quam oporteat. Idcirco sustine te modicum, & dolorem comprime, etiam quantalibet tibi grauedo cordis ingeratur aut corporis. Permane firmus in bono proposito, quod instituisti seruare ab initio. Iuuat enim in tali maxime articulo, omnem spem in dilectum proicere. Expecta patienter consolationem cælestem, senties cito vberem gratiam, & dei respectum. Ecce habes fidelem testem dicentem. Expectans expectaui dominum, & intendit mihi. Vt autem in proximo illam merearis consequi, interim sapius ora, & pro te orari supplica, sicque te totaliter eius committe voluntati & ordinationi, ut faciat tecum sicut placitum magis fuerit sibi. Dicisque illi cum bona conscientia. In manibus tuis opera mea, tu scis qualiter mecum sit, tu cognoscis quid patior, & nunc si vis citius consolabor. Fiat tamen semper quod tibi rectum & bonum videtur in oculis tuis, & miserere mei desolati & mendici pauperis, ad te humiliter gementis. Si igitur in patientia & longanimitate perseueraueris, nec propter modicam tribulationem à fide & castitate quæ est in Christo Iesu, declinaueris, profecto reuertetur ad te splendor gratiæ eius, & illuminabit te copiosius. Eritque multo charior dilectus reuertens, quam si nunquam absens fuisset. Non enim est irreuocabile verbum: nec sic ofensus est, ut iam ultra nequeat reconciliari. Placabitur citius & facillime, dummodo tu operam dederis & cauere melius, & satisfacere maturius sponderis. Si his salutaribus monitis acquiescis, erit tecum dilectus sicuti prius, & ex illius præsentia iucundaberis, & dices. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te, sub ymbra alarum tuarum proteges eos. O Sion renouaberis, & videbis inclytum tuum qui regnaturus est in te. Ipse est rex virtutum & dilectus tuus, cuius posteriora in pallore auri: sed caput eius aurum optimum. Hæc pro tui consolatione perpaucis sint dicta. Reliqua vero de dilecti mutatione promissa, qualiter nunc videlicet apparet, nuncque discurrit, sequenti narratione ab ore eius suscipies & audies.

Irabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Quid est dilecte mi quod sic fecisti mihi? Vt quid me dereliquisti? Responde mihi. Reliquisti me & abiisti. Sed & denuo repedasti. Et in hoc bene fecisti. Si non cito venisses, pene defecissem. Sed misertus es mei, conscius secretorum meorum. Etenim tristis eram ex recessu tuo, & nunc pro reuersione tua sum consolata. Dic tamen aliquid ad doctrinam meam, quid boni in hoc prætendisti? Quid te iuuat sic discurrere, & me affligere? An te audire delectat, Mane nobiscum domine, quoniam aduersperascit? Veni & sede in medio nostrum, quia ecce ego & alius quidam discipulus te audire cupimus, & obsecramus ut doceas nos. Dic fidenter quod placuerit, & ad me si vis verba tua conuertere. Nullum libentius quam te audio loquentem. Et si quis alius loquitur, propter te qui in eo loqueris, sermo eius mihi gratus & audibilis efficitur. Erunt igitur eloquia tua dulciora mihi super mel & fauum, vincunt enim omnem suauitatem verborum. Sonet iam vox tua in auribus meis. Intonuit ergo vox dilecti mei, & dixit. Ego qui loquor iustitiam. Quis similis mei in consilio & prudentia? Quis fecit mare & aridam? Ego dominus formans lucem, & creans tenebras. Quis intravit abyssum, & de profundo eduxit aquas? Ego dominus, scrutans corda & renes. Quis cognouit omnia nouissima & antiqua? Ego dominus, qui feci omnia in numero & pondere & mensura. Ego creator cæli & terræ, rector omnium seculorum. Ego secretorum cognitor, & occultorum reuelator. Ego vniuersa complector, & singulorum causas intueor. Ego deus, & non mutator, apud quem omnium mutabilium stant immutabiliter rationes. Ego deus omnipotens, cuius potestas insuperabilis. Ego altissimus, cuius altitudo inattingibilis. Ego bonitas, cuius entitas incapabilis. Ego præsentissimus & secretissimus. Ego intimus, & à sensibus remotissimus. Ego omnia sine onere porto, & cuncta sine distictione impleo, rego. Ego præterita simul & futura eque intueor ut præsentia. Ego omnem corporalem pariter & spiritualement excedo creaturam. Ego variis modis nominabilis, nulla tamen cogitatione vere formabilis. Ego subito compareo, & mox dum nescitur lateo. Vere ego deus absconditus, qui mille modis dispenso vices meas cum

amantibus. Et dixi etiam hæc ad amantem animam. Abscondam faciem meam ab ea modicum, ad momentum eam relinquam, ut videam si caste diligit. Multum est caste diligere, quia hoc est non propter seipsam me diligere, non propter aliquod temporale commodum, vel spirituale solatium: sed me solummodo propter me, & sese finaliter propter me, & ob aliud nihil sperandum à me. Non est omnium sic me amare: sed est solius perfectissimæ animæ, hæc prerogativa casti amoris. Quæ autem adhuc imperfecta est, necesse habet frequenter probari & exercitari, ut sciat quantum diligit, & si usque ad contemptum sui. Dixisti enim in corde tuo. Profecto diligo, & id ipsum frequenter repetis, quia diligo. Sed non tantum verbis vel cogitationibus credo. Etenim te in veritate probabo. Cum præsens sum & blandior, cum deuotionem tribuo, aut datam augeo, cum tantum prospera aut pro maiore parte iucunda præfero, tunc deuote dicis, dilecte mi diligo te. Et bene dicis. Sum enim amabilis valde, & omnia quæ de me dici aut cogitari possunt, amabilia sunt, & dulcia atque laudabilia in secula. Sed & in benefactis solum me amare & laudare, quid grande est? Nam & peccatores hoc faciunt. Equidem me sæpe benedicunt, cum acceperint quod male cupiunt. Sed non est speciosa laus in ore peccatoris. Qui ergo propter beneficium aut consolationem me diligit, quid amplius auaro facit? Proficias, proficias, & ad perfectiora ascende. Pigeat semper debilem & mollem esse, discite solidum edere cibum, non lacte paruulorum diutius vesci. Transi ad numerum fortium Dauid, tenentium hastam & gladium & clypeum. Tolle crucem, & sequere me. Festina inter illos computari, qui diuersa grauamina & multa exilij genera pro me sciunt portare. Nimis inclinatis ad consolationem. Probare ergo te volo, & inclinare ad aliud latus, ut experiaris quid pati possis, ne tibi innocens & sancta videaris. Mittam super te tribulationem, & iram & indignationem, immisionemque per angelos malos. Alij quæ tua sunt tollent, alij quibus indiges negabunt. Alij tibi detrahent, alij in facie resistent. Alij graue iugum imponent, alij quò tu non vis te ducent. Alij exterius, & alij interius te affigent. Alij assumuntur ad statum & honores, tu relinqueris ad contumelias & labores. In omnibus his & maioribus probaberis ut athleta fortis. Recedam nec dimittam quin diligenter te examinem, si in facie mihi benedixeris. Quòd si in toto corde me dilexeris, & in omni tempore no-

men meum benedixeris, dignum est ut amodo sponsa voceris, & secretum apud me cubiculum obtineas. Quòd si necdum virgam meam portare sufficis, sed hanc disciplinam minus amabilem censueris, lugens multis diebus absentiam meam, quam affectanter & sedulo petis, mittam tibi baculum meum ut fargas, & post hoc veniam, & fuscitaberis ad pristinam gratiam. Nolo enim ut omnino deficias, quia ego amantem me diligo. Et si nondum perfecte diligis, non tamen paruulam contemno: sed ut crescas curabo. Cura mihi est de te ut bene habeas, nolo ergo ut de me hæreas. Scio quidem quantum pati valeas, & ideo tempero vires meas, ne supra id quod possis sustinere teneris, & deficias. Quòd si moram fecero, expecta me usque in diem visitationis. Veniens veniam, & promissioni meæ satisfaciam. Tu autem orationi incumbes, sacræ lectioni intende, & in omnibus patientiam & longanimitatem tene. Nec enim ignoro quin interim in merore existis: sed te tam subito infirmari, & ab omni spe quasi non essem rediturus deficere, non placet utique mihi. Vbi est fides tua? Magna fide opus est tibi in hac parte maxime, quia & si me non vides, videris tamen à me, cui te & omnia tua credere debes. Licet namque iudicia mea ignores, dicit tamen firma fides, Bonum est quicquid disponit & operatur deus. Consolor igitur te, quia infirmitas hæc non erit ad mortem, sed pro gloria Dei. Abstuli à te desiderium tuum, & volui tentare fidem & dilectionem tuam. Feci enim hæc omnia, ut tuam infirmitatem aperitius scires, & meam bonitatem magis intelligeres. Non te ita bene nosti, sicut ego noui. Ego te & omnia tua noui, non ex tempore sed ab æterno. Agnosce ergo quid ex me tibi veniat, vide quam pauper ex tuo sis, si quando à me relinqueris. Nondum in vera tui cognitione plene profecisti. Et quia expedire plurimum hoc te scire, volui ut experimento disceres. Bonum est tibi quòd aliquando desolaris, quòd tribularis, quòd humiliaris, ut sic propriam manifestius palpes infirmitatem. Ego noui hanc magis venire ad profectum tuum. Si ex hac prudentior & sollicitior fueris ad singula, quid perdidisti? Arrogans es plerumque & inscia tui, putans te habere bonum quod non habes. Deciperis amore proprio, & dum non cogitas datorem, abuteris dato. Ego inebriaui te: sed oblita es quia de vite mea borus erat. Experire modo te ipsam, agnosce quid virium habeas. Si ex te est quod habuisti, cur non tenuisti? Si nec illud tenere potuisti, agnosce quia

scie quia desuper accepisti. Da ergo honorem gratiæ, & confitere quia sine me nihil potes facere. Considera quam necessarius sum tibi, quam sufficiens & solus potens in omni bono te confirmare. Vbi eras priusquam te vocarem, nisi in peccatis tuis? Et nunc vbi es nisi quò perduxit te? Sed & quando tibi bene erat sine me? Et dixi, Nunquam dulcissime domine. Tu solus vnicus & singularis dilectus meus, in omnibus & præ omnibus fidelissimus. Quare igitur cogitasti apud te non recte, ut vires post amatores alienos? Quid tibi displicuit in me? Nunquid gloria mea aut pulchritudo mea? Vere domine, non est similis tibi in pulchritudine & in gloria, in diuitiis & potentia, neque talis in cælo neque in terra. Tu es enim solus altissimus super omnem creaturam. Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti. Multum est quod creaturis donasti, ex quibus magna pulchritudo, sapientia & bonitas tua relucet: sed nihil in comparatione beatæ & gloriosæ præsentia tuæ. Experientia nunc didici, quòd amarum mihi est vel ad horam te reliquisse. Ad me ergo reuertere, dicit dilectus tuus. Satis est quòd hucusque circuncursasti. Discite stabilis esse & mitis, sperans & fidens in me non tantum in die visitationis, sed abundantius in nocte tentationis. Ego dimisi te ut fatigata citius ad me redires, & frustrato exteriori solatio, deum intelligeres quid tibi contulit dilectio mea, quæ totiens te inuitauit. Aduerte itaque nunc, quia ratione non caret, quòd non nunquam relinqueris, quòd sine affectu manes, quòd rædio afficeris, quòd tentationibus fatigaris, quòd hinc & inde affigeris, quòd consilium non inuenis, nec auxilium sentis, sed angustiam vndique & egestatem pateris. Ideo relinquo te, ut cognoscas meam præsentiam tibi esse necessariam, non modo in vna re, aut in maxima tantum causa, sed in omni profecto actione, in omni loco & tempore, tam mane quam sero, & vbicumque fueris, ieris vel steteris. Sic quidem instrueris sollicitè cum dilecto tuo ambulare, & à vanis abstinere, offensaque cauere. Relinquo te ut scias quantum diligas me, hoc est ut appareat tibi modus dilectionis tuæ. Fortiorem te & beatorem putabas quam eras: sed euidentius patuit, auxilio meo tibi paululum subtracto, quia egens fuisti & misera. Quomodo cognoscetur dilectio tua, nisi cum mansuete portaueris grauamina? Interdum te video tepescerentem, sed ut fusciteris ad feruorem & quærentem diligentiam, abscondo me ad horam, tanquam dilectus stans post parietem.

Video & scio omnia: sed exercitatio utilis ad multa, maiorem dat sæpe intelligentiam. Etiam si me diligis, utique querere non tardabis. Si placeo, indagare curabis. An ignoras, quia laboriose acquisitæ diuitiæ, tenentur magis studiose? Cui æque optata requies, sicut fatigato? Cui tam iucundus amor, nisi in quo præcessit amari dolor? Et redinuentus thesaurus, nonne bis charior est quam prius? Duplex gaudium & geminata redit lætitia de intermissa dilecti præsentia. Vtiliter igitur me subtraham, quia non dedignando hoc ago, sed pia quadam dispensatione sic cum amantibus ludo. Sufficiat pro præsentia, quia tantillum audire meruisti. Do autem licentiam totiens reuertendi ad me, quotiens tibi senseris opus esse. Ego nunquam viscera mea clausi humiliter & seriose deprecanti.

De fiducia diuinæ miserationis.
Cap. 18.

DEus meus misericordia mea, & ideo non sum confusus. Non videatur cuiquam absurdum, si cupiam cum domino deo meo frequenter celebrare colloquium, cuius benignitas me pigrum sæpe trahit & accendit ad orandum & meditandum, ita ut eius non respondere vocibus, durum mihi sonet & ingratum. Sed dicit forsitan aliquis contra me, Ergo nec tu times deum, cum sis reuera peccator immundus, & vita ipsa indignus? Vnde tibi hæc præsumptio cordis? Et cum sis omnium minimus, & despectior vniuersis, quid adhuc te diuinis ingeris colloquiis? Quem te ipsum facis? Dilecte mi domine, pro me responde, quia os peccatoris apertum est super me. Si me iustificare voluero, os meum condemnabit me. Et si mundus fuero, hoc ipsum ignorauit anima mea. Tu scis insipientiam & confusionem meam. Tu loquere, ego libenter silebo. Et vox dilecti mei, Ne attendas ad verba exprobrantium tibi: sed ausculta potius quod dixi. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. An non licet mihi facere quod volo? Voluntati meæ quis resistet? Si tibi quanuis nouissimo benefacere voluero in modico, quis arguet me de peccato? Qui sine peccato est, primus in te lapidem mittat. Si autem & ipsi peccatores sunt, cur gratiæ detrahunt? Non tu me elegisti: sed misericordia mea te præuenit. An adhuc aliquis audet murmurare contra te, quia accessisti ad me? Certe non est murmur eius contra te, sed aperte cõtra me, quia peccatores recipio, & manduco cõ illis. Et quare non vendicares tibi familiaritatem meam, quam porius

gaudeo exhibere quàm retrahere? Cui ego. Dilecte domine, non imputetur eis: sed mihi & peccatis meis. Non nego quicquid de me egre sentitur, fateor & hoc indubie, quia multo plus est quàm scitur. Dicit ille. Bonum tibi quia humiliasti te, sic enim semper magis lucraris, & gratiam meam facilius impetrabis. Propterea tamen non es abiiciendus quia peccator es & defectuosus, quāquam temetipsum ob id despiciere debeas merito; nec vnquam obliuisci in quantis deliquisti. Sed ne anxietate intereas, pensa quàm saepe de peccatoribus iustos facio & amicos, humiles eligens, & de se præsumentes relinquens. Non opus habeo ut dones mihi aliquid de tuo: sed tantum hoc peto, dilige me corde puro, & sufficit. Cui rursus. Pro pudor mihi, quia non est quicquam in me unde possit amor tuus erga me incitari. Dicit iterum. Nihil horum attendo quæ mundus ad placendum offert, nil talem requiro, amor per se satis est, tantum ferueat, necumque perseueret. Veruntamen cuius sunt, quæ hominem adornare possunt? Nonne mea sunt omnia, & quæ in corpore & quæ in anima fulgent? Quæ autem mundi sunt, & quæ corpus honestant, parum te implicare debent. Quæ vero ad decorem virtutis pertinent, tua interest & oportet ista curare, ut placeas coram deo in lumine viuentiū. Iuste tamen te humiliasti, & accusasti tam foris quàm intus coram vultu meæ maiestatis, confitendo veraciter infirma & dedecorata tua, atque profundius ingemiscendo, quia nequaquam dignus es familiaritatis meæ vèdicare gratiam vel ad horam, cum sim speculum sine macula, & tu peccator & immundus ab infantia. Memor ergo esto fragilis conditionis tuæ, & generosæ celsitudinis meæ, sicque cum humili reuerentia ad me accede confidenter. Ego enim sum qui deleo iniquitates & peccata, qui iustifico impium, dimitto ei omnia delicta propter nomen meum. Non solum hæc confero: sed adhuc maiora dona misericordiæ paratus sum præstare. Nam & misereri potius eligo quàm irasci, malens parcere quàm punire. Sed hoc parum visum est mihi, neque sic contentus sum, ut post primam gratiam non adiiciam secundam vel tertiam; immo finem non impono miserationum mearum: sed neque gratiarum & beneficiorum meorum dicibilis est numerus. Denique post peccatorum veniam, post poenitentiam & satisfactionem completam, reddo plerunque salutaris vultus mei lætiam, infundendo abundantiorum spiritus sancti gratiam. Et licet adhuc in carne peccator moreretur, in meam tamen illum recipio

Adhortatio ad fiduciam habendam Deo.

Sap. 7.

Eccl. 43.

familiaritatem, ita ut de perpetratis malis nulla sit erubescenda iam confusio: sed magis gratiarum actio & vox laudis, quia transierunt vetera, & noua facta sunt omnia. Tam pius & misericors sum, ut semper paratior sim ad indulgendum, quàm tu ad poenitendum, promptior ad dandum, quàm tu ad rogandum. Quid igitur times, quid trepidas ad finem accedere tantæ pietatis? Et cur te alienas à gratia mea sponte oblata? Etiam si scires quod proposuisses negare, non tamen à precando deberes desistere, neque confidentiam exauditionis amittere: sed insuper vehementius donec acciperes instare. Infinitæ sunt enim miserationes meæ, & quod vno tempore negatur, alio tempore poterit pie concedi. Qui scis si quando conuertam ad te faciem meam, & donem tibi desiderium cordis tui? Et quid dicit propheta de me? Accedite inquit ad eum, & illuminamini, & facies vestrae non confundentur. Ergo magis accusa accessus tui raritatem, quàm accessum frequentem, & plus timidam verecundiam, quàm promptam veniæ præsumptionem. De mea bonitate confidere, rectæ humilitatis & magnæ fidei est indicium. Hæc dico, ut non pecces. Quod si peccaueris, non desperes, sed cito resurgas. Habes enim adhuc spem, & aduocatum apud patrem. An expectare vis ut dignus fias priusquam accedas? Et ex te quando hoc poteris? Si solum boni & digni, magni & perfecti viri mihi appropinquare debent, peccatores & publicani quem adhibent? Quid ergo euangelium dicit? Et erant inquit appropinquantibus ad Iesum publicani & peccatores, ut audirent illum. Accedant ergo indigni, ut fiant digni. Accedant mali, ut efficiantur boni. Accedant parui & imperfecti, ut fiant magni & perfecti. Accedant omnes, accedant singuli, ut accipiant de plenitudine fontis viui. Ego sum fons vitæ, qui non potest exhauriri. Qui sitit, veniat ad me & bibat. Et qui nihil habet, veniat ut gratis emat. Qui morbidus est, veniat ut sanetur. Qui tepidus est, veniat ut accendatur. Qui timidus est, veniat ut confortetur. Qui tristis est, veniat ut consoletur. Qui aridus est, veniat ut adipe & pinguedine spiritus repleatur. Qui tædio afficitur, veniat ut gaudio recreetur. En deliciae meæ esse cum filiis hominum. Qui concupiscit sapientiam, veniat ad doctrinam meam. Qui querit diuitias, veniat ut accipiat aternas & incorruptibiles. Qui honores ambit, veniat ut nomen aeternum in cælo hæreditet. Qui felicitatem desiderat, veniat ut eam sine timore & periculo possideat. Qui omnium bonorum

rum abundantiam concupiscit, veniat ad me ut summum aeternum ac immensum bonum percipiat. Ego sum qui omnia temporalia bona præsto, & super temporalia aeterna bona in cælestibus tribuo. Nec promissioni meæ deero, cum adimpleta fuerit mandatorum meorum salutaris obseruantia. Coronabitur autem gloriose in cælo, qui legitime certauerit in hoc mundo.

De desiderio diuinæ fruitionis.
Cap. 19.

Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Quid animæ fidei suauius, quid iucundius esse potest, quàm deuote de domino deo dilecto suo meditari, ut quem clara ac beatifica visione intueri necdum valet, saltem per studiosam recordationem quasi præsentem sibi faciat? Contempletur igitur eum per speculum in ænigmate, quem facie ad faciem non potest videre. Scrutetur nihilominus per scripturas & figuras, quem in suo fulgore contemplari non sufficit. O si studium querendi faciem domini nunquam frigeret: sed de die in diem magis seruescat. Inest autem animæ deum amanti incessabilis æstus ad eius visionem perfruendam, quia visio dei beatitudo summa est, & felicitas perfecta. Appetit ergo hanc beatitudinem, quatenus totus eius appetitus suo coniunctus fini, fatiatur & quietetur, quoniam nullo præfenti bono poterit vnquam contentari. Nam crebra experientia didicit, quod quāto longius à cælesti beatitudine errauerit, tanto infelicior est & inquietior, cum nihil in creaturis stabile appareat aut durable, quo eius affectus possit mitigari. Redeat ergo ad eum à quo facta est, & ab illo requirat beatitudinem, unde sumpsit originem: Quoniam quidem qui creauit animam, ipse est qui satiat in bonis desiderium eius. Nam talem affectum ei indidit, ut eo dompto nullum sit bonum quo contentetur, nullum gaudium quo secure fruatur. Noli ergo hic stare anima mea, quia non est iste locus requiectionis tuæ: sed pergesurfum, ascende ad eum qui te fecit. Iam enim & ille nuncios misit, & ad ascendendum te inuitat. Quot desideria aeternæ vitæ inspirat, tot nuncios tibi transmittit. Quibus susceptis, para te ad ambulandum. Ambulas si eum videre desideras, si ei placere contendis, si inferioribus abrenuncias, si eius amoris agis quicquid agendum vel dimittendum fuerit. Non enim tu eum prius querere posses, nisi & ipse te prius quæsisset, & sancta in te desideria suscitasset. Si quidem languet illa anima,

non amore, sed tædio pernicioso, quæ æterni solis non fuerit irradiata calore. Sed si austro suauiter flante à frigore fuerit resoluta & mœrore, tunc mox æstare incipit præ desiderio inspirati luminis, ad incomprehensæ arcanum diuinitatis. O veri solis ardor immensus, quot tunc in amante parturis æstus? Soluis tristitiæ tenebras, & laboriosas actiones in nihilum mutas. Longos annos diésque paupertatis, vno simplici illapsu abunde consolans. O tristitium medicina, ô errantium & quærentium fulgida lucerna. Tu iugiter mihi mica, tu mansionem in me para, donec illucescat lux perpetua. O quàm dulcis & iucunda erit tua præsentia, quando ex sola tenui memoria tanta prodeunt solatia. Quàm libenter me possum ad te conuertere, quàm liberè omnibus renunciare, ut tua gratia merear consolari. Non enim difficile erit animæ cupienti tuam faciem cernere, à præsentium se oblectatione nudare, cum iam maiorem interius sentiat, aut in proximo sibi largiendam fiducialiter abs te expectet. Præterea nullus insipienter cogitans putet, quod tu animam tibi deuotam diu inconsolatam relinques, vel quod parua recipiet charismata gratiæ pro vniuersis victoriis naturæ, quia nec in qualitate nec in suauitatis quantitate poterit vnquam tuæ cælesti consolationi comparari qualiscunque terrena delectatio, etiam vndecunque concepta. Studeas ergo fidelis anima talem te exhibere Christo cælesti spòso, ut eius gratia & consolatione digna semper existas, quia per ipsum & in ipso copiosissime reperies, quod te in quauis anxietate positam consoletur. Quanto frequentius ad ipsum accesseris, eiusque lateri vicinior tuum applicueris, tanto tibi dulcior apparebit & iucundior. Quod si te subtraxeris, tu sola detrimentum patieris, ille autem in sua permanens pulchritudine, nil molestum sentiet nec triste. Tu bonitate eges illius, ille nullius. Ideo tu beatior ex ipso fieri potes, ille ex tuo profecto non potest. Solus est qui sibi sufficit, solus cui nihil addi minuiue potest. Eius gratia sunt quæcunque sunt, quæcunque viuunt sentiunt & intelligunt. Merito ergo omnia quæ creata sunt, ipsum laudando benedicunt. O si sufficienter eum enarrare tibi & explicare possem, quàm libenter id agerem. Sed quid? Ineffabile est, sicut & essari prohibetur. Similiter quod inexcogitabile fertur, nulla cogitatione vel voce vere formatur. Et cum ita sit, cogita tamen interim humano more de creatore tuo, habendo memoriam abundantiae suauitatis eius pro solatio, donec præsentiam vultus sui tibi ostendat in regno.

De gemitu animæ ex dilatione gloria. Cap. 20.

EGo dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum a facie oculorum tuorum. Percussum est cor meum intra me, ex dilatione gloriae tuæ. Loquar ergo, & confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Vis amoris tui dicere me compellit: nec patitur tibi aliquid abscondi. Quid igitur referam? Ecce deus meus in pacē amaritudo mea amarissima. Qui non intelligit, nescit quid hæc volunt. Non ego sic: sed scio & sentio; & ideo cantare cum propheta non erubescō. Tibi domino deo meo loquor, cui omnia sunt nota, qui & scire dedisti & sentire pro bona voluntate tua, ne forte plus glorier, aut aliquid ab insipiente existimer. Quod ergo a te accipi, dicere possum tibi. Et quid opus est tibi hoc dicere, cum omnia scias, nec vllum ex his solatium expectes? Et quale solatium tibi veniret, qui es consolatio desolatorum? Ergo mihi totum prodesse potest, qui verborum adhuc solatio indigeo, vt sermonibus bonis & dulcibus excitem affectum meum in te, & faciam refrigerium aliquod desolatæ animæ meæ. Etenim cum non possim te videre presentem, Ingebo absentem, quia & hoc amoris est indicium, & dulce satis amanti. Iam sensus huius versiculi apparere incipit, quia de anima amante recte scribitur. Quanto enim ardentius amat, quantoque vehementius æterna desiderat, tanto veracius virtutem huius versiculi in se viuere sentit. Non sunt frigida verba, nisi non amanti: nec surda organa, nisi cor obturanti. Scit amans & flagrans anima, & totiens intra se conculescit cor eius, quotiens ex amore æternæ pacis commouetur. Ipsa ergo dicit tibi domino deo suo, non omnibus quibus ignota esse cupit. Et si hominibus aliquando loquitur, hoc tamen foris est quod illi audiunt: tibi quicquid dicit, intus dicit, & amando magis quam sonando. Ecce (ait) in pacē amaritudo mea amarissima. Ac si consistatur: Postquam ad pacem mentis te largiente redij, magis mihi grauis esse incipit fallax status mundi. Vnde enim in hac pacē, quantum disiungor à summa pace. Et quidem prius occupata desideris terrenis, & variis commota passionibus, plurimum impediēbar ab interioribus meis, & per consequens à contemplatione cælestium, pro quibus anxie gemere debuit sed minime potui, quia sensum interni doloris per incuriam perdidit. Iam verò sublati inaniū cogitationum tumultibus, in pace mentis aliquantulum refideo, & toto

Explana
tio my-
stica ver-
bi Eze-
chie, in
pace.

cordis desiderio trahor ad superna, & amplius plango quia bonis cælestibus nō fruor, quam prius plangebam cum mundi malis cruciarer. Est ergo amaritudo animæ meæ in hoc mundo degere, sub peccati sarcina incedere. Sed hæc mihi amarissima fit, cum pro posse meo recollectis in vnum affectibus, bona iam cordis pacē potior, atque totis medullis in amplexu æternæ pacis commoueor, & tamen propter mortalitatis meæ vinculum apprehendere impediōr. Ideoque cum gemitu ad te clamare compellor, & dico: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Non sentio grauius onus, quam diutius peregrinari à te in seculo, quia in amore laborans, nullam præter te consolationem requiro. Evidentissima namque comprobatione didici, non posse animam meam bonis satiari præsentibus, nec veram adipisci beatitudinem, nisi tibi cōiuncta cælestem acceperit mansionem. Licet enim excessiue amet, flagret, & contempletur sita in corpore, insatiabilis tamen perseverat eius affectus nisi deposito corpore. Idcirco in adeptione summi boni, & in lumine vultus tui finis eius consummatur. O rex cæli summe amabilis; o dilecte mi pulcherrime totus desiderabilis. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? quando satiabis omnē desiderium meum fonte perenni? Sitiuit in te anima mea, & multipliciter affigitur te non adepto. Quando in terris vivo, & te nondum video, triste est mihi omnē quod cerno. In tantum calefit cor meum, vt non modo semel, sed sepius in excessu meo dicā, Quando veniam & apparebo ante faciem dei mei? Crescit adhuc amor, & desiderium amplius ignescit, ira vt flere die noctuque non cessem, dum cogito per singulos dies, vbi est deus meus? Amanti namque dulce est pro te flere, dum quod desiderat non potest habere: sed oportet vtique expectare & carere. Ex his flētibus magis pacitur & confortatur amans anima, quam si haberet omnia terrena. Nam si illa diligeret, pro te nullatenus fletet. O quam beata & tibi placita fustio talium lachrymarum. Siquidem secularium gaudiorum ac temporalium cupiditatum peremptrices sunt, & cælestium consolationum deuotæ impetratrices. Propterea specialium deuotorum & solimmodo amantium est iste profluuius tam sanctorum lachrymarum. Alia est ratio lachrymarum iis qui misera necessitate constringuntur. Ille quia morbidus est, iste quia oppressus est: alius quia iniuriam patitur, alius quia suæ voluntati contrahitur, nonnunquam lachrymatur. Sola

Sola tu anima deuota diuini amoris lachrymas fundis: pro damnis autem temporalibus, & causis transitoriis, vero dei iudicio te submittis, & gratias agis. Nemo tamen in deuotus velut insipientem te iudicet aut impatientem, audiens te flentē, quia lachrymæ istæ non grauant, sed recreant: nō maculant, sed lauant: nec oculis officiant, quæ oculos cordis puriores reddere consueuerunt. Sciant alii de te quod volunt, non possum ego aliud nisi bene de te sentire, nam & consimili opto fletu potari. Si (inquit) tecum optas lachrymari, poteris & consolari. Vtinam esset anima tua pro anima mea, nunquā ignorares quod sentio. Ego scio cui credidi, & certus sum quia facilius est negare cælum & terram non esse, quam deum non esse. Et scio quidem ipsum esse bonum animæ meæ, & nunquam me beatam fieri posse, sine eius perfecta contemplatione. Cuius contemplatio quia necdū mihi collata est, neque perpetue firmata, nimirū plango quod tanta priuor felicitate, quæ huius vitæ tenebris inuoluitur, quod propria sic grauior infirmitate, vt lucem illam non valeam sustinere, & quod tam exigui sit momenti, & tectum nebula, quicquid meditor de cælesti gloria. Quapropter planctum saepe gemino pro cantu, & dum dicitur mihi per singulos dies, vbi est deus tuus? magis commouitur spiritus meus. Penso enim suspense; Vbi est bonū meum, & perfectum cordis mei gaudiū? Vbi pax & requies vera? Vbi hæc oia ineffabilia bona, nisi in deo meo? Et quando his perfungar, nisi ei sine medio fuero cōiuncta? Et quādo ibi ero? Credo, spero, sed nō posideo. Vbi est ergo deus meus, quæ sic amo, & nondum video; cuius amor me toties vulnerat, absentia contristat, sed & visitatio nonnunquam recreat? Vbi est deus meus, quem semel vidisse est omnia didicisse? Vbi est deus meus, in quem cor meum & caro mea exultat? re iugiter concupiscit? Vbi est deus meus, pro quo tot labores sustineo & dolores? cuius memoria dulcis, sed præsentia charior; omnem de corde mœsticiam repellit. Vbi est spes mea & tota gloriatio mea? Nonne in te deus meus, salutare vultus mei? Ostende mihi gloriam tuam, & ne auertas faciem tuam à me, & cessabo conuenire. Si litigo parum tecum, non mihi impropere. amor enim vehemens habet multos modos mirabiles. Expectare cogor, & desiderare magis instigor, sicque duellum amabilem perseverat.

De memoria & desiderio cælestis patriæ. Cap. 21.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriae tuæ. Quam libenter apud te essem, bene nosti deus meus:

& quā intime hoc desidero, non possum satis dicere. Nō solum hoc peto cum mihi male est, sed etiam quantumlibet hic mihi bene sit, opto tamē vt magis tecum mihi esse liceat. Sed quomodo satisfiet desiderio meo? Hic esse me tædet & oportet, tecum esse libet & nōdum licet. Non video nisi vt patienter dilationem istam feram, & optionem meam tibi resignem. Quid enim? Musitare volo, cum sic oportet fieri? Absit. Et multi si quidem sancti diu se sustinuerunt in hoc seculo, quorum tamen corda erāt in cælo. Quod si meam pro tendere volueris peregrinationē, parebo citā quousque tibi placuerit. Veruntamen vt cōplacitior sit in expectatione sua affectus essendi tecum, volo interim aliquid de mansione cælesti meditari mecū. Non tamen præsumo vel minima illa penetrare gaudia, quæ præparasti diligentibus te, sed sparsum modicū quid meditabor, vnde affectus meus saepe terrenis pressus & infectus, iterum excitetur, & in spē vitæ æternæ subleuetur. O si dies illa illuxisset, quod cæli gaudia me rapuissent? Quam lætus tunc forem, & quā felicem me putarem? quā vtique tunc in stabili pace beatus essem? Nec opus foret inde aliquid inuestigare, quando nulla possent secreta latere. Sed in nōtæ vita mea versatur, & ideo non mirandum si caligat oculus meus inter nebulas gloriae. Attamen leuabo oculos meos à longē prospectans, & sanctam illam ciuitatem Hierusalem salutans, quæ construitur in cælis viuus ex lapidibus, angelis videlicet & hominibus sanctis, plena semper existens in laude & canore iubilo, deum sine fine laudando. Eia & nunc anima mea assumptis desideriorum pennis perge sursum, euola à corporeis sensibus, transfuga à visibilibus mundi figuris ad habitaculū dei sanctum, ad Hierusalem nouam perpetua pace stabilitam, gloria & honore coronatam, & omnium bonorū aggregatione perfectam. Ecce mira & ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Sensus non capit, intellectus nō attingit humanus, quā gloriosus sit deus in sanctis suis, quā mirabilis in maiestate sua. Extende cogitatum tuum vsque in altissima, dilata desiderium tuum in perpetuas æternitates, & dic cum propheta, Gloriosa dicta sunt de te ciuitas sancta dei: Ibi quicquid desideratur habetur, & quicquid habetur secure possidetur. Ibi videtur deus facie ad faciem, clare & sine ænigmate, non raptim nec horarie, sed sine fine lymptide. Ibi cognoscitur beata & gloriosa trinitas, & inseparabilis vnitas, quæ ab omnibus cæli ciuibus adoratur, laudatur, & benedicitur. Ibi est ille vnicus dilectus singularis, preciosior cunctis opibus, thesaurus desi-

Rom. 2.

Psal. 41.

Psal. 41.

Psal. 41.

Psal. 25.

Apoc. 21.

Psal. 26.

derabilis, dominus meus Iesus Christus, ecclesie sponsus immortalis, in quo sunt omnes thesauri sapientie & scientie dei à seculo absconditi, sed ipsis beatis manifesti. O quam iucundi sunt omnes sancti ante faciem sancti sanctorum, qui est causa & origo salutis eorum. Ibi enim non in proverbis loquitur eis, sed palam de patre annunciat ipsis. Ipse liber eorum, verbum in principio apud deum, docens de omnibus, & adimplens omnia, ita ut nihil desit eis in gloria. O felix sempiterna gloria, quae non est de breui memoria, sed in splendoribus sanctorum de dei praesentia. Ibi est & gloriosissima mater dei perpetua virgo Maria, totam caelestem curiam perornans specie & pulchritudine sua, qua circumdant & comitantur virginales turmae, tanquam flores rosarum, & lilia coruallium. Ibi sunt angeli & archangeli in suis ordinibus positi, diuinis laudibus alacriter intenti, quorum alij supremi, alij medij, alij inferiores secundum tres hierarchias sunt distincti. Ibi sunt patriarchae & prophetae, qui de aduentu Christi spiritu sancto olim repleti praecinuerunt, & nunc ipsum dominum Iesum Christum, regem regum, deum verum cognoscunt, ac incessabili laude benedicunt. Iam vident oculo ad oculum redemptorem suum, quem diu expectabant, & corde aduenire desiderabant. Ibi sunt praecelari & omni veneratione dignissimi praecones Christi apostoli & discipuli domini, sanctitate & gratia pleni, fundatores catholicae fidei, sed nunc deuoti intercessores in aeterna gloria pro iis quos in fide genuerunt & instruxerunt. Ibi praecipue fulget venerabilis Baptista Christi Ioannes, amicus sponsi specialis. Ibi Petrus clauiger caelestis, Paulus doctor egregius, Andreas, Philippus, Thomas, Iacobus, & Ioannes, cum ceteris apostolis & euangelistis ecclesiarum columnis. Horum fidem tenere, & exemplar imitari, ad vitam aeternam est peruenire. Ibi sunt inclyti martyres proprio sanguine purpurati, & in aeternum cum Christo beati, quorum licet corpora crudelissime laniarentur, tamen animae non potuerunt per tormenta à Christo separari. Ibi sunt lucidissimi confessores, qui vitam secularem contemnentem, caelestes fieri meruerunt. Ibi sunt magni gloriosisque doctores per sanctae vitae meritum altius in dei contemplatione suspensi, à quibus multi viuentem sanctitatis imaginem in suis scripturis reliquerunt. Ibi sunt iuuenes & virgines, senes cum iunioribus nomen domini assidue collaudantes, & quicquid boni ac virtutis vnquam gesserunt, diuinam maiestati ascribentes, semper grati, semper deuoti, semper iucundi, semper & accensu, nec vnquam fastidio pressi, sed iugi con-

templatione in deum erecti. O quam gloriosum est hoc regnum, in quo cum Christo regnant omnes sancti, amicti stola prima, securique de reliqua. Ibi iam sequuntur agnum quocumque ierit, quia nulla separatio ab ipso erit, sed in aeternum gaudentes in domino gaudebunt. Haec contemplare anima mea, & super omnia visibilia tuam cogitationem suspende. Vere locus iste sanctus est, & dominus est in eo. Hic semper pax & gaudium redundant, hic omnium bonorum affluentia, omniumque malorum perpetua careria. O si posses modicum quiddam de ineffabilibus sanctorum gaudiis capere, unde peregrinatio tua aliquantisper consolaretur, quia apud me non inuenies nisi labores & dolores, impetus tentationum, & luctus seculi. O si tibi dignetur aliquid inspirare superni luminis auctor, nec vacuum te remittat ad arescentes escas meas, sed secundum diuitias superabundantis gratiae suae, ab omnibus materialibus formis te purificet & euacuet, ac in abyssum suae aeternae claritatis vel raptim inducat. Vtinam ex illo caelesti sanctuario formam & exemplar vere sanctitatis quam imiteris reportes. Meliora sunt enim & veriora exemplaria caelestium & confirmatorum, quam quae terrenis demonstrationibus probantur. Da mihi domine deus sapere & intelligere quae sit sanctorum perfecta felicitas, non ex codicibus inscriptis, sed per spiritum sanctum qui docet de caelestibus secretis, supra id etiam quam possit humanus attingere sensus. Da & vitam meam multo feruentius ad spiritualia eleuare, & inter crebra tribulationum pondera, patientiae palmam fortiter tenere, donec soluto carnis debito, ad hanc quam desidero beatitudinem tua misericordia valeam peruenire.

De accessu ad sanctum sanctorum Iesum Christum regem angelorum. Cap. 22.

TV es ipse rex meus & deus meus. Exurge anima mea, veni & ingredere in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum dei. Decet namque ut ceteris omnis cum supplicii reuerentia nunc procedas ad salutandum dominum nostrum Iesum Christum, saluatorem ac redemptorem tuum, qui est caput omnis principatus & potestatis, gaudium & corona sanctorum omnium, firma spes ac certa expectatio cunctorum fidelium. Ipse est qui te fecit & redemit, ipse pro te laborauit, certauit, & vicit. Ipse est aduocatus tuus, & propitiatio pro peccatis tuis. Ipse est consolator tuus, prouisor tuus, & gubernator tuus. Ipse est vnicus & singularis dilectus tuus, qui pascitur inter lilia, & inter vbera tua optat comorari. Quis vnquam tibi tanta bona fecit? Quis tanta charitate te dilexit? Ad hunc accede, huic te praebere. Aperi ei cor

ei cor tuum, & enumera coram illo quaecumque diu celata portasti. Nemo tibi melius indicabit nec reuelabit quid spei vel consilii sit gerendum in rebus humanis, quae tot variatur euentibus. Apud ipsum vota & desideria tua, & in ipso consilia tua permaneant. Spes hominum frustra, ipse autem est stabilimentum pacis. Per ipsum habemus accessum ad patrem, & ab ipso omnis gratia tibi donatur, & virtus amplior infunditur. Sive tristeris siue gaudeas, ad ipsum habeas semper recursum. Ipse specular vitae, ipse norma iustitiae. Ipse lux indeficiens animae, amor pudicitiae, & gaudium conscientiae. Propter ipsum facilliter omnia delectabilia contemnes, propter ipsum omnia amara & contraria tolerabilia erunt, & placebunt tolerata eius amore. Denique ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Ad ipsum principaliter omnis intentio, omnis actio, sermo, lectio, oratio, meditatio, & speculatio respicere debent. Per ipsum tibi salus datur, & praeparatur vita aeterna. Propter ipsum non timebis mori, nec recusabis viuere, quia eius fidelitati debes te credere, nec eius honori vel amori quicquam praepone. Accede ergo nunc, & gratias age tuo redemptori. O dulcissime & super omnia amabilissime Iesu, sis deuotissime saluatus, altissime laudatus, & nunc & aeternaliter ab omni creatura benedictus. O dignissime Iesu, quid honoris vnquam reperiam, aut quam gratiarum actionem reddam tibi, qui mihi infinitas misericordias exhibuisti? Et si aliquid inuenirem quod tibi donare possem, nonne tuum esset antequam darem? Parum vel nihil habeo. Nunquid de nihilo sacrificare possum? Accipe tamen sacrificium humilitatis, paupertatis, & nihilitatis meae, & sic totum tibi ascriptum, quicquid mihi impertiri voluisti. Dicat & pro me laudes immensas omnes angelorum chori, tibi semper assidentes. Dicant & omnes spiritus iustorum, alta iubilatione id ipsum repetentes. Sed adhuc quid agam in memoriam & laudem sanctissimi nominis tui? Multa deberem agere, multis teneor & obligor, & vix ad minima sufficio. Legam igitur de te Iesu mi dulcissime, scribam de te, cantabo de te, cogitabo de te, loquar de te, operabor pro te, patiar pro te. Exultabo in te, laudabo te, magnificabo te, glorificabo te. Digne adorabo te, quia deus meus es tu, in quem credidi, quem amaui, quem quaesui, quem semper optaui. Fac mecum signum in bono, ut videant oculi mei speciosum vultum tuum in caelo. Ad pedes tuos humiliter mente me prosterno, deprecans obnixè tuam clementiam cum lachrymis, quatinus mihi misericors esse digneris. Scribe nomen meum in libro vitae, nec vnquam illud deleatur, quod

sancta manus tua conscripsit. Ego infelix & sanctorum meritis valde dissimilis, de tua superabundanti praerogatiua meritorum confidens imploro, ut saltem inter infima & extrema electorum membra merear computari. Scio quia non est talis vita & conuersatio mea, ut confidere aliquid de me ipso audeam, sed tota spes & consolatio mea in precio preciosi sanguinis tui constat & requiescit, in quo me totaliter pono, & ponendum sentio, cum omnibus quae egi, deliqui, merui, & omisi. Vide ergo exiguitatem & indigentiam meam clementissime Iesu, attende affectum cordis mei quem ad te gero & habeo, non quia ego dignus sum, sed quia tu benignus es, qui ab indignis non dedignaris tangi & amari. Terret me impunitas mea, sed iterum me trahit & allicit ad te maxima pietas & humilitas tua, qui non solum homo fieri, sed etiam pro homine peccatore pati, mori, & sepeliri, in vera charitate consensisti. Ideoque ad te confugio, quia nihil boni in me inuenio. Tu supplere pro me, quod minus valer modicitas mea perficere. Tu desiderium mihi tribuisti, ut te salutarem, laudarem atque benedicere, quia spes mea tu es, & portio mea in terra viuentium. Desiderium animae meae est esse tecum in regno caelorum, sed quia tempus meum nondum est paratum, expectabo te usque ad vesperam. Interim haec mihi sit consolatio in loco peregrinationis meae, quod memor sum nominis tui & maxime charitatis tuae, & quod praesentem te habeo in fide, & sacramentis ecclesiae. Intolerabile mihi profus foret in hoc mundo viuere, nisi spem haberem in te domine. Non enim consentio cum seculo gaudere: & ne sine consolatione & gaudio manerem, in te statui gaudium meum ponere. Multum & saepe errarem, & multum in cogitationibus fluctuarem, nisi te in memoria mea & in imaginatione mea tenerem. Et quia diuinitatis tuae altitudinem capere non possum, nec incorpoream veritatem comprehendere, sufficio, tutius me ad sanctae humanitatis tuae gesta & verba conuerto, quia haec cogitas non omnino à diuinitate tua recedo. Gratias tibi Iesu bone, dulcis & amande, quia frater meus, os meum & caro mea fieri dignatus es. Gratias & sanctae Mariae matri tuae, de cuius virginali carne sacrosancta corporis tui membra assumpsisti, ac mediante anima rationali perfecte diuinitati adunasti, ut ipsa non tantum hominis, sed & dei mater digne ac fideliter appelleretur.

De salutanda virgine gloriosa. Cap. 23.

Aratu, circumdata amictu varietatis. Quamuis nullius sum meriti, sed multorum delictorum

rum confcius mihi, est tamen pergrandis fiducia mea, passio tua domine Iesu, & meritū gloriosę virginis sanctę Marię matris tuę, de qua parumper cogitare nunc libet, & quęro vt liceat. Quis enim ego sum, vt audeam propius accedere, nisi venia prius postulata? Scio indignitatem meam in eius singulari reuerentia non debere apparere, quam nimirum angeli venerantur cum stupore dicentes, Quę est ista quę ascendit de deserto mundi, delicias affluēs paradisi? Idcirco o prædulcissima Maria, nequaquam mihi conuenit tuam gloriam & honorem, tuam pulchritudinem & magnificentiam considerare, quoniam terra sum & cinis, immo terra vilior & cinere, quā peccator sum, & ad omne malū proclius valde. Tu autem cęlo celsior facta, mūdum sub pedibus habes, & propter honorē filij tui omni honore digna existis & reuerentia. Attamen ineffabilis pietas tua quę omnem cogitatum excedit, affectum meum ad te trahit & allicit, quia tu es vtique solamen desolatorū, & tu miseris peccatoribus libens subuenire consueuisti. Ego quidem omnibus bonis consolationibus & cōfortationibus, & maxime gratia filij tui me egere sentio, nam me ipsum nullatenus iuuare sufficio. Tu autem piissima mater, si meam paruitatem dignaris attendere, multis me potes subleuare auxiliis, atque vberioribus cōfortationibus inter pressuras reuolare. Cum ergo aliqua pressura vel tentatione fuero circumuentus, cito mihi & sine trepidatione ad te est recurrendum, quia ibi pronior misericordia, vbi amplior redundat gratia. Quod si forte aliquādo libet speculationi excellę glorię tuę intendere, atque honorifice te ex intimo salutare, longe puriori me oportet corde procedere, nec sine superni luminis ductu mihi expedit proficisci. Vere nō est illi gloria, sed digna reddenda confusio, quisquis irreuerenter ad tuum præsumperit ostiū accedere. Oportet autem accedentem summa cum reuerentia & humilitate procedere, bona tamen spe simul iuncta, quatinus tua miserante clementia dignus sit admitti. Humiliter ergo ac reuerenter, deuote & confidenter ad te procedo, Gabrielis portans in ore salutationem tibi suppliciter offerendam, quam & inclinato capite ob tui reuerentiam, & expansis manibus ob eminentem deuotionis affectum læte represento, atque eandem centies millibus, & multo amplius ab omnibus cęlestibus spiritibus pro me dici peto & imploro. Nam quid dignius & dulcius pro presenti offeram, prorsus ignoro. Ausculter itaque tūc sancti nominis tui pius amator. Cęlum gaudet, stupet omnis terra, cū dico Aue Maria. Satan fugit, infernus contre-

Saluta-
tionis
angelicę
energia.

misit, cum dico Aue Maria. Mūdus vilescit, caro marcescit, cum dico Aue Maria. Abscedit tristitia, venit noua lætitia, cum dico Aue Maria. Torpor euanescit, cor ex amore liquefcit, cum dico Aue Maria. Crescit deuotio, oritur compunctio, spes proficit, augetur cōsolatio, cum dico Aue Maria. Recreat̄ animus, & in bono confortatur æger affectus, cū dico Aue Maria. Siquidem tanta est suauitas huius benedictę salutationis, vt humanis non possit explicari verbis, sed semper manet altior & profundior, quā omnis creatura indagare sufficiat. Propterea iterum flecto humiliter genua mea ad te sanctissima virgo Maria, & dico, Aue Maria gratia plena. Suscipe clementissima domina mea sancta Maria hęc deuotissimam salutationem, & me in ea suscipe, vt aliquid habeam quod tibi grate placet, quod mihi fiduciam ad te præstet, quod maiorem semper amorem accendat, ac in iugi deuotione tui venerādi nominis cōseruet. Vtinam ad satisfaciendum desiderio honorandi & salutandi te ex totis præcordiis meis, omnia membra mea modo verterentur in linguas, & lingue in igneas voces, vt modum inuenirem glorificandi te dei genitrix in æternum. Vtinam adhuc pro omnib⁹ peccatis meis quibus iram merui, & grauissime filium tuum contristauit, te quoque & omnem exercitum cęli sæpissime inhonorauit & offendi, hanc suauissimam Gabrielis salutationem reddere valeam, tanquam sanctam & puram orationis hostiā, omnium commissorum meorum expiaticę. Vtinam quoque cum nimis fragilis & labilis sit vita mea, pro vniuersis excessibus & negligentis meis, pro omnibus etiam cogitationibus vanis, immundis & peruersis, omnes beati spiritus & animę iustorum purissima deuotione & ardentissima deprecatione dicant tibi o beatissima virgo Maria, ac cępupliciter in honore tuo altissimam hęc salutationem replicent, qua pater & filius & spiritus sanctus te primum per angelum suum statuit salutare, quatinus sic aliquo modo reperiam incensum dignum in odorem suauitatis, qui nihil bonitatis & dignę recompensationis in me reperio. Sed & nunc in præsentia tua prostratus & sincera deuotione inuitatus, atq; totus in veneratione almifui nominis tui accęsus, represento tibi lætitiā salutationis istius, quando Gabriel archangelus a deo missus, secretarium thalami tui est ingressus, & flexis reuerenter genibus, noua & inaudita a seculo salutatione tuam virginalem faciem honorauit, & dixit, Aue gratia plena, dominus tecū, benedicta tu in mulieribus. Quam & ego fidelium more, & aureo si possem ore ex itegro cupio per-

soluere,

soluere, atque vt mecum omnes creaturę pariter loquantur, in intimis visceribus concupisco. Aue Maria gratia plena, dominus tecū, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus, Amen. Hęc est saluatio angelica, spiritus sancti institutione formata, tuę maximę dignitati & sanctitati congrua. Hęc est oratio parua verbis, alta mysteriis, breuis sermone, lata virtute, super mel dulcis, & super aurum preciosa, ore cordis iugiter ruminanda, labiisque puris frequentissime legenda ac repetenda. Nam verbis paucissimis contextitur, & in latissimum torrentem cęlestis suauitatis diffunditur. Sed vā fastidiosus, vā inuotis & vagis oratoribus aurea verba non ponderantibus, nec mellea pocula gustantibus, qui totiens dicunt Aue Maria sine attentione & reuerentia. O dulcissima virgo Maria, custodi me a tam graui negligentia & desidia, & tribue veniā de transacta iam culpa. Ero amodo deuotior feruētior & atētior in dicendo Aue Maria, siue in choro, siue in cella, siue in orto, siue in agro, aut quocunque locorum fuero. Et nunc post hęc quid peram a te domina mea charissima? Quid melius, quidve vtilius, & quid tam necessarium mihi indigno peccatori, nisi vt inueniam gratiam coram te & dilectissimo filio tuo? Peto ergo gratiam dei te interueniente & impendente, quę teste angelo apud deum plenitudinē gratiæ inuenisti. Nulla charior petitio est, nec vlla re plus indigeo, quā gratia & misericordia dei. Sufficit mihi gratia dei, ceteris nō obtentis. Quid est enim omnis conatus meus sine illa? Quid item impossibile ea assistente & iuuante? Habeo multas & diuersas animi egritudines, sed diuina gratia efficacissima medicina est cōtra omnes passiones: & si dignanter aduenerit, mitigabit vniuersas. Habeo quoq; inopiam spiritualis sapientię & scientię, sed diuina gratia summa magistra est, & doctrix cęlestis disciplinę, quę repente in cunctis necessariis me sufficit instruere. Nam vltra necessarium aliquid petere, aut præter licitum aliquid velle scire, hęc ipsa gratia dissuadet, sed humiliari sub se, & contetari se, ipsa monet & docet. Hanc igitur mihi impetra gratiam clemens virgo Maria, quę tam nobilis est & preciosa, vt merito aliud nihil desiderare debeam aut petere, quā gratiam pro gratia.

De consolatione Marię. Cap. 24.
Difusa est gratia in labiis tuis. Eia obsecro te domina mea, vel nunc parum loquere mecum sancta Maria. Aperi os tuum in nomine dilecti filij tui, qui te benedixit in omni gratia spirituali. Vox Marię. Ego sum (inquit) mater misericordię, plena charitate &

Marię
deiparę
preco-
nia.

dulcedine. Ego peccatorum scala, reorū spes & venia. Ego mortuorum cōsolatio, & sanctorum specialis lætitia. Trāsite ad me omnes qui diligitis me, & ab vberibus consolationum mearū adimplemini, quia pia sum & misericors omnibus inuocantibus me. Venite omnes iusti & peccatores, rogabo pro vobis patrem, rogabo & filium, vt repropitiatur vobis per spiritum sanctum. Omnes inuito, omnes expecto, omnes venire desidero, nullum peccatorem despicio, sed super pœnitente peccatore etiam cum angelis dei magna charitate congaudeo, quia non perit preciosus sanguis filij mei effusus pro mundo. Accedite ergo ad me filij hominum, attendite & videte zelum meum pro vobis ad deum filium meū Iesum Christum. Ecce ego iram eius in me suscipiā, placabo illum precibus sedulis, quem vos offendisse cognoscitis. Couertimini & venite, agite pœnitentiam, & impetrabo vobis indulgentiam. Ecce ego sto inter cęlum & terram, inter deum & peccatorem, & ne mundus iste pereat, precib⁹ meis obtineo. Nolite ergo aburi misericordia dei & mea clemētia, sed omnem cauete offensam, ne subito super vos redeat indignatio, & intolerabilis vindicta. Pręmunio filios meos, obsecro dilectos meos, estote imitatores filij mei, & matris vestrę. Recordamini mei, quę vestrī nō possum obliuisci. Ego enim sum omnium miserorum miseratrix, omniumque fidelium piissima aduocatrix. Discipulus. O gratiosissimum verbum, omni cęlesti dulcedine plenum. O vox sublimis de cęlo rorans, suauiter influēs, peccatores consolans, & iustos lætificans. O cęlestis fistula, quā dulciter resonas in desperata conscientia? Et vnde mihi vt alloquatur me mater domini mei? Benedicta tu mater sanctissima, & benedictum eloquiū oris tui, nam mel & lac sub lingua tua, & odor verborum tuorum super omnia aromata. Anima mea liquefacta est, vt locuta es o Maria. Ecce vt facta est vox consolationis tuę in auribus meis, exultauit in gaudio anima mea. Reuiuiscit nanque intra me spiritus meus, & omnia interiora mea gaudio nouo perfunduntur, quoniam bona & iucunda per te mihi hodie nūciata sunt. Tristis eram, sed nunc gaudeo propter vocem tuam. Vox enim tua dulcis in auribus meis. Grauat⁹ erā & desolatus, sed nunc releuatus sum & cōfortatus. Misisti enim manum tuam de alto, & tetigisti me, conualuiq; de infirmitate. Vix loqui poteram, sed nunc libet etiam cantare, & gratias tibi magnifice agere. Tædebat viuere, sed iam nec mori timeo, quia te aduocatam apud filium sciēs pro mea causa teneo, cuius misericordię me com-

Ecc. 24.

mendo ex hac hora & deinceps omni in momento. Ex quo enim locuta es ad cor desolati orphani tui, repente mutatus sum in melius, & valide interius recreatus. Quodammodo desperatus iacui, sed accessit consolatio tua, meq; erexit cū iucūditate dicēs. Vox Mariæ.

Quid est fili, & qui sunt qui volunt nocere tibi? Noli timere, ego videbo pro te fili mi. Viuo ego, & viuūt filius meus Iesus frater tuus, qui est ad dexteram patris, fidelis vtiq; pontifex & intercessor pro peccatis tuis. In ipso summe sperare debes, quia ipse est dator vitæ, & destructor mortis. Ex me temporaliter incarnatus, ex patre eternaliter genitus, toti mūdo in salutem datus est. Ecce vnde spes & cōsolatio, & per quem fides & victoria. Sit Iesus & Maria in tua semper memoria, & non timebis inimici iacula. Discipulus. O felix hora, quando tribulato cordi meo adesse dignaris o piissima virgo Maria. O si esset longior mora ad audiendum verba tua consolatoria, nam vehementer me accendunt & afficiunt, quoniam ex intimo me rangunt & instruūt. Beata vbera tua diuina Maria, quæ nūquam cessant dulcissimum consolationis lac emittere. Nā prę vberate gratiæ latentis olim pueri tui dilecti Iesu, non potes innatam tibi misericordiam denegare postulati, sed gratiā sæpe exhibes etiam in multis delinquenti. O mater summæ pietatis, maximæ miseratiōnis & charitatis. O virgo incōparabilis, omnibus amabilis & venerabilis. O genitrix singularis ex te nati filij dei, sed & totius Christianitatis mater generalis, ac cuique pro suæ deuotionis affectu valde cordialis & specialis. O virgo virginum, regina mundi, & domina angelorum, trahe me post te, ne iacens maneam sub onere peccatorum. Effunde gratiam, rorem saluificum de cælis ministra, vt veraciter merear sentire, quod tu es mater gratiæ, & fons patris misericordiæ. Vox Mariæ. Ego sum mater pulchræ dilectionis, casti & sancti timoris, piæ allocutionis, & suauissimæ consolationis. Audito ergo nomine meo, exulta in toto corde tuo, inclina reuerenter, meque saluta libenter. Nam honorando matrem honoras & filium, qui deum habet patrem. Ego enim sum Maria mater Iesu, & hoc nomē mihi in æternum manebit. Iesus autem quid? Christus filius dei viui. Hic est Saluator mundi, rex cæli & terræ, dominus angelorū, ac redēptor fidelium, iudex viuorū & mortuorū. Ipse est spes piorum, consolatio deuotorū, pax mansuetorum, diuiciæ pauperum, gloria humiliū, fortitudo debiliū, via errantium, lumen cæcorū, baculus claudorum, vnctio aridorū, leuamen oppressorum, iuuamē tribulatorum, & omniū

Iesus
piis quid

bonorum singulare refugium. Benedic filium cū matre, & eris dilectus a patre. Da ei honorē & gloriam, quotiens mihi aliquam exhibueris reuerentiam. Eius gloria, mea læticia, & mea laudatio eius est veneratio. Pone me & Iesum sicut signaculum super cor tuum, sicut signaculum super brachium tuum. Stans igitur aut sedens, orans aut legens, scribens aut operans, creber in ore, semper autem in corde Iesus versetur & Maria. Discipulus. Eia amen. Seruiant tibi omnes populi, tribus & linguæ, & incuruentur ante te omnes creaturæ. Cælum dicat, Gaude Maria. terra respōdeat, Ave in æternum & vltra. Conſiteantur simul omnes sancti nomini tuo magno, & exultēt omnes deuoti coram te & agno Iesu Christo filio tuo domino nostro. Amen.

De reddendis gratiis. Cap. 25.

It nomen domini benedictum in secula. **S**eruiat tibi domine deus quicquid ago, lego, & scribo, omne quod cogito dico & intelligo. A te incipiat, & per te, & in te omne opus meum finiatur. Quod dedisti, hoc recipere, & vnde flumina exeunt, illuc reuertatur. Nūquam melius mihi manet nec vnquam dulcius sapit, quàm cum totum tibi sincere retribuō, quicquid rectum a me geritur aut cogitatur. Opto gratias agere, sed tunc veraciter ago, si totum tibi & nihil mihi dederō ex omnibus datis & acceptis. Quid inquam possum retribuere malis & piger seruulus? Nihil est seruitium meum, etiam si fecero omne quod iussisti. Propterea ad nihil redactus sum, & in veritate humiliatus. Bonum mihi quia humiliasti me, vt tu solus iustificeris, tu solus lauderis ab omnibus, nec vnquam gloriatur in te puluis vilissimus. Verunramen desistere nolo, sed laudare te cupio corde & ore, quia si digne nō possum perficere, indignum tamen est omnino silere, nec recognoscere. Laus mea deus meus tu es, in te cantatio mea semper. O qui vel parū sentiret de gloria tua, & quid est in te gloriari, quàm nihili duceret quicquid blanditur de externa gloria? O qui vel parum saperet de dulcedine tua, quàm cito illi amaresceret omnis delectatio terrena? O quantum ferueret, qui saltem paruam scintillam charitatis tuę haberet? Nam omnia libentissimē contemneret, vt tui amoris in-herere liceret. Et vere totum illi suaue ac inleue esset, quicquid pro amore tui agere vel pati posset. O quantum exultaret, quàm vehementer post te curreret, memor omnium bonorum tuorum? Nihil charius quæreret, nil beatius possideret, nil sequeretur quidius, quàm quod amoris tui seruiret. Etenim amādo onus

Pal. 142

Pal. 15.

Charitas dei
quid est
in est

do onus non sentiret, quia amor omnia onera portaret. Et ideo qui de onere conqueruntur, exiguos se in amore testantur. Ex amore tibi seruire, iucundissimum est, & laboris solamen. Amor non respicit ad proprium cōmodum, nec veretur pati incommodum, sed tuū quærīt in omnibus beneplacitū. O quàm dulcis res est amor tui Christe, quàm bene sonat, quàm suauiter intrat, quàm fortiter tenet & stringit? Vtinā me seruituti perpetuæ obliget, totaliter capiat, totaliter sibi subiiciat, & proprium tuum me tibi faciat. Tunc enim maxime liber sum, cum ab amore tui captus sum, & omni proprietate priuatus & alienatus. Seruus tuus ego sum domine, tuus inquam, quia emisti me. Libenter sum tuus, & non pudet me proprium tuum esse. Nolo meus ipseus esse, tu iuuā vt possim ab omni proprietate liberari. Tu cōſta & accende, suscita igniculum, & æstua-bit cor meum, fiet que purum clarum & amœnum, quia amor tuus fugat omne vitium, & consumit omne peccatū. Tu tene amoris vinculum, & stabit meum pauperulum seruitiū. Nec ignoro quia nihil tibi confert meum seruitiū, sed mihi tātum proficit si ago quod tibi gratum esse noui. Vtinam faciam & non sileā, dicam & non abscondam opera tua. Quando enim digne sufficiam, excogitare omnia illa beneficia quæ mihi indigno contulisti? Magnam misericordiam domine cum seruo tuos fecisti, sed ego prōdolor non retribuī gratias sicut digne meruisti. Ideoque me tenent pœnæ & dolores cordis, quia non possum respōdere beneficiis tuis tam multis & tam magnis. Vtinam vel semel digne & integre pro omnibus his queam tibi reſgratiari. Sed in quo nihil est, quid de illo exire potest? Vas nanque vacuum, nil habet ad propinandum. Quid ergo faciam? Dare me aliquid oportet, quia vacuū apparere corā te non licet, nam & omnis ingratus tibi displicet. O si haberē aliquid in toto mundo quod tibi darem, & gratū foret oculis tuis? Quid vis habere dilecte domine? Bonorum meorū vtiq; non eges. Cur ergo exigis a me datum? Nemo ditior te, & adhuc aliquid postulas a me? Volo (inquit) totum habere. Nam tibi hoc expedit, sis vis gratiā meā mereri. Ego dabo gratiam, & tu reddes gratiā, & sic tenebimus pariter iugem charitatē. Da te mihi, & totum dedisti. O Iesu fons omnis boni, fons vitæ, fons gratiæ, fons dulcedinis, fons æternæ sapientiæ, infunde nunc piissime donum cælestis gratiæ, & doce me tibi semper gratias agere, & memetipsum ante omnia tibi dare, quia hoc est charissimum quod possum tribuere. Sentio hoc, & consentio. Accipe me, ecce tuus sum totus, & omnia mea tua sunt,

vnū est quod non possum tribuere tibi. Quid hoc? Peccatum meum, quod mihi proprium est, & ideo tibi imputandum nō est. Meum est peccatum, & omnis defectus in me reperibilis mihi soli attribuendus, tibi autem gloria & gratiarū actio pro omnibus beneficiis tuis. Sed iam ad memoranda beneficia tua ex multis pauca mihi recolligo, & quæ amplius mouēt, & eminent. Nam omnia perſcrutari nec tempus patitur, nec cogitatio præualet. Excedit enim numerositas modū, & magnitudo obruit sensum, sed & dignitas non habet preciū. Nam emi non possunt, quia gratis dantur, & ideo pro eis tantum grates requiruntur, alioquin ab ingrato omnia auferentur. Primū ^{Beneficiorum dei gratiarū catalogo.} igitur gratias ago tibi domino deo meo creatori omnium, quod me hominem rationale dignatus es creare, & super opera manū tuarum secundum animam ad imaginem tuam & similitudinem factam constituere. Magnū hoc & primum beneficium gratuita bonitate donatum mihi. neque enim meipsum ego feci, sed tu me fecisti, introducens me in orbem terræ per parentes quos tibi in hoc seruire voluisti. Et ecce melior sum omni corpore, præ-latus omnibus bestiis & volatilibus cæli, quia ad imaginem dei factus, æternæ sapientiæ capax, lucis increatæ & veritatis incommutabilis sum naturaliter particeps. Pro omni igitur quod sum viuo & sapio, gratias tibi perpetuas refero, optans & petens vt omnes simul creaturæ quæ in cælo sunt & in terra, nomen tuū laudent admirabile & super exaltatum in secula. Benedico te pater & domine cæli & terræ, qui omnia creasti ex nihilo per vnigenitū filium tuum in spiritu sancto. Ex pura & libera voluntate non aliqua necessitate creasti omnia, vt notam faceres filiis hominum potentiam tuam, & mundum hūc visibilem optime disposuisti per inuisibilem sapientiam tibi co-æternam. Benedicant te omnes creaturæ tuæ tibi in cunctis subiectæ, & humano generi ad ministerium conditæ. Nam te iubente cælum pluias congruis dat temporibus, & terra fructus affert plurimos. Lucent sol & luna clare super terram, stellæ circumlucent noctibus per ordinem. Fontes scatent, fluunt riui, natāt in vndis pisces generis diuersi. Volant, cantant aues cæli, saluunt in mōtibus capræ, hinnulī & cerui. Oues & iumenta ad bonā gaudent pascua, currunt per nemora diuersa animalia. Prata virent, capi florēt, & omnia ligna siluarum ramos fructusque producant. Hæc sunt opera tua deus, qui facis mirabilia magna solus. Secundum beneficium mihi exhibitum est mysterium incarnationis, opus redēptionis, & precium salutis nostræ, fructus vtiq;

Pal. 144

Quanta nobis beneficia i benefici

passionis tuæ & mortis . O magnum pietatis opus,opus excellentissimæ charitatis, summæ humilitatis,& paciētiae singularis. Hoc homo non meruit,hoc angelorum nullus facere potuit, hoc prophetæ mirati sunt, hoc apostoli viderunt & docuerunt,hoc fideles omnes susceperunt, hoc maxime electi diligunt & recollunt. Hoc beneficium bene cogitatum excitat desideria, inflammat corda, nutrit deuotionē, illuminat mentem, purgat affectum, trahit ad cælum, retrahit à mundo, ducit ad Christum, & vnit animā Christo. Superabundat donum istud dono priori, vnus tamen est qui vtrunq; dedit & fecit Iesus Christus dominus deus noster. Nihil enim mihi nasci profuit in mūdo, nisi & redimi profuisset dato sanguinis precio. Subuenit ergo mihi gratia, excreuit diuina misericordia, & facta est copiosa redēptio, nam vitiosa natura absque creatoris non potuit reparari auxilio . O pater misericordiarū, & deus totius cōsolationis, vt damnatum seruum redimeres, filium tradidisti. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quam explicare non valet mens humana, nec angelica ratio. O dulcissime Iesu principium nostræ salutis & finis, tu solus nosti qui solus potuisti cōferre opē miseris & damnatis . Nam in humillima & abiecta forma serui apparere dignatus es hominibus, & pro mortalibus vermiculis sententiā diræ mortis sola miserante charitate libētissime suscepisti. O Iesu fons bonitatis & pietatis, lux lucis æternæ, & speculū sine macula dei maiestatis, accende cor meum meditatione huius ineffabilis beneficij, quod mihi & toti mundo exhibere voluisti. Generale quidem hoc beneficium sicut & primum, omnibus sufficiens ad salutem, sed non in omnibus tamen efficiens fructum, propter multorum infidelitatem & malitiam . Electis autem omnib⁹ salutare est & proficuū, propter quos omnia creata sunt, & per te Iesu Christe re-creata. O bone Iesu quanta nobis beneficia in humanitate tua præstitisti? Factus es frater noster, & caro nostra, vt filij dei computaremur, & per te accessum haberemus ad patrem, cuius offensam placare nemo dignus fuit, nisi tu de quo ipse ait. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui . Felix anima quæ sacramenta nostræ redemptionis studiose recollit, affectuose diligit, digne veneratur, & pro omnibus tibi gratias agit, ac tuo consilio plus quam suo sensui credit. Nam hoc mysterium non est quisquam idoneus per se inuestigare, nec humana attingitur sapientia, sed fidei potius firmitate, ac puri cordis intuitu desuper illustrato. Beatus qui meretur accipere per gratiam, quod mundi sapientes non potuerunt

cio icar- nationis Christi collata sunt.

Psal. 129.

Sap. 7.

Matt. 3. & 17.

cognoscere per naturam. O Iesu sapientia patris, fac me intelligere in luce fidei hoc magnū & mirabile mysterium tuę incarnationis, quia in illo totius nostrę salutis later dulcedo, abūdat maxima charitas, & inscrutabilis sapiētiae tuæ plenitudo coruscat . Proficiat seruus tuus per augmenta virtutum, & bonarum studia actionum, ac magis magisque in hoc memoriali incarnationis arcano, cum sacra passionis profundo instruat, atq; totus in tua intima pertrahatur . Profunda admodum abyssus & diuinum quoddam pelagus, tantæ charitatis tantæque dignationis exhibitio, quod transnari non potest, in quo natant & renant spirituales pisces parui & magni, quos intra rete fidei cepisti . Maneat igitur in recordatione mea tanta charitas & dulcedo, tanta humilitas & māfuetudo, & in omni orationis sacrificio ac meditationis exercitio occurrat & immisceatur aliquid de incarnationis passionisque mysterio, tāquam lucidissimū thus & suauissimum balsamum in odorem suauitatis deo patri offerendum. Dicant nunc mecum qui redempti sunt à domino, quos redemit de manu inimici, canticum diuinę laudis, & hymnum mentalis iubilationis cum gratiarum actione persoluant. Et omnes angeli stantes in circuitu throni procidant in facies suas, & adorent agnū dei qui abstulit peccata mundi, dicentes . Te decet laus & honor domine. Benedictio & claritas, gratiarum actio & vox laudis, fortitudo & imperium, maiestas & sapientia tibi domino deo nostro Iesu Christo in secula seculorum . Amen. Tertium beneficium prioribus non inferius est gratia iustificationis, qua me clementer ad conuersionem & vitæ emendationem traxisti, donans poenitudinem peccatorum, spē veniæ, & propositum bene agēdi, ac in perpetuum tibi seruiendi . Hoc clare considerans beatus Paulus adhortatur discipulos suos, ne datori tāti beneficij sint ingrati, sed vt memores caelestis gratiæ dignas supernæ vocationi laudes studeant referre. Videte (inquit) vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes, non multi potentes, sed quæ infirma sunt mundi elegit deus. In me hæc considero, qui contempribilis & inutilis huic mundo, tua sancta vocatione ereptus sum de ipsius naufragio, & ad seruiendum tibi etiam tuo merui sociari collegio. At ne retro iterū abirem, voto me spē cōstrinxi . Quod vtiq; non meis meritis, sed tuæ deputo prouidentiae. De quo te magnifice laudo & benedico, quia dignatus es me vocare per gratiam, dans mihi voluntatem bonam, & abiiciens à me peccatorum sarcinam. Nam & suauis iugo tuo me subiecasti, emollis mentem

Psalm.

Institu- tionis benefi- cium quæ- tum.

i. Par. 6.

mentē meam vnctione spiritus tui, quē mundus nescit, nec videt, nec sapit. Custodi hæc voluntatem misericors domine, insuper adauge dona gratiæ, quādiu sum in hac visibili luce. Sērio vocationē istam magnū esse beneficiū, quod non omnibus datur, sed quibus paratū est à patre, quia non est volētis neq; currentis, sed miserentis dei, vt omne os loquens inania obstruatur, & totus homo tibi subiectus sit, & nō gloriatur ois caro in cōspectu tuo, nec sibi quicquā deputet de propriis meritis vel operibus bonis. Nā si secundū iustitiā meū agere voluisses, iam deputatus essem cū iis qui in inferno sunt . Sed pepercit mihi pietas tua domine, atq; locum tribuisti indulgētię, ne sumilis fierē filio perditionis. Magnas igitur tibi tenior laudes reddere pro tā magnifico beneficio, & vitā dignis respondeā vocibus & moribus, cūctis vitæ meæ tēporibus. Obsecro autē vt pro gratiarū actione acceptes meū pauperculū obsequiū, quo tibi seruire cupio & ex charitate debeo, & vt debitum seruitutis meæ radicaliter procedat ac finaliter tendat ad tuum beneplacitū & honorē, nec vnquā cor meū à tua dilectione auertatur, sed aīa mea & corpus meum pariter vigeant & perseuerēt iugiter in sanctissimo seruitio tuo . quādiu spirit⁹ est in visceribus meis, & cōpos mei ipsius sum, & tui recordari possum, nunquam cesset laus tua ex ore meo, & abūdatia benefactorū tuorū non recedat de corde meo. Quōd si seru⁹ tuus multis annis vixerit, dato etiā q̄ centum aut mille annis esset victurus, nō erit propterea tepidus vel perterritus in humilitate & subiectione tibi famulari, sed ita deuote & voluntarie tibi in omnibus deseruiā, sicut ea hora & die quando primū cor meum à te admonitum est & cōfirmatū, vt te dominū solū pura & integra mēte sequeretur . Nec huic proposito obstabit aliqua infirmitas seu aduersitas intercurrentis, sed sicut nunc sentio, & te deo meo audire propono, ita quoq; quod semel egressum est de labijs meis, te adiuuāte cupio adimplere. Sin vero per aliquā fragilitatē vel aliquam culpam hæc volūtas fuerit cōfracta, quia nō est homo super terram sic iustus qui viuat & nō peccet, adhuc nō diffidam nec te dimittam, sed mox incuruabo genua cordis mei cum multa contritione & lachrymis offerēdo tibi tristēm & fauciam conscientiā meam, ad sanādum eam medicamento gratiæ tuæ, & ad alligandū multo fortius propositum q̄ antea fuerat cōstitutum. Non me poenitebit boni incepti, immo gratias agā, quia hoc à te vel semel merui suscipere, q̄ tibi consensū æternarum militari. Potens es autē omnipotēs & misericors domine, qui me de nihilo creasti, quiq; hominis infir-

rom. 9.

1. Cor. 1.

Gratiarum actio de beneficiis.

mitatē & casum ab initio prænotasti, oīa cōmissa mea mihi benignissime dimittere, ac instaurare omīssa, perdita restituere, liuida curare, fordida mūdare, tenebrofa illuminare, tumida inclinare, extincta reaccēdere, cōfracta re-ædificare, neglecta recuperare, praua corrigere, aspera cōplanare, curiosa restringere, vaga colligere, inordinata cōponere, ac totum statum mentis meæ in melius cōmutare, ita vt iā nil desit de priori proposito, sed etiam omnis occasio mali cooperetur mihi in melius tibi humiliter prostrato. Hęc est mutatio dexteræ excelis, hæc est visitatio caelestis, hęc est multiplex collatio diuinæ pietatis . Accipe etiā pro gratiarū actione cūcta sanctæ ecclesiæ deuota seruitia, cum vnanimi concētu totius caelestis curiæ. Et oēs sancti ab origine mundi qui per gratiam tuam illuminati sunt & vocati, oēs quoque fideles & Christiani in omni populo & tribu & lingua & natione, qui vsque hodie sunt, & ante nos fuerunt, & post nos erūt, pariter celebrēt & collaudent dulcissimū atq; gloriosissimū nomē tuum, quod est super omne nomen benedictum. Dicant iterū & renouēt cum ingenti gaudio, laudes vniuersas tuo nomini digne dicendas, tot vtiq; vicib⁹ quot cæ-lū stellas, quot mare pisces, quot gramina tellus, quotq; biblia cōtinet apices. Et cum istud totum fecerint, & pro me suppliciter dixerint, tunc adhuc confitebor tibi quia necdum satisfactū est ineffabili laudi nominis tui, quod totis viribus cupio laudare, & omnimodo superexaltare, quousq; ad illas perueniā curiales laudes, quas modo non possunt attingere nec profequi mortaliū hominū voces . Vides nūc aīa mea magnitudinē & preciositatem beneficiorū creatoris ac redēptoris domini dei tui, cui ad regratiandum nō sufficit ois creatura, quam ipse in laudem & gloriam sui æterni benedicti nominis condidit, qui nullius vtiq; gloriæ eget, sed sibi soli ipse solus sufficit, sua gloria est ipse q̄ est. Ecce præ multitudine beneficiorum eius nō potui cuncta ante oculos tuos reducere, sed elegi ex grandi copia tria muneris preciosa, quæadmodū magi domino oblaturi fecerūt, in quibus placuit pene vniuersa cōcludere. Nam omne beneficiū si diligenter aduertis, aut est naturæ, aut gratiæ, aut superexcellētiæ: & quodcūq; aliud est, satis cōuenienter ad aliquod horū trium habet referri. In creatione habes beneficiū naturæ, in redemptione beneficium superexcellētiæ, in iustificatione donum cōsidera gratiæ . Pro quibus omnibus & singulis gloria tibi sit sancta trinitas, æqualis vna deitas, & ante omnia secula, & nunc & in perpetuum. Amen.

Matt. 21.

Omne beneficium dei triplex.

F I N I S.

P

Prologus in Sermones ad Nouitios.



Dilectis in Christo fratribus, Innocentio, Simpliciano, ac ceteris crucifixi discipulis, sacre religionis disciplinam diligentibus frater peregrin⁹ in valle chrymarum degēs, orationum uestrarum iuamina humiliter petens. Pax Christi in cordibus uestris abundet, & paciētia multiplex uobis & mihi in cruce Christi condonetur. Sermones quos per modū dulcis collationis pronouitiis nostris diuersis quidem temporibus in vnum collegi, uobis in charitate communicare pium cēsi, iustumq; existimaui. Quāuis igitur incultus sit sermo, & materia nō ardua, tamen simplicibus placere cupiens, quod dominus inspirauit & dedit, libētē piis & deuotis offero ad legendum. Quod si forte indifcretus sermo quempiā offenderit, peto ut uenia concedatur exiguo, atque in melius reformetur, quod absurdum foris sonare uideretur. Et quia exempla sēpe plus mouent audientes quā sola uerba, idcirco more beati Gregorij instructus, in plerisque locis post finē sermonis pro maiori assertione exempla quedam sicut memoriē occurrebāt, breuiter annotaui. Gratanter fratres accipite quæ uobis sicut dilectis amicis offero, oretis ut sint omnia ad honorem dei, & multorum profectum. Sciēdum itaque, quod liber iste cōtinet sermones xxx. & habet tres partes. Quarum prima pars cōtinet nouem sermones, ad designandum nouē choros angelorum. Secunda autem pars continet sermones decem, ad designandum decalogum legis, secundum numerum decem præceptorum. Tertia uero pars continet sermones vndecim, ad designandum statum religionis, in renunciatione seculi, & baiulatione crucis, secundum consiliū nostri saluatoris dicentis, **Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suā, & sequatur me.**


Tituli Sermonum Primæ patris.

- De concordia fratrum, & melodia diuine laudis. Ser. i.
- De laude bonæ congregationis. Ser. ii.
- De uerbis & consiliis seniorum humiliter audiendis. Ser. iii.
- De bonis colloquiis inuicē habēdis. Ser. iiii.
- De patientia cōseruanda inter desides & peruersos. Ser. v.
- De uigiis nocturnis contra impugnationem soporis. Ser. vi.
- De custodia oris & diligentia operis cum obedientia superioris. Ser. vii.

De uana gloria cauenda, & quōd soli deo laus est exhibenda. Ser. viii.
De periculo multorum malorum ex multiloquio. Ser. ix.

Pars prima.

De concordia fratrum, & melodia diuinæ laudis. Sermo. i.



Cce quā bonū & quā iucundum, habitare fratres in vnum. Dauid sanctus & uere propheta magnus coram domino, repletus spiritu sancto, multos edidit psalmos, quosdam pro auxilii postulatione in tribulatione, quosdam pro gratiarum actione de hostium liberatione, sed raro uel nusquam tam bonam & iucundam edidit symphoniam, sicut in hoc breui cantico graduum declarauit dicēs: Ecce quā bonū & quā iucundum, habitare fratres in vnum. Omnes enim bonum naturaliter appetunt & iucunditatem, malum uero & tristitiam refugium tanquam hominis infelicitatem. Igitur de fraterna charitate & unanimitate loqui gestiens, tacitis aliis bonis præsentibus, specialiter deuotioni fratrum cōgaudebat, sumptoq; psalterio iucundo cum cithara, in domo domini præcinebat dicens, Ecce quā bonum & quā iucundū, habitare fratres in vnum. Vere fratres nulla maior extat iucunditas in monasterio religiosorum, & cōgregatione fratrum & sororum, quā unanimitas animorum, & concordia morum, cum obseruantia regulæ & statutorum, secundum decreta prælatorum, & monita seniorum. Sed hanc sanctam ac deo placitā fratrum concordiam diabolus omnium bonorum inimicus oppugnare & infringere non desistit, variis modis die ac nocte insidias parans ad decipiēdum animas desides ac uagas: & nunc quidem aperte per locutiones uanas conturbat, nunc occulte per suggestiones turpes tentat & inquietat, quatenus nouum Christi militem a sancto proposito reuocet, aut antiquum discipulum in desidiam trahat, aut debile in murmurationē trudit, aut passionatum in pertinacia stringat. Sed cōtra hos dolos & terrores Satanæ certat ac triumphat unanimis conuentus fratrum multorum, qui nocturnis uigiis incubāt, diurnis laboribus insudant, sacris lectionibus intendunt, deuotis precibus & psalmorum melodiis insistēdo deo iubilant, & quasi cælestibus tubis pariter insonando diabolū persequūtur. Vehementer enim eum affligūt cum ieiunant, uerberant cum disciplinam recipiunt, calcāt cum ueniā petunt, premunt cū se

se humiliant, terrēt cum Iesum inuocant, torquent cum Mariā nominant, fugant cū cruce se signant, uerunt cum crucifixū adorant, uincunt cum obediunt, arctāt cum in solitudine manent, ligant cum stricte silentium seruant. Vere hæc est sancta cōgregatio fratrum quæ rētium dominum, quærentiū faciē dei Iacob, spernentū mundum, diligentium Christum, abnegantium se & oīa propter deum, certantium contra diabolū & exercitum eius, donec recedat, ne tā cito in castra dei redire præsumat. Perpēdite ergo charissimi quā bonū & iucundum est habitare fratres in vnum, qui in una domo cōgregati, unius regulæ professionē colligati, sub vno prælato bene ordinati, pariter surgunt ad uigilias, pariter cōueniūt ad horas canonicas, pariter incipiunt cantare & legere, pariter nituntur diuinum officiū honorifice consummare. O q̄ gratum & cōmendabile collegiū ad laudādum deum præcipue dedicatum, ubi sunt tot tubæ resonantes, quot uoces in choro alacriter cantantes. Sed hæc audiētes quid dicunt dæmones religiosos persequentes? Fugiamus (inquiunt) Israelē, hæc sanctam & deuotam cōgregationē, dominus enim pugnat pro eis cōtra nos. Isti enim sunt ueri Israelitæ, qui ex Aegypto & secularis uitæ tenebris egressi, propter Christum parentes & amicos reliquerunt, & nunc habitu sanctæ religionis induti, deo perpetue se uouerunt, & contra nos militare fortiter cōeperunt, ad cōfusionē utiq; nostrā, & suam gloriam augmētandam. Constante ergo fratres state armati precibus cōtra aduersarios salutis uestræ, nullius impetum formidantes, sed in domino cōfidentes gratias agite de beneficiis uobis collatis, præ multis in seculo errantibus. Nō pigeat omni nocte surgere ad uigilias nocturnales, sed facto signo abiicite torporē ab oculis, euagationē a cordibus, dissolutionem a moribus. Eia charissimi attendite præsentiam Christi, angelorum custodiam, reuerētiam sacramenti, & reliquias sanctorum, in quorum conspectu statis & psallitis, licet oculis corporalib⁹ eos nō uideatis. Cauete diligenter a uanis phantasiis & immundis spiritibus, ne inueniant locū intrandi & latendi in uobis. Cito auertite faciem uestram a mercatu diaboli, signate corda uestra signo sanctæ crucis, recurrite ad passionē Christi. Erubescite alia cogitare, quā uerba dei quæ legitis & cantatis. Incipite modo cælestem uitam ducere cum angelis, pacē & concordiam tenete cum omnibus, nulli scandali occasione deris, uerbis uel actibus offensiuus. In Christi charitate supportate imperfectiōnes infirmorum, non tamen consensatis uitiis aut querelis eorum. Orate frequenter pro

tribulatis & tentatis, timete ne uobis similia cōtingant, aut peiora incurrat. Omnibus autem exemplum uerę humilitatis, mansuetudinis, paciētiae, taciturnitatis & obediētiae exhibere, ut perennem a deo mercedē cum sanctis ei⁹ & electis in cælo recipiatis. Si enim uel minimum gaudium cognosceretis, ad oīa quæ deo placent cōuolaretis, & ad chorū ubi diuina & cælestia die ac nocte tractantur, festinarētis. Cum ergo tædium cordis sentitis ex onere laboris, recolite æterna præmia promissa uobis in cælis. Vnde beatus Paulus qui plus omnibus laborauit, pigros excitando, debiles confortando, inter labores ad mentē cælestia reuocabat dicens: Nō sunt cōdignæ passionēs huius tēporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nunquam poterit dei seruus uinci certamine, nec grauari temporali labore, qui æterna bona uel mala semper gerit in mente. Qui ergo desiderat habere cor purum & quietum, excludat a se omne terrenum commodum, & humanum solatium. Cito namque perditur cælestium desiderium in silentio acquisitum, nisi fuerit cum omni diligentia ab extraneis rumoribus custoditum. Cœnobium monachorū est sicut salsum mare, quod corpora mortua non potest in se retinere, sed statim ad litus putrida proiicit, sana uero & uiuida nutrit, atque ad incrementum perducēs nitida intuentibus reddit. Scitote ergo quōd homo carnalis sub uili panno latens diu se fingere non potest, sed aut in se per teporem deficit, & a feruore arefcit, aut cito recedit, aut recedere cogitat, aut cum murmure manens fœtorem de se peruersæ actionis ostendit. Et quia leuis est corde, & dissolutus ore, alios sēpe deridet, quia superbus & iracundus cōtentiones inter pacificos mouet, & simplices accusat. Et quoniā radices humilitatis non habet, & spinas carnalitatē euellere negligit, idcirco dulces flores castitatis cum fructibus obediētiae & charitatis gignere non ualet. In congregatione deuotorum probantur corda multorum tanquam aurum in fornace ardenti, uirū desideria eorum ex deo sint, an ex carne concepta. Qui enim proprium commodum querunt, & communes labores & obseruātias ordinis negligenter prætereunt, hi parum in spiritu proficiunt, sed ad exteriora declinantes sēpe ad pristina uitia labuntur. Quomodo poterit aliquis diu in disciplina & deuotione perseverare, qui contra tentationes & passionēs uiriliter non pugnat? Quapropter dum parua latent uitia, tempestiue adhibenda sunt remedia, ne uitiā crescentes bona semina premant. Dicit namque saluator de quibusdam fictis & tepidis fratribus, in quibus

I. Cor. 13

Rom. 8.

Cœnobium mari simile.

Exo. 14

Diabolus uisus est qui excedit & figent.

nō est feruor spiritualis, sed tantum extrinsecus apparet habitus humilis cum affectu honoris. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus caelestis, eradicabitur. Et vere qui nō aedificat domum suam supra petram firmā, id est vitam suam super Christum & verā humilitatem, flante vento elationis, cadit à statu deuotionis ad exteriores occupationes, & in varias tētationes diaboli. A quibus malis nos benigne custodiat Iesus Christus filius dei, qui verbo & exēplo suo docuit nos humiliter cōuerfari, & pacem cum fratribus sine fictione & dissolutione semper retinere. Amen.

De laude & fructu bonae congregationis. Ser. 2.

F Rater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Dilecti fratres notate verba ista à Salomone sapienter & proficue dicta, & tenete perseueranter loca vestra in societate bona. Sustinete inuicē cum omni humilitate & mansuetudine portando onera vestra, propter multa pericula euadēda, & maxima praemia animae vestrae à deo promerenda. Cōgregatio quippe bonorum est quasi turris fortitudinis à facie inimici. Ibi nanque homo securus viuuit, vbi à pluribus iuuatur: & si interdū ab aliquo tribulatur, ab alio rursus cōsolatur. Qui bonae voluntatis est, & deum querit, inter deum quarentes amplius proficiet, & firmius stabit. Ibi homo magis in virtute probatur, & exercetur, ibi frequenter de negligentia arguitur. Ibi ad perfectiora verbo & exēplo trahitur, ibi suam imperfectionem considerare & lugere cōpellitur. Ibi alterius feruore excitatur, alterius humilitate docetur: istius obedientia mouetur, illius patientia aedificatur. Ibi verecundatur esse vilior, ibi confunditur inueniri tardior. Ibi inuenit quos timet, ibi habet quos diligit, & sic ex omnibus proficit. Ibi alterius correptio eius sit admonitio, ibi alienū periculum proprium efficitur speculum. Ibi vnus alterius est custodia, & alius aliū probat in patientia. Ibi homo portat & portatur, ibi multa audit & videt vnde doceatur. Ibi regula & sancta institutio in bono conseruant, ibi confessio & disciplina excessus emendant. Ibi boni commēdantur, vt meliores fiant: ibi negligentes arguuntur, vt reuerfescant. Ibi homo non permittitur torpescere, nec secundū suum libitum agere. Ibi cogitur spiritui seruire, & carnis desideris resistere. Ibi diuersa sunt officia, & multa exhibētur charitatis obsequia. Ibi omnia tempus habent, & ad opus suum quisque ex obedientia vadit. Ibi nulli ociari conceditur, sed vnicuique mensura operis iniungitur. Ibi infirmus à fortiore sustentatur, ibi sanus infirmum visitās Christo seruire la-

tatur. Ibi vno deficiente, alius locum eius supplet, ibi sana membra pro debilibus sollicitantur. Ibi actiuus pro vacante laborat, ibi deo vacans pro laborante orat. Ibi vno legēte multi aedificatur, ibi singuli hebdomadas suas explēt, se inuicē liberant, ne fatigentur. Ibi homo habet multos pro se orantes, & in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxilia-rios inuenit, quot socios habet, qui ipsi in necessitatibus assistent. Ibi feliciter obdormit in domino, ibi multorum intercessionib⁹ citius liberatur à purgatorio. Ibi post mortē haeredes, dei seruos, sui vti que interdum memores relinquit, quorum pia studia, ipsius erit in caelo laetitia. Ibi labor eius & bona conuersatio obliuionē non accipiet, sed multis posteris ad exemplum proficiet. Ibi sequētes pro praedecessoribus suis orare tenentur, & dominū pro benefactorū beneficiis laudare. Ibi quicquid boni agit, ad omnium ibidē quietentium participationem prouenire creditur. Ibi qui adhuc viuunt, pro defunctis fratribus solliciti sunt, vt à poenis soluantur: & qui iam cū Christo regnant, pro peregrinātib⁹ supplicat, vt in bono perseuerēt: & qui adhuc super sunt, ad fratres suos venire desiderāt. Ibi singulare bonum sit cōmune, ibi temporale trāsit in aeternum. Ibi temporaliter coniuuentes, aeternaliter erunt congaudentes. Magnum igitur & incundum bonum, habitatio multorum deuotorum in vnum. Qui in sancta cōgregatione vsque in finē perseuerauerit, etiam si imperfectus fuerit, propter multorū orationes & merita perfectorū ad beatum finē deo propitio perueniet. Qui autē bonam cōgregationē deserit, quasi extra portum stabilitatis & salutis diuertēs, marinis procellis se exponit. Qui enim de medio cōgregationis se separat, incertum est vbi adhuc perseuerabit. Finis cito declarabit vtrum ex deo an ex passione recessit. Maneas ergo in medio sanctae congregationis, & manebit tecū dominus. Ipse enim ait: Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Et ad discipulos inquit: Vos estis qui permanistis mecum in tentationibus meis. Si bonus es, mane & aedifica alios. Si peccator es & infirm⁹, mane vt aedificeris ab aliis. Quocunque autē perrexeris, scito quoniam diabolus tibi aduersabitur, & sequetur te tua passio, etiam si solus fueris & inclusus. Sapēnanque ex verbis leuibus & habitu curioso exterius, cognoscitur status mentis, quid vanitatis geritur intus.

Exemplum duorum fratrum.

Venerunt aliquando duo fratres ad domū cuiusdā nobilis viri & terreni principis pro aliqua causa monasticae utilitatis. Intuēs ergo eos diligēter princeps honestus, cō-

siderauit habitum & mores vtrorūque extrinsecus. Illis autē recedētibus dixit vir sagax domicellae suae in secreto, nulli tamen palā derogando, Videbatur mihi q̄ vnus istorū aut nuper illuc venit, aut cito inde recedere velit. Ad quem domina admirans ait, Vnde hoc scitis? Respondit. Ex dissimili veste & gestu in verbis & moribus, cōiecturo differentiam conuersationis. Post breue igitur tempus res latens apparuit foris.

Aliud exemplum.

Quidam deuotus grauitē à diabolo tētatus, exiuit de cōgregatione fratrum ad captanda solatia mundi in ludicris vanis. Relictō igitur humili cōtū clericorū, sociauit se frequenter cōturbemnis laicorum. Quadam vero die exiēs portam ciuitatis cepit cū sodalibus suis pro pecuniis ludere, diuque ludēs perdidit pecuniā taxam, & quod peius est, bonae conscientiae famam. Finito tandem pyramidis ludulo, coactus est soluere debita sine dilationis termino. Recusat ita que trifactoribus trufam reddere, repugnat fortiter, nititur effugere, sponte nihil soluere cōtendit. Commoti ergo pariter lusores & cōglobati aduersus debitorem perfidum, tanquam canes rabidi contra lupum clamant, trahunt, verberant manibus, maledicunt verbis, Redde trifactor quod debes. Sed cum nō acquiesceret exactoribus suis, irati nimis reddiderūt ei multa dura verbera pro denariis paucis. Demum resum-pro spiritu, à quibusdam in oppidum est redūctus. Mandauit ergo deuotis fratribus patriotis suis obsecrans precibus multis, vt eum visitarent grauatū languoribus, recitans coram eis historiā suae miserae passionis. Versa enim erat cithara mundanae ludificationis, in luctū acerrimae afflictionis. Quibus auditis, visitant aegrotum beneuoli fratres, compatiendo animae afflictā, increpant tamen seriose erroneū pro admissio scelere, dicentes digna eum recepisse verbera, iuxta illa euangelica domini verba: Exi cito in vias & sepes, & compelle intrare. Si enim, inquiunt, in congregatione mansisses, tot plagas non recepisses. Tunc multum ingemiscens, fatebatur stulte se egisse & peccasse. Idcirco (inquit) si conualuero, fauēte domino me emendare propono. Multi autē ex fratribus hęc infortunia audiētes timore correpti sunt, & constanter effecti in melius profecerunt, iuxta illud Salomonis, Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Bonum est ergo in domo cum fratribus manere, & à societate seculari abstinere, & sine consilio praelati nil attentare, nec exitum per licētiam extorquere fraude vel prece. Nam saepe poenitet in fine, quod male acquiritur propria vo-

luntate. Qui vult proficere, & in congregatione perseuerare, debet apertus esse praelato suo in confessione, fidelis in opere, verax in sermone. Debet inter fratres esse verecundus, humilis, tacitus, quietus, pius, morigeratus, patiens, gratus, & obsequiosus. Ista faciunt deo charū, hominibus amabilem, & nulli onerosum.

Aliud exemplum de quodam clerico saepe euagante.

Clericus quidam in cōgregatione fratrum studii causa habitabat, qui pro recreatione quarendā saepe ad amicos diuertit, saepe etiam loca & domos religiosorū visitauit. Dixerunt ergo ei fratres & constudētes socij, timentes ipsi periculum ex frequenti discursu imminere, Si vis in bono statu perseuerare, noli extra domum tam saepe vagari, caue amicos visitare, & familiaritates foeminarū. Cum ergo sapius & seriose à multis admonitus esset, & prauam consuetudinem non refecaret, tandem tentatione crescente, sanctam societatem reliquit, & ad amicos rediens vxore accepta totus secularis & vagus effectus est.

De consiliis seniorum humiliter audiendis. Ser. 3.

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: Dicitur. 3. Ibi maiores tuos, & dicēt tibi. Dilecti fratres audite libenter salutaria monita seniorum vtrorum, & nolite esse prudētes apud vosmet ipsos, ne incidatis in laqueum diaboli, & scandalum animae vestrae acquiratis. Nolite altiora quærere, nec curiose aliorum facta perscrutari, sed quid velit deus, & quid promissistis seruare, omni tempore cogitetis. Dixit quidam deuotus religiosus, Qui de omnibus alienis tacet, de omnibus pacem habet. O preciosum verbum, vtile, & semper animo retinendum. Quanto enim quis latius foris extēditur, tanto plus intus minoratur. Nemo ergo alios inspiciendo se negligat, sed ante omnia curam sui gerens de reliquis taceat, qui ad eius commissionem non spectant. Idcirco quilibet internus esse cupiens cum psalmista dicat, Anima mea in manibus meis semper, & legem tuā non sum oblitus. Quicumque voluerit in spiritu proficere, det se sapius ad orationem & silentii secretum, caueat multas quaestiones & fabulationes longas texere, sed potius cum sancto Dauid deuote oret, Domine ad te con-fugi, doce me facere volūtatem tuam. Si quaeritis quae sit voluntas dei, respondet beatus Paulus plane ac lucide omnibus nobis, Hęc est voluntas dei, sanctificatio vestra. Quae est sanctificatio ista, nisi abstinere à malo, & exercere se quotidie in bono? Si ignoratis quid deo magis placeat, & quid vtilius age-

Vestis, gestus & sermo arguunt hominē.

Exit⁹ ex cōm- bio, q̄ plenus periculi.

Luc. 14.

Prou. 19.

Deut. 32.

Esa. 5.

Psal. 118.

Psal. 143.

1. Tes. 4.

Prima pars

re debeatis, ite incunctanter & interrogate diligenter à praelato vestro, aut à senioribus magis expertis, ne cōtingat vos in proprio sensu abundare & errare. Quæ est causa quod tam multi à prima deuotione tepescūt, & tam parū in veris virtutibus proficiūt? Quia pro dolor à sancto proposito paupertatis & simplicitatis, quod à senioribus acceperūt & didicerūt, paulatim recedunt, & potius proprias inclinationes sequuntur, & nouas commentitias fingunt, simplicitas & humilia abhorret, familiaritates hominum quarunt, scientiā suam ostendere appetunt, & super seniores etiam doctos se arbitrātur. Et vniūm nouitiorum humilia exercitia iterum apprehenderēt, & parū admonitionē gratanter acciperēt. Fratres, nemo erubescat à seniorib⁹ erudiri, nemo spernat à minoribus ædificationis verbum audire, quia hoc est humilitatis commendabile signum, hoc spiritualis profectus est valde bonum præfagium, iuxta illud Salomonis prouerbium. Audiēs sapiens sapiētior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Qui vult sapiēs esse & doct⁹ reputari antequā audiat & dicat, diu stultus inter sapiētes remanebit. Prouerbium veridicum est, Qui non vult audire magistrū vt bonus discipulus, hic cum dycolis verberabitur vt asinus rudis. Considerate iam consequēter ex scripturis vtriusque testamenti sanctos patres & doctores prophetas & apostolicos viros scientia & virtutibus præclaros, quā solliciti fuerūt tam in vita quā in morte instruere filios & subditos suos, quā multa secerata dei prædixerunt eis de futuris & cælestibus bonis sub diuersis figuris & parabolis, quatinus omnes auditores suos beneuolos redderent ad obseruantias legis, & cupidos facerent ad omnia diuina promissā tam præsentia quā futura percipiēda. Moyses enim doctor & legislator præcipuus sic ait. Audi Israel præcepta & iudicia quæ ego doceo te, vt faciēs ea viuas. Nō adderis ad verbum quod loquor vobis, neq; auferetis ex eo, & docebis ea filios ac nepotes tuos. Et rursum in alio loco. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntq; verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque confurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & in ostiis domus tuæ. Ecce quā sancta mādāta ac religiosa exercitia diuinæ doctrinæ propōita sunt nobis per Moysen, etiam cūctis fidelibus digne imitanda. Post Moysen sanctum surrexit Iosue in loco eius fidelis mi-

nister electus ex millibus, cui dixit dominus. Sicut fui cum Moysē, ita ero & tecum. Cōfortare & esto robustus valde, & custodias & facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses seruus meus, nec declines ab ea ad dexterā vel ad sinistram. Et quia Moyses posuit super eum manum suam, meruit benedictionem diuinam, & repletus est spiritu sapientiæ, quæ maxime necessaria est pro bono regimine in ciuitate & multitudine: & obediunt ei filii Israel sicut Moysi, iuxta præceptum domini. Hæc audiens quilibet frater nouitius vel professus, debet trahere vtile exēplum ad seipsum, obediendo humiliter praelato suo aut seniori fratri propter deū, vt mereatur habere benedictionem cælestem, propter humilitatem suam & obediētiam promptam. Nam humilis obedientia specialem meretur à deo gratiam, & defenditur à multis diaboli laqueis, & excusabitur in iudicio de malis sibi obiectis & offensis. Idcirco rogo vos iuniores audite humiliter seniores, qui habent longam experiētiam in multis, qui diu portauerunt in ordine pondus diei & ætus, sæpe corpore fatigati, sæpe mente afflictī. Quos deus fortiter probauit in camino paupertatis, tāquam aurum in fornace ignis, & post longam inedia & angustiam cordis consolatus est eos sapius gaudio spiritus sancti, & dulcedine sacramēti, sicut olim in deserto filios Israel paut manna cælesti. Legitur in primo libro regū, quod Samuel charus deo & hominibus, cū adhuc esset puerulus, à sancta matre sua Anna deo oblat⁹ est, & Heli sacerdoti ad erudiendum commēdatus, quatinus eius magisterio à pueritia afflueret deo in tabernaculo altaris humiliter seruire, & secundum legem dei bonis moribus ad altiora & sacratoria capiēda paulatim proficeret. Quod & factum est, deo feliciter annuente. Qui in omnibus agendis & consulendis sacerdoti suo tanquam vicario dei studeuit incunctanter obedire, vt nec ad dormiēdum quidem sine eius licentia ire præsumeret. Nā trina vice à domino in nocte vocatus, statim de lectulo surrexit. Et quia diuinam reuelationem adhuc ignorabat, ad notam sibi sacerdotis præsentiam promptulus cucurrit, & vocem quam audiuit, iudicio praelati sui exposuit, plus credens industriæ senioris ac cōsilio sacerdotis, quā suæ innocentia, qui de facili poterat in secretis dei decipi, aut inaniter eleuari. O qualis hic erit puer in futuro, qui tam obsequiosus & obediēs fuit seniori in vitæ primordio? Certe crescēte ætate cōcreuit & altioris reuelationis gratia, vt post mortem sacerdotis sui, iudex fieret totius populi, & ex iussione domini reges vngeret, & virtute o-

rationis

rationis potentiā inimicorum debellarer. Cognouerūt enim omnes à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset domini. Qui sæpius conuocans populum, & dei beneficia quamplurima memorans, redarguit eos de stulta idolorum cultura, & de magna ingratitudine eorum post tanta beneficia data. Et quia deum sæpius offenderant, ideo grauissime ab hostibus castigari meruerunt. Deinde ad sacrę legis obseruantia sollicitè reuocat oēs errantes, & ait. Auferte deos alienos, & preparate corda vestra domino, & seruite illi soli, & liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum. Dauid quoque rex potēs & sanctus à Samuele oleo sancto in principē populi vnctus, cum pluribus annis Israeliticum regnum strenue gubernasset, ante mortem suam vocauit ad se Salomonem filium suum, præcepitq; ei dicens, Ego ingrediar viam vniuersę terrę, confortare & esto vir, & obserua custodias domini dei tui, vt ambules in viis eius, & custodias cærimonias eius, & præcepta eius, & iudicia & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi. Rursus in psalmo quodam spiritu sancto afflatus, populum sibi cōmissum erudiens & ad diuinum cultum exhortās, orat & dicit. Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera? Filii qui nascuntur & exurgunt, narrabunt filiis suis, vt ponant in deo spem suam, & non obliuiscantur operum domini, & mandata eius exquirant. Ecce quā deuota admonitio gloriosi regis ad custodiam sacratissimę legis. Salomon quoque sapiētissimus regum paterna vestigia sequens, inter multa prouerbiorum sententias iuuenes sic instruens ait. Audite filii disciplinam patris, & attendite vt sciatis prudentiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus corā matre mea, & docebat me atque dicebat. Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & viues. Posside sapientiā, posside prudentiā, ne dimittas eam, & seruabit te. Ecce quā vtilem doctrinam tradit sapiens iuuenibus & præcipue vobis nouitiis scholam dei ingressis, quatinus deo fauente in virtutibus vsque in senectam proficiatis. Legitur etiam in libro primo Maccabæorum de Marathia viro clarissimo & æmulate legis cōstātissimo, quod zelo dei inflammat⁹, & diuino auxilio atque humano potenter accinctus impios ac desertores paternę legis de finibus suis expulit, & neglecta patrum piorum statuta ad sanctam deo placentem obseruantiam decenter pro-

viribus reformauit. Qui nihil aliud in cunctis bellicosis actibus suis prætendit, nisi vt honor dei & cultus in sacris legibus firmissime starent, & populus desolatus deo seruiēdo felici pace gauderet, atque summa exultatione deum omnipotentem cordibus sinceris cole-ret, ac vocibus iucundis iugiter collaudaret. Hic tandem post multa inclyta bonorū operum gesta moriturus, & paterna charitate de futuris sollicitus ne bonum pio cōamine inceptum, per desidiam deperiret, cōuocatis ad se filiis & amicis zelum dei habentibus, confortauit corda eorum sermonibus optimis cum multis sanctorum præcedentium exemplis, & ad perseueratiā boni status iam incepti singulos strenue exhortans & deprecans ait. Nunc ergo o filii æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamēto patrum. Mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen aternū. Saluator quoque noster dominus Iesus Christus peractō per passionē & crucē suam redēptionis nostrę mysterio, post beatam resurrectionē suam apparet frequēter discipulis suis, inter multa sacra-ta verba quibus eos sapiēter & expresse instruxit, hæc finaliter & salubriter intulit. Eūtes (ait) in mundum vniuersum prædicate euangeliū omni creaturæ, & docete omnes gētes seruire omnia quæcunq; mandauit vobis. O felix & meritoria obedientia, quæ nil aliud cogitat q̄ beneplacitum & voluntatē patris cælestis desideranter implere. O q̄ sancta aīa, quæ nititur se resignare, & totā vitam suā moribus Christi cōformare. Vere optimum exēplum bene viuēdi reliquit omnib⁹ nobis Iesus Christi. Ipse magister oīm, ipse liber & regula religiosorū, ipse cōuentus monachorū, ipse textus & glossa decretorum. Ipse forma vitæ clericorū, doctrina laicorū, lucerna fidelī, lætitia iustorū, gloria angelorum, finis & cōsummatio omnīū desideriorum sanctorum. Legitur etiā in actibus apostolorū de beatissimo Paulo apostolo, quod in initio cōuersionis suę vox cælestis dixit ad eum, Surge & ingredere ciuitatem, & ibi tibi dicetur quid te oporteat facere. Qui statim surrexit, & voci dei obediuit, factusque est sanctus & magnus prædicator in orbe terrarum, qui prius fuerat persecutor ecclesiarum. Hic perfectæ abrenunciationis exemplum ostendit omnibus religiosis, præcipue tamen obedientiæ formam reliquit nouiter conuersis, vt omni hora cum Paulo dicant, Domine quid me vis facere? Et sicut tūc de subita conuersione eius stupebant omnes qui eum nouerāt, ita & nunc mirantur & gaudēt de eius doctrina cūcti mūdi sapiētes, vbi-

p iij

Pro. 1.

1. Reg. 7.

Ps. 77.

Pro. 4.

1. Mac. 2.

Mar. 16.

Act. 9.

cunque Christus fuerit nominatus. Idcirco diuina charitate accensus, omnes ad amorem Christi hortabatur dicens: Imitatores mei estote charissimi, sicut & ego Christi. De quo in actibus apostolorum scribitur quod cum Barnaba ad predicandum gentibus verbum dei missus fuit, & plures ad fidem Christi conuertit. Post aliquot autem dies dixit iterum ad Barnabam Paulus: Reuerentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates in quibus predicauimus verbum domini, quomodo se habeant, vtrum proficiant an deficiant in bonis inceptis. Et iterum. Paulus vero electo Sylla pro socio ad predicandum idoneo, perambulabat Syriam & Ciliciam confirmans ecclesias, precipiens seruare & custodire precepta apostolorum & seniorum. Ecce fratres iam multa bona audistis, quam solliciti fuerunt sancti viri temporibus suis docere filios suos & subditos, vt ambularent in sacris dei preceptis, quae sanctae conuersationis exempla etiam reliquerunt posteris suis, quae ipsi prius a patribus & senioribus frequenter audierunt & didicerunt. Sic ergo & vos charissimi tanquam nouellae oliuarum plantati in domo domini stete in obedientia & disciplina claustrali, tenete traditiones seniorum, & statuta capituli generalis, definita & ordinata diuina inspiratione pro salute vestra. Gratanter accipite monita praetorum vestrorum, & patienter sustinete correptiones eorum, quia melius est quod ipsi vos modo corrigant, quam diabolus grauius in futuro vos puniat & deludat. Si enim nunc propter Christum humiliter consiliis seniorum acquiescitis, & propriam sapientiam relinquitis, tunc magnam pacem habebitis, & per gratiam Christi aeterna beatitudinem recipietis. Amen.

De bonis colloquiis inuicem habendis. Ser. 4.

Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, dicit dominus. Attendite dilecti fratres praesentiam Christi in omni loco, quocumque conuenitis siue ad orandum, siue ad laborandum, ne alius alium impediatur, aut verbo vel signo leuitatis offendat. Si ergo data licentia loqui interdum vobis liceat, sit sermo de deo & deuotis materiis ex scripturis sanctis, quae vos aedificent in virtutibus, & consolentur in aduersis. Sic fecerunt olim sancti patres in Aegypto, quando conuenerunt pariter pro consiliis & remediis in tentationibus superandis. De seculi vero rumoribus & variis hominum statibus loqui caueatis, nec aliquem secularem temere iudicetis, quonia deus iudicabit omnes iniqua agentes. Nulla igitur cura vobis sit de temporalibus rebus cogitare, nec inde fabu-

lari, sed tantum de spirituali profectu in virtutibus, & de remediis vitiorum vestrorum. Committatis omnia exteriora & negocia domus deo regenda, & praetatis vestris disponenda, qui rationem reddent in iudicio de sibi commissis. Vos estote pacati, & grati de ministerio quotidiano vobis exhibito, contenti stipendiis vestris in victu & vestitu moderato, non curiosa, non superflua, non recentia, non molliora quaerentes, sed sicut boni simplices filii dei sine querela & disceptatione inter fratres conuersantes, indignos vos omnibus his beneficiis ex humilitate reputetis. Ferueat mens vestra in caelestis regni desiderii, & in deuotis exercitiis alius alium praere conetur, & praeter Christum & hunc crucifixum nil scire nec cogitare libeat, quatinus omnia secularia & carnalia ex amore & condolore crucifixi in nauseam verantur, & poenitentiae labor breuis & facilis vobis appareat, & disciplina regularis vitae in dulcedine & bona conscientiae iucunditate per singulos dies conuertatur. Tunc enim Christus vobis orantibus & colloquentibus inter vos commorabitur, docens vos terrena despiciere, & amare caelestia, & contra diabolicas tentationes fortiter certare, ac passiones carnis refrenare. Quare enim venistis de seculo, nisi vt tota spes vestra esset in deo, & cor sursum in caelo? Quia ergo elegistis renunciare seculo, & seruire Christo in monasterio, fugite homines seculares, relinquite amicos carnales, quia possunt vos in deuotione vestra impedire, & ad nociua desideria fabulando trahere, nec aliquem fructum animae vestrae conferre. Quanto rarius & breuius loquimini hominibus, tanto securius est pro custodia cordis & oris. Est multum pro honore vestro & fama ordinis, si pro reuerentia hospitem in praesentia eorum verecundi & taciturni appareatis. plus enim aedificabit bonis moribus, quam curialitate sermonis. Ex vno indisciplinato verbo arguit vos leuitatis & imprudentiae, & sub habitu religionis coniecturant vulpem latere, & ouem fingi. Pauci igitur sint sermones vestri, vtilis & circumspecti, quia verbum ociosum non erit impunitum apud deum. Pro hoc cauendo, silentium est amandum & seruandum, a sanctis patribus antiquis & modernis praetatis nostris in religione salubriter institutum. In nullo denique statu & ordine stabit pax & disciplina, si non absit censura silentii quietis amica, quae est deuotionis nutrimentum, contentationis obturatio, vanitatis fuga. In silentio discatis, qualiter & cui loqui debeatis. Ex vanis verbis fit animus vagus & lubricus, vix valens ad interiora sua redire post longos gemitus & fletus. Ex diuinis vero colloquiis nascitur amor dei, aedificatio proximi, odium mundi, desiderium

desiderium regni caelestis, dolor de peccatis, seruator charitatis, refrenatio cupiditatis, & renouatio totius interioris hominis in speculo sanctissimae vitae nostri saluatoris. Ipse enim adesse dignatur de se loquentibus, prope est omnibus se inuocantibus. Excitat verbo sancto torpentes, confortat debiles, adiuuat fortiter dimicantes, coronat vincentes. Terret per supplicia, hortatur per exempla bona, consolatur per dona promissa, laetificat temporali gratia gratis data, beatificat aeterna caeli gloria manifestata, attestante Psalmista. Satiabor (inquit) cum apparuerit gloria tua. Tamen pius & misericors est Iesus, tam dulcis & mitis est Christus, vt si quis ei locum in corde praeparauerit, absque dubio lumen gratiae suae libenter illi ostendet, & cum eo coenabit. Si solus est & legit aut orat: Iesus vult esse secundus. Si duo simul legunt aut cantant: Iesus vult esse tertius. Nec vacua erit petitio istorum in nomine Iesu congregatorum, qui bona fide humiliter & deuote supplicant, si tamen in omni re quam petunt & desiderant, eius beneplacitum querunt, & suae propriae voluntati renunciant, illud gratissimum Christi verbum dicentes, Pater non mea voluntas, sed tua semper fiat Amen.

De patientia conseruanda inter desideria & peruersos. Sermo 5.

Dilecti fratres non turbemini si interdum contingunt aliqua in religiosis defectuosa, quae vobis displicent, aut si aliqui recedunt a congregatione bonorum, vel si tepide conuersantur cum eis propter tentationes diaboli quas quotidie in dei seruitio patiuntur. Nam haec tristitia humanae fragilitatis tentamenta etiam contigerunt ante tempora nostra, sicut de multis sanctis & religiosis viris legitur, qui iam in toto orbe a multis honorantur. Nos quidem fragiles sumus, & ad malum procliuui, ideo necessarium est nostros prauos mores per statuta arctari, & quasi indomitos pullos ad stipitem sanctae crucis pro nomine Iesu ligari, ne secundum propria desideria viuendo declinemus a via recta sanctorum, qui per angustam portam intrauerunt regnum caelorum. Oremus ergo pro inuicem, vt deus adiuuet nos, & confortet in omni tribulatione & tentatione nostra, & custodiat ab infestatione & deceptione inimici, qui vbique circuit quarens quem deuoret, quali arte aliquem de medio congregationis trahat ad seculum, & de seculo ad infernum. Ibi nulla est redemptio, sed sempiternus horror inhabitat. Ibi animae quarunt mortem, & non inueniunt. Ibi cruciantur die ac nocte

in igne & sulphure, quia modicam agere poenitentiam noluerunt, & tempus suum tam vane & infructuose expenderunt. Fratres non quaeramus quietem & commodum carnis sicut seculares: sed laborem & dolorem pro peccatis. Resistamus vitis, saepe ieiunando, orando, legendo, meditando. Certe non habebimus pacem & quietem super terram, vbicumque fuerimus, vel quocumque perrexerimus pro solatio habendo, vel pro tadio releuando, aut pro laboris onere diminuendo, nisi conuertamus nos ad Christum per orationem & contritionem peccatorum, cum firmo proposito agendi semper poenitentiam, vt possimus per hunc leuem laborem & breuem dolorem aeterni ignis euadere poenam. Pax nostra & quies bonae vitae est in multa patientia secundum vitam Christi, & exempla sanctorum, non in longa fuga per loca arida, nec in nauicula per flumina transmarina. Ionas propheta fugere voluit a facie domini, nauem ascendit, sed nihil ei profuit. Tradidit se sopori, quietem quaesuit, sed non inuenit. Latere se credit: sed deus absconditum prodidit, tepestatem mouit, & mare turbauit. Tunc dormientem nauae excitant, increpant, & in aquam proiciunt, qui mox a pisce deglutitus quasi fugitiuus & inobediens in ventre certi pro culpa incarceratur. Clamauit ergo in arcto carcere clausus, orauitque dominum vt liberaretur de tantis periculis maris, & angustia piscis. Tandem vero omni humano auxilio destitutus cognouit in afflictione sui, quod manus Dei effugere impossibile est, & diuinis obedire praecipis tutissima animae salus. Non ergo fugiamus labores & angustias pro salute nostra in religione subortas, de quibus antea nesciebamus: sed itemus firmiter, certemus viriliter, obediamus festinanter, oremus frequenter, laboremus diligenter, taceamus libenter. Sustineamus nos propter Christum patienter, sicut omnes sancti fecerunt qui grauiora perpessi nunc gaudent in caelis, & dicunt: Transiimus per aquam & ignem, & eduxisti nos in refrigerium sempiternum. Inter multa pericula versamur, & qui tentant nos & vexant, non dormiunt nec quiescunt, sed quarunt nos decipere, & a bono incepto impedire. Non tamen desperemus, nec orare & clamare ad Christum cessemus, etiam si tepidi & aridi saepius fuerimus, & praean gustia cordis ignoremus quid agere debeamus, quia forte probat nos deus in paucis, si vere eum diligimus non verbis tantum, sed & factis & plagis. Igitur surgentibus ventis duris non retrocedamus, sed manus ad remos ponamus, arma spiritualia arripiamus, animam

Philip. 3.

Acto. 13.

Acto. 15.

Psalm. 144.

Psalm. 16.

Luc. 22.

Eccl. 35.

Velut domiti puli necesse habentur alligari stipiti crucis.

Pax & quies non in fuga, sed in patientia.

Ionan. 1.

Psalm. 65.

tristem erigamus, de nouo incipiamus, & multo fortius quam fecimus, contra carnem, contra mundum, & contra diabolum certare studeamus. Quanto enim durior pugna, tanto gloriosior corona: & quanto frequentior vexatio tribulantis, tanto laudabilior virtus patientis. Multum impedit pusillanimitas cordis, cito amittere confidentiam in aduersis, negligere sanctum propositum, reuoluere seculi statum, imaginari amicorum praesentiam, fociorum pensare iucunditatem, quae omnia sunt vanitatis & fatuitatis, sicut finis repentinus omnis delectationis & honoris ostendit. Vita nostra fratres & religio pro deo assumpta in quotidiano certamine consistit, scilicet contra vitia certando, quae omni loco & tempore in choro & dormitorio, in silentio, in labore nos persequuntur & tentant, utinam non vincant. Ideo non mirum si interdum labimur & vulneramur, si leuiter offendimus & offendimur in verbis, in factis propriis vel alienis. Homines sumus, non angeli, mortales sumus, & fragiles peccatores, exules sumus & peregrini, non ciues caeli, instabiles & prouisi ad vitia, nondum perfecti in gratia, nec beati in gloria. Ista consideratio humiliare nos debet, non eleuare in superbiam mentis, sed per propriam fragilitatem inducere ad spem diuinae misericordiae & pietatis, sine qua nihil boni incipere valemus nec perficere, domino attestante qui ait. Quia sine me nihil potestis facere. Propria namque fragilitas nos maxime premit, sed diuina inspiratio ac caelestis visitatio deficientes iterum erigit, & ad bene operandum confortat, atque ad sustinendum quaecumque improuisa super nos veniunt, benignè pro utilitate salutis nostrae ordinat, & iusto occultoque iudicio omnia dispensat. Ipsi enim cura est de omnibus nobis, ab initio vitae usque ad finem mortis. Qui enim fecit nos, non derelinquet nos, si eum non relictum, ut possimus resistere, & molestias eius sustinere. Dicamus ergo cum sancto in psalmo, quando impugnamur ab inimico maligno, Aduua me domine deus meus, ne derelinquas me. Et iterum cum tota mentis fiducia clamemus ad Christum in caelis. Oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellit de laqueo pedes meos. Pax vera & perfecta requies est in caelo, non in terra, quia hic omnia sunt in motu & timore frequenti pressura. Igitur fortis patientia nobis summe necessaria est in hac fragili vita, quae non est nisi quotidiana luctatio contra vitia. Siue enim homo fuerit in domo propria siue aliena, siue inter notos aut familiares amicos, cito illi

Ioan. 15.
1. Cor. 10.
Psal. 26.
Psal. 24.

obuiabit quod displicet aut perturbat animae quietem nullibi tutam. Ponat ergo quilibet se ad patientiam, ut optime potest, & patienter portet quaecumque deus permiserit, & sic ampliorem pacem habebit. Si ab aliquo laesus & vituperatus fuerit, vincat superbiam suam, & discat pati contumeliam, & inueniet apud deum gratiam magnam, & gloriam aeternam. Doleat se peccasse, & minus patienter contemptum sui tolerasse, & de omnibus offensis humiliter veniam petat, & deus libenter omnia ipsi dimittet. Dilecti fratres non desperetis, nec mala malis adiciatis: sed statim quando conscientia vos accusat, ad confessionis remedium festinetis. Solus deus est, in quem peccatum non cadit. Nam in angelis suis reperit prauitatem, & magna pars eorum de caelo cecidit per superbiam, quia de donis sibi collatis non dederunt deo gloriam. Primus homo in paradiso tentatus est, & deceptus, & propter inobedientiae culpam de loco voluptatis eiectus fuit in huius mundi miseriam. Quid ergo mirum, si frater aliquis fragilis a diabolo carne grauiter tentatus, vel a multis pro culpa sua increpatus, quandoque erret & peccet, aut impatiens fiat, quando homo bene conditus in paradiso cecidit, ubi tot commoda & nulla incommoda habuit? Multi boni & iusti viri fuerunt in veteri lege sapienter tentati & vexati a malis hominibus: sed patienter malos sustinuerunt, ut meliores per aduersa fierent. Quandoque vero per voluntatem dei malis reititerunt, & iustam vindictam impiis reddiderunt, ne boni oppressi in tribulatione nimia deficerent. Quidam etiam subita tentatione fracti ceciderunt, alij longa aegritudine quassati, humiliati sunt in iniquitatibus suis, & quos diuitiae & honores extulerunt, dolores & confusiones ad fragilitatis suae cognitionem reduxerunt. Multi quoque post grauem lapsum cito poenitendo fortiores surrexerunt, & in sancta conuersatione vitam laudabiliter consummarunt. Temporibus Christi & apostolorum eius fuerunt boni malis permixti, in ciuitate, in itinere, in domo, in deserto. Aliqui Christo crediderunt & opera eius laudauerunt, quidam ipsi contradixerunt, & de eo murmurauerunt. Quidam etiam mystica verba eius male intelligentes, ipsum deriserunt, & quia vitia eorum iuste reprehendebat, vera & sancta miracula eius inuidiose denigrauerunt. Etiam Christo praedicante & praesente, contigit inter discipulos quaedam indignatio & disceptatio, quis eorum esset maior & primus in praedicatione & regimine nascentis ecclesiae, quam ex diuersis locis & populis & praecipue pauperibus & simplicibus congregauit,

Mat. 23.
Rom. 8.
Mar. 14.
In vigilis
teus in le
cto, & o
scitatis
in choro

congregauit, quos pius & humilis magister verbo suo & exemplo ad pacis concordiam per humilitatis viam benigna correptione reuocauit dicens: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum. Et iterum. Qui vult primus esse, erit omnium vestrum seruus. Ecce charissimi per ista humilitatis & patientiae exempla, quae sunt omnium virtutum fundamenta, potest simplex & obediens frater sine multo argumentis & astutis verbis ad regnum caelorum secura conscientia peruenire, & aeternos euadere cruciatus inferni, patienter sustinendo quaelibet contraria a peruersis iniuste sibi illata. Apparet itaque ex praedictis, quod in omnibus locis & temporibus sanctorum fuerunt boni & mali, fideles & increduli, deuoti & dissoluti, beneuoli & peruersi, spirituales & carnales, & boni per patientiam profecerunt quotidie in melius, & mali tanquam fumus euauerunt in malitiam & desideria suis. Deus autem omnium rerum conditor, & inspector seculorum a principio usque ad finem, sic nouit moderari causas singulorum, ut bonis omnia cooperentur in bonum, & malis omnia proueniant ad poenam aeternam. A quibus malis nunc & in aeuum custodiat nos pius & misericors dominus, iudex iustus & patiens redditor, qui est super omnia benedictus deus in secula. Amen.

De vigiliis nocturnis contra impugnationem soporis. Sermo 6.

Imon dormis? Non potuisti vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Vox ista dilecti fratres vox est caelestis regis & saluatoris nostri Iesu Christi, qui hortatur milites suos ad vigilandum in castris contra tentationes diaboli aduersarij generis humani. Quod ergo dominus vigilanter ad beatum Petrum & ad reliquos discipulos loquitur: hoc etiam indubitanter omnibus nobis dicit. Igitur custode media nocte veniente & excitante mox ad sonum cymbali euigilemus, & ad ingressum chori deuotis precibus nos praeparemus, ac caelesti sposo ardentibus faculis occurramus. Studeamus charissimi viriliter abiicere pigritiam corporis, & somnolentiam ab oculis nostris. Extollamus manus in caelum ad laudandum creatorem nostrum vocibus laetis, & mentibus puris, ne forte praeualeat contra nos calidissimus hostis, & derideat quosdam oscitates, quosdam parum cantantes, quosdam verbis discrepantes. Pessimus aliquorum yfusus est, & utinam non multorum, quod dicere poterit, qui in dormitorio seu in lecto diu phantasiando vigilant, & in ecclesia in choro pra-

radio deuotionis dormitant. Hi sibi & aliis frequenter nocent: nec Christo strenue militant, neque pro benefactoribus & tribulatis fideliter orant. Valde enim grauiter deum offendunt, pigre surgendo, tarde sapienter veniendo, tepide psallendo, verba corrumpendo, crebrius oscitando, vage circumspicendo, male aduertendo, negligenter inclinando, de longitudine psalmodum attardando, & ad finem festinando. Gaudent ad sonum resectorij, horrent signum capituli: properant ad fabulas, tarde intrant ad cellam: languent ad opera, feruent ad fercula bene parata. Omnia ista sunt signa paruae deuotionis, magnae ingratitude, & vehemens confusionis. Heu non est timor dei ante oculos istorum, non amor dei in corde, non laus eius in ore: sed fraus in voce, & tepor in actione. Vbi est deus, ubi angeli, ubi sancti dei omnes? Vbi praelatus, ubi custos, ubi cantor, ubi lector, ubi suscitator? Omnia euanescent ante oculos dormitantis. Euigilate iusti, & nolite peccare, ait apostolus. Vigilate & orate, ait dominus, ne tentet vos Satanas praesentis inopia spiritus pigritantes. Ipse etenim circuit die ac nocte querens quem deuoret, qualiter decipiat simplicem, deuotum distrahat, & quietum perturbet. Laetatur valde si aliquis non cantat, aut male legit, si clausis oculis dormitat, si vagis oculis circumspicit, & seipsum negligit. Adest cito ut verum ex ore torpentis rapiat, & in sacculum suum verborum fragmina iacet. O frater a se de genere dormitantium, & numero fatuarum virginum, quarum lampades in nocte extinctae leguntur, si deum non times, nec angelos reuereris, nec fratres tuos scandalizare erubescis, quare diabolus tibi insidiantem non metuis, qui omnia verba neglecta & imperfecta in charta sua caute describit? Sicut enim angeli sancti deuotas deo preces offerunt, & frequenter cantantes diligunt & commendant, sic Satanas cum suis aemulis, insidiatur orantibus, ut distrahat & impediat concorditer psallentes, & habeat non pauca contra eos de quibus eos accuset & torqueat. Sed quia tam immanem raptorem, tam astutum circuitorem, tam strictum exactorem, tam durum accusatorem, & seuerum tortorem non attendis nec formidas, & futura mala & infernaliter tormenta raro aut parum attendis, ideo torpescis & dormitas, & tanquam mortuus in sepulchro iaces & taces. Non est labor tam grauis, nec dolor tam acerbis, quin leuior fiat comparatione ignis infernalis. Heu quid facies in mortis articulo, diabolo occurrente cum vultu terribissimo, & hiatu furioso? Vbi tunc amici fideles, ubi epulae splendidae

1. Cor. 13.
Mat. 26.
1. Pet. 5.

& omnes mundi honores? Vis hæc terribilia euadere, & dæmones non timere? Surge, ora, canta, lege, labora. Ad iniurias tace, læsiones sustine, despectiones dilige, honores sperne, peccantibus indulge. Non recedant ab oculis tuis luctus damnatorum, ingens clamor dæmoniorum, & grauisissimus discessus à præsentia dei & iucunda societate sanctorum. Times plerunque videns incendium fornacis ardentis, expauescis fulgura & tonitrua, horrescis tempestates & frigora valida, & vix audes dormire & manere in cella. Ex quo audisti & legisti multos extinctos subito casu & languore, cur nõ metuis similia tibi posse accidere? Scito grauiora post mortem cruciamina imminere. Pone in mente tua quæ naturaliter horribilia videtur, scilicet ollam succisam pice plenam, sulphure fetentem, attēde leones frementes, canes mordentes, serpētes fauientes, bufones corrodescentes, dracones glutientes, & vinces citius turpissima vitia ad cor tuum maculandum per diabolum tibi immissa, fugabisque longius a te torporem mentis, somnolentiam corporis, & desiderium vanissimæ laudis. Dico tibi quod longæ vigiliæ, longæ lectiones, horæ diurnæ, silentiū, labor, & ieiunium, breue faciunt purgatoriū, & magnum inducūt gaudium post trium aut quatuor horarum spatium. Mirum est quod tam faciliter tædium sentis in choro cantando, legendo, & non attædiaris diutius fabulando, aut rumores seculi audiendo. Intellige istud esse diabolicum factum, qui nititur omni modo diuinum impedire seruitium, & retrahere te ab ecclesia & a conuentu psallentiū, vt habeat focium in inferno perpetue comburendum. Tunc clamabunt & vlulabunt præ nimio calore & dolore, qui modo deum nõ laudant corde & ore cum ingenti feruore. Si te delectat cum amico colloqui pro qualicunq; solatio capeffendo, quāto magis festinare debes & anhelare ad diuina audienda, vt loquaris cum deo in hymnis & canticis, omnibus aliis curis & imaginationibus prætermisissis. Sed quia sæpe plus mouent facta quàm verba, adiciēda sunt in fine sermonis exempla aliqua instructionis gratia. Imitare bona quæ placent, caue mala quæ offendunt.

Exemplum.

Frater quidam inter matutinas parū cepit dormire. Quod attendens frater proxime illi assisēs, solerter auribus eius hoc verbum tantum ingessit, Infernus. Quo audito, ille subito perterritus & expergefactus, omnē torporem a se abiecit. Cogita ergo piger de inferno, & non dormitabis in choro lassus præ tædio.

Exemplum aliud.

Alius quoque frater cantans, cum vocē eius affās non audiret, obiecit ei quod tunc temporis in matutinis cantabatur, Simō dormis? At ille commotus ex verbis illis deprehendit se notatum in sopore, & expauit admonentem præ stupore & pudore.

Exemplum aliud.

Fuit quidam frater in ordine regularium deo deuotus & bene literatus, peritus cantor, & diuinæ laudationis amator studiosus. Hic quadam vice loquebatur cum alio fratre socialiter de dulcedine diuini cantus, & de solenni officio, quod fit in ecclesia in præcipuis festis. Dixit ergo ei pro edificacione pusillanimitatem eius confortando, vt alacriter cantaret in choro. Frater, deo laus, ego nunquam habui tædium in diuino officio, quantumcunque lōgum esset. Nam in festo palmarū, quāuis diuinum officium satis prolixum videtur præ cæteris diebus, tamen nõ sum attædiarus de longitudine cantus, sed ita paratū me sensi ad cantandum, quod si aliquis iterum ab initio totum incipere voluisset, libenter cum eo incepissem & cantassem. Hoc audito edificatus est frater prædictus, & ad cantandum alacrior effectus. Bene huic seniori credendum fuit, quia semper cum primis ad chorū venit, raro exiit, exiens pro necessitate cito rediit, præfens fideliter pro posse iuuat, & oculos in diuersa non defixit.

Exemplum aliud.

Alius eiusdem ordinis frater zelo dei accensus, contra somnolentiam fortiter certabat, & hanc sibi violentiam inferebat. Grauatius namq; somno in choro capillos capitis sui manu traxit, barbam duriter fricuit, nasum sti lo pupugit, oculos salua detriuit, & sub mento acutum lignum quandoq; posuit, vt somni torporem fugaret. Cumque motus carnis sentiret, flammam incendij infernalis cogitabat, & digitorū vnguibus cutem corporis sui acriter sulcauit, & rubras cicatrices tā diu carni prurienti infixit, donec motus illicitus ex diabolo incitatus penitus cessaret.

De custodia oris & diligentia operis cum obedientia superioris. Sermo 7.

Bonus homo de bono thesauro profert bonū. Dilecti fratres semper aliquid boni de deo & sacra scriptura habeatis in cordibus vestris reconditum, atque in opere exteriori replicatē dulcia verba Christi, quæ confortent vos in grauamine laboris vestri. Ruminetis sedulo deuotos psalmos & hymnos sub silentio oris vestri, ne diabolus inueniat vos intus vagos & ociosos circa facta

facta aliorum inutiliter occupatos, quia cor instabile & a bonis cogitationibus vacuum, nidus est diaboli. Ponderate verba vestra antequam loquamini, ne quid inspidum proferatis quod audientem offendat, & dixisse poeniteat, quia discretionis limitem non seruetis. Si non scitis sapienter loqui, studeatis humiliter & verecunde tacere, iuxta illud Salomonis: Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. Tempus ad bene operandum datum est, non ad ociandum, neque ad fabulandum, neque ad iocandum. Nullum ergo tempus absque fructu boni operis transire permittatis. quod si habetis licentiam loquendi, non tamen aliquid inutile proferendi. Sicut enim de omni verbo ocioso reddituri estis rationē coram deo in iudicio, ita etiam de omni tempore & momento male & negligenter expeso. Secundum diuersa autem tempora vel festa, per diem & noctem assumenda sunt exercitia temporibus apta, & feruentius accendenda proposita bona. Attamen propter bonum obedientiæ, & fraternæ charitatis obsequium, omnia priuata sunt abneganda: nec aliquod deuotionale singulare factum sanctæ obedientiæ & communi vtilitati præferendū. Sic Christus reliquit templum & doctores legis, & obediuit matri & Ioseph sicut bonus filius subditus parētibus suis, ad exemplum omnibus religiosis. Qui in hoc bene se exercet, & quoridie certat, & seipsum vincere laborat, altissime coronabitur, quia legitime certauit. Omnia enim opera bona ex simplici obedientia propter deum facta, deo sunt gratissima, & maxima remuneratione digna, in cælo perpetue coronanda. Abnegatio namque propriæ voluntatis cum vera humilitate cordis subdita prælato & consilio sui superioris, omnia temporalia luca & vtilitatis augmenta superat, & præfulget laude aeterna. Sicut enim nil dicitur bona voluntate, nec quietius spontanea subiectione, sic nil deterius propria voluntate cum inflatione superbiæ. Hinc de laude obedientiæ Salomon dicit: Vir obediens loquetur victoriam. Magnum certamē est seipsum vincere, gloriosus triumphus ceruicem superbiæ flectere, proprium videre relinquare, propriam sapientiam deponere, & in nullo se velle ostentare. Omnis qui propter deum sponte obedit, opus fortissimi militis facit, quia contra seipsum certat, & diuini timoris gladio propriæ voluntatis motus enecat. Ideoque cum martyribus coronam perennis gloriæ accipiet, quia viriliter certauit & vicit. Quicumque ergo superiori aut etiā inferiori humiliter obedit, & sensum suum alterius sensui libenter subiicit, iste nil perdit,

sed cedens alteri amplius lucratur. Omnis qui se sic vincit & humiliat, caput superbi Luciferi conculcat, qui contraria humilitati suadet, ne homo alteri cedat, sed ad argumenta callida se vertat. Cur hoc? Ne tacendo foris vilescat, & quasi fatuus aut inscius appareat, quia se defendere nescit, aut superari permittit. Heu superbia quāto caeca & fatua semper, quāto longe deuias a regno dei, & precipitanter curris ad portas inferni? O quanta bona & laudabilia dicta sunt de te humilitas sancta semper obedire parata tibi enim aperta sunt ianua cæli, ad videndam gloriosam faciem Iesu Christi. Non ergo graue alicui sit, nec indignum videatur, propter deū obedire homini in licitis & honestis, quādo Christus factus est obediens vsque ad ignominiam crucis. Reuera fratres si quis obedierit aut seruiert fratri propter deum, hic exhibet deo maximum in sui subiectione honorem, & habebit in fine Christum sui laboris præmium, ac sanctæ seruitutis remuneratorem ita dicentem: Quod vni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis. Sine obedientia namque & fraternæ charitate, aut parua aut nulla sunt opera nostra. Cum humili vero obedientia placent deo etiam vilia & parua obsequia fratribus impensa. Verus & perfectus obediens non tardat vocatus, non se excusat occupatus, aut fatigatus. Timet enim dei incurrere offensam, si non sequitur iubentis vocem secundum suam possibilitatem. Siue ergo obediens orat vel laborat, siue legit aut scribit, siue tacet aut loquitur, siue vigilat aut quiescit, siue comedit aut ieiunat, omnia ipsi in bonum ex merito sanctæ obedientiæ computantur. Nam in omnibus actibus suis faciendis vel dimittendis æque bene meretur si seipsum plene intus resignat, si in his beneplacitum & honorem dei veraciter quærit & intendit. Et tanto amplius proficit, & deo gratius placet, quanto citius & alacrius implet quod voluntas superioris facere dicitur. Et si melius sciret, & clarius sibi mandatū innotesceret, omni murmuratione remota promptissimum se ad obediendum deo & vicario eius exhiberet. Idcirco verus obediens semper in gaudio est, & magnam fiduciam in deo habet, cuius voluntatem perficere omni tempore cupit, a quo præmium sine fine recipere cum electis non dubitat, corde & ore decantans: Paratum cor meum deus, paratum cor meum. Et iterum. Paratus sum & nõ sum turbatus, vt custodiam mandata tua.

De vana gloria cauenda, & quod soli deo laus est exhibenda. Sermo 8.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis est. Dilecti fratres quando aliquid boni facitis, nolite extolli, nolite vane gloriari: sed humilietis cor vestrum coram deo, ne propter vanam gloriam & propriam complacentiam perdatis caelestem gloriam, & mercedem aeternam. Omnis actio bona deo ascribenda est, non vestrae industriae nec potentiae. Studeatis soli deo velle placere, & proximo bonum exemplum dare, in obseruantia regularis disciplinae, ne diabolus inueniat unde vos grauius accuset, & impropere quia similes estis sepulchris foris dealbatis. Quid prodest vana laus hominum, quando intus arguit mala conscientia peccatorum? Superbus & ambitiosus gloriae temporalis laborem habet sine fructu, & nisi cito poenituerit, & se profunde humiliauerit, maioris poenae cumulum aggregabit. Extra charitatem dei & proximi nulla profunt opera ab hominibus laudata: sed sunt sicut vasa vacua, oleum non habentia, & sicut lucernae in tenebris non lucentes. Profecto nanque fatuae sunt virgines, qui pro aliquo bono opere vel sermone quaerunt hominum laudes. Pruderes vero sunt, qui in timore stant, & paruum bonum quod agunt, in vera humilitate custodiunt: totum etiam quod sciunt & intelligunt, & ad effectum perducunt, aut facere in melius proponunt, hoc summo deo omnium bonorum largitori veraciter attribuant. Alioquin fures sunt & latrones: fures, quia gloriam & honorem dei illicite usurpant, latrones, quia vane gloriando animam suam inficiunt, & superbiendo gratiam dei perdunt. Quis est iustus & prudens? Qui deum praeculis semper habet, semper bona cogitat, semper bona loquitur, semper bona operatur dum viuunt & potest. Nolite fratres ideo superbire quod multa scitis & legistis, aut quod diu in via dei & in religione fuistis. Dolendum magis, quod tam parum in virtutibus profecistis, & vnam primitias nouellae dulcedinis adhuc haberetis, & ita sentiretis. Veruntamen non debetis desperare, nec ab inceptis bonis desistere: sed cum omni humilitate diuinum auxilium efflagitare, ut deus dignetur nouum feruorem vobis inspirare. Nam quandiu homo in statu praesenti versatur, instabilis est, & de bono ad malum labilis, & e conuerso de malo ad bonum reparabilis. Vnde sapiens rex Salomon ait: Non est homo iustus super terram, qui faciat bonum, & non peccet. Et amantissimus Iesu discipulus beatus Ioannes dicit in epistola sua, ne aliquis gloriatur inaniter de iustitia & puritate sua. Si dixerimus quia peccatum non

habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Nemo ergo se excuset quasi innocens sit, & a culpa purus, quia in multis offendimus omnes, ait beatus Iacobus apostolus. Aut enim sciens quis peccat, aut ignorans, aut sponte, aut inductus, aut ex infirmitate, aut peruersa voluntate, aut ex timore vel ex amore, aut ex desperatione vel praesumptione, aut ex animi leuitate, aut ex consuetudine, aut ex tepiditate, aut ex societate tractus, aut singulariter elatus, aut iracundia commotus, aut concupiscentia allectus. Istis passionibus variisque desideriis tanquam contrariis ventis mouetur & turbatur saepe cor hominis, & propter has mundi procellas rarissime venit homo ad portum quietis. Vix enim est dies aut nox, hora vel mora tam breuis & bona, quin in aliquo homo erret aut tepescat, aut negligentias committat. Pro quibus omnibus sine intermissione orare oportet, ut pius deus misericorditer ignoscat omnibus malis nostris quae verbo vel facto aut cogitatione commisimus. Et quia nemo purus a forde, ideo cum humilitate & cordis contritione ad confessionis remedium celeriter recurrendum est, & cum maiori custodia de cetero ab omni occasione malarum cogitationum praecauendum. Oportet hominem in initio niti praecauere malum, ne serpens lubricus foramen paruum inueniat, & tandem totum caput cum cauda violenter infigat. Cor hominis quiescere nescit: sed vel in bono vel in malo occupatur, sicut experientia frequens docet: & quantum bonum quis diligit, & virtutes sectatur, tantum malum odit, & vitia execratur, quia contraria in vna domo morari non possunt. Nemo tamen requie cordis inueniet, quicquid habet vel desiderat, nisi deum verum & summum bonum quaerat & habeat ad fruendum, & temporalibus moderate vtatur ad aeternum dei regnum promerendum. Quaerite ergo nunc fratres Christum in humilitate, ut postea videatis eum in sua maiestate. Quaerite nunc gratiam eius per orationes cum lachrymis sinceris, ut purificati a sordibus cunctis digni sitis videre faciem eius in caelis. Quaerite nunc Christum in lege & prophetis velatum sub figuris, ut postea omnia secreta scripturarum perfecte sine libris & magistris cognoscatis, sicut per apostolum Paulum dicitur: Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Sed ad habendum summum bonum cum electis dei, quis aptus & dignus esse poterit? Nempe verus humilis, perfecte obediens, mitis & patientis, multum dolens de peccatis, fortiter resistens vitii, mundi gloriam spernens, seipsum nihil

nihil reputans, ad exteriora rarus, ad interiora assiduus, ad terrena frigidus, ad caelestia feruidus, ad portandum alios benignus, ad castigandum se strenuus, ad indulgendum facilis, ad irascendum difficilis, ad custodiendum cor suum omni hora sollicitus, ad exeundum foras tardus, ad remanendum domi animo laetus. Beatus qui haec mente reuoluit, & ad intima sua citissime redit. Beatus qui nihil temporale, nil carnale, nil turbidum, nil tumidum in secretarium cordis sui sinit intrare, nec patitur immorari. Beatus qui multa bona scit, & facit quae didicit, quia nunc magnam pacem habet, & in futuro beatiorem cum Christo gloriam iugiter obtinebit. Tunc enim euanescent omnis vana gloria & temporalis letitia, cum apparuerit Christus vera & caelestis gloria. Quam nobis conferre dignetur cum omnibus sanctis suis, qui est super omnia deus benedictus in secula. Amen.

De periculo multorum malorum ex multiloquio. Sermo 9.

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. Dilecti fratres teneatis versiculum istum firmiter in mente vestra, & caueatis loqui de alta materia, ne diabolus vos teneat de vana gloria, & perdatis tempora vestra pro deuotione & compunctione vobis data. Magis expediret multis quod cogitarent de poenis inferni & igne purgatorii, quam de latitudine mundi, & altitudine caeli. Nam cogitare & loqui de tremendo futuro iudicio, & de suppliciis reprobatorum, saepe timorem incutit, qui est valde utilis tepidis & dissolutis. Loqui autem de caelo empyreo & noue choris angelorum, non deferuit iuuenibus & immortificatis monachis, qui leuiter extolluntur cum subtilia aliqua legunt vel audiunt, de quibus melius tacerent, & defectus suos inspicere & lugerent. Fratres tunc vere sapienter agitis, si cognoscitis vitia vestra, & acriter de omnibus malis doletis quae fecistis. Heu quanta bona omni hora ociando & fabulando perditis, quae laborando, tacendo, & orando lucrari potestis? Proponatis ergo firmiter vos emendare, & seruenter proficere, & in ordine constanter perseverare. Saepissime oculos vestros cum humili prece leuate ad dominum in caelis gemendo, & in secreto cordis vestri pro delictis orando. Tales deus diligit, qui corda sua ad caelestia saepius leuant, & orant. Libenter ignoscit culpis vestris praeteritis, si veniam petitis, & gratiam quaeritis & custoditis. Nunquam fatuae cogitetis magna & alta de vobis, ne cadatis antequam sciatis. Quando ergo aliqua bona cogitatis vel dicitis vel facitis, non haec vobis vel in modico

attribuere debetis: sed statim omnia ad deum integre referre cum gratiarum actione studeatis, a quo omnia bona descendunt, quae in vobis cognoscitis, & in aliis videtis. Omnia dei dona sunt quae corpus & animam ornant. deus enim dedit esse, viuere, sentire, agere, discernere, & intelligere. Magna caecitas cordis est non considerare dona diuina, & quantum tenemur creatori regratiari. Tot sunt beneficia dei, ut numerari nequeant, nec sufficiant explicari. Grauius ergo peccant, & per ingratitudinem deum offendunt, qui vanis implicati, deuotas deo laudes pro beneficiis eius non persoluunt. Vnde apostolus Paulus ait: Gratias agite semper pro omnibus, in nomine domini nostri Iesu Christi. Et Dauid in psalterio & cithara canens, post multa beneficia collata deo gratias referens dicit: Adiutor meus tibi psallam, quia deus susceptor meus es, deus meus, misericordia mea. Et per Esaiam prophetam ipse dominus loquitur dicens: Gloria meam alteri non dabo. Quid ergo dicemus ad haec, qui nihil aut parum boni facimus, & tamen gloriari & laudari cupimus? Foeda res omnino, reputari velle de virtutibus quas non habemus. Relinquamus hanc vanitatem, sequamur sanctos apostolos & prophetas, qui vere sancti fuerunt, & tamen nihil sibi de sanctitate, sed totum deo attribuerunt. Quando igitur gloriam dei quaerimus & honorem, & de omnibus bonis nobis collatis gratias ei pure & integre reddimus, tunc sursum cum angelis in caelum ascendimus, qui in natiuitate Christi, Gloria in excelsis deo, cantauerunt. Quando vero inanem gloriam de aliquo bono foris appetimus, aut nobis ipsis intus placemus, & plus poteramus opera nostra quam debemus, tunc veraces non sumus, nec in veritate humiles, sed superbi & inanes, deo despecti, angelis reprobat, & ab omnibus sanctis alienati. Vnde ex vitio elationis infra nos cadimus, & paulatim inferno appropinquamus, quia daemones & damnatis assimilamur, qui deum non amant nec laudant, nec gloriam dei contemplari valent. Et quia honorem deo debitum non exhibent, nec sponte cum sanctis se humiliant, sed creatori suo peruersae & superbe resistunt, iusto dei iudicio poenam infernalem quocumque secum ferunt & in malitiis tabescunt. Ignibus vruntur, & non purgantur: acerrime torquentur, & nunquam meliorantur. Ex quo in seipsis gloria quaesierunt, caelum perdidit, & ab aeterna gloria dei in opprobrium sempiternum ceciderunt. Sic heu miseri superbi homines in se gloriantes, & alios despicientes, citius peribunt quam putant, qui de se praesumentes dicunt aut co-

Eccl. 7.

1. Ioan. 1.

Iacob.

Quae
modi
quae
cat.

1. Reg. 2.

1. Cor. 13.

Gratias
omnia
Deo
agendae.

Eph. 5.

Psal. 38.

Esa. 42.

Luc. 1.

Deut. 32 gitant, Manus nostra excelsa, & non dominus fecit hæc omnia. Estote ergo fratres humiles corde, casti, benigni, modesti, compatientes, circumspiciti in verbis, diligentes in opere, feruientes in oratione, patientes in tribulatione, obediētes sine tardatione, simplices sine quæstione, verecundi sine fictione, taciturni sine suspicionē, obsequiosi sine murmuratione. Quādo etiā deus ex sua magna pietate aliqua bona alicui oranti vel studentī inspirat vel reuelat, non statim de hoc se extollat, nec aliis se præferat, aut sanctiorem existimet, sed cogitare debet & credere, quod non propter suas virtutes & labores, nec propter sua merita & ingeniosa opera hæc fecit ipsi deus, sed propter immensam bonitatem suam, qua pluit super bonos & malos, effundens misericordiā suam super omnem creaturam. Sic enim loquitur per Ezechielem prophetam ad Iudeos superbiētes de bonis sibi datis: Non propter vos, sed propter memetipsum hæc feci domus Israel, notum sit vobis. Nemo ergo abutatur bonitate & miseratione diuina super se, sibi aliquid attribuēdo per superbiam, ne indignationem dei mox incurrat propter ingrati tudinem suam, & audiat duram contra se iudicis sententiā terribiliter intonantem:

Luc. 19. Auferte ab eo mnam, id est deuotionis gratiam, qua indignus est propter vanam gloriam, & date ei qui decem mnas habet, propter suam humilitatem & gratitudinem. Non dignus est maiora recipere dona, nisi qui pro minoribus studet semper deo gratias agere, & indignum se omnibus fateatur. Dat sæpe benignissimus dominus consolationem suam non solum propter vnum hominem vel duos à se iniuicem consolādos, sed etiam propter aliorum ædificationem, & multorum instructionem ad amandum & laudandum tam pium, dulcem ac largiūm dominū in donis suis, qui tam bonus & beneficus est dando gratiam suam humilibus, mansuetis, & corde cōpūctis. Subtrahit vero cito dulcedinem suam ab elatis & ingratis, à vaniloquis, à curiosis, à dolosis & murmurosis. Oportet enim cor mundum esse à vitiiis, si intrare debet dulcedo sancti spiritus, quæ preciosior est cunctis opibus terrenis. Dicitur autem bonis æternis in cælis, qui respuit delectari in laudibus humanis. Quærat ergo potius consolari in deuotis precibus & lachrymis, quā in altis quæstionibus, & longis fabulis. Studete in libro conscientiæ, fugite vmbra vanæ gloriæ.

Matt. 23 recondite oleum in vasis vestris cum prudētibus virginibus, abscondite thesaurum cordis in valle humilitatis. Si enim culmen veri honoris queritis, ad illam cælestem patriam to-

to desiderio festinetis. Ad quam foeliciter obtinendam perducatur nos pariter omnes Iesus Christus. Amen.

Explicit pars prima sermonum ad Nouitios.

Incipiunt tituli sermonum secundæ partis.

- De multis tribulationibus iustorum pro regno cælorum. Sermo i.
- De quotidiano martyrio & bello in statu religionis. Sermo ii.
- De sapientia confessorum, & continentia religiosorum. Sermo iii.
- De cauta custodia cordis, & gratia internæ deuotionis. Sermo iiii.
- De constantia & perseuerantia in statu religionis. Sermo v.
- De cauta custodia iuuenum contra multas tentationes. Sermo vi.
- De districto dei iudicio, vbi accusabunt nos omnes creaturæ. Sermo vii.
- De vana gloria vitanda, & humili obedientia sectanda. Sermo viii.
- De spiritali militia contra vitia. Sermo ix.
- De variis bellis & periculis huius vitæ. Sermo x.

De multis tribulationibus iustorum pro regno cælorum. Sermo i.



Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos dominus. Dilecti fratres sanctorum vitam aspiciē, doctrinā sanctorum libet audite & legite, exempla eorum imitari desiderate, ac gloriosa eorum suffragia instanter petite, vt in aduersis fortes sitis, & omnes labores diurnos ac nocturnos pro Christo constanter ferre valeatis. Non dubitetis de futura Christi promissione, quam red det diligentibus se opere completo, & agone viriliter consummato. Non fuistis in inferno nec in puteo Luciferi, ideo onerosa videntur statuta claustrī. Non estis experti ignem purgatorii, ideo horretis sustinere verbum improprij, rigorem silentij, duritiam lectuli, grauitatem ieiunij, vilitatem cibi, laborem cantandi, & frequentiam orandi. Si vultis omnia habere pro libitu vestro, quid inde meremini coram deo? Ista non concordant sanctis, qui passi sunt grauisimas poenas temporibus multis. Consideretis igitur in paruis laboribus

Psalm. 37.

Flagella peccatorum, in initia dolorum.

Psalm. 10.

Psalm. 90.

Psalm. 33.

Luc. 24.

1. Petr. 2.

Electos suos qua re permittit deus cadere.

boribus & angustiis vestris acerbissimas sanctorum martyrum passiones, & quorum solennia per annum celebratis, horum agones sectamini per veras virtutes. Cūque tribulationem aliquam sentitis, scutum patientiæ assumite, ne ante tempus finiti certaminis in religione deficiatis. Non scandalizet vós, si mali florent in mundo, & boni gemunt sub onere: si peruersi gaudent in honoribus, & boni priuantur rebus necessariis & amicis. Deus clemens & iustus meliora & æterna bona prouidit electis suis in posterum reddenda, quos nunc diuersis modis percutit per malos & castigat, vt digniores fiant ad maiora præmia recipienda in cælestibus. Multæ itaque sunt tribulationes iustorum propter regnum cælorum, sed & multa flagella peccatorum, quæ sunt initia dolorum futurorum. Et quis poterit plene cogitare & pendere abyssum iudiciorum dei super filios hominum? Etenim iustus dominus, & iustitias dilexit, qui bonis & rectis corde omnia in bonum ordinat, & in salutem eorum conuertit, & malis, duris ac peruersis omnia in eorum perniciem & luctū retorquet. Sustinete ergo fratres sicut boni & fideles serui Christi paciēti corde & animo beneuolenti pauca grauamina quæ vos interdū molestant, & probat quā fortes estis, quia non diu durabunt, nec confundent humiles, sed pietolerata valde lætificabunt animas vestras, iuxta illud psalmistæ. Exultabit ossa humiliata, & humiles spiritu saluabit. Si effemus vere humiles, & onera peccatorum nostrorum stricte ponderare vellemus, nihil importabile sentiremus, vix vnum pro mille nos recipere diceremus. Oportebat namq; Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, qui tamen peccatorum non fecit: quanto magis pati oportet nos miseros peccatores, qui quotidie offendimus multos in multis, scilicet deum, angelos sanctos, & homines? Permittit autem deus multas tribulationes cadere super electos suos, non ad eorum reprobationem, sed ad peccatorum purgationem, ad meritum augmentum, ad maiore cautelam, & ad eorum imbecillitatem per patientiæ virtutem roborandam. Ponat ergo vnusquisq; se ad patientiā, si vult habere cordis tranquillitatem, si cupit coronā gloriæ recipere in cælo post certaminis sui laborē. Vita ista temporalis plena est tribulis & spinis, in qua exercentur & probantur electi per aspera, vt eo ardētius desiderent bona æterna. Ecce nemini parciat deus, sed dat vniciq; onus propriū ad portandū, vt habeat causam ad multum promerendum. Alia namq; adueniūt & tentant nos à dextris per blādimenta, alia à sinistris per vituperia, alia ab anteriori parte oc-

currūt per austerum vultum, alia à posteriori pungunt per detractiōnis morsum, alia à superioribus nos arctāt ad laborandum, alia ab inferioribus ebulliūt ad deridēdū, sicut pueri paruuli sanctum Heliseum. His sex ventis commouetur status vitæ præsentis, & impugnatur omnis Christianus siue religiosus siue secularis. Nec diues nec pauper, nec sanus nec æger sine onere est. Quilibet habet fatis ad portandum, & qui dorsum suum ad hoc præparat & incuruat, sapiēter agit, & leuius portabit. Qui autem ociari quærit, & delectari fabulis, ac vagari per officinas & nemora campi, incidet in latrones & canes mordētes, hoc est in varias tentationes carnales gratiam deuotionis extinguentes, & consciētiā multis vulneribus fauciantes. Sic est religiosus in claustrō profusus, sicut nobilis miles ab hostibus in castro vndiq; obsessus. Nō potest fugere, nō potest ocio torpescere, sed vigilare oportet, & in armis semper stare cōtra inimicorū insidias & sagittas. Nisi enī pugil Christi cingulo castitatis sit accinctus, & scuto paciētiæ vndiq; præmunitus, aut cito turbatur, aut deicitur, aut vulneratur. State ergo in timore dei, & præparate vos ad certandū cōtra passiones vestras & hominū vexationes & linguas iniquas, quia habebitis semper aliquē aduersariū, nūc istū, nūc illum, prout deus permiserit, ad humiliandum vos, ne in bonis superbiatis, & per vanā gloriatorum perdati. Quod si humiliter & paciēter aduersarios vestros sustinueritis, eritis deo accepti, & sanctis martyribus in patiēdo conformes, arque in regno cælesti valde gloriosi & sublimes. Oportet omnino quod humilitas gloriā præcedat, & patientia victoribus coronam cū multis ictibus præparet. Nam sine patientia & certamine & labore, vana est spes præmij cælestis. Induite ergo vos dilecti fratres (sicut beatus Paulus ait) lorica fidei, non hæsitantes de adiutorio dei, pro summo solatio diuina promissa inter angustias recolentes, ac totam spem vestram in deo & non in hominibus ponatis, quia homines sæpe fallūt & falluntur in opinionibus & astutiis suis, meditātur inania, & stulta loquuntur, iudicia futura non prospiciunt, nec deum vt oportet metuunt. Cauete præcipue ab hominibus iracundis & dolosis, à fociis vagis iocosis, ne difcatis fabulari & ridere cum leuibus, qui ambulat per amœna loca ad hospitia praua. Sed cum simplicibus & humilibus, cum mitibus & deuotis sit conuersatio vestra, vt ab istis capiatis consolationem spiritus, & in virtutibus magis ac magis proficiatis. Patientia & fortitudo est vobis maxime necessaria, qui in religione estis & statis sub obe-

1. Theof.

dientia. Et ideo libenti animo & pleno corde obedire, & bonis cōsiliis maiorum acquiescere studeatis, licet interdū aspera & vilia videtur quæ iubentur. Igitur sicut ab omni parte instat pugna impugnātes fragilitatē vestram, ita sunt prēmia maxima in dextera dei posita, pro multa patientia omnium tribulationum vobis restituēda. Animeris ergo vos ad omnia ferenda, & non abiiciatis onera ad promerēda gaudia sempiterna. A superioribus nanq; oportet vos frequēter sustinere correptiones pro excessib; vestris, quia melius est hic quā in futuro purgari. Sed & eorum obedire praeceptis propter deū rucissimum est, si vultis cū electis foelicitissime coronari. Subiiciatis ergo vos spontanee eorū ductui, vt ducant vos tutiori via & breviori spatio inter tot hostes & pericula ad portum salutis sine murmure & sinistra aliqua suspicione. Ab inferioribus oportet vos sustinere eorum imperfectiones tam morum quā corporum, quod est opus pietatis, & quandoq; etiam irrisiones sufferre, quod est mansuetudinis insigne. A dexteris oportet vos caute attendere, ne per adulationes & vanas commēdationes seducamini, ne sanctos & iustos vos existimetis, aut super id quod dicitur, cor eleuetis. Nocent saepe vanae laudes, fallunt dulcia verba animos leues, sicut auceps fistula dulciter canens decipit & arripit aues. Ergo laudem & honorem ab hominibus non quaratis, sed fugiatis, ne apud deū mercedem plenam pro fabulis stolidis perdat. Multi in facie laudantes, post tergum vitia narrant. Qui conscientiam suam inspiciunt, humanas laudes non ponderat nec affectat. A sinistris vero oportet etiam cautelam magnā habere, vt non turbemini ab iis qui vituperat facta vestra, deridendo, proclamando, & ad peius bona interpretando. Ne impatientes sitis in corde, aut dure respōdeatis in voce, quia forte volūt vos opprobriis probare, si vere humiles estis, & patientes in aduersis. Ab anteriori parte oportet vos considerare cum quibus loquimini, cum quibus statis & ambulatis, quales sint vicini vestri & cōfratres in moribus, in verbis, in actibus suis, ne forte seducamini & inquinemini malis exemplis per dissolutiones & libertates iuuenibus valde nociuas. Nam saepe post iocos leues peruenitur ad tristis conscientiae dolores, iuxta illud prouerbium Salomonis: Extrema gaudij luctus occupat, & risus dolore miscbitur. Nō debetis omni verbo credere: nec vterius cito audita proferre. Non omnia aedificent, nec aliorum secreta scire expedit, saepe mendacia narrantur pro veris, quae a caelestibus desiderijs retrahunt audientes. Abstinet ergo a nugis & io-

Pro. 14

cis, quae bona studia impediunt, intellectum obscurant, memoriam distrahunt, & pacē habentes friuolis suspicionibus inquietat. A posteriori parte oportet vos etiam oculū habere apertum, & de futuris periculis nō exigue precogitare, scilicet qualia possent vobis per eos quos iam amicos tenetis, contraria aduenire. Praeparetis igitur dorsum vestrum ad sustinēdum omnem euentum malorum, ad abluendū peccata praeterita, ad vitandum iucunda praesentia, & ad minuendū futura purgatorij tormenta. Nam hominum oblocutiones, detractiones, accusationes & derisiones patienter acceptae, medicinae sunt optimae pro salute animae, a iustissimo deo peccatoribus iuste inflatae. Non itaq; nocebit dura correptio verborum, si beneuoli & innocētes estis, quia sermo durus vtilis est ad correctionē dissolutorū. Audistis iam ex supradictis in quā multis periculosis bellis consistitis, & quanta bona potestis promereri, si viriliter repugnatis. Non ergo sitis remissi, nec praemultitudine hostium desperantes: sed cum religiosa sollicitudine fatagite semper in melius & feruentius exercitium proficere, vt per longanimitatem & patientiam in virtutibus & laboribus multis perueniatis ad requiem perpetuam ab omnibus malis securam, & ad desideratā vobis aeterna vitae coronam, largiente domino nostro Iesu Christo, & intercedentibus sanctis martyribus suis. Amen.

De quotidiano martyrio & bello in statu religionis. Sermo 2.

Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus oues occisionis. Dilecti fratres bene notate verba ista in auribus vestris iam lecta, quae valde salubriter pro instructione vestri diu ante natiuitatem vestra per prophetam in psalmo sunt praenunciata. Benedictus deus qui vocauit vos de praesenti seculo nequam, in quo periclitantur multi in corpore & in anima, sequentes carnis desideria & fugitios honores. Videre ergo vocationem vestri ad congregationem istam a deo paratam, in qua promereri potestis breui tempore cum modico labore vitam aeternam. Ecce religionem intra stis, sponte propriis renūciastis, & quodammodo mundo mortui estis, aut quasi mortuos in sepulcris vos reputare debetis. Hoc etenim habitus vester foris ostendit, & fama de vobis est, quod de mundo non estis, sed filii dei excelsi omnes. Dicunt enim frequēter homines seculares de religiosi personis: Qui deo seruit, totum mundum deludit, & valde sapienter facit. Caelum sibi comparat, & ab inferno non timebit. Mortificat ergo

ergo membra vestra super terrā, ne diabolicus furor vos iterum alliciat, & ad aeterna supplicia per mollitiem carnis secū trahat. Magnus profecto labor est certare quotidie cōtra passionēs & vitia: sed praemia maxima vincuntibus sunt promissa. Percogitetis verba quae cantantur tam sedulo de sanctis martyribus in ecclesia nostra, pro eorum laude & memoria ad impetranda suffragia, quorū dulcedo tangere debet cordis nostri intima, & excitare tepiditatem nostram, ad toleranda pro Christo vel pauca cōtraria. Sic enim ad vesperas saepissime suffragatur. Certamen magnum habuerūt sancti dei, transierunt per ignem & aquā &c. O dilecti fratres qui in religione sub obedientia statis, si fideliter impletis quod vouistis, martyres estis, aut adhuc quotidie patiedo fieri potestis. Nam totiens nouas coronas & margaritas preciosas pro certamine vestro accipietis, quotiens singula membra vestri corporis quotidianis laboribus pro Christo exponitis. Et si proprias voluntates relinquitis, & sensualitati vestrae fortiter resistitis, magnam a deo cōsolationem intus percipietis. Omnis religiosus in obedientia viuens paratus suam voluntatem frangere, atq; praelato suo humiliter nitēs obedire, veraciter in spiritu martyr efficitur, quanuis materiali gladio in collo nō feriat. Et quicunq; perfectē mortificationi totā die, id est per totum tempus vitae suae se tradit, simplici ex corde obediendo, exemplū

Gen. 22.

Abrahae imitatur, qui vnicum dilectum filium suum Isaac in holocaustū offerre, ligare & occidere non recusauit. Legimus etiam de sanctis martyribus, quod per diuersa tormētōrū genera transierunt ad regna caelorum, qui nō elegerunt pro sua voluntate qualem poenam aut mortem paterentur: sed totaliter diuinā ordinationi se commiserūt, corpus & animā creatori suo ad omnia sustinenda constanter obtulerūt. Quando igitur aliquis vestrum audit praecceptum sibi contrarium a praelato imponi, & tamen paratus est obedire, si tunc etiam sibi ipsi inferre conatur, atq; murmurationē insurgentem compescit & necat, tunc gratissimum deo sacrificiū in ara cordis immolat, & cū martyrib; de hoste victor sui ipsi factus strenue triumphat. Multi nanq; martyres violēter tracti sunt ad carceres, & durissimis inibi vinculis ferreis stringebantur, quin etiam sine cibo & potu, sine lumine & aliquo humano solatio dimittebantur iacere in foetore, & mortis horrore, & tamen in fide Christi constantes permanserunt, & gratias deo in doloribus suis agere studuerunt, quia pro nomine eius contumelias & tormenta pati meruerunt. Horum exempla intuentes nolite in-

Heb. 12.

Martyr

fine san-

guine qd

esse pos-

si ca sit.

Pauperū

& marty-

rum idē

pramiū.

Matt. 5. traneis vel fratri loquatur, tūc lingua ad fabu-
landum prona quasi reſte ligatur, & ne noccat
alteri, ſilētio cohibetur. Et vere multis verbo-
ſis plus expedit pro pace conſcientiæ verecū-
de tacere, q̄ hic & illic hitorias de ſtatu ſeculi
retexere. Et cum vago homini præcipitur in
clauſtro manere, aut in cella quiete reſidere,
tunc pedes eius pia violētia quaſi in cippo lo-
cantur, & ſic ad viam ſalutis cor inſtabile re-
dire compellitur, iuxta illud domini verbum:
Inc. 14. Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & cōpelle
intrare. Heu quot foris vagādo perierūt, quot
ſuæ curioſitati ſeruendo nil ſanctitatis retu-
lerūt? O quā multi per rectoris virgam redu-
cti ſunt ad cōſcientiæ & bonæ vitæ cuſtodia,
& de neceſſitate fecerūt virtutē? Cū curioſus
oculos ſuos claudit, ne ſeculi vanitates aſpi-
ciat, tūc mercedem cum ſanctis recipiet, quo-
rum oculi fuerunt à tyrannis excæcati. Cum
piger aliquis laborare cogitur, tunc manibus
& pedibus ad locum martyrij trahitur. Et ſi
obedierit ad omnia ſibi iniūcta, præmiabitur
cum martyribus, quorū manus vinculis fuere
ligatæ, & pedes in equuleo ſuſpenſi. Cogitare
ergo debet bonus obediens frater quod pro-
prij corporis nō habet poteſtatem, ſed præla-
tus, cui propter deum le reſignauit libere, vt
eat & faciat quod ille iuſſerit pro animæ ſuæ
ſalute. Sic enim obtinebit cum martyribus pa-
tientia palmam, & æternæ vitæ coronā, præ-
ſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, regnante
in ſecula ſeculorum. Amen.

De ſapientia conſefforum, & continentia
religioſorum. Sermo 3.

Pal. 36. O ſi iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua
eius loquetur iudicium. Dilecti fratres iſta
ſolent cantari & legi, de conſefforibus & do-
ctoribus, quos præcipua deuotione honorare
debemus, atque ſuffragia eorum deſideranter
implorare, quatinus eorum virtutes ſtrenue
imitando, mereamur ſinito præſentis vitæ ſta-
dio ad eorum ſocietatem peruenire. Igitur ſi
non poſſumus grauiſſima & diuerſa tormen-
torum genera cum ſanctis martyribus ſuſti-
nere, ſtudeamus pro viribus noſtris cum cō-
ſefforibus & eremitis in ſancta religione hu-
militer patienter & continenter viuere, quē-
admodum & illi deo placuerunt, multis lōgis
vigiliis & ieiuniis carnem macerando. Deſcri-
bit nanq; propheta in dicto pſalmi verſicu-
lo, qualis ſit vita iuſti viri placentiſ deo, & q̄
beatus exitus eius qui permanſerit cōſtans in
propoſito ſancto. Soler autem vita iuſti viri
ac boni religioſi ex quibusdam ſignis notari,
& maxime commendari, videlicet vt habeat
os cuſtoditum à malo, linguam eruditam in
bono, cor quietum à turbatione, deuotum in

Note ad
deprehe-
dendum
virum in-
ſtum ac
bonum.

oratione, ſuſpenſum in contemplatione, vt fa-
ciat opus bonum cum reſta intentione ad
deum, careat ſe ſiniſtra ſuſpicionem ad proxi-
mum. Et qui iſta habere deſiderat, legem dei
in corde ſuo ponat, ſacra verba frequēter co-
gitet, libenter audiat & legat, de mundanis ve-
ro ſileat, tantum de his quę ad ſalutem anime
pertinent, curam ampliorē gerat, alienas ſol-
licitudines abiiciat, nullum tempus ocio in-
dulgeat: ſed vel oret, aut ſtudeat, aut labore,
quatinus boni operis talētum ſicut fidelis ſer-
uus quotidie augere valeat. Diſcat antequam
doceat, & magis eligat tacere quā loqui, ſi ſa-
piens fieri deſiderat. Pauca verba & vtilia ha-
beat, cum modēſtia ſingula proferat, coram
magnatibus apparere caueat, cum timore dei
omnes actus ſuos & ſermones diſponat, tan-
quam ab ipſo iudicandus, ſi in aliquo offen-
dat. Tutius ergo eſt & melius, vt homo taceat,
qui debite loqui nescit. Si quis imperitus di-
uinam ſapientiam habere concupiſcit, deli-
cias carnis ſpernat, ſenſus exteriores ſtriſte cu-
ſtodiat, ne vanitates mundi hauriat, ad inte-
riora ſe conuertat, defectus ſuos inſpiciat, cō-
ſcientiam per ſingulos dies examinet, cōmiſſa
deſteat, nil impunitum relinquat, ad cæleſtia
ſuſpiret, futurum iudicium metuat, præſentē
vitam carcerem reputet, à Chriſto elongari
pœnale ſentiat, ſanctorum choris non intereſ-
ſe maximum tædium ponderet, nihil in hoc
mundo poſſidere cupiat, vt cor liberum ſem-
per habeat, omne gaudium tēporale luctum
æſtinet, ac præ deſiderio æternorum, omnem
copiam rerum egeſtatem deputet. Hæc inti-
ma ſentimenta vagabundus & fabuloſus igno-
rat, & qui honores ambit, verā ſapientiam nū-
quam inueniet. Beatus igitur ille religioſus, in
cuius corde lex dei requieſcit, cuius os medi-
tatur ſapientiam ſanctorum, non ſeculi vani-
tatem, cuius lingua erudita reſtum iudicium
in omni cauſa tractat, ne quid fruſtra quaſi in-
uentum producat, cuius bona opera ad dei be-
neplacitum ſemper tendunt, cuius grefſus in-
tus & foris ſecūdam eloquium diuinū diri-
guntur in bonum. Sapientis ergo & ſpiritua-
lis viri ſtudium eſt diſcernere verum à falſo,
vitium à virtute, neceſſarium à ſuperſuo, ho-
neſtum à ſcandalo, clarum ab obſcuro, expe-
diens ab illicito, priuatum à publico, diſtortū
à reſto, iuſtum à peruerſo, ſimplicemque ab
aſtuto, innocentem à ficto & doſo. Vnde
dominus per Hieremiam prophetam ait in
laudem viri iuſti. Si ſeparaueris precioſum à
vili, quaſi os meum eris. Verax & iuſtus eſt
deus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vul-
tus eius. Et ideo tales quærit & diligit, qui
ambulent coram eo in veritate. Horum
grefſus

Sapientis
& ſpi-
ritualis
ſtudium

Hier. 17

Pſal. 93

Viri Dei
quotidie
marty-
res ſunt.

Pro. 11.

Philoso-
phi ad-
modum

grefſus non ſupplantabuntur ab aduerſario
diabolo, nec à mundi blandimētis, nec à pro-
prij concupiſcentiis, neque ab aliorum lau-
dibus aut vituperiis ſeducuntur. Nam dextera
dei protegit gradientes in ſimplicitate cordis
ſub aliſ eius, & omnia quę dixerint & fecerint,
ad maximum eis proficiant meritum, & præ-
mium ſempiternū. Quo feliciter adepti, non
erit quod cupiant amplius. Beati enim omnes
qui digni erunt regno dei intereſſe, & cū Chri-
ſto epulari & gaudere, pro eo quod in vita ſua
Chriſtum amauerunt, & omnia terrena vili-
pēderunt. Dilecti fratres imitami humilem
vitam Ieſu Chriſti, ſicut & ſancti conſeffores
fecerunt, inter quos fuerunt multi humiles ac
diuites viri, qui longo tempore in abſtinentia
carnis, in carentia frumētī vini & olei & alio-
rum, delectabilium ciborum duxerunt vitam
valde religioſam & dūram, cruciſgentes cum
vitiis & concupiſcentiis ſuis carnem fragilem,
non propter laudem humanam, ſed vt deo ſa-
tisfacerent pro peccatis per feruentem pœni-
tentiam. Hi contra tentationes diaboli & mū-
di honores certantes vſq; ad mortē, felici tan-
dem ſine curſum vitæ ſuæ compleuerūt. Quā-
uis igitur iſti tyrannorum gladium aut ignem
vrentem, aut morſum beſtiarum, ſeu alia ſe-
uiſſima tormenta non pertulerunt in corpo-
re, maximum tamen bellum & quotidianum
martyrij perfecerunt in mēte, vitam caſtam,
humilem, abieſtam, internam, deuotam, beni-
gnam, patientem, ſobriam, modēſtam, paupe-
rem & abſconditam præ cunctis mundi opi-
bus amplexati, ideoq; digne coronas merue-
runt habere perpetuas. Si ergo quæritis veram
ſapientiam, & cupitis habere pacificam vitam
deo placētē & hominibus gratam, deſis vos
ad veram cordis humilitatem, ſicut ſcriptum
eſt: Vbi humilitas, ibi ſapientia. Hanc ſapientia
mundus odit, diabolus impugnat, caro abhor-
ret, ſtultus deridet, ſuperbus deſpicit, iracūduſ
perſequitur. Magis etenim placet deo humilis
& caſta vita, quā alta ſcientia, & plus eſt por-
tanda bona & pura conſcientia, quā ſubtilis
& verbosa eloquentia. Longe etiam melior eſt
ſimplex obediētia, quā cauta excuſatio. Vt
lior ſilentij cuſtodia, quā extorta loquendi
licentia. Protegit enim deus obediētes ſim-
pliciter, & callidos in ſtultum finem cadere ſæ-
pe permittit. Non eſt parua prudētia ſeipſum
attendere, & ſub omni creatura ſe humiliare,
quia deus propter hominem ſe humiliavit vſ-
que ad extrema terra, vt peccatores conuer-
teret, & pœnitentes ad alta cælorum per verā
humilitatem traheret, & æternaliter beatifica-
ret. Multi docti philoſophi & magni in ocu-
lis ſuis viam ſalutaris prudētiæ neglexerunt

aut nescierunt, & ab humilitate Chriſti rece-
dētē à veritate errauerunt, & difficulter ad cō-
temptum ſeculi venire potuerunt. Multi etiā
magiſtri ſciētiam dei & notitiam virtutum ex
longo ſtudio haurientes, de humilitate & ca-
ſtitate, de contemptu mundi & ſancta religio-
ne & obedientia optime prædicant, qui tamē
amore ſeculi detenti vix à longe Chriſtum ſe-
quuntur, & (vt dicitur) onus quod laudant, tā-
gere vitant. Tam nobilis eſt virtus humilita-
tis, vt eam frequenter ſuperbi & ſeculares cō-
mendent. Et tam laudabilis eſt virtus caſtita-
tis, vt eam magnifice extollant etiam inconti-
nentes, & ad conuſionem ſui dignis laudibus
honorent. Et hoc vtiq; ex deo eſt, qui ſuos
fideliſſimos amatores & humiles ac caſtos cli-
tes glorificat in præſenti, vbi adueniunt &
peregrini, quos in futuræ beatitudinis māſtio-
ne ampliori gloria lætificare prætendit pro
omni conuſione quam pertulerunt. Quicū-
que ergo continenter viuunt, & ſenſus ſuos ſub
diſciplina regulari intus & foris cuſtodit, iſ iu-
re cōſeffor domini vocabitur, quia ſuper pau-
ca bona prudens & fidelis fuit. Nam quinque
talenta ſibi tradita, id eſt quinq; corporis ſen-
ſus bene rexit, innocenter viuendo, & aliis bo-
num exemplum exhibendo. Hæc enim duo
maxime in religioſis & abdicatis perſonis deo
placent, vt coram hominibus luceant bona
vita & ſancta doctrina. Talis autē ſeruus poſt
completos labores in gaudium domini ſui læ-
tus introibit, quia fidelis inuentus eſt in omni
opere & ſermone bono, ad laudē dei & ædifi-
cationem proximi in ſecula ſeculorū. Amen.

De cauta cordis cuſtodia, & gratia inter-
næ deuotionis. Sermo 4.

O mni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex
ipſo vita procedit. Dilecti fratres diligē-
ter penſate admonitionem prudentiſſimi re-
gis Salomonis, & ſollicite vigilate circa cuſto-
diam cordis veſtri, ne diabolus inueniat fora-
men intrandi. Ille non quærit aliud niſi vos
decipere, & à deo fraudulēter abſtrahere. Quā-
do cor hominis à ſummo bono abſtrahitur,
tunc in inſimis quærit delectari, & variis deſi-
deriis hinc inde mouetur. Et qui rempeſtiue
non reſiſtit, captiuatur & ſuperatur. Nihil la-
borioſius, quā cor cuſtodire ab euagatione
& vitioſis imaginibus ex ſenſibilibus rebus
acquiſitis. Prauū & inſcrutabile eſt cor homi-
nis, & ad malū procliuſab adoleſcentia ſua. Et
quis cognofcet illud, & omnes motus eius per
ſingulos dies enumerabit? Vtiq; ſolus deus, qui
vniuerſa conſpicit antequam fiant, de quo di-
citur in pſalmo. Dominus ſcit cogitationes ho-
minū, quoniā vanæ ſunt. Cor nūquā quieſcit,
quin in aliquo ſit occupatū, ſiue bonū fuerit

pauci, ſi
qui ta-
men, ſe-
culū cō-
temple-
runt.

Humili-
tatem &
caſtitatē
prædicat
ciam ſu-
perbi &
inceſti.

Monachus
bonus
conſeffor
domini
eſt.
Matt. 23.

Pro. 4.

Hier. 17

Pſal. 93

sive malum. In bono cor confortatur, in malo perturbatur. Si quis cor suum gestit custodire & ab euagatione restringere, bonam meditationem studeat assumere, & de verbis sacrae scripturae fauū mellis colligat, vnde animam suam pascat. Leuia verba dimittat, curiosa non quaerant: in prosperis non se eleuet, in aduersis patientiam seruet, & omnia super se vetera deo liberè committat. Hoc quoque precipue penset; qualiter vnionē cū deo habere possit, qui in pacifico corde locum ad habitandum querit. Idcirco totis viribus ab infimis curis se elonget; & cor assuetū vagari, per orationes ignitas & crebra suspiria sursum leuet & dicat, Oculi mei semper ad dominū. Quociens autē à summo bono ex fragilitate aut aliqua necessitate impeditur, rursus incipiat, & cito per orationē resurgat, gemens & dolēs pœniteat, quod ad momentū creatorem pro creatura neglexit, cui pro posse totis affectibus intendere & iugiter adherere deberet. Ex sacra nāque lectione trahitur bona meditatio de deo, ex bona meditatione procedit deuota affectio, & prompta eleuatio mentis in deum. Exinde surgit feruens & interna oratio penetrans cælos, omnem creaturam relinquens, & soli deo adherere cupiēs, in quo omnia bona sunt quæ concupisci possunt. Solus enī deus est, qui totū animę desiderium implet, quietat & beatificat, ad quē suspirare & conuolare debet omnis religiosus secretū amans, occasiones fabulandi vitans. Qui enim loca spatiandi foris querit, & cor suū custodire negligit, hanc vnionis gratiam aut nō sapit, aut parū gustans cito perdit. Et heu vix cū magno labore & dolore deuotionis dulcedinem recuperabit, quia minus sollicitē eā custodiuit. Restat ergo omnibus friuolis omisissis ad Christū sedulo cōfugere, & cū eo amicitiam spiritaliter iungere, & cuncta ab eius amore retrahentia abiicere & refutare. Quæcunq; bonā conscientiam non possunt facere, nec charitatis Christi feruorē dare vel augere, omnino vitanda sunt & respuēda ab omni claustrali & monacho religioso, cuius cor debet esse in cælo, nō vagari in seculo. O frater monachē qui sanctitatis speciem geris habitu & nomine, claude ostiū oris tui, & secretum cordis nō omnibus reuelles. Aperi cameram oris tui Iesu Christo consolatori amantiſſimo, ac tutori vitæ tuæ fidelissimo, vt benedictus Iesus ante omnia & præ omnibus in cælo & in terra tibi dilectus diu desideratus & expectatus, ad te venire dignetur, & mansionem tecum facere. Obscra obnixē vt sapius te visitet & illuminet, doceat ignoratiam tuam, confortet pusillanimitatē, erigat spē, repellat diffidentiam, confirmet si-

Psal. 23.

Sacra lectio quos fructus gignat.

Iesus vnus animā implet.

dē, infundat amorē, augeatq; feruorē. O quod bene est custoditus & armatus cōtra diaboli insidias & malas cogitationes ac turpes imaginationes, qui imaginē crucifixi habet in corde fixam, omnia interiora sua penetrantē, & ad omne bonū cogitandum & agendum semper & vbiq; instigantem. Tunc recte poterit mira cum dulcedine cordis ex præsentia Christi intime consolatus dicere quod Dauid sanctus cum magna læticia deo psallebat: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum: Nihil ergo inter te & Iesum amatorem innocentia & puritatis veniat, nec intrus lateat nec doret, immo nec parū tangat, nec vanis laudibus muleat, nec inficiat, quia cor purum & tenerum deo in religione oblatum, non patitur secum aliquem extra Iesum sibi coniungi & confabulari. Nam omnia in creaturis temporaliter solatioſa & pulchra nō sufficiunt ad plenum animæ gaudium: sed solus Iesus sufficit ad omne desiderium perficiendum. Cuncta extra Iesum crucifixum generant fastidium, & habent defectū, & quasi abſinthium & fel amarissimum torquent animū variis desideris occupatum. Fōs igitur omnis boni & totius cōsolationis mellis riuus, Iesus Christus verus cōsolator animarum. Qui vult à deo consolari, Iesum in socium eligat, cum quo loquatur & ambulet, donec ad cælum perueniat. Stude in amorē Iesu viuere, toti mundo mori, & in cruce Christi non in teipſo nec in hominibus gloriari. Illa hora tibi sæpe pensanda est, quando non poteris amplius vnū verbum loqui, nec membrum mouere. Et quanuis religiosus sit terrenis bonis & amicis priuatus, habet tamen cælestem thesaurum in arca cordis sui clausum Iesum Christum, & hunc crucifixum. Habet & fidelissimum animæ suæ amicum, ac sapiētissimum vitæ suæ doctorem, ipsum regē angelorum, omniumque rerum conditorē. Vis ergo habere pacē & tranquillitatem cordis, & ad gratiam Christi & amicitiam angelorum promoueri? Contemne teipsum propter Christum, & quantum possibile est, stude habere cor purum à seculo segregatum, ad diuina feruidum, & ad cælestia suspensum. Qui enim nihil terreni solatiij foris querit, nihil in creaturis inordinate diligit, cito internam quietē & Christi amorē sentiet, & cunctas grauitates vndecunq; veniētes, Christo intus confortante & iuuante facillime tolerabit. Multas namq; turbationū materias amputat, multos laqueos tentationū euadit & superat, qui propter Christum ab omnibus terrenis desiderijs perfecte se denudat & elōgat. Hic ad cælestia nullo terrenorū pondere grauatus euolare libere possit,

Benignitas Iesu miraculum omnino superat.

Parcor amor Christi qui acquiritur

sit, quotiēs dilecti amatoris sui qui in cælis est, recordatus fuerit, aut eius verba audierit vel legerit. Dolor nempe de absentia Iesu vehementer cōpungit, amor verò ex præsentia, gratia eius læguētē vngit, tristē consolatur, & torpentem accendit. Qui ad hanc deuotionis gratiam & contemplationis celsitudinem nō valet tam repente pertingere, nō desperet, nec laborare desistat, gemat, oret, solus sedeat, taceat, & se recolligat, expectet longanimiter, speret confidenter, & vltra quàm credi potest consolabitur affluenter. Benignus est enim Iesus super omnes sanctos suos, nō deserit sperantes in se. Probat frequenter, corripit amatē, instruit sapienter, vocat incessanter, pulsat fortiter, aperit libenter, suscipit lætenter, indulget clementer, donat sufficienter, coronat excellenter. Non ergo te frangant amorosa Iesu verbera: nec fastidias audire sacra eius verba, à quocunq; vel vbi cunq; fuerint lecta. Non te deiiciat cordis inconstantia, nec corporis aegritudo, nec dolor capitis in Christi seruitio acquisitus. Qui te creauit, & ad seruitium suum vocauit, non deerit tibi pro nomine suo patienti. Omnia enim mala quæ patieris, & quæcunq; bona ad honorem dei in hac domo feceris in disciplina perseuerando, feribentur in libro vitæ æternæ, & computabuntur tibi ad maximum præmium in regno cælorum. Auerte igitur te à vanis, redi ad interiora mentis, recogita beneficia dilecti amatoris tui sæpius tibi concessa, & adhuc ampliora in futuro reuelanda. Trahat te ad seruiendum gratanter piissimo saluatori pietas eius immensa, ad amandum ipsum bonitas infinita, ad sperandum in misericordia eius, charitas eius vsque in seculum extensa, verè poenitentibus promissa, perseuerantibus in fine reddenda. Transeunt omnia præter amare deum, pereunt cuncta sine Christo, amarescunt omnia sine Iesu pro salute mundi incarnato, passo, crucifixo, resuscitato & glorificato. Hæc sit sapientia vestra fratres, hoc studium præ cunctis literarum studiis eligatis, meditari die ac nocte Iesum crucifixum nobis in cruce immolatum, & in cælis eleuatum, vt tota spes vestra sursum tendat in ipsum super omnia amandum & laudandum. Ideoque pro ipso pati & fatigari in eius seruitio reputetis pro thesauro maximo in agro sanctæ crucis inuento. Meditatio operum diuinoꝝ & sermonum Christi dulcedinem parit & læticiam, fidem roborat, spem erigit, charitatēque in corde accendit, quam se daturum fidelibus suis ipse promisit. Sed inuidus diabolus qui Christum tētare audebat, & persecutiones in ecclesia sapius suscitauit, ac mul-

tos sanctos vexauit, adhuc non cessat molestare deuotos, rædium boni ingerens, & claustrari rigorem dissuadens. Heu callida instigatione multos decipit per blada & mollia, terret per dura & aspera. Veruntamen Christo auxiliante non nocebunt tela eius nequissima: sed erunt fortiter dimicantibus & viriliter resistentibus in laudem & gloriam, & diabolo ad perpetuam confusionem & poenā. A cuius laqueis & fraudibus nos semper custodiat Iesus Christus, qui est ad dexteram patris super omnia deus benedictus in secula Amen.

Nota religioſe.

Dixit quidam deuotus solitudinis amator. Beatus monachus desolatus, cui mūdo exilium, cælum patria, cella paradysus est. Beatus religiosus deo deuotus, seculo ignotus, cui opidum carcer, claustrum refrigeriū, labor requies, solitudo solatiū, luctus gaudium, silentium pacis hospitium. Beatus, cui sacra lectio cibus, oratio potus, psalmus iubilus, meditatio Christus, speculatio deus. Beatus religiosus qui omnia studia & exercitia sua ad virtutes & beneplacitum dei ordinat, & nihil singularitatis & ostentationis verbo vel facto prætendit, cauens vbiq; ne deum vel proximum offendant. Beatus qui pro bono accipit quando aliquis eum corripit & recte instruit, ne in errore permaneat, & male pereat. Beatus qui os suum stricte custodit, ne ociosum aut nocium verbum proferat. Talis magnā pacem habebit, bonam conscientiam & famā, deuotionisq; gratiam obtinebit specialem. Multa iurgia cessare facit, qui patiens est & tacet. Religiosus in abscondito manens, quasi lucerna in nocte secure ardens. Flabunt ventri, & non nocebunt deo vacanti & oranti. Vere magnus thesaurus in ore sapientis, sed non minor in corde tacentis & orantis. Dixit quidam expertus. Quicquid boni tacendo colligo, hoc fere totum loquendo cum hominibus dispergo. Quia Sanson secretum suum mulieri retulit, & parabolā mellis non abscondit, postea ab hostibus captus & delusus fuit. Bonum est ergo religioso silentium seruare, & verba sua caute ponderare. Qui enim silentium bene seruat, quasi sacculum plenum pecunia secum ad domum mentis portat.

Exemplum de silentio.

Fuit in partibus superioribus monachus quidam ordinis Cisterciensis sollicitus custos oris sui, & claustralis disciplinae diligens obseruator. Hic zelo deuotionis accensus, vix vniciū verbum in hebdomada loquebatur. Cui abbas causa solatiij ait. Frater do tibi licentiam quādoque loquendi cum fratri-

Beatus monachus in cōsuetudine.

Silentij fructus.

Iudi.

Monachus quidam loquendi gratiam fieri sibi noluit.

bus. Qui respondit. Pater reuerende non desidero talem licentiam habere. Quod audiēs abbas edificatus est in responso fratris libenter tacentis.

Exemplum de solitudine.

Quidam frater regularis ordinis foras emissus, expleto negotio ad domum suam celeriter ac desideranter redire studuit, vt deo liberius in silentio vacaret. In via autē cōstitutus inuenit quendam viatorē sibi amicum & notum, qui diuersa loca sanctorum & monasteria se visitasse assererat. Interrogatus ergo de religiosis locis, dicebat se etiam in sacro Carthusiæ claustrō fuisse. Cumque multa bona de situ loci illius in alto monte & arcta solitudine, ac fratrum ibidem habitantium rigore loqueretur, hoc tandem intulit. Inueni ibi fratrem, cum quo libenter loquens, curiose interrogauit dicens. Quanto tempore hic habitasti? Qui ait. Quadraginta anni lapsi sunt, & interim non vidi primam portam per quam primo ingressus sum. Audiens hæc frater prædictus miratus est, & aliis fratribus suis ista pro bono exemplo amandæ solitudinis recitauit. O quam rarum & alienum est istud in multis religiosis temporibus istis, qui pro pœna carceris reputarent, si intra annum extra septa monasterij vel extra portam spatian-di causa exire non deberent.

De constantia & perseverantia in statu religionis. Sermo 5.

Constantes estote, & videbitis auxilium domini super vos. Dilecti fratres gratanter accipite verbum piæ exhortationis ad perseverantiam vos admonens in statu religionis, quæ maximam habet remunerationem in cælis. Proponatis firmiter in cordibus vestris quod velitis in loco & ordine isto quem sponte elegistis, permanere constantes, & cum omnibus in hac domo propter Christum diu ante tempora vestra congregatis bona & mala sustinere. Qui dedit bene incipere, dabit per gratiam suam melius consummare. Non enim vestris meritis ad hunc conuentum vocati estis, sed coronis eorum participes vos fieri credatis. Horum orationibus adiuuari & beneficiis sustentari gaudeatis, & gratias semper deo agatis. Non enim ad ociandū & epulandum venistis, sed vt deo fideliter & deuote seruiatis. Et tanto sollicitiores & promptiores esse debetis ad omnē obseruantiam ordinis & communes labores, quanto plura conuenientia in ædibus & libris, in cibus & vestibus iam habetis, quæ multi seniores ante vos non habuerunt. Vos in labores eorum introistis, ideo grati sitis de bonis acceptis. Hæc temporalia à deo parata quasi encenia quædam ad

sustentaculum corporis vobis conferuntur. Si vtimini istis sobriè cum gratiarum actione & beneuolentia, tunc adicietur vobis adhuc ampliora bona in cælis, quæ certissimè reddentur omnibus perseverantibus in ordinis disciplina. Et si necdum intelligere nec capere potestis futura gaudia præparata in nuptiis cælestibus, firmiter tamen credatis, quia fidelis & potens est deus dare quæ promissit diligentibus se, qui non coacte sed libera mente feruiunt ei die ac nocte sine querela. Idcirco cum ingenti sollicitudine abiicite cito de corde vestro nociuam tristitiam, & omnem indignationem, tanquam venenum diaboli, & studeatis inter fratres vestros tanquam angeli pacis inter conciuos suos conuersari. Tollite super humeros vestros iugum domini amantibus leue & suauē, donec perueniatis ad patriam felicitatis æternæ. Interim vero probari habetis more sanctorum per varias tentationes, quæ in religione sæpe contingunt, & nouitios hinc inde grauiter affligere solent, quarinus tanquam aurum in fornace probati, & à rubigine vitiorum præteritorū purgati, fulgeatis in conspectu dei sicut agni nouelli in fontibus loti. Enimvero post lachrymas & dolores, recipietis consolationes diuinas & illuminationes mentales, omnes labores & angustias alleuiates. Quid vultis amplius? Ecce nunc dantur vobis terrena bona pro sustentaculo corporis in via laboris, postea vero dabuntur cælestia & sempiterna bona in regno dei cum angelis sanctis, quia cognatos & amicos reliquistis, & deo potius quam sæculo seruire elegistis. Si igitur constantes permaneritis in eo quod cœpistis, lætante & fiducialiter à Christo in iudicio audietis: Vos estis qui permanistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnū, vt edatis & bibatis super mēsam meam in regno meo. O dulce & consolatio sum verbum, confortās ad perseverandum in ordine assumpto, & in quacunque tentatione & tribulatione aut infirmitate quis fuerit circumuentus. Dei profecto est adiuuare, & de omni angustia mētis & corporis afflictum liberare. Et qui confidit in deo orando & patienter sustinendo, consolabitur tempore opportuno gratias agendo de auxilio cælitus sibi collato. Nō est personarū acceptor deus, sed in omni statu & loco in quo fuerit memoria nominis eius sub cælo, aderit tētatibus & tribulatis corde. Exaudiet eos pro sua clemētia, & ostēdet eis secreta iudicia sua, & mirabilia magna in omni re quæ operatur in terra. Nō potest quis dicere deo, cur me ita affligis, & aridū relinquis, & aliū sic pmoues, & plures voluptates habere pmittis? Stulta

Stulta & vana est huiusmodi cogitatio, vel in minima re dubitare aut conqueri de dei prouidētia & bonitate. Infirmorū & insipientiū mos est reprehendere & male interpretari facta prudentium quæ non intelligunt, qui mirantur & scandalizantur plerunque in seipsis quare deus ista vel illa tam aperta mala fieri permittit. Quibus Psalmista ita respondet. Iustus dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Et iterum. Iustus es domine, & rectum iudicium tuum. Hoc igitur firmiter teneatis, quod in omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos, & nemo potest se abscondere à iudiciis eius, nec multis pulchris verbis mala sua excusare, neque ad superiorem iudicem contentiose appellare. Quicunque ergo in statu humili & ordine suo manens, contra tētatationes & vitia sua strictius certauerit, maiorem nunc gratiam deuotionis à deo meretur, & in futuro amplioris gloriæ beatitudine perfructur. Potest quilibet religiosus in ordine suo & loco à deo sibi prouiso animam suam saluare, & virtuosè proficere, si sollicitè seruat quæ ordo instituit, & prælati facere iubet ac consulit. Nemo igitur instabilis se seducat, neque stulta & vana imaginatione de alio loco cogitet, & de incertis futuris iucundiora sibi prophetando dicat: O deus si in tali loco & ordine effem, quæ bene & deuote me habere vellē, nec de aliquo amplius conqueri vel turbari. Heu miser & insipiens homo, qui extranea ob defectum feruoris cogitat, & sæpius ex angustia præsentis passionis leuiores cōtingis, cur non facis hæc bona in loco isto, vbi cum multorum fratrum gratia & bonæ conscientie pace viuere potes deo teste & fauētē? Quare negligis modica tibi dicta, & præsumis ampliora futura? Præscito quod sæpe aliter & multo deterius contingere solet tepidis & dyscolis discipulis, quam ipsi in animo prius sinxerunt, absque fructu alicuius valoris. Multos fefellit ista imaginatio, multos eruditos errare fecit facilis loci mutatio, plures cōtristauit ad alium ordinem inconsulta migratio. Sæpissime nanque in aliis probatum est, quod raro emēdator rediit, qui plura loca quæsiuit. Vbiunque enim homo fuerit, homines inueniet, etiam claudos & debiles, quos vtiq; tolerare oportet. Et forte imperfectiores aliquos videbis, qui tibi in multis non placebunt, nec tu eis similiter complacabis. Dicent forte quidam aut cogitabunt de te sinistre, Si valuisses aliquid, mansisses potius in loco in ordine tuo cum pace. Manifesta tamen cito erit causa cuiuslibet discursantis de loco ad locū, quid eum amplius agitauit. Nō enim diu latere potest ficta sanctitas, nec cor-

rigit eum leuitas, nec alios edificat euagadi libertas. Nam veræ deuotionis nutricius est solitarius & religiosus inclusus. Audite cuiusdā deuoti senis parabolā. Cum aliquis vno pede claudus aut monocolus egreditur, raro vtroque sanus reuertitur. Vulpes exiens foueam, nescit diu per rectam incedere viam. Sic homo vagæ mentis & dolosus nequit diu se fingere, sed seipsum prodit etiam inuitus coram multis ignotis, aut verbis, aut factis apertis. Sæpe etiam iracundia motus, ostēdit impatentiæ suæ aculeos, cum fuerit pro culpa sua correctus, aut silētium seruare coactus. Superbus homo passionatus intrinsecus ad breue coram aliis quandoque se comprimit, ne reprobetur & vilescat extrinsecus. Processu vero temporis liberior factus, ad solita reuertitur inuerecundus. Sicque patebit pluribus, quod non vere fuit humilis, sed voluit videri bonus & iustus. Tentatio diaboli non permittit fugitiū diu abscondi, nec quiete agere, sed per noua & inopinata obstacula pungere inchoat, multoque deterius vexare & cōfundere timidum laborat, quia nidulum suum insipienter reliquit. Onus quippe ordinis diurnū & nocturnum collo monachi impositum, ostendit cito quantum portare potest pro amore dei & sustinere. Idcirco in omni loco & statu, in omni officio & dignitate spiritali, aut occupatione temporali, quammaxime necessaria est longanimis patientia, ac diuinæ gratiæ larga affluentia, cum frequenti precum instantia, ne infirma mens crebris ictibus tacta moueatur subita ira ad impatiētiam, aut suggestionē fatanæ quærat reddere vindictam, indigne ferendo opprobria sibi obiecta. Noli miles Christi fugere, noli teipsum deiicere, noli à primo feruore tepescere, nec de diuinæ dulcedinis consolatione hæsitare. Noli quærere exteriora corporis commoda, animæ tuæ valde nociua, sed propter deum sustine tentationes & hominum vexationes tam in hoc loco quam in alia domo. Nec æstimes te à deo derelictum si multa tibi occurrunt ad patiendum, quia non es melior Christo passo, nec martyribus sanctior atrociter interfectis. Homines agunt & sæpe obloquuntur vt homines, nec semper verum est quod dicunt, nec multū curandum si laudant an vituperant. Caue omni tēpore & loco à malefacto & scandalo, & deus liberabit te à verbo iniquo de te mendaciter dicto. Scriptū est in quadam collecta quadagesimæ super populum. Tuere domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emūda, quia nulla ei nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Pœna enim non facit aliquē reum, sed culpa iustam exigit pœnam.

Instabilis se seducat, neque stulta & vana imaginatione de alio loco cogitet, & de incertis futuris iucundiora sibi prophetando dicat: O deus si in tali loco & ordine effem, quæ bene & deuote me habere vellē, nec de aliquo amplius conqueri vel turbari.

Deum ergo prae oculis habeas: orare in tribulatione non omittas: temporibus debitis scripturas sanctas lege vel scribe: ut tedium cordis melius vincas. Dat deus saepe in vna hora, quod in tota denegar septimana. Nunquam de tua virtute & iusticia praesume: sed de misericordia & bonitate dei optime confide: & inter spem & desperationem caute & discrete procede. Nunquam ita hilaris sis & securus, ut timorem & verecundiam a te excludas. Qui deo vult placere, & proximum aedificare, debet oia verba sua & mores foris & intus taliter ordinare, quasi statim coram deo & angelis eius deberet praesentari. Noli ergo religiosus frater, si leuis fueris & vagus aut verbosus, de exteriori habitu coram hominibus quasi sanctus homo gloriari, nec de aliquo opere priuato vel communi superbiere, sed potius inutile te reputabis, si recte sapias, utpote qui de mille talentis vix vnum reddere sufficis. Non es ideo sanctus & magnus dominus dicendus, quia cappam geris extrinsecus, quod asinus facere posset, si esset taliter vestitus. Attende conscientiam tuam: fecerit magis quam aestimationem humanam, quia non sunt oia ita sana coram deo & clara, sicut apparet hominibus esse pulchra. Homo videt in facie, deus autem in corde, qui etiam minutissima considerat, quae tu non cognoscis, aut modicum ponderas. Idcirco deprime cor tuum sub districto dei examine, & noli de dignitate religionis vane extolli, neque de virtutibus aliorum & miraculis sanctorum iactanter loqui. Seipsum denigrat & confundit, qui patrum suorum sanctitatem commendat, & humilium eorum conuersationem sequi negligit: qui regularis & religiosus vocatur, & viuendi normam quam sancti posteris reliquerunt, seruenter non sectatur: qui de bonis monasterij quotidie viuunt, & statuta monastica tepide seruat, aut leuiter frangit. At tamen propter sanctos patres praecedentes qui religionis ordinem instituerunt, & regulas viuendi composuerunt, desides & vagantes a secularibus personis & magnatibus quos dei seruos credunt, etiam honorantur. Ideo vnusquisque seipsum recte inspiciat, & aliis bonum exemplum tribuat: ne sancto ordini iniuriam faciat, & confusionem sibi malis moribus generet. Vae illi, inquit dominus, per quem scandalum venit. Si vis aliquem religiosum vere cognoscere & commendare: non corporis habitum album vel nigrum inspice, nec ad subtilitatem verborum attende: sed humiles mores eius interioris hominis imaginem praefereutes considera. Gratiam quoque Christi, quam accepit, tacitus venerare, & deum pro donis suis amare & laudare, qui talem famulum sibi elegit in terra, tentationibus &

1. Re. 16.

Mona-
chi perfe-
ctio vn-
de dino-
scatur.

periculis plena. Caute tamen & moderate lauda quem diligis: ne te & ipsum decipias, si vltra quam oportet aliquid dicas, de quo postea erubescas. Fratres omnes in Christo vnum sumus, vnum patrem caelestem habemus: omnes vnus sanctae matris ecclesiae filij vocamur, quicumque in Christum credimus, & in Christo baptizati sumus: ideo de habitu exteriori & diuerso modo viuendi contendere non debemus: sed vnusquisque in ordine & statu suo bene studeat viuere, & deo soli ad votum cum gratiarum actione digne placere. Non enim loci amoenitas, nec magnitudo, non vestis pulchra nec gradus excellentia perfectum facit religiosum: sed perfecta seculi abrenunciatio, & vitiorum quotidiana mortificatio, & praecipue puritas cordis, & amor virtutum, tendens directe in deum. Religionis nomen magnam habet laudem inter seculares, sed sine contemptu seculi parui ponderis est apud deum. Sed quid valet alium nomen sine opere virtutis? Quid prodest altus status sine humilitate & charitate? Ille verè religiosus est, qui seculo sponte renunciat, & corde ad seculum non regyrat: qui perpetue se deo obligat, & omnes voluntates suas propter deum frangere studet. Qui enim cum sancto habitu & bono nomine opera virtutum sic agit exterius, ut tamen soli deo in omni cogitatu & actu placere intendat interius: hic digne laudandus est, & amicus dei appellandus. Si cupis vanam gloriam vincere, attende singulos defectus tuos quasi omnibus notos, & cessabit vanae gloriae motus. Caue singularitatem verbis & moribus ostendere: noli nimium de te presumere, cum prospere tibi successerit: ne deiciaris aduersitate ingruente. Manes in loco tuo, & pone te ad patientiam: & inuenies pacem & gratiam coram deo & hominibus: & eris dilectus fratribus cunctis. Sed ne aliquis de facili cogitet mutare habitum vel locum, referam vobis cuiusdam fratris factum ad maiorem cautelam habendam.

Exemplum.

Fuit quidam frater in ordine regularium probabiliter diu conuersatus: & procurator factus, apud multos religiosos & seculares erat bene reputatus. Hic longo tempore tentationem habuit & desiderium transeundi ad alium ordinem, & locum remotum: quod & fecit, licet minus prouide & inconsulte. Nam ex debili sine patuit postmodum leuitas incostantiae. Prouidit autem secreta sibi locum apud quosdam religiosos mendicantes satis bonae conuersationis sub regula beati Augustini degentes: a quibus etiam benigne & libenter est receptus. Nec longa mora extitit ad probandum: sed

sed

sed festinanter est inuestitus propter vehemens suum desiderium adimplendum. Tam instantiter petiit & anhelauit ad illum ordinem, ut eodem die libenter professionem fecisset, si fratribus hoc placuisset. Sed fratres cautiore, quia ipse, quia conuersationis eius statum nesciebant, repentino desiderio eius non consenserunt, sed tempus probationis (ut moris est) libere ipsi indulserunt. Existimabat enim, sicut exterius apparebat, hanc aduenam vtilem sibi fore, quia personis indigebat ad ordinis reformationem. Sed cum iam inuestitus esset, mutatum est cor eius in aliud quam credidit. Coepitque vehementer contristari & poenitere, quod locum pristinum ubi diu moratus fuerat reliquerat, & fratres suos sine debita causa secreta dimiserat, quos non parum de suo recessu contristauerat & confuderat. Vix octo dies intercesserunt, & in tantum praefusione mentis doluit & ingemuit, quod nec comedere nec dormire potuit. Interrogatus ergo quid sibi obesset, dixit: Nullatenus possum in conscientia contentari, nec pacem habere, nisi iterum ad pristinos confratres meos fuero reuersus. Quibus auditis, satis contristati & permoti sunt fratres, & acriter eius incostantiam arguebant, eo quod in tam breui tempore remutatus esset, & puerilem rem praesumpsisset. Ad quos ipse humiliter & verecunde respondens, ita se excusabat: Credatis mihi fratres, quod per multos iam annos hanc tentationem habui, ut ad alium ordinem transirem, & tam fortiter hoc in animo concepi, quod putabam nunquam me posse mutari. Sed iam hoc ipsum experientia propria aliter esse probaui, quod prius perpendere nequini. His igitur ab eo dictis, ne scandalum adhuc latens erumperet & cresceret, inuito consilio saniori, miserunt ad priorum quendam ordinis regularium in vicinis morantem, rogantes ut ad eos properanter venire dignaretur, causa necessaria perurgente. Quo adueniente, rem gestam per ordinem pandunt: & quid iam faciendum sit, diligenter efflagitant. Nec longa mora trahitur: sed paci ab vtraque parte prouidetur. Igitur frater praedictus dolore magno compunctus, habitu praesumpto exiit: & rursus priore habitu regularium canonicorum in ordine consueto induitur: sicque turbationis occasio de medio sublata repente cessat. Deinde dato ipsi socio, ad monasterium suum pristinum rediit: & petens humiliter veniam de offensis patris, a confratribus suis misericorditer est receptus. Moxque iniuncta ipsi salutari poenitentia, de praesumptionis errore castigatus est. Et de caetero cautior factus, didicit nil temere debere agere: nec per alienas domos insipienter discursare.

De cauta custodia iuuenium contra multas tentationes.

Sermo 6.

Videte quomodo caute ambuletis: quoniam dies mali sunt. Dilecti fratres: his verbis admonet nos omnes doctor egregius beatus Paulus apostolus, ut cauti simus, & fortiter certemus contra vitia in hac domo dormini, ubi est habitatio peregrinorum mundi in qua erectum est vexillum sanctae crucis in signum spiritualis militiae pro lucranda aureis coronis in caelestibus regnis: Quapropter a proficiendi desiderio nemo torpescat: dominus virtutum nobiscum: qui est fortis supplantator vitiorum, & hostium fugator. Nemo turbetur neque formidet ab impetu tentationum diuersarum, nec a multitudine contrariorum ventorum, neque a fatigatione laborum quotidianorum: quoniam per multas tribulationes oportet nos omnes intrare in regnum caelorum: sicut praedicat euangelium Christi, & docent actus apostolorum. Nempe & ipse apostolus Paulus vas electionis ad caeli secreta frequenter raptus, tentationes habuit: vexationes hominum passus est: atque in multis laboribus fatigatus, detractiones & iniuriam rationes contra se iniustas saepius audiuit & sustinuit. Nec tamen propter aduersa affligentia a Christi seruitio & amore discessit, nec refraxit, sed magis viriliter ad tolerandum omnia se exposuit: & alios secum ad certamen propter coronam gloriae confortauit, quam Christus seruis suis multa contraria pro se sustinentibus promissit. Et factus est beatus Paulus tanto latior & securior ad percipienda praemia futura in caelo, quanto duriora pertulit a notis & ignotis tamquam homo despiciabilis in mundo. Fratres nolite nimium timere pro Christo pati & vilipedi: omnia haec nihil sunt, & cito finiuntur: immo comparatione futurorum bonorum & malorum, vix vnus puncti sunt aut momenti reputanda. Scitote ergo quod haec vita & regularis disciplina quam deo inspirante acceptastis, bona est, & animae vestrae valde salutaris: sed non ab hostium insidiis secura: nec a vexationibus hominum & increpationibus peruersorum semper quieta: quia modo iste, modo ille dicet aliquid aut faciet quod oculis vestris non placebit. Quid ergo facietis? Patientes estote & tacete: dominus pugnet pro vobis: & veritas liberabit vos. Non perdat meritum vestrum, sed tacendo sustinete modicum, dignos vos omni confusione iudicantes. Adhuc non estis in caelo cum angelis sanctis, sed in mundo cum hominibus bonis & malis: qui non deficient in hac regione umbram mortis. Idcirco potestis bene saepius

Ephe. 4.

Psal. 43.

Acto. 14.

Paulus in aduersus probatus amicus dei.

Rom. 8.

Exo. 14.

gemere, & non leuiter ridere: magis autem timere, & non fatue de vobis presumere. Itaque sollicite in omni loco & tempore coram deo ambulate, quia incerti estis de bono fine, & qualiter deus velit facta vestra iudicare, nescitis. **Psal. 33.** Time de dominum omnes sancti eius, ait David sanctus, quoniam nihil deest timetibus eum. Quare horreatur timere, & sub magna custodia disciplina stare: Quia terribilia sunt iudicia dei super filios hominum, & nemo certus est vtrum dignus sit odio an amore. Idcirco valde vtile est homini adhuc carnali dissoluti & immortificato habere timorem dei, & omnia opera sua vereri, & vilia de se sentire. Nam timor dei facit a peccato recedere, pericula tentationum praecauere, de praeteritis malis dolere, a praesentibus delectationibus abstinere, de necessariis vitae sobrie sumere, ac discrete actus suos regere, semper ad perfectiora tendere, & cuncta quae deo magis placet, inquirere ac studiose agere, & ad eius honorem omnia bona laudabiliter trahere & promouere. **1. Ioan. 5.** Heu heu fratres multa pericula circumdant nos vndique, scilicet caro, diabolus, & mundus totus in maligno positus. Ex his generantur pericula & tetationes, & pauci sunt qui sine laesione & iniquatione euadunt. Quid ergo mirum si quis de sua fragilitate timeat, cum vbique laqueos diaboli contra se extendi percipiat? Si enim bona agit, si bene legit, cantat vel scribit, si orat, studet, praedicat aut celebrat, ecce statim adest diabolus cum vana gloria, probum impugnans per prospera, volens eum deicere & priuare gratia a deo ipsi collata. Si vero in aliquod vitium per fragilitatem cadit, mox aduersarius laetus accurrit, suggeritque non esse magnum malum, nec grauius puniendum, sed & breuiter confitendum & caute excusandum, cum multi talia & grauiora faciant & fecerint. Sic lapsus tepidum hostis calidus decipit, quatinus parum poeniteat, tarde ad confessionem eat, communicare differat, ministrare timeat, ad exteriora se conuertat, cellam exhorreat, fabulari & ociari quaerat, debilem se fingat, necessaria omittat, aliena inuestiget, diuina negligat, terrena mente reuoluat. Haec omnia si quis tempestiue non expellit, grauioribus diaboli laqueos incurrit. Rursum quosdam debiles per iracundiam & patientiam laedere & prostrernere querit, & modica re perdit vel ablata contristat vel perturbat. Indignationem suscitatur, suspiciones immittit, bene gesta peruertit, falsa pro veris seminat, & mala pro bonis reddere suadet. O peruersitas hostis dolosi, quantae sunt insidiae & decipulae tuae in omni loco & tempore occulte laedentes & improuise: Et quis cognoscat eas, & enumeret omnia

omnes? Solus deus omnium secretorum cognitor nouit astutias diabolicas, qui docet eas praecauendas per scripturas sacras ex spiritu sancto reuelatas. Quid ergo faciet homo grauius tetatus & multipliciter vexatus a facie inimici, qui etiam coram alienis accusatur & deridetur? Quo fugiet ut laqueos euadat, & mala non audiat, nec videat? Quando veniet tempus ut pacem & quietem habeat? Dixi vobis, & iterum dico omnibus paruis & magnis, Pax nostra est in multa patientia, in vera humilitate, in contemptu omnium consolationum terrenarum, in forti tolerantia contrariorum, in longanimi expectatione caelestium gaudiorum. Recordamini igitur charissimi in tribulatione vestra beneficiorum diuinorum, & mirabilium operum suorum ab initio creaturae usque ad consummationem seculi, & inuenietis quod pietas dei excedit malitiam hominum in peccato eorum malis, ut vitam emendat in melius. Et cum pios flagellat aduersis, etiam amorem suum in dilectis ostendit. Qui ergo verbera beneficia reputant, ipsi nunc pacem habent, & hos iucundissima retributio sequetur in caelis. Ibi enim plena pax & securitas ab hostibus, libertas a vitiiis, sanitas a morbis, requies a laboribus. Ibi diuitiae sine sollicitudine, deliciae sine amaritudine, cognitio sine errore, dilectio sine fictione, gaudium sine macerore, honor sine confusione, laus & gloria sine cessatione. Sed heu haec bona defunt in mundo, vbi omnia permixta sunt malis. nam rara virtus perfecta, raro conscientia ab omni macula pura. Et nisi adsit gratia diuina, & diligens cordis custodia, cito negligens cadit in vitia & solita mala. Et vnde hoc accidit? Quia cum peccato nati sumus, & a iuventute ad delicias carnis inclinamur, tepide ad virtutes nos damus, inuite a propriis conceptibus retrahimur, vanis implicamur, aliena scrutamur. Ideo proniores sunt sensus nostri etiam post conuersionem & confessionem peccatorum ad terrena & visibilia bona sibi nota redire, quam ad caelestia & inuisibilia desideranda asurgere. Grauis dolor est vago homini abstrahere mentem ab infimis bonis naturae suae assuetis, grauis labor attollere animum ad superna & aeterna bona abscondita ab oculis humanis. Heu heu quanta angustia animae, laborare & certare quotidie contra se pro aeterna vitae retributione? Sed latent adhuc tanta bona & magna merita & infinita praemia quae deus laborantibus, certantibus, dolentibus & pie sustinentibus copiosissime reddet in futuro, secundum sua promissa in euangelio sancto. Ecce (inquit) merces vestra multa est in caelo, quae vobis dabitur pro breui certamine atque pressura in mundo. Sed quis potest omnia

Psal. 33.
Psal. 65.
Timor dei homini in firmo necessarius.
Prou. 15.
Timor dei quid efficiat.

Prou. 30.

In obsequio virtutes quae vbi in periculis sunt.

Apoc. 2.

omnia pericula huius vitae cognoscere & praedicere, quae possunt homini sub sole in loca tentationis contingere? Nam iusto & impio multa aequae similia eueniunt. Saepe etiam aduersa plus contristant, quam bona adepta laetificant. Si aliquis pauper est, sollicitudo vrget eum de bonis acquirendis. Si diues fuerit, timorem habet de perdendis. Vnde ergo habenti, & vnde non habenti, quia vtrouique instant pericula peccandi. Orat ergo sapiens mediā viam eligens, & dicit: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo necessaria praebe. His fili mi amplius ne requiras. Paupertatem Christi amicam propter Christum non verearis, quia spote pati defectum, virtutis est, & acquisitio regni caelestis. Dulcior est sepe siccus panis pauperis esuriētis, quam crapulosa mensa satiati diuitis. Salubrior est medicanti aqua potus sub vili recto asseris, quam fortis vini copia in palatio regis. Plus enim diuitem satietas ciborum grauat, plus vini potus caput eius laedit, quam tenuis victus stomachum mendici languentis. Periclitatur autem citissime sancta paupertas in diuitiis magnis, sobrietas in conuiuio lautis, humilitas in honoribus altis, castitas in amicitia cum foeminis, deuotio in tumultibus, compunctio in risibus, silentium in turbis, puritas cordis in rumoribus, quies in laboribus, mansuetudo in aduersis, prudentia in officiis, tranquillitas in occupationibus, discretio in correptionibus, sapor diuinorum in fabulis vanis. Ecce quomodo virtutes obscurantur & subruuntur per nimiam familiaritatem quorundam actuum cum secularibus. Cito nanque spiritualis dulcedo per externa negocia perditur, & feruor charitatis a deo quaesitus, per longas fabulas frigeat & extinguitur. Et nisi per compunctionem leuitas mentis refrenetur, per orationem tepiditas expellatur, per lectionem serenitas recuperetur, per puram & humilem confessionem conscientia crebrius mundetur, vitia assueta redeunt, crescunt, indurant, opprimunt & affligunt. Quapropter necesse est religiosum fratrem seipsum praecipue admonere, & aliorum admonitiones benigne accipere, magnam curam contra passionem suas adhibere, ac fortiter contra vitia irruentia rebellare, quia per fortia certamina itur sine dubio ad gaudia sempiterna vincuntibus in extremis reddenda. Hinc Christus per beatum Ioannem in Apocalypsi loquens adhortatur strenue fidelem militem suum certare, & contra diaboli nequitias per orationes & sacra studia vigilare. Esto (inquit) fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae. Et iterum in eodem. Vincenti dabo manna absconditum, & nomen non-

uum quod nemo scit, nisi qui accipit. De quo beatus Paulus ait: Nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Duo preciosa dona Christus promittit bellatori suo, ne deficiat in certamine contra vitia, scilicet manna diuinae consolationis in praesenti, & coronam perennis laetitiae in regno caelesti. Nolite ergo fratres seduci inanibus verbis per amicos seculares, nec attendatis ad honores temporales, sed tenete bonam & rectam viam per regularem vitam perducentem ad vitam aeternam. Quam nobis omnibus dominus Iesus Christus post dolores & labores huius mortalis vitae concedat, qui pro nostra salute fortiter in mundo laborauit, certauit, doluit, fleuit, orauit, passus & crucifixus triumphauit. Amen.

De districto dei iudicio, vbi accusabunt nos omnes creaturae. **Ser. 7.**

Humiliamini sub potenti manu dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Dilecti fratres seriose attendite sacra beati Petri apostoli verba, quae iam in epistola eius sunt lecta. Hortatur enim omnes ad veram cordis humilitatem, ut homo consideret altissimam super se dei potentiam, & propriae fragilitatis multiplicem miseriam. Haec duo simul iuncta faciunt humiliter de seipso sentire, & de nullo bono opere superbire. Hinc rursus ait. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Inspiciatis ergo corda vestra deo in omnibus aperta, recogitate mala praeterita, praesentia pericula, futura dei iudicia, & quam districtè sint omnia opera nostra examinanda. Nescimus fratres qualiter deus iudicabit nos. Timeo autem quod accusatores nostri multa grauius obiciant nobis, de quibus nunc parum recogitamus. Sed quae sunt isti accusatores nostri? Vere valde multi, de quibus nunc aliqui sunt recitandi. Accusabunt nos angeli sancti, quia in sanctis diuinis non obediimus, sed potius carni & sanguini ultra necessitatem saepe indulsumus. Accusabunt nos daemones horrendi & maligni, loca tempora & personas allegantes, in quibus & cum quibus peccauimus, nec dignam poenitentiam fecimus. Accusabunt nos sancti patriarchae & prophetae, quia bona eorum exempla & fidem non sumus imitati per opera, qui praedixerunt nobis multa bona per sacra eloquia de Christo & vita aeterna. Accusabunt nos sancti apostoli & euangelistae, quia illam perfectionis viam quam a Christo didicerunt & tenuerunt, & docuerunt, tam negligenter & tepide secuti sumus etiam postquam monasterium intrauimus, & deo seruire promissimus. Accusabunt nos sancti martyres pro Christo occisi, quia eorum patientiam saltem in paucis vexati debiliter sectati sumus, & ad

2. Tim. 2.

1. Petr. 5.

Iaco. 4.

Accusa bunt nos multi in extremo examine. Eua g est Daemo nes.

Patriar chae & prophetae.

Apostoli & euangelistae.

Martyres.

mollia carnis prolapsi, vix scintillā primi feruoris retinemus. Accusabant nos sancti cōfessores & omnes religiosi ordines, quia eorū abstinentiam & laborem in vigiliis & ieiuniis multis, in orationibus & lectionibus, sicut de eis legimus, pro posse secuti non sumus. Accusabant nos boni pastores sacerdotes & doctores, qui multum laborauerunt pro salute animarum, pro conuersione peccatorum, pro disciplina religiosorum, pro cōsolatione tribulorum, quia eorum prudentiam & prædicationem non sumus in claustris per contemptum seculi perfecte imitati, nec cum tāta reuerentia & amore eorum libros super-mel & fauam dulcissimos gratanter accepimus, nec studiose perlegimus, nec diligenter ad sacros eorū sermones aduertimus. Accusabant nos lectores, cantores, scriptores, & oēs libri quos in choro, dormitorio, in refectorio & in cellis pro studio habemus, quia fructum paruum in istis fecimus, sed ad aliena & vaniloquia sepius auscultauimus. Ideo dicent si loqui possent, Cantauimus vobis, & non saltastis præ magnitudine gaudiorum & præmiorum futurorum quæ in libris nostris scripta continentur, quæ deus vobis pro cōsolatione & eruditione vestri transmissit. Rursumque dolentes cum ludentibus pueris dicent: Planximus vobis, & non plorastis præ nimis miseris & pœnis futuris, quas vobis frequenter denūciauimus. Accusabant nos sancti eremita solitaria vitæ amatores, à secularibus mente & corpore segregati, quia eorum angelicam conuersationem & caelestem contēplationem in cōtinuis orationibus & deuotis meditationibus, in silentio & laboribus, in abrenunciatione terrenorum, & mortificatione vitiorum, negleximus perfecte imitari. Ideoq; ipsi exultabant in magna gloria coram deo & angelis, & nos confusi stabimus propter delicias quas libenter acceptauimus. Accusabant nos sanctæ virgines, sanctæ viduæ, & omnes pueri, & puellæ, pudicitiam deo amabilem constanter obseruantes, quæ licet sexu & ætate fragiles essent, tamen per dura tormenta ab amore & fide caelestis spōsi separari non potuerunt. Nos vero difficulter à periculis & occasionibus carnalium vitiorum cauemus, plerunque inuite ieiunamus, & rigorē silentij laxè seruamus, clausuram & secretum cellæ pro pace cordis, & cōseruatione deuotionis insipienter abhorremus, & heu frequenter susurrando leuibis verbis diabolo instigante offendimus, qui auctor est turbationis, susurrij & leuitatis. Multæ nāque sacræ virgines & nobiles matronæ inter amicos & parentes seculares, inter diuitias & honores à deliciis abstinerunt, inter perfec-

Confessores.

Pastores boni.

Matt. 11.

Eremitæ.

Fœmings sanctæ.

tores & derisores castitatis propositum fortiter tenuerunt, clausuras & carceres, vincula, verbera & exilia patientissime tolerarūt. Quid ergo ad ista dicemus, qui viri sumus? Nam læpius foris spaciari quærimus, vnde paruum fructum reportamus. Erubescamus dilecti fratres quod tā multos gloriosos sanctos ac sanctas virgines, senes & iuuenes passos legimus, & adhuc parum pati valeamus. Sequamur eos poenitendo de malis, quos sequi non possumus moriendo pro virtutibus. Dicamus omnes gemendo & flēdo: Miserere nostri domine, parce peccatis nostris, da veniam de omnibus offensis, placare sanctorum tuorū meritis & precibus tibi gratissime acceptis. Sūc præterea & alij multi accusatores nostri, scilicet locus aptus, ordo sanctus, & habitus religiosus: quia & si seculum reliquimus ad oculum foris, & religiosum habitum portamus cū aliis, tamen statuta ordinis tam stricte non custodimus sicut promissimus. Accusabant nos prælati & rectores nostri, cum fuerint coram Christo de bona conuersatione nostra diligenter per singula interrogati. Oportet enim quod dicant pure rei veritatem ante iudicem Christum omnia secreta scientem. Inter multa præcipue quæretur ab ipsis, & exigetur à nobis, si in omnibus cum debita reuerentia obediētes fuimus, si pacem & concordiam cum fratribus salua ordinis disciplina seruauimus, si diuinum officium die noctūque deuote & attente alacriter & vigilanter persoluimus, si pro benefactoribus viuis & defunctis feruenter ac frequenter orauimus, si pro quotidianis excessibus & defectibus dignam poenitentiam egimus, si pro tribulatis amicis & aduersariis nostris preces ex charitate & pia compassione effudimus, si commune bonum & obedientiam omni priuato studio & deuotioni præposuimus. Accusabant etiam nos fratres nostri videntes conuersationē nostram à mane vsq; ad vesperam, quia bonum exemplum eis non dedimus vigilādo, orando, laborando, & aliis deuotis exercitiis insistendo, sed preciosum tempus poenitentia infructuose sæpe expēdimus, proprium commodum quærendo, & vtilia ommittendo. Accusabant nos seculares homines, peregrini & hospites aduentantes, quia viderunt nos foris vagantes, leues moribus, dissolutos verbis, bene vestitos, delicate comedētes, parum laborantes, diu fabulantes, tarde ad chorum, ad cellam, & quietem properantes. Nam tenemur eis & hominibus omnibus dare bonæ conuersationis exemplum, eò quod facti sumus deo & angelis spectaculum, cun- 1. Cor. 4. istiq; intuitibus doctis & indoctis vitæ aternæ oportet ostendere viam, & boni nominis gerere

Elementa & creatura oēs nos accusabit in iudicio.

gerere famam. Accusabunt nos insuper elementa & omnes creatura cæli & terræ, propter multa seruitia vsq; nostris exhibita, quia creatori nostro debitum famulatum nō exhibuimus, & gratiarum actiones pro collatis beneficiis totis cordiū affectibus sicut oportuit ac decuit non persoluimus secundum vires quas à deo accepimus. Ex quo enim sani videntur, ac necessaria quotidiana à prouisoribus nostris sine magna sollicitudine percipimus, & donaria gratuita libenter acceptamus, ideo iam magis deo obligamur tanquam cōmensales regis caelestis. Ignis dicet, & contra torporem & ingratitude nostram exclamabit, Ego iubente deo creatore meo vobis in multis locis subuenio, ego sicut fidelis seruus gratis seruo, sanis & infirmis in coquina, in pistrino, in braxatorio, in lauatorio & in oratorio, & quotienscunque necessarium fuit, pium me præbui omnibus calefacere se volentibus ad ignem. Ego virtute mihi data cōburo stramina, cespites, lapides, & ligna, exiccō humida, calefacio frigida, molliō dura, induro mollia, in diuersis materiis ago contraria, mira dei potentia legibus naturæ impressa, vt vos habeatis commoda vestra ad seruiendum deo cum lætitia & gratitudine magna. Nā in hyeme manus vestras & pedes calefacio, candelas accendo, tenebras fugo, claritatem lucis oculis reddo. Quid debui facere, & non feci? Respondeo creatori meo, si negaui obedire eius imperio. Feci enim sine contradictione, tam bonis quā malis, quæcunque mandauit fieri dominus conditor meus omnipotens & misericors deus. Bonis quidem & iustis ad vtilitatem eorum caleo & luco, malis vero & ingratis ad vindictam ardesco. Cūq; deus iratus iusserit, tunc ciuitates, villas & castra comburo, & tam diuites quā pauperes sine personarum acceptione deausto, omnemque mundi lætitiā, pulchritudinem & abundantiam in cinerē redigo, & tamen illæsus in propria naturæ forma permaneo. Aer dicet, Ego auram bonam & serenitatem præbeo, ad commodè ambulandum, ad ingeniose laborandum, ad fructuose seminandum, & ad maturos fructus in horrea & vascula hominum colligendos. Sed quia sæpe homines abutuntur bonis datis ad vanitates & illicita lucra exercenda, iratus deus malitiis eorum, subito me cogit exercere terribilia in terra, in mari, in arboribus, in pecoribus, in castris, in oppidis, in agris, & in domibus sacris. Nam clara adhuc die nemine aduertēte nubes eleuo, ventos produco, fulgura emitto, tonitrua genero, tempestates excito, mare perturbo, grandines proicio, hymbres effundo, terram concutio, arbores

euello, domos subuerto, & miram dei potentiam in istis inferioribus terribiliter ostendo, vt oēs peccatores terræ deum timere discant, & quā horrendum futurum iudicium in nouissimo die sequatur, ex præsentibus malis perpendant. Aqua dicet, Ego terram hymbribus irriro, fontes & flumina produco, pisces diuersi generis enutrio, naues etiam onerarias multis opus onustas firmiter porto, & ad longinquas regiones & insulas flante vento trāuecto, & multa mirabilia opera dei in mari & in aquis multis nauigantibus demonstro, vt annuncient opera eius in exultatione cum ad portum peruenerint, & de magnis periculis liberati magnifice gratias agant. Et quia peccata vindictam exigunt, ideo grauius deo offenso sæpe naues tempestate quatit & frango, sæpe homines submergo, preciosas rerum copias absorbeo, & tanquam lutum platearum, aurum & argentum in quibus homines confidunt, in imum prosterno, quatinus auari, & superbi gigantes qui deprimunt pauperes & defraudant innocentes, in diuitiis suis non exultent, nec spem in terrenis ponant, sed in deo viuo, qui cuncta fecit ex nihilo, & pauperes pascit in modico. Ego sanctorū manus & pedes lauo, & malis & ingratis ad multa deseruio. Sitientibus potum præsto, puteos & fossas impleo, purgo sordes, candido vestes, & ad varios vsus hominum & pecorum dulcia pocula aquarum de fontibus & torrentibus propino. Ego propter peccata hominū versa sum in cruorem in terra Aegypti, contra naturam de petra deserti largissime fluxi, ad preces sanctorum conuersa sum in dulcedinē, & ad verbum Christi in saporem optimi vini. Multas igitur gratias deo reddere tenentur qui copiam aquarum habent, & pisces retibus captant: qui verò vino & poculis variis se inebriant, & pauperibus parum aut nihil tribuunt, cum diuite in inferno cruciabuntur. Terra dicet, Ego homines & iumenta sustento, vias planas & semitas rectas per campos & nemora eūtibis exhibeo, montes & colles, ne aquæ præualeat, ad refugium seruo. Ego ligna & gramina, & varias herbarum species nutrio, vineas & oliueta, ficus, & mala granata, poma, pyra, nuces, amygdala, fabas, pisa, ordeum, triticum, flores, rosas, lilia, violas, profero, & per singulos annos cultoribus terræ & messoribus consuētos reditus soluo. Et pro omnibus istis beneficiis largiter hominibus apportatis, nō aliud requiro & gratū habeo, nisi vt oēs vbique terrarum nationes & insulæ gentium deum cognoscāt, colant, prædicent, laudent, & adorent, & super omnia bona visibilia & inuisibilia diligant, honorent, & exaltent, quandiu viuunt, odo-

Psal. 106

2. Mac. 1

Ero. 7. Exo. 17. Exo. 15. Ioan. 2.

1. Cor. 4.

rant, spirant, terram calcant, fodiunt, plantant & ædificant. Ego quoque post mortem carnis recipio corpora defunctorum in gremium meum, tanquã mater filios luce priuatos, quia de terra facta sunt, & in terram omnia reuertentur, sicut ad matrem suam, vnde factus est Adam, & tanquam ad commune hospitale omnium mortalium peregrinorũ. Cum enim quis inutilis fuerit mundo, aut senio fatigatus, aut bello occisus, aut morbo infectus, aut vultu deformis, & nemo hunc amplius voluerit in domo tenere, nec in lecto refouere, tũc sine longa mora ad me amici vel vicini recurrũt, foueam parant, & abiectum suum ad me reducunt, & sub lecto meo in terra abscondunt. Et quem viuentem dilexerant, & valde laudabant & honorabãt, iam mortuum vitant, nares obstruunt, inspicere horrescunt, & recedunt. Ego autem terra à deo creata, misericordia plena, nullum defunctum quantumcumq; miserum, leprosum, saucium aut foetidum abhorreo aut contemno, sed sine personarum acceptione omnes Adã filios & filias generaliter admitto, qui propter primi parentis culpam cogũtur redire in terram, de qua omnes traxerunt originem. Ego indifferenter aperio pauperi & diuiti locum sepulchri: & si interdũ viuentes pro loco digniore litigant, defuncti tamen tacent, nec sepeliẽtib; contradicunt. Omnes reges terrã, omnes principes, omnes duces, comites, barones, præsidēs, milites, nobiles, ignobiles, antistites, abbates, doctores, legistas, sacerdotes, clericos, & laicos breui tugurio claudo, tego & cõferuo, donec nouissima tuba resonante, Christus in maiestate sua cum angelis sanctis apparuerit in maxima gloria. Tunc enim cogar iterum reddere corpora in sepulchris dormiẽtia, ad præsentandum in iudicio bonos & malos, singulos cum corporibus suis sine mora, vt recipiat vnusquisque mercedem vel poenam secundum opera sua quã gessit in vita. Nec tunc potero aliquem violenter retinere, nec prece nec precio à facie iudicis & ab ira agni amplius abscondere, nec armis defendere, quoniam iustus dominus iuste iudicabit omnes fines terrã, iustos misericorditer saluans, & impios pro suis demeritis iustissime damnans. O vtinam mortales ista pensarent, & de districto dei iudicio cum tremore & gemitu frequenter cogitarẽt. Omnes enim (vt ait apostolus) stabimus ante tribunal Christi, de singulis malis præteritis rationem reddituri, accusantibus nos (vt dictum est) omnibus creaturis, circumstantibus angelis, & dæmonibus auide paratis ad recipiendum secum in ignem damnatos. Ibi nullus se poterit excusare, nec ad excellentiã im-

2. Cor. 5.

peratoris appellare, nec literis apostolicis neq; priuilegijs regalibus se defendere contra sententiam iudicis cuncta ab æterno cernẽtis, qui secretissimas cogitationes & opera singulorũ in qualibet ætate & hora patrata cognoscit notitia clara, nullo ipsi referente. Cuius tremendum iudicium omnes nũc reuereri debemus, & ante iudicii diẽ & mortis horam cum vera cordis contritione de malis omnibus poenitere, & veniã humiliter petere, ne forte de hoc mundo subito ad iudicium rapti, cum impijs perpetuo damnemur. Præstet nobis misericors deus nunc & semper inuenire misericordiam ante thronum gratiã suã, vt cum electis mereamur benedici, & in regnum gloriã felicitate introduci. Amen.

De vana gloria vitanda, & humili obedientia sectanda. Ser. 8.

Q Vi gloriatur, in domino gloriatur. Di. 1. Cor. 1. lecti fratres si vestram secularem vitam præteritam cum dolore cordis recogitatis, & quantũ deum offendistis, ad quid gloriari potestis? Si etiam negligentias quotidianas & offensiones diuersas caute considerare velitis, vnde gloriari habetis qui tam defectuosi estis? Qui mala sua præterita & præsentia pericula vigilanter attẽdit & stricte põderat, nunquam de operibus suis vane gloriari potest. Quis nostrum scit qualiter deus singula verba, cogitationes & opera, diẽ & nocte pensat & iudicat, vtrum ea acceptat, an reprobat? Nescit etiam homo quauis modo bonus & deuotus sit, quandiu sic manebit, vtrum melior an deterior adhuc fiet. Fratres si occulta dei iudicia & terribilia opera eius super filios hominum ab initio mundi cogitare cõperitis, euanesceat citius omne altum & carnale quod delectat in terrenis. Vnde sanctus Dauid orat: Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Sicut deus pius & misericors est poenitentibus & feruenter se emendantibus, ita rigidus est & terribilis male & negligenter agentibus. Nolite ergo gloriari in malitia & nequitia elati cordis vestri, sicut multi fatui faciunt, qui luto inquinati non erubescunt, sed etiam ab alijs derisi latantur & rident. Leuate oculos vestros ad cælum, & angelorum dignitatem, puritatem, ac summam beatitudinem respicite, qui non quærunt laudem propriam nec alienam gloriam, sed dei gloriam, & honorem & decorem, à quo conditos se cognoscunt, in quo & inuicem se diligunt, ac totum ei gratissime ascribunt quod potissimum ab eo acceperunt. Si ergo angeli sancti humiles sunt & grati deo in tantã sublimitate, quanto magis homo mortalis & peccator humiliare se debet, & omnem vanam gloriam refutare: Disce miser

1. Cor. 1.

1. Cor. 3.

1. Cor. 13.

miser & superbe, non altum sapere, sed humiliter corde & ore consentire, vt inuenias gratiam coram deo & angelis, quam elati affectu nequeunt, & ne perdas æternam gloriam in cælo, quam mali angeli per superbiam perdidērunt. Stude soli deo in omni opere bono velle placere, & omni humanã creaturẽ propter deum te subicere, maioribus obedire, minoribus subuenire, omnibus reuerentiam exhibere, mores infirmorum & peruersorum piẽ tolerare. Si quæris saluari, si optas beari, & exaltari, sequere humilem Christum, & despice te ipsum. Non enim aliter poteris ascendere in cælũ, nisi te humiliaueris ex toto corde propter deũ. Non desideres esse in ore hominum, qui vanis laudibus decipiunt fatuum temporalis gloriã amatorem. Inspice in veritate cor tuũ, quã multis passionibus sit obnoxium, & non gloriaberis in teipso, nec proximum tuum despicias, quantumlibet pauper sit & infirmus. Memoriter retine notabile verbum Christi, & cũ tentauerit vana gloria mundi, responde tibi ipsi, quod Iudejs Christus dixit: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Recedat ergo vana gloria & laus humana de scientia & arte acquisita: cesset stulticia de opere bono, & sermone perito: euellatur secularis astutia de corde religioso: pereat falsa imaginatio de sanctitate foris ostensa: erubescat præsumptio nouitatis absque fructu charitatis, contra pacem communitatis. Gaude semper columbina simplicitate absque felle amaritudinis: corrippe fratrem in spiritu lenitatis: doce plus exemplo humili, quã verbo subtili. Porro compatienter tibi contrarium quem emẽdare nõ potes ad purum. Veniet cito tempus cũ iniquitas oppilabit os illius: & nequitia redundabit in caput fallentis, sustinebitque confusionem suam qui libenter humanã appetit laudem, & honoris quærit dignitatem. Quid sanctitatis confert magni nominis dilatatio, quando perparum vel nihil virtutis residet in conscientia? Quid deuotionis præstat diu ersarum regionum peruagatio, quã magnã vanitatis causa est, & mentis distractio? Quid utilitatis affert religioso dormorum notitia, & altorum murorum & castrorum curiosa inspectio? Nempe de terra omnia ista facta sunt, & in terram omnia reuertentur. Sæpe etiam per potentiam armorum ad puluerem deiiciuntur, & igne comburuntur. Melior est ergo pauper latens in vili domuncula, comedens olera & legumina cum bona conscientia: quã diues habitans in aula pulchra, bibens vina, & edens pingua cum læticia & superbia, repletus mala conscientia: cui potest illud euangelicum ver-

bum recte assignari: Stulte, hac nocte à te a- Luc. 12. nimam tuam repetunt, quã autem parasti, cuius erunt? Nemo itaque de vanis hominum laudibus gaudeat, etiam si aliquid laudabile agat. Nemo de bonitate sua nimis confidat, neque de fortitudine sua inaniter præsumat, nec etiam de nobilitate generis se extollat. Nemo de facultate scienciã infletur, nemo de dignitate prælationis super alios gloriatur, nemo de abundantia pecuniarum & reddituum confidens, diuitem ac felicem se reputet, nec pauperes despiciat, quia nescit quandiu uiuet, & ista tenebit: nescit quid molestiẽ sibi inde pronenire possit, cũ deus hoc permiserit. In omni denique re temporali & opere humano incertus est processus & bonus exitus. Nam sapissimẽs aliter eueniunt quã homines purant, & sæpe consilia in contrarium mutantur. Nesciunt cæci montes claro die speculari, quauis astuti fuerint. Falluntur frequenter sapientes in oculis suis de futuris, qui in sua calliditate cõfidentes, deum ante oculos suos non habent. Nam qui terrena ambiunt, honores diligunt, voluptates sequuntur, damna metuunt, prospera concupiscunt, altiora petunt, in vanis gaudent: iusto dei iudicio iterum dolebunt, miserabiliterque de perditis bonis affligentur. Inter spem bonorum & merum malorum cor seculare & carnale continue fluctuat, quia anchoram spei in cæleste desiderium non figit, vbi omnia bona abundant, & perpetuẽ durant. Quapropter charissimi fratres ex quo nemo pro certo nouit quid de futuris sibi vtilius sit, aut magis pro salute animã suã expediat, tutius est & honestius vti consilio sapientum & expertorum, & præcipuẽ prælatorum nostrorum ac seniorum, qui habent scientiam scripturarum, & experientiam periculorum de se & de alijs multis. Sæpe enim diabolus instinctu maligno deuotos etiam sub specie boni decipit. Nullus ergo in desiderio suo & imaginatione priuata capitosus sit, nec in proprio videre & naturali ingenio animose abundet, sed etiam in paruis rebus non satis clare sibi notis timorate procedat, consilium quærat, cum deliberatione agat, motuum suum dicat, latens mentis vulnus aperiat, medico credat, sub fictis verbis semetipsum nõ decipiat, nõ aliter ore dicat quã in corde habet, quia scriptum est: Perdes oẽs qui loquũtur mēdaciũ. Est regula iuris: Qui male narrat, nihil ipetrat, sed omnino beneficio indignũ se facit, & suspectũ cõpluribus reddit. Magna & laudabilis prudẽtia est, industriẽ priẽ renũciare, humiliter superiori obedire, doctiori credere, experiẽtiori acq̃esce-

1. Cor. 13.

re, & in omnibus bonis deo placitis hilarem se semper exhibere. Nec timendum ibi erroris periculum, ubi pia intentio praelati excusat obedientem discipulum. Demum omnibus religionis Christo obligatis securè suadendum, ut totum negocium perplexitatis suae, totum desiderium deuotionis, totum studium lectionis, totum otium contemplationis, omnem fructum predicationis suae, & quicquid boni mente concipiunt, primò studeant deo in secreta oratione praesentare, deinde hoc idem fideliter praelato suo sicut vicario Christi in aperta confessione humiliter exponant, & indubitanter ipsis committant quid facere debeant vel dimittere. Nam perfecta obedientia de suo proprio quaesitu nihil habere debet, nec paruum nec magnum cum amore vitioso possidere: quatenus omni cupiditate & commoditate euulsa pro posse, liberum volatum anima habeat ad caelum. Huiusmodi Christus iam viuere est, & mori pro Christo maximè lucrum. Esse vero cum Christo, vnicum desiderium, & felicissimum bonum. Fratres, semper in corde firmiter teneatis verbum sapientis Salomonis, qui simplicem obedientiam cum resignatione propriae voluntatis praefert omnibus sacrificiis dicens: Melior est obedientia quam vitium. Et item, Omnia fac cum consilio, & post factum non poenitebis.

Exemplum.

ERant duo deuoti fratres in congregatione Dauentriensi studio vacantes, & loquebantur pariter de virtute obedientiae. Dixit ergo vnus alteri socio suo: Semper mihi male successit, quando neglecto consilio feci voluntatem meam. Respondit alter: Nec me poenituit quod bonis consiliis acquieui. No ui fratrem senem qui in iuuentute sua seniorum verba valde libenter audiuit, sed de hoc multum doluit, quod multa obliuionem tradidit.

De spiritali militia contra vitia, exēplo sanctorum & sanctorum. Sermo nonus.

LUC. 21. **C**um audieritis praelia & seditiones, nolite terreri. Dilecti fratres in hac vita inter hostes versamur, & ex omni parte bellum nobis instat contravitia gerendum. Quotidie tentamur & impugnamur, nunc quidem moliter, nunc acriter, semper autem periculose & nequiter, diabolo nobis vbique insidante & infestante. Nullus quippe viuens à tentationibus & turbationibus totaliter liber est quoad spiritus in corpore manet, sed quilibet cogi-

tur etiā iuitus portare pōdus diei & estus. Nemo ergo ocio torpeat, nemo à castris dei recedere cogitet, nemo ante finē belli arma sua deponat. Accingatur nouus miles ense nouo in feruore spiritus cōtra nequitias diaboli pugnaturus, pugnet fortiter in gladio bis acuto, timorem pariter & amorē dei in mente habēdo, secretū orationis quaerēdo, publicum & otium summe vitando. Nemo enim coronabitur in caelo, nisi qui legitime certauerit cōtra passionē suas & vitia in hoc mūdo. Ensis nouus est nouus feruor sanctae deuotionis, qui à principio cōuersionis sepe datur benigna sancti spiritus illustratione nouis militibus, ad praeliandum fortiter contra tentationes futuras. Caueat ergo diligenter nouitius ne deuotionis gratiam perdat torpore infectus, sed omni tempore ad spiritalē pugnam se praeparet, & oret saepius ut sit vnus de electis Abrahae vernaculis, qui hostes suos uicit fide & prece armatus. Acuat gladium suum, frequēter innouādo primū propositū suum quod accepit, nunc meditando passionem dominicam, nunc martyriū certamina & cruenta vulnera, nunc aeterni ignis incendia, nunc demonum grandē horrorē, nunc intolerabilem picis ac sulphuris foetorē, nunc inferni profunditatem, nunc damnatorū flebile clamorē, nunc omnis salutis desperationem. Haec si ad mentem venerint, torporem excutiunt, concupiscentiam carnis reprimunt, vitiorum rubiginem consumunt, negligentiam redarguunt, & ad spiritalē profectum & deuotionis feruorē feruētē accendunt. Timeat ergo nimis tepidus religiosus, refringat se vagus & dissolutus, ne veniat in illum locum tormentorum, ubi nullus est exitus, nec misericordiae locus. Nunc vero in tempore gratiae negligentias praeteritas corrige & studeat, secretarium cordis sui per humilem confessionem & deuotam orationem purget, recolligat se per sacram lectionem, & frequentem cordis compunctionem, refrenet verborum leuitatem per silentii custodiam, reformet internae pacis tranquillitatem per externorū negociorū obliuionem, expellat irruentes sordes malarū cogitationum per puram caelestium meditationem, & ad placandam citius dei offensam, veram teneat humilitatem. Haec pertinent ad viriles & bellicosos tyrones, qui propter tres hostium cuneos iubentur in armis stare, & contra carnem mundum & diabolum per totam vitam suam strenue dimicare. Bellare ergo oportet cum adiutorio dei instanter orando, à delicatis abstinendo, patienter aduersa tolerando, sicut fecerunt omnes sancti, & praecipue martyres Christi, qui fortissime certando vicerunt aduersarios suos benignē

benigne patiēdo, atque post multa improperia & tormenta innocenter moriendo. Nō attenderunt ad amicos & parentes carnales, non ad diuitias & honores temporales, sed ad aeterna praemia, ad caelestes thesauros, ad coronas triumphales, & ad immarcescibilem gloriam promerendam. Etenim per transitoria tormenta meruerunt sine mora migrare ad gaudia sempiterna. Nunc gaudent animarum eorum in caelis, qui vestigia Christi secuti sunt in contumeliis & grauisimis poenis. Certauerunt etiam sancti confessores sobrie, iuste & pie viuendo, saepe ieiunando, vigilando, orando, meditando, studendo, gemendo, plorando, pro suis peccatis & aliorū supplicando, oblationes, detractiones, derisiones, murmurationes, minas, exactiones, damna & iniurias sustinendo, in fide recta, spe firma, & charitate perfecta vsque ad mortem perseuerando. Certauerunt etiam sancti & solennes sanctae ecclesiae doctores, contra haereticos & varios errores disputando, verbum dei sedulo predicando, libros scribendo, studendo, dictando, quaestiones mouendo, dubia soluendo, obscura lucidando, vitiosa refutando, salubria proponendo, recta & vtilia hominibus persuadendo, à curiosis, intricatis & infructuosis quaestionibus simpliciter prohibendo, pigros excitando, duros corripiendo, tristes consolando, debiles confortando, ac bonum exemplum viuendi aliis quotidie exhibendo, ut quod verbis suadere non poterant, probis actibus affirmarent. Certauerunt etiam sancti eremici & monachi, & diuersorum ordinum professores, seculo renunciantes, vanitates mundi & delicias carnis spernentes, gloriam & honorem temporalem cōculcantes, tumultus hominum fugientes, solitudinem diligentes, propria relinquentes, crucem suam tollentes, corpus suum per abstinētiā castigantes, linguam silentio refrenantes, euagationes & discursus deuitantes, violentiam sibi per singulos dies inferentes, iugo sanctae obedientiae se sponte subiicientes, in claustris sub regularibus disciplinis stricte viuentes, apostolicam perfectionem imitantes, & propter Christum quotidie crucifixioni se tradentes, omnibus inordinatis affectionibus & propriis motibus perfecto corde reluctantes, nil sibi ex omnibus charis, vtensilibus, libris, vel vestibus priuato amore retinentes. Nil quippe perfectius, nil salubrius, nil vtilius, nil laudabilius, nil securius & quietius pro bona conscientia & pace cordis habēda, quam vt religiosus deo deuotus & profectus monachus, omni hora sine contradictione, sine mora, sine fictione, sine auer-

sione, prompte & libenter praelato suo obediāt, seipsum fortiter vincēdo, humiliter subiiciendo, patienter onerosa & insauia supportando. Ad istam perfectionis viam seruandam, requiritur magnum certamen contra sensualitatis inclinationē, contra proprii sensus prudentiam, contra malam suam consuetudinem, & carnis libertatem, quae inuitē vult aliis subditi & arctari, sed potius quaerit spatium iucundari & deliciari. Haec enim valde contraria sunt legi dei & rationi, & communi paci fratrum, ac bono regimini claustrali. Quapropter multum laudabilis & vere amabilis reputabitur simplex & obediens frater, qui hilariter vultu & corde beneuolo paratus est omnibus obsequi, exemplo Iesu Christi seruans legē vitae & disciplinā pro salute animae suae in ordine regulari. Rursum multum culpabilis & reprehensibilis est altutus frater in sensu suo abundans, qui non obedit humiliter suo praelato, reuerentiam & subiectionem ei exhibendo. Vae illi qui inuite ac victo corde obedit, & leuiter murmurat. Hunc Christus patri suo obediens grauiter arguet, & saepe in praesenti duriter vindicare solet. Nam ipse praelatis ecclesiae dicit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Quod enim apostolis dixit, hoc etiam successoribus eorum & caeteris praelatis dicit, hoc & monasteriorum rectoribus loquitur, iubens subditis vt obediāt propter deum, propter magnū meritum & bonum exemplum, quia omnibus obediētibus dabit gratiam & aeternam gloriam, inobediētibus vero & peruersis confusionem & poenam aeternam. Verus nanque obediens, & potestatibus sublimioribus a deo constitutis se subdens, comparatur sapienti negociatori, qui in omni loco & foro venalium cogitat lucrum suum augere, & damna praecauere, meliora nititur comparare, & vtilioribus non implicari. Sic etiam religiosus vinculo obedientiae ligatus pensare debet & conari in omni opere & negotio sibi commisso, vt fideliter agat, nil omittēdo quod deo placet, & praelatus sibi committit. Tunc enim maxime in bono proficit, & meritum suum ampliat, si visibilia mundi spernendo caelestibus intendit, si obedire ad alterius nutum praecunctis opibus reputat animae suae lucrū. Melior est enim obedientiae fructus, quam propriae prudentiae cogitatus subtiliter auisus. Et multo fructuosior est relicta voluntas propter deum, quam studium longum & psalterium perlectum. Beatus igitur religiosus cuiuscunque ordinis & status, qui Christum semper obedire paratus, quoniam in fine obit?

Obedientia quādi meriti apud Deum.

Mat. 10.

Heb. 13.

Mat. 23. sui recipiet cum sanctis confessoribus speciale præmiū in cælis, Christo promittente & dicente his verbis: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudiū domini tui. Non ergo dedignetur homo vilis & ignarus, puluis & cinis futurus, se subdere, & obedire homini salubria suadenti, quando angelus obedit angelo vno nutu aliquid sibi innuēti, & sanctus Gabriel missus à deo venit nunciare Mariæ incarnationem Christi. Sed hoc amplius mirandum est, & omnibus nobis propositum ad imitandum, quod deus homini obediuit, seruiuit, & ad vilia & infima se humiliter inclinauit, ne alicui quantumcunque magno, docto vel nobili, graue sit obedire maiori, aut etiam æquali vel minori, cū Christus hæc omnia prius fecerit. Obediuit namque Luc. 7. Ioseph & matri relinquens templum & doctores, vbi poterat habere fauorem & honorem, descenditque cum parentibus in Nazareth, & erat subditus eis, vbi multis amicis quam magnus esset mansit diu incognitus. Certauerunt etiam fortiter contra hostes suos sacræ virgines & viduæ continentes, quæ seculi vanitates & carnis voluptates ac diabolicas tentationes in ætate puellari & sexu fragili vicerunt amore Iesu Christi, orationibus, vigiliis & ieiuniis insistentes, mundana confortia & colloquia inutilia virantes, corpora sua castigantes, ab omni ornatu superfluo abstinentes, soli deo sincera mente & casto corpore placere cupientes, ad cælestes nuptias per sancta desideria & interna suspiria quotidie se præparantes, deuotis meditationibus, hymnis, psalmis tãquam floribus albis thalamum cordis adornantes, contritione & confessione maculas conscientiæ lauantes, & ad cælestis & inuisibilis sponsi præsentiam incessanter cum gemitu & ardenti amore anhelantes. O sacra trophæa virginum, ô fortia bella puellarum, viduarum & nobilium dominarum, quæ propter amorem cælestis sponsi, & angelicæ puritatis pulchritudinem seruandam, contempserunt nuptias terrenas, amicitias virorum, patrimonium parentum, solarium filiorum, conuiuia cognatorum, ornamenta vestium, splendorem gemmarum, copiam vasorum, anulos aureos, scyphos argenteos, varias suppellectiles, cortinas sericas, sedes depictas, ministeria seruatorum, comitatus ancillarum, organa musicorum, spectacula ludorum, & omnia delectamenta gaudiorum mundanorum, quæ offert & ostentat vanus & lubricus hic mundus insipientium oculis. Hæc enim nihil profuerunt nec profunt amatoribus suis, qui lætantur in perituris & ludicris rebus, fallaciis & doloribus plenæ. Felix igitur caterua sancta-

rum virginum, quæ cuncta seculi huius gaudia & corporis ornamenta tanquam stercorea repudiare studuit pro vita æterna, & magis cū angelis & archangelis concupiuit beatificari in cælesti gloria. O vere beata eoncio virginialis sexus, quæ in suo gradu stabilis permansit, & vsque ad sanguinis effusionem vitæ ac tyrannicis legibus contradixit. Ideoque speciosissimas in cælo coronas preciosis gemmis & margaritis ornatas, pro victoria certaminis sui à Christo percipere gloriosa laude promeruit. Quis etenim digne & sufficienter poterit explicare quales sæpe angustias pertulerunt in corde, quales tentationes in carne, quales suggestiones dæmonum sentiebant in oratione, qui eas à castitate Christi ad delectationes instigabant? Heu quanta consilia machinatus est Satanas per amicos suadentes, per matronas blandientes, per multiplices quoque derisiones & terrores, vt seducerent eas & traherent secum per breues delicias ad poenas infernales? Sed Christo auctore milerante & iuuante nil valuerunt contra virgineas acies diabolica figmenta, nec hominum impiorum clamores, nec tyrannorum verbera, nec arma minantia mortes: quoniam charitas Christi fortior omni armatura, dignior omni honore, pulchrior omni decore, suauior omni melodia, tam vehementer ardebat in virgineis cordibus & femineis turmis signo crucis armatis, vt nec ignes, nec verbera, nec bestias, nec carceres, nec famem, nec mortem pati timerent, quantum firmam fidem & castitatis gemmam puro corde & corpore, perpetuo cum honore in cælis coronandam conseruarent. Hæc igitur beatorum martyrum certamina, sanctorumque confessorum lögam & duram abstinentiam, & præcipue sanctarum virginum castimoniam, patientiam ac perseverantiam ad imitandum vobis proponere debetis, & ad resistendum vitæ & passionibus viriliter vos armare. Hortor omnes in charitate, vt pro seuto luctaminis sanctorum suffragia nõ negligatis, ne in tentationibus vestris deficiatis, largiente domino Iesu Christo omnium bonorum remuneratore. Amen.

De variis bellis & periculis huius vitæ. Sermo 10.

Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur. Dilecti fratres superiori sermone pauca de spirituali sanctorum militia audistis, nunc consequenter de diuersis bellis aliqua dicenda sunt, ad cauendum

dum laqueos & dolos serpentis antiqui, qui nequitia plenus tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, & specialiter contra nouellos milites Christi atrociter fremit. Inuidet enim eis gloriam regni cælestis, vnde ipse subito per superbiam cecidit cum multis. Cuius suasionem pestifera plures decipiuntur, & quandoque famosi viri in sciētia & regimine sublimati errauerunt vana gloria infecti, qui hominum amicitia tracti lapsi sunt, & grauiter vulnerati. Cauete autem nouiter conuersi fratres à duobus præcipue malis, scilicet à desideris carnalibus repente irruētibus per quinque corporis sensus, & à superbia mentis per appetitum vanæ laudis, ne gratiam internæ deuotionis perdatis, cum mercede æternæ retributionis. Militia nostra fratres charissimè non est carnalis potentia, sed benigna omnium iniuriarum pro Christo sufferētia: non secularis sapientia, sed humilis obedientia: nõ corporalis commodi exquisitio, sed carnis afflictio: non laboris subtractio, sed præuæ delectationis mortificatio. Si quæritis quãdiu durabunt bella ista inter carnem & spiritum, inter diabolum & hominem, inter mundum & Christum, dico secundum Euangelium & apostolum, vsque ad vltimum vitæ nostræ terminum, & seculi consummationem. Dixit enim Christus ante passionem suam horam, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et ad discipulos in vltima cœna: In mundo pressuram habebitis. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Et ideo eos confortans ad patientiam & perseverantiam, ait amicis de suo recessu grauat: Non turbetur cor vestrum neque formidet, quia vado parare vobis locum, vt vbi sum ego, & vos sitis mecum. Sed interim dum estis in mundo, teneatis patientiam pro forti scuto, & verbum dei pro gladio acuto, & loriam fidei in omni periculo, confidendo semper in deo. Oremus ergo fratres vt gratiam & misericordiam inueniamus in conspectu domini nostri Iesu Christi, doceatque nos artem certandi contra passiones & vitia nostra, quæ nos impugnant & tentant, quandiu in carne viuimus, & corpus nutrimus. Dicat vnusquisque cum Dauid in psalmo, quando diabolo insidiante tentatur aliquo vitio, vel molestatur ab homine peruerso. Domine expugna impugnantes me, ne deficiam sub onere, quia sine te non valeo resistere nec sustinere. Qui enim sæpe tentatur, & in tentatione sua ad Christum cito confugit & orat, per gratiam eius liberabitur, confortabitur, & præualebit, multumque proficiet in virtute patientiæ, & maiorem coronam pro forti certamine recipiet. Qui autem raro aut nunquam tentatur,

nec propriis nec alienis malitiis molestatur, hic angelus potius dicendus est quam homo terrenus. Huius habitatio verius in cælo quærenda est, quam in terra. Nam ibi summa pax & concordia, hic autem pax rara, breuis lætitia, quies modica, turbatio frequēs, grauis cura, & incerta victoria. Non tamen desperandum est, quia pro minimo labore & dolore dabitur gaudium sine fine. Sed multitudinem bellorum, & hostium nostrorum fraudes, quis poterit enodare? Nullus, nisi à deo illuminatus fuerit, & bene eruditus in scripturis sanctis, sicut Paulus qui ait: Non ignoramus astutias eius. Audite tamen pauca de bellis bonorum & malorum ex diuinis libris ad cautelam & eruditionem vestram, vt cautioresemper sitis ad resistendum periculis malorum, & fortiores ad perseverandum in semitis iustorum. Primum bellum incepit per angelos in cælo, quando Lucifer per superbiam voluit altius se extollere, & assimilari altissimo, & quasi in propria virtute gloriari, & in seipso singulariter delectari. Hoc percepto in superni regis palatio, sanctus Michael & angeli eius indigne ferentes arrogantiam superbientis Luciferi, permoti sunt zelo iustitiæ, & eiecerunt omnes superbiæ ciues de finibus suis. Non enim debuit aliquis angelorum quantumlibet magnus supra creatoris sui magnificentiam se erigere, nec factus factori suo se æquare, nec in decore sapientiæ suæ temere gloriari, nec abuti donis altioribus à deo sibi gratuito collatis. Quia ergo Satanas per tumorem superbiæ se nimis extulit vane gloriando, & sedem suam supra cæteros eleuando, iusto dei iudicio cecidit de felici societate sanctorum angelorum in abyssum inferni, & carcerem damnatorum. De quo saluator ad discipulos ait: Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem. De cuius terribili casu & irrecuperabili lapsu, beatus Ioannes Euangelista loquitur in Apocalypsi dicens, Factum est prælium magnum in cælo, Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & proiectus est draco in terram, & angeli eius cum illo missi sunt, & non est inuentus locus eorum amplius in cælo. Ecce quanta meruit superbia diaboli, qui proiectus est à facie dei cæli, ne videat gloriam dei. Quam sine dubio consequi non poterit, quum in seipso voluerit gloriari. Hinc etiam Esaias manifeste de reproborum perditione exclamat, Tollatur impius, ne videat gloriam dei. Certissimo exemplo iam patet quã maxime extollentia superborum deo displicet, qui angelis superbiētibus non pepercit, sed æternis eos ignibus tradidit cruciandos, omni spe veniæ ablata.

Recensio uerbi sibi cauetur à duobus.

Mat. 26

Ioan. 16

Ioan. 14

Psal. 33

Esa. 14. Primum bellum mouit Lucifer.

Luc. 10.

Apoc. 12.

Esa. 26.

Heu q̄ seuera sententia superni iudicis, pro-
 iici à iucunda facie diuinæ maiestatis & per-
 petuæ felicitatis, & semper comburi acerrimis
 flammis, quæ nõ possunt extingui aquis,
 nec remediis mitigari. Quapropter vnicuique
 formidandum est de tam seверо dei iudicio
 in angelis superbientibus æternaliter damna-
 tis, & obnixius cum Psalmista confitendum
 & orandum, Non veniat mihi pes superbiæ,
 & manus peccatoris non moueat me. Et ite-
 rum, Nonne deo subiecta erit anima mea? ab
 ipso enim salutare meum. Secundum bellum
 incepit in paradiso primo homine formato,
 scilicet inter diabolum & hominẽ, inter Euã
 & serpentem. Nam diabolus inuidens homi-
 ni adhuc innocenti, quod posset obtinere
 ascensum cæli per obedientiam mandati, ac-
 cessit in specie serpentis cum callida quæstio-
 ne ad mulierem, quam nouerat infirmio-
 rem, & viro molliorem, ac blandis verbis & astutis
 persuasionibus seduxit faciliter sibi credentẽ,
 & dei præceptum in tali articulo non atten-
 dentem. Sed pro dolor homo bene à deo
 conditus, & in optimo paradisi loco positus,
 per transgressionem sacri mandati perdidit
 innocentiæ statum, & maximæ quietis locum,
 ob vnus vilissimi pomi morsellum. Ideoque
 grauitèr deum offendens mortis incidit sen-
 tentiam, & multam corporis & animæ meruit
 miseriam, sicut iam veraciter nos omnes filij
 Euæ experimur, patimur, & dolemus, qui vitio
 originalis culpæ inquinati corrupti & quas-
 fati sumus. In hoc bello victus est homo ten-
 tatus de pomo, qui diabolica nequitia sedu-
 ctus, & mortalis peccati veneno intoxicatus,
 multis vulneribus fauciatus est, scilicet fame,
 siti, frigore, calore, labore, sudore, peste, lan-
 guore, & mortis horrore. Heu etiam paradisi
 sum perdidit & cælum ob inobedienciæ cul-
 pam, per serpentis fallaciam, & mulieris insi-
 pientiam, quæ nimium credula verbis dia-
 bolicis decepta est quinque modis in quin-
 que sensib⁹ corporis, scilicet per auditum fal-
 si sermonis, per visum pulchri coloris, per
 tactum pomi noxialis, per odoratum boni
 odoris, & per gustum dulcis saporis. Sed quod
 peius est, gustato pestifero cibo, deceptus vlte-
 rius virum suum blandiendo, & tradendo
 ei fructum illicitum, sub pœna mortis ambobus
 interdicitum. Hoc autem malo teme-
 re perpetrato, iratus est deus, expellendo re-
 os de paradiso voluptatis, de amœnissimo &
 quietissimo loco torius orbis, & ad agendam
 pœnitentiam detrusit eos in huius mudi exi-
 lium tanquam in carcerem, ad mâducandum
 panem doloris & laboris cunctis diebus vitæ
 eorum, cum vniuersis filiis & posteris ex eorũ

Psal. 35.

Psal. 36.

Secundũ
 atque
 adeo
 perpe-
 tuũ bel-
 lũ tanq̄
 aduersus
 hominẽ.

Mulier
 prima
 quintu-
 phiciter
 seducta.

semine nascituris. Istud bellum inter diabo-
 lum & hominem tandiu durabit, quandiu hu-
 manum genus versabitur in terra. Et donec cõ-
 pleatur electorum numerus, non cessat mali-
 gnus spiritus persequi bonos sibi contrarios.
 Sed tamẽ pius & misericors dominus deus ho-
 mini lapsõ compatiens, ait ad serpentem tor-
 tuosum, inuidum, & malitosum: Inimicitias
 ponam inter te & mulierem, & semen tuum &
 semen illius, Christum designans ex femina
 nasciturum, & genus humanum redempturũ.
 Ipsa (inquit) cõteret caput tuum, & tu insidia-
 beris calcaneo eius. Ex his verbis patet nequi-
 tia & malitia diaboli contra nos, quia non est
 ei credendum, nec cum eo fabulandum, nec
 cum eo disputandum, quia callidior est omni-
 bus animantibus in terra, & subtilior omnibus
 studetibus in scholis & seculi negociis. Caue-
 te nouitii caput serpentis, initiũ tẽtationis. La-
 tet sub herba virus serpentis, qui sæpe venit &
 decipit puerũ sub specie pulchri pomi intus
 foctetis. Non solum autem simplices & laicos
 decipit, sed etiam doctos & magistrõs nomi-
 natos atque claustrales, varias eis ingerens va-
 nitates. Tẽrat fere quotidie per quinque cor-
 poris sensus, nunc per carnẽ alliciendo, nunc
 per spiritum eleuando, nunc per irã indignã-
 do. Aut enim facit homines rixari propter ho-
 nores & diuitias, aut laxari in deliciis. Heu
 sunt opera diaboli, qui cecidit per superbiam
 de altitudine cæli. Ipse fecit filios Israel mur-
 murare propter laborem & penuriam cibo-
 rũ in deserto, persuasit Iudæis sacrificare Ido-
 lis in tẽplo deo consecrato. Ipse tentauit Chri-
 stum tribus vicibus post longum ieiunium,
 seminavit zizania inter triticum, inter apo-
 stolos traditorem, inter discipulos murmura-
 torem, inter diaconos seductorem, inter fide-
 les fidei persecutorem. Ipse seduxit Iudam per
 furtum, de furto traxit ad laqueum, de laqueo
 miserum duxit ad infernum, vbi nulla est re-
 demptio, nec vllum refrigerium. Heu omnes
 consentientes ipsi allicit ad peccandum con-
 tra deum & proximum, atque post multa ma-
 la suadet perdere seipsum, negligere cælum, &
 diligere mundum. Quis est qui monachum
 trahit ad seculum, & ad tumultus hominum?
 Diabolus insidiator animarum. Quis cleri-
 cum de choro trahit ad forum? Diabolus om-
 nis doli artifex, diuinum cultum impedire
 cupiens. Quis laicum conuersum de labore
 trahit ad ocium & fabulandum? Diabolus cir-
 cuiens orbem, vt inueniat aliquem foris va-
 gantem, & parum vel nihil pro communi bo-
 no laborantem. Quis pigrum in lectulo reti-
 net, ne suscitatus cito surgat? Diabolus, clau-
 dens

Gen.

Exod.

16. 17.

1. Mat.

Mat. 4.

Mat. 26.

Apoc.

Bellum
 intesti-
 nũ oim̄
 logẽ mo-
 lestissimũ.

dens oculos somnolenti, vt parum adhuc iac-
 ceat, & somnolentiæ suæ satisfaciatur. Gaudet
 enim de pigritate, & sæpius tarde veniente.
 Quis discordias inter fratres seminat, & suspi-
 ciones multas in eis generat? Diabolus pacis
 turbator, litis amator, nequitia inuentor, mē-
 dacijs pater, veritatis obscurator, dolositatis
 auctor, partialitatis suscitator. Quis docet
 amare delicias, vitare labores, concupiscere
 honores, bene comedere & bibere, & ornate
 incedere? Diabolus incitator gula, commo-
 tor iræ, castitatis prædator, clericorum insi-
 diator, monachorum tẽtator, virginum mo-
 lestator, continentium impugnator, innocẽ-
 tium seductor, simplicium derisor, sapien-
 tium subuersor, bonorum detractor, prauo-
 rum commendator, deuotionis impeditor,
 dissolutionis procurator. Hæc de bellis & mil-
 le artibus ac fraudibus diaboli innotuisse vo-
 bis non displiceat, vt maiorem cautelam &
 strictiorem custodiam contra quanlibet eius
 tentationem & suggestionem habeatis: quia
 sicut à multis dicitur, & frequenter experitur,
 nunquam à malitia nocendi diabolus cessat,
 nec alios quiescere finit, sed vbi ipse non ve-
 nit, suos comites ad vexandum ouiculas Chri-
 sti mittit. Quod si rapere nequeat, & occidere
 prohibetur, ad minus eas lædere per terrores
 conatur. Et si aliquem vagantem viderit, & à
 bono opere vel studio aut oratione torpen-
 tem, ad hunc tentandum liberius accedit, quia
 arma resistentiæ hosti incaute deposuit. Ter-
 tium bellum dicitur intestinum litigiũ, quod
 ortum est inter carnem & spiritum, carne cõ-
 cupiscente contra spiritum ex pœna peccati,
 & spiritu repugnante per rationem cõtra sen-
 sualitatem. Hanc rebellionem primus homo
 in statu innocentia non senserat, quia spiri-
 tus deo subiectus corporis vires rationis fre-
 no quiete regebat. Istud autem bellum inte-
 stinum durissimum est, & molestissimũ om-
 nibus nobis in carne corruptibili & peccatri-
 ce generatis & natis. Quid nanque durius &
 molestius vnicuique pacem desiderati, quàm
 quotidie bellare contra seipsum, niti contra
 naturam, restringere fomitem, vincere con-
 cupiscentiam intus prurientem? O serue dei,
 õ miles Christi, audi cõsiliũ bonum & vtile
 tibi. Custodi visum, claude auditum, non tan-
 gas illicitum, fuge nocium. Et si sentis acu-
 leum, noli adhibere consensum. Nil tam la-
 boriosum, sicut de nouo semper incipere, de
 mane vsque ad vesperam contra tres turmas
 stare, orationum iacula in hostes mittere, tu-
 bis sacris canere, corde gemere, vocibus cla-
 mitare, & de victoria triumphifrequẽter du-
 bitare. Vnde nisi dominus aderit nobis, ne-

quaquam tantis periculis poterit fragilitas no-
 stra resistere. Graue omnino onus & intrica-
 tum bellum, carnem fouere, hostem nutrire,
 vestire, calefacere, leuare, tergere, blandiri ne
 murmuret, castigare ne recalcitret, consolari
 ne desperet, increpare ne pigrescat, subiugare
 ne intumescat, confortare ne deficiat, percu-
 tere ne resistat, instruere ne erret, reprimere ne
 insolescat, diligere naturam vt sociam, odire
 vero lasciuiam vt mortis foueam. Denique
 carnem occidere non licet, à se repellere ne-
 mo valet, huic obedire non oportet, credere
 illi cito non decet, affabulari non expedit, ar-
 ridere præcipue nocet. Quid ergo fiet? Seruiat
 caro spiritui, sponte obediat, laboret, defu-
 det, ieiunet, surgat, vigilet, oret, cantet, & lau-
 det, donec post breuem laborem æternam re-
 quem accipiat. Hanc itaque carnem fragi-
 lem, mortalem, cõcupiscibilem, indomitam,
 & sæpe spiritui rebellem, ratio regere debet, &
 timor refrenare, honestas moderari, discipli-
 na cohibere, probitas adornare, verecundia
 regere, sobrietas temperare, iustitia castigare
 cum peccat, prudentia instruere cum errat,
 discretio considerare, ne quid nimium fiat.
 Spiritus itaque omnia perscrutans tanquam
 strenuus gubernator diligenter ad carnalem
 mentem & iuuenilem animum respiciat, ne
 proprio sensui inhæreat, ne ocio torpeat, ne
 mollia quærat, & quæ rigoris sunt fugiat, sed
 ad orandum cito surgat, ad chorũ tempe-
 stiuè veniat, ad laborẽ promptè transeat, cir-
 cūire ociose caueat, silentium strictè teneat,
 quietem cellæ diligat, frequenter oret, liben-
 ter studeat, libenter scribat, debitis tempori-
 bus singula faciat, omnibus priuatis commu-
 nia præponat, minoribus seruire non eru-
 bescat, maioribus obedire festinet, ad quæ-
 que imperata lætus accedat, diuinis laudibus
 interesse summe gaudeat, vacare deo intus
 eligat, & nullis externis implicari optimam
 partem reputet. Quãuis igitur durum & mo-
 lestum sit contra carnis incentiuã quotidie
 bellare, tamen valde virtuosum est & meri-
 torium concupiscentia resistere, & violen-
 tiam naturæ inferre, quæ ad propria commo-
 da & sibi placita multum vitiose inclinatur.
 Et nisi celerius ei resistatur abstinendo &
 comescendo, seducit animam, & trahit ad
 consensum, sicut Eua decepit Adam alli-
 ciendo eum & præbendo ei vetitum pomum
 ad comedendum. In hoc bello nullus vincit-
 tur, nisi mala voluntate corruptus, & à deo
 spõte auersus. Quicumque enim sequitur car-
 nis suæ desiderium, cito labitur in vitium,
 nisi tenuerit rationis frenum. Cauete ergo
 pericula in quotidiano carnis conflictu, quia
 cit.

Caro pa-
 reat ne
 pereat.

Sola vo-
 luntate
 quis aut
 vincitur
 aut vin-
 cit.

r. iij.

Mich. 7.

quandiu uiuimus in hoc mundo, edendo, bibendo varie tentamur. Vnde & Micheas propheta admonet desides & molles animos ad custodiam conscientiae dicēs: Ab ea quae dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Hoc est, omnes sensus corporis tui cohibe firmiter exterius: ne mors intret per corporis fenestras ad interiora cordis, & diabolus te capet retibus suis. Fratres si viriliter agitis & certatis, & Christū in adiutoriū uestrū inuocatis, multo plus in isto bello carnis potestis utiq; promereri, quā si nihil grauitatis in uobis sentiretis. Habeatis ergo semper bonam fiduciā in deo, & non desistatis orare, & cōtritiā pugnare. Multa quidem & magna bona latent in hoc certamine, quae deo placent in fragili carne. Recipietis autem maxima praemia cū certa spe futurae gloriae à iusto iudice, etiā pro minima cordis contritione, & corporis qualicumque breui dolore. Lætificabunt quoque plurimū animas uestras in fine vitae uestrae omnia grauamina pro Christi amore tolerata, sicut ait quaedam deuota foror in agone constituta: Hic perpeſſū est, hic certatū est: modo pergitur ad praemiū. Quid plura dicam bellantibus contra carnem suam? Omnia quaecumque facitis ex virtute obedientiae, vel quae sustinetis in ordine pro rigore disciplinae, & amore iustitiae, scribentur in libro vitae: licet quandoque caro remurmuret ex fragilitate. Quod si diabolus vos commouet aliqua indignatione aut praua suspitione contra praelatum iubentem, vel fratrem non bene agentem, vel male loquentem, non ideo dimittatis bonum inceptū, sed magis ad honorem dei & aedificationem proximi perficite quod inceptistis. Tūc enim pessimus insidiator & impeditor omnis boni diabolus cito fugiet à uobis, cum fuerit contemptus & non auditus. Siquidem cuncta eius suspiria de mundo, de carne, de diuitiis, de gloria terrena, plena sunt veneno & fallacia. Multi in senio iam plangunt, quia in iuuentute tam fatue egerunt & deum offenderūt. State ergo & pugnae pro anima uestra, in religione & cōgregatione sancta. Quicquid enim mali patimini in laboribus & doloribus, in caloribus & frigoribus, in vigiliis & ieiuniis, in abstinentia à carnibus & laeticiniis, in carētiavini & potus melioris pro vitis extinguendis, & virtutibus acquirendis, hoc totum computabitur uobis pro maximis lucris & praemiis in regno Christi, super milia auri & argenti, & omnia desiderabilia mundi. Quid enim dignius, quā esse amicum dei? Quid felicitius, quā cōputari inter filios dei? Quid ditius, quā habere partē in regno Christi? Quid incundius, quā interesse gaudiis angelorum? Quid nobilius, quā perpetuo co-

ronari in praesentia dei, & aspectu omnium sanctorum? O quā delectabile & gaudiosum erit animae agonizanti & deum amanti, ab angelis ferri in caelum, & cum Lazaro quondam paupere lætificari in aeterna requie, pro breui labore & modico dolore in corpore perpeſſo, pro villi indumento, & cibo minus sapido, pro lectulo duro, & somno saepius subtracto, pro lachrymis effusis, & orationibus deuotis, pro meditationibus sanctis, & aliis multis exercitiis bonis & lectionibus sacris, in obedientia & patientia consummatis. O sancta obedientia & felix patientia pro Christo, quae caeli portam aperit morituro. Quartū bellū vocatur domesticum duellū, quod ortum est inter duos fratres germanos, durū nimis & perniciosum, diabolo instigante, & inuidia ardescēte. Nam sicut legitur in libro Genesis, natis duobus Adae filiis, inuidiosus Cain surrexit aduersus Abel fratrem suum, iustum & deo dilectum: cuius munera deo accepta narratur. Vnde in ira furoris crudeliter permotus, quasi lupus rapax contra agnum pium desēuiuit, & innocentē fratrem suum meliorem se occidere sustinuit, non veritus deum, nec parentes contristare erubescens, sed proteruo animo accensus manus suas noxias extendit: & primus inter homines homicidiū perpetravit. Ex his duobus litigantibus inceptum multae discordiae & partialitates inter homines, in diuersis regionibus & locis, in ciuitatibus & villis, pro primatu & diuitiis inuicem altercantes. Ex hac occasione crescente vbique aemulatione accidit etiam, persecutio prauorum contra vitam bonorum, sicut sacrae historiae indicant sanctorum, & diuersae chronicae continent gentium & Christianorum, quae tractant copiose de bellis Troianorum, Romanorum, regūque multorum & diuersorum populorum. Sicut fuit ab initio mundi inter filios Adam lis & bellum, zelus & contentio: & praecipue inter auaros & ambitiosos pro terrenis habendis & ampliandis: sic adhuc litigāt in diebus istis homines pro perituris rebus, & honoribus vanis. Et timendum quod etiam post nos ista durabunt, donec dominus ad iudicandum omnes fines terrae in nouissimo die manifestē aduenierit. Tunc enim Christo apparenēte in maiestate sua & gloria reddetur unicuique iuxta opera sua. Tūc cessabūt omnia iurgia, & impiorum bella, & tollentur de regno dei omnia scādala. Tunc tacebunt ora loquentium iniqua, & gaudebuunt ossa sanctorum humiliata. Tūc audietur ab ore iusti iudicis vna finalis & irrevocabilis sententia, Ite maledicti in ignem aeternum: & venite benedicti patris mei, percipite regnum ab origine mundi uobis praeparatum.

Ecc. 1. Hic omnia mixta, idque causa.

Bellū domesticū inter fratres.

Eccl. 11.

Interim vero quandiu generatio praerit, & generatio aduenit, mixta sunt omnia in terra nostra, spinis & tribulis plena. Nunc affunt laeta, nunc tristitia, nunc fames cruciat, nunc sitis exurit, nunc timor deiicit, nunc spes erigit, nunc labor fatigat, nunc quies recreat, nunc sanitas delectat, nunc languor debilitat, & post modicum temporis mors imminens omnia pulchra & iucunda consumit. In omni igitur loco statu & ordine inveniuntur boni cum malis permixti, benigni cū proteruis, humiles cum superbis, pacifici cū iracundis, deuoti cum dissolutis, verecundi cum audacibus, taciturni cum loquacibus, sobrii cum gulosis, feruidi cum tepidis, studiosi cum pigris, interni cum externis, simplices cū astutis, veraces cum dolosis, prouidi cum negligentibus, docti cum ignaris, prudentes cū fatuis, validi cum infirmis, stabiles cum incōstantibus, modesti cum discordantibus, & sic de aliis multis vitiis & moribus hominum bonorum & prauorum, iuxta illud Esaiae prophetae, Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Fiunt autem haec omnia tam prospera quā aduersa cum bonis & malis similiter in hac vita permissione diuina, ad ostēdendum occulta iudicia dei in omnibus viis suis, vt probentur electi & purgentur deuoti per malos, & non superbiant de bonis sibi collatis. Viuunt mali cum bonis, vt per exempla bonorum prouocentur ad emendationem morum suorum, & non habeant excusationem per ignorantiam bonae vitae & disciplinae, quā vident in bonis sibi coniunctis. Quidam valde inconstātes sunt, & cito mouentur in odiū vel amorem ex leui verbo vel facto alterius. Rident pro leui fabula, & pro musca volante irascuntur. Quidam pro recreatione quaerunt homines, & amittunt deum & sanctos. Non est paruum damnum, perdere deuotionis gratiam per multiloquium. Quidam de aliorum malis loquuntur, & suos defectus emendare negligunt. Quidam de futuris bellis terrarum praeloquuntur, sed melius esset quod de bellis contra vitia cogitarent, & qualiter illa vincerent. Si aeterna bona & mala ad cor transirēt, omnia temporalia citius euanescerent. Qui de mundo sunt, de mundo loquuntur: & qui Christum diligunt, de caelestibus cogitant, & aliis caelestia quae amant libenter denunciant. Stulti stulta & vana referunt, & leues corde libenter leuia audiunt. Bonum est ergo de frivolis rebus & incertis euentibus tacere, & deo omnia occulta iudicia sua committere, sine cuius prouidentia nec folium arboris cadit in

terram. Nec sine causa iustus premitur: nec pauper spoliatur: nec innocens occiditur. Nemo de deo iuste conqueri habet, quia omnia iuste sapienter & prouide disponit, licet homo vias iustitiae eius non comprehendat. Qui enim spem suam in deo firmiter ponit, bene stat & non vacillabit, qualitercumque res in mundo transeant. Vnde ergo lites & bella inter homines? Nonne ex concupiscētia carnis, & superbia spiritus? Radix enim omnium malorum cupiditas. Quae si refrenata non fuerit, ad innumera mala perducit. Cum enim desiderata bona negantur, aut habita subtrahuntur, fit animus tristis, exurgit latens passio litis in corde, & indignatio apparet in vultu, & vox dura erumpit ab ore. In nobis ergo est materia litis, & discordiae fomes, scilicet cupiditas rei, amor habendi, timor perdendi, dolor boni amissi. Malus vero & impatiens plus nocet sibi quā aliis, & magis laeditur à seipso intus, quā ab aliis foris. Omnis passionatus onus sibi ipsi & turbatio cordis, vbicumque fuerit, siue solus, siue cum aliis multis. Continua & domestica lis nostra haec est, quia caro nostra non est subiecta spiritui secundum rectam rationem bene viuendi: nec spiritus perfecte subditus est deo, secundum omnem voluntatem suam ipsi soli intimē placendi hinc & in aeternum. Sed diabolus malitiosus quiescere nescit, & quod ipse non vadit, nuncium occulte mittit, vt pacem aliorum turbet, aut calide decipiat. Aut enim à bono retrahit, aut ad malum incitat, aut falsa pro veris suggerit, aut de veris dubium facit. Sed fallitur qui illi credit. Quid aliud habet agere, quā per mundum discurre, & homines tentare, & bonos vexare? Sed qui in deo confidunt, & ad orationem cito recurrunt, omnia consilia eius tanquam araneorum telas Christo iuuante dirumpere possunt, & in nullo timere debent minas malorum. Nemo tutior est à laqueis tentationum, quā verus humilis, perfecte obediens, & pauper peregrinus, qui nil commodi temporalis quaerit, nec bona mundi concupiscit. Quis est hic & vere laudabimus eum? O quā laudabilis virtus humilitas, quae laqueos diaboli euadit omnes. Quā preciosa & decora virtus castitatis, quae carnis illecebras vincit cum omnibus mundi pompis. Magna virtus paupertas spontanea, qua emitur caelum sine pecunia. Nobilis virtus patientia, per quam vincuntur omnia mundi aduersa. Sublimis virtus obedientia, cui saepe obediunt elementa, & quae videntur homini impossibilia.

Iacob. 4. Tim. 6.

Diaboli omne atque vnicum negotium, tentatio.

Humilitas omnis sanctae continentiae signum.

Exemplum obedientiae.

F Vit deuota quædam priorissa in ordine regularium quodam tempore ex febribus valde infirma. Cuius doloribus vna iuuenula soror compatiens, etiam lachrymas fudit. Quæ secrete intrauit chorum prosternens se ante reliquias sanctorum, orans obnixè vt mater conualesceret, & ipsa pro ea febricitaret. Et statim factum est ita. Nam oratione completa, iuuenula cœpit ægrotare, & priorissa eodem die & deinceps conualuit. Au diens autem mater piissima iuuenulam infirmari, vocauit eam, quærens ab ea quid egisset aut comedisset. Quæ respondit, Nihil mali comedi, sed rogauit dominum credens illud melius esse, vt ego pro te infirmarer, & tu sana tunc esses. Deuota mater cum bona fiducia, quam in deo habuit, ait. Ex parte dei præcipio tibi per obedientiam, vt amplius non ægrotes. Quarum preces deus exaudiens dedit vtrique salutem, ad sancti nominis sui inuocationem, laudem & honorem. Amen.

Exemplum patientiæ.

Q Vidam frater interrogauit quendam peregrinum de longe venientem dicens: Dic mihi bone amice, quid boni in via audisti & vidisti? Respondit, Patientiam pauperum audiui à multis satis laudari, sed à paucis vidi imitari. Quid plura? Ait. Inter delicias comperi spinas, inter honores vidi dolores, & inter diuitias inueni frequenter lites, & curas magnas. Est ne aliquis liber ab his malis? Ait tristis: Pauci admodum in diebus istis. Et si plures sunt, ignoro. Beati igitur religiosi qui sciunt paucioribus contentari, & à nemine honorari cupiunt, nec laudari. Deus enim erit merces eorum. Nam raro mihi talis occurrit, qui de proprio damno non doluit, vel de proximo suo non est conquestus. Verum tamen si est alicui pax in hac vita speranda, tunc eam verus humilis habet, qui iniurias patienter sustinet, & tacet. Qui vult ergo habere pacem & bonam conscientiam, relinquat pro amore dei voluntatem suam, & discat patienter ferre iniuriam, & hominum despectionem. Sic enim Christus fecit portando pro nobis ignominiosam crucem, & obediendo patri vsque ad mortem.


F I N I S.

Incipiunt tituli Tertiæ Partis.

De cruce quotidie tollenda in religione assumpta. Sermo i.
De veneratione & commemoratione beatæ Mariæ virginis. Sermo ii.

De laude dulcissimi nominis Iesu & dulcissimæ matris eius Mariæ. Sermo iii.
De deuoto seruitio beatæ virginis, & recordatione nominis eius. Sermo iiii.
De dolore & consolatione beatæ Mariæ virginis. Sermo v.
De excellentia meritorum & de privilegiis beatæ Mariæ virginis. Sermo vi.
De tribus speciosis vestibus beatæ Agnetis virginis. Sermo vii.
De aurea corona in capite beatæ Agnetis virginis. Sermo viii.
In dedicatione templi, de quinque luminaribus templi. Sermo ix.
De ornamentis & moribus ministrorum in templo dei. Sermo x.
De quatuor conditionibus ad ædificationem & decorem domus dei pertinentibus. Sermo xi.

De cruce quotidie tollenda in religione assumpta. Sermo i.



M Ihi autem absit gloria, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Dilecti fratres beatus Paulus celestium secretorum contemplator eximius ostendit nobis in prædictis verbis crucis rectam viam bene viuendi, optimam doctrinam aduersa patiendi, firmissimam scalam ascendendi ad cælum per inuisibilem sanctæ crucis signum. Hæc enim ducit amatores sui in regionem æternæ lucis, æternæ pacis, æternæque beatitudinis, quam mundus dare non potest, nec diabolus auferre. Horret humana fragilitas pati paupertatem, abiectionem, vilitatem, eferiem, laborem, dolorem, angustiam, derisionem, quæ sæpe contingunt, & hominem grauant & conturbant. Sed hæc omnia simul iuncta à deo nobis dispensatione transmissa, salutarè fabricant crucem per multiplicem poenam, & veris cruciferis crucem suam tollentibus aperiant cælestis regni portam, certantibus præparant vitæ palmam, & vincetibus dant æternæ gloriæ coronam. O vere beata crux Christi, quæ regem cælorum portare meruisti, & toti mundo gaudium salutis attulisti. Per te demones fugantur, infirmi curantur, pauidi confortantur, vitiosi mundantur, pigri excitantur, superbi humiliantur, duri compunguntur, & deuoti fletibus irrigantur. Beati qui passionem Christi quotidie recolunt, & crucem suam post Christum baiulare concupiscunt. Habent nunc boni & religiosi fratres sub obedientia stantes

stantes in quotidiana afflictione corporis & in resignatione propriæ voluntatis, crucem foris asperam & amaram, sed intus dulcedine plenam, propter spem æternæ salutis, & diuinæ consolationis affluentiam tribulatis corde promissam. Quam si continue non sentiunt, aut tardius influere percipiunt, longanimitè tamen expectare debent, & diuinæ voluntati se resignare. Nam ipse melius nouit tempus miserendi, & modum tribulatis subueniendi, sicut medicus artem curandi, & magister peritiam regendi. Habent interni baiulatores crucis magnam confidentiam & gloriandi causam in cruce Iesu Christi, quia non de suis meritis & operibus confidunt & saluari præsumunt, sed de misericordia dei & meritis Iesu Christi pro peccatis nostris crucifixi, in quem fideliter credunt, quem corde diligunt, ore confitentur, laudant, prædicant, honorant & benedicunt. Solus deus familiaris amicos suos pro cruce sanctam solet probare, vtrum vere an fictè eum quarant & ament, & si mandata eius perfecte custodiant. Præcipuè tamen probantur per tolerantiam iniuriarum, & subtractionem consolationum internarum, per mortem amicorum & damnorum, per dolores capitis & læsiones membrorum, per abstinentiam ciborum, & asperitatem vestium, per duritiam lectuli, & frigora pedum, per longas vigilias noctis, & diurnos labores, per oris silentium, & correptiones præsentium, per vermes mordentes, & linguas detrahentes. Inter hæc tamen consolantur per deuotam meditationem dominicæ passionis, sicut multis deuotis in secreto compertum est. Nempe istorum est gustare absconditum mel de petra, oleumque misericordiæ stillans de benedicto ligno sanctæ crucis, cuius sapor optimus, odor suauissimus, tactus sanissimus, fructus foelicissimus. O vere dignissimum & preciosissimum lignum vitæ, in medio ecclesiæ plantatum pro medicamine animæ. O Iesu Nazarene crucifixæ, tu peccatorum vincula soluis, sanctorum animas liberas, superborum colla humilias, prauorum potentiam conteris, fideles confortas, incredulos fugas, pios eruis, duos flagellas, aduersarios deprimis, elisos erigis, oppressos eripis, nocentes percutis, innocentes defendis, veraces diligis, mendaces odis, carnales despicias, spiritalis respicis, ad te venientes suscipis, ad te fugientes abscondis. Te inuocantes exaudis, te visitantes lætificas, te quærentes adiuuas, ad te clamantes confortas. Te honorantes honoras, te laudantes laudas, te amantes amas, te adorantes glorificas, te benedicentes benedixis, te exaltantes exaltas. Te respicientes respicis, te

osculantes oscularis, te amplectentes amplecteris, te sequentes ad cælum perducis. Sed vae amatoribus mundi, qui vestigia Christi non attendunt, nec per viam sanctæ crucis ambulat: sed ad sua desideria complenda aurum & argentum congregat, quæ secum ferre nullatenus possunt. Vae superbis & magnis in oculis suis, qui humilitatem deuotorum spernunt, simplicitatem derident, paupertatem miseriam vocant, obedientiam paruipendunt, patientiam à se repellunt, castitatem male custodiunt, & crucifixo contrariè viuunt. Vae delicatis & curiosis, qui carnem suam nimis fouent, & foris vestibus ornant, & animam suam negligunt & peccatis maculant. Vae auaris & ambiciosis, qui pro terrenis bonis & honoribus multum laborant, & sæpe litigant, & pro cælestibus bonis & æternis gaudiis parum agere & pati possunt. Ideo terrena frequenter subito perdunt, & cælestia non acquirunt. Nemo enim potest hic gaudere cum seculo, & ibi regnare cum Christo pro nobis crucifixo. Non est seruus maior domino suo, nec discipulus melior magistro suo, quem oportebat pati crucem, & ita intrare in gloriam suam. Et certe post breuissima vitæ huius gaudia sequuntur æterna lamenta. Et tunc duriter cruciabitur in igne & sulphure, qui modo edunt laute & abunde, & bibunt vinum cum risu & dulcedine. Nisi enim (ait dominus) poenitentiam egeritis, omnes simul peritibus. Sunt homines mortales qui suam fragilitatem non considerant, nec vilitatem lutu vnde facti sunt, cogitant: sed de nobilitate generis sui gloriantur, de diuitibus parentibus intumescunt, de scientia & arte sua inflantur, de fortitudine & pulchritudine præsumunt, de regimine & prælatura exultant, de ornatis & variis vestibus se eleuant, de notitia & fama nominis sui lætantur, de visitatione amicorum consolantur, de priuatione sui honoris tristantur, de aliorum foelicitate & promotione sibi contrariorum torquentur. Sed heu hæc omnia diligenter inspecta & veraciter pensata, vana sunt, nec aliqua reputatione digna, quod subito casura & in nihilum reditura: Omnis quippe caro scænum, & omnis status mundi tanquam flos agri cadit, arefcit, & putrefcit, ac si nunquam hic ortus fuisset. Sunt & alij multi vanis ludis intenti, crucis Christi signo contrarij, & à sanctorum societate moribus & actibus valde remoti. Qui quasi insani gaudent in variis mundi spectaculis, in psalteriis & citharis, in tubis & organis, currunt & saltant pedibus, plaudunt manibus, cantant vocibus, rident dentibus, & præ lætitia cordis vix se capiunt in gestibus corporis, quia summum bonum

Cruce suos pro bar De

Cruce nachori qua:

Luc. 6.

Luc. 24.

Luc. 3.

Esai. 40.

sum constituent in ludis & gaudiis presenti-
bus. Quod si durable & deo acceptabile esset,
multum desiderabile & laudabile foret. Sed
heu quam maxime falluntur homines tam
reges quam principes populi, lætantes in va-
nitatibus istius seculi. Nam vanitas omnis
homo viuens, tanquam umbra fugiens, & ros
mane pertransiens. O quam longe sunt isti à
summo bono, à dulcedine dei, à melodiis an-
gelorum, à semitis iustorum, à sanctitate reli-
giosorum, & à spiritali gaudio deuotorum.
Veniet veniet cito mors super eos antequam
sciant, qui modo lætantur quasi securi essent,
& cessabit omnis ludus & cantus in domibus
eorum & plateis. Et gaudebunt pauperes, in-
firmi & huic mundo despecti cum omnibus
veris cruciferis amatoribus Christi, qui carne
suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscen-
tiis in hoc mundo, ne cum impiis damnentur
in iudicio futuro. Væ etiam vagis & disso-
lutis monachis, solo nomine & habitu reli-
giosis, qui crucem suam cum murmure por-
tant, & inuite obediunt, cellam male custo-
diunt, silentium leuiter frangunt, labores fu-
giunt, ocia diligunt, orationes breuiant, fabu-
las prolongant, ad exteriora proni, ad inter-
iora pigri, ad cogitandum bona torpidi, ad
pescandum mala procliuui, ad edendum & bibē-
dum alacres, ad ieiunandum tristes, ad incre-
pandum faciles, ad sustinendum debiles, ad
honores cupidi, ad humilia verecundi, ad ri-
gorem disciplinæ auersi, & ad laxiora semper
inclinati. Sed heu pie deus quod filij huius se-
culi prudentiores sunt & feruentiores in ter-
renis acquirendis, augmentandis & conserua-
dis, quam filij lucis & serui sanctæ crucis, pro
virtutibus colligendis, & vitiis extirpandis. O
vitiam omnes saperet & intelligerent quam
delectabile est deuotis exercitiis intendere,
scripturarum arcana perscrutari, verba Chri-
sti & opera meditari, sæpe legere, sæpe orare,
lecta & audita masticare, beneficia dei quoti-
die recolere, pro omnibus bonis datis & crea-
tis etiam pro minimis deo regratiari, ad me-
liora semper tendere, ad cælestia suspirare, &
omnia terrena ex corde elongare. O quam
sanctum est in cauta custodia cordis stare, eua-
gationes per feruidas orationes & puras me-
ditationes excludere, imaginationem mundi
per imaginem crucifixi vincere, tentationes
diabolicas sancta cruce, clauis, & lancea repel-
lere, motiones carnis spinis & flagellis acutis
extinguere, iniurias illatas patienti animo fer-
re, damna & vituperia pro lucro animæ re-
putare, & omnia grauamina præsentia pro
amore Christi leuissima ponderare. Hæc e-
nim & similia attente cogitare & niti exercere

Psal. 3.

Corru-
pri mo-
nach ide
scriptio.

Inc. 16.

Crucem
ferre qd.

est crucem tollere, & in cruce Christi & non
in carne gloriari. Ex dulci nanque ligno cru-
cis, dulcis odor cælestis gratiæ effluit, qui cū-
cta seculi gaudia repellit, carnis delectamenta
extinguit, cordis elationem reprimat, internæ
consolationis munera tristibus affert, inui-
riam patientibus fortitudinem præbet, anxios
animos variis modis verbis Christi & exem-
plis quietat. O religiose frater quare contri-
staris & conquereris de grauitate crucis tuæ,
in vigiliis longis, in ieiuniis multis, in labore
& silentio, in obedientia & stricta disciplina,
quæ pro profectu tuo & animæ salute à san-
ctis patribus sunt deo inspirante vtiliter in-
stituta, quatinus per ista secure & prudenter
incedas, qui teipsum bene & virtuose regere
nescis? Putas quod tu sine cruce & dolore ad
regnum cælorum intrabis præ omnibus san-
ctis, quod Christus non potuit nec voluit,
nec aliquis ex charissimis amicis & sanctis-
simis impetrauit? Nam ipse dixit: Oportebat pa-
tri Christum, & ita intrare in gloriam suam. Er-
ras plane in existimatione tua, nec attendis
vestigia Christi tibi ostensa, qui per crucem
ex hoc mundo transiit ad patrem suum cæ-
lestem. Interroga quemlibet de victoribus &
cælestis regni ciuibus, quomodo venerit ad
hanc gloriam dei perpetuè possidendam. Non-
ne per crucem & poenam? Eia dilecti fratres,
tollite iugum domini super vos amantibus
suaue & leue. Amplectimini desideranter cru-
cem sanctam omnibus virtutibus floridam,
cælesti vnctione plenam, vt perducatur vos sine
errore cum spe gloriæ in vitam æternam. Quid
vultis amplius? Hæc est via & non alia, via re-
cta, via sancta, via perfecta, via Christi, via iu-
storum, via electorum saluandorum. Ambu-
late in ea, perseuerate in ea, sustinete in ea, vi-
uite in ea, morimini in ea, expirete in ea. Crux
Christi vincit omnia diaboli machinamen-
ta, crux ad se trahit omnium fidelium corda,
crux delet omnia mala, & confert nobis om-
nia bona, per Iesum Christum qui pependit
& mortuus est in ea. Non est aliqua armatura
tam fortis, nec sagitta tam acuta & terribilis
contra diaboli potentiam & sauitiam, quam
sic timet vt signum crucis, in qua filium dei
suspendi fecit & occidi, qui innocens fuit, &
ab omni macula purus. O vere beata crux
Christi omni honore dignissima, omni amo-
re amplexanda, amantibus leuis ad portan-
dum onera, tristibus solatiofa ad sustinendum
opprobria, poenitentibus benigna ad dimit-
tendum debita pro omni offensa. Hæc est
sanctis angelis valde honorabilis, hominibus
multum amabilis, demonibus nimis terribi-
lis, despecta superbis, accepta humilibus, aspe-
ra car-

Luc. 14.

Arboris
crucis
Christi
descri-
ptio ele-
gantissi-
ma.

Crucis
Christi
dignitas.

ra carnalibus, dulcis spiritalibus, insipida stul-
tis, affectuosa deuotis, affabilis pauperibus, cō-
socialis peregrinis, amicabile afflicto, conso-
labilis infirmis, confortabilis morituris. Re-
condite ergo omnia sacra Iesu vulnera in se-
cretario cordis vestri, quæ super omnia ara-
mata sapiunt animæ deuotæ in mœreore exi-
stenti, nec solatium foris ab hominibus quæ-
renti. Pensate etiam dolores beatæ virginis
matris Iesu stantis iuxta crucem, quam mul-
tas tunc lachrymas cum intima compassione
effudit cum multis fœminis secum ploranti-
bus, vt & ipsa memor sit vestri in omnibus an-
gustis vestris. Sequimini Christum per pas-
sionem suam & crucem ducentem ad æternam
requiem & lucem, quia si ei modo estis socij
tribulationis, eritis postmodum cum eo socij
mæstæ cælestis, & perpetuæ exultationis. Plā-
tate in ortulo memoriæ vestræ arborem san-
ctæ crucis, contra omnes mortiferas diaboli
suggestiones medicinam valde virtuosam pro-
ferentem. Huius enim nobilissimæ & fœli-
cissimæ arboris radix est humilitas & pauper-
tas, cortex labor & poenitentia, rami miseri-
cordia & iustitia, folia veritas & doctrina, flo-
res, vera honestas & pudicitia, odor sobrietas
& abstinentia, pulchritudo castitas & obedi-
tia, splendor fides recta & spes firma, fortitu-
do magnanimitas & patientia, longitudo lō-
ganimitas & perseuerantia, latitudo benigni-
tas & concordia, altitudo charitas & sapien-
tia, dulcedo amor & læticia, fructus salus & vi-
ta æterna. Bene ergo & digne in sancta eccle-
sia de sancta cruce cantatur, quod nulla silua
talem profert arborem fronde flore germine
plenam. Sed nec in ortis Salomonis inueni-
tur species talis, nec hæra sic valens pro me-
dicamine omnis languoris, vt arbor sanctæ
crucis proferens aromata diuinæ virtutis ad
reformationem humanæ salutis. Hæc est ar-
bor fœcundissima super omnes arbores pa-
radisi benedicta, ramis pulcherrimis extensa,
foliis virentibus ornata, fructibus vberimis
per mundum dilatata, altitudine tangens cœ-
los, profunditate penetrans inferos, latitudine
ambiens montes & colles, magnitudine im-
plens orbem terrarum, fortitudine vincens
impios reges & fidei persecutores, pietate at-
trahens debiles, suauitate sanans peccatores.
Hæc est vitis deifica, oliua fructifera, dulcis
ficulnea, foris aspera, intus melliflua, in domo
dei plantata, in humilitate radicata, in paci-
entia probata, in obedientia consummata, in
charitate confirmata. Hæc est palma præcla-
ra digne Christifera vocata, humero Iesu ba-
iulata, in monte caluarie alte leuata, à Iudæis
condemnata, à gētilibus deturpata, ab impiis

exprobrata, à perfidis abnegata, à fidelibus la-
mentata, à piis implorata, à deuotis multum
amata, à religiosis summe venerata. Hæc Cō-
stantino imperatori cælitus est ostensa, à san-
cta Helena regina diligenter quæsitā, & cum
magno gaudio inuenta. Hæc ab eodem nobi-
li christicola fuit amorose amplexata, lachry-
mosa facie irrigata, & labiis puris affectuosis-
sime osculata. Hæc iam deo mirabiliter dispo-
nente in multis locis signis emicat & virtuti-
bus. Hæc à regibus & principibus mundi, ab
omni clero & populo adoratur quæritur &
honoratur, & pro omnibus plagis & contu-
melis ab impiis sibi factis à cunctis Christi
fidelibus ampliori deuotione colitur & cele-
bratur. Attamen ex occulto dei consilio &
prouidentia, hæc omnia pro salute mūdi ge-
sta sunt & ordinata. Hæc animam deuotam
piæ compassionis affectu sæpe compungit,
sæpe lachrymare facit, cum imaginem cruci-
fixi aspicit: sæpe cor amantis conuulnerat, cū
Christum pro se vulneratum pensat. Beatus
homo & fidelis seruus ille, qui sacra Iesu vul-
nera in corde suo iugiter portat, & quicquid
aduersitatis ipsi obuiat, de manu dei hoc ac-
cipit & pie sustinet, vt crucifixo saltem in mo-
dico conformis fiat. Dignus nanq; est à Chri-
sto visitari & consolari, qui se studet passioni
eius in vita & in morte plene conformare.
Hæc est via sanctæ crucis, hæc doctrina no-
stri saluatoris, hæc sapientia sanctorum, hæc
regula monachorum, hæc vita bonorum, hæc
lectio clericorum, hæc meditatio deuotorū,
Christum humiliter imitari, pro Christo ma-
la pati, pro dulcibus amara sumere, honores
spernere, contemptum æquanimitate ferre, à
delectationibus prauis abstinere, occasiones
vitiatorum fugere, dissolutiones vitare, pro de-
fectibus propriis & alienis gemere, pro tribu-
latis & tentatis orare, pro benefactoribus gra-
tias agere, pro aduersariis vt conuertantur
supplicare, bene agentibus congruere, inui-
riam patientibus condolare, indignis sub-
uenire, alta non appetere, humilia eligere,
simplicia diligere, superflua refecare, paucis
contentari, pro virtutibus laborare, contra
vitia quotidie certare, carnem ieiunio doma-
re, spiritum oratione & lectione roborare, hu-
manam laudem refutare, solitudinem quæ-
rere, silentium amare, deo vacare, ad cælestia
suspirare, omnia terrena ex corde vilipende-
re, nil præter deum sibi solatiofum reputare.
Iste potest cum beato Paulo apostolo dicere,
quod mihi viuere Christus est & mori lucrū. Phil. 1.
Et iterum: Gloriari me oportet in cruce do- Galat. 6.
mini mei Iesu Christi, per quem mundus iste
mihi crucifixus est, & ego mundo. O religiose

Via cru-
cis Chri-
sti, quæ.

Philip. 1.
Galat. 6.

monache, & sectator arctioris vitæ, noli ab assumpta cruce in ordine recedere: sed sustine & porta crucem vsque ad mortem, & inuenies æternam requiem, cælestem gloriam & honorem. Quando aliqua tribulatio tibi aduenit, tunc Christus cū cruce tibi obuiat, & iter ad cæleste regnum quò pergere debeas, ostendit. Si quis autem gloriatur & sperat in diuitiis & honoribus huius mundi, vere decipitur, & nihil ex omnibus secum portabit, quæ in mundo amare consuevit. Qui vero in cruce Christi gloriatur, & omnia propter Christum contemnit, hic interim à Christo in præfenti consolabitur, & in futuro cælestibus bonis replebitur, ac sine fine cum Christo & omnibus sanctis foelicissime gaudebit. Quæ nobis præfata dignetur Iesus Christus pro nobis in cruce passus & mortuus, cui æterna laus & gloria in secula seculorum. Amen.

Exemplum de sancta cruce.

F Vit apud nos laicus quidam Nicolaus Petri nominatus, ex partibus Holladiæ natus. Hic deo inspirante cum esset carpentarius bonus, statuit in animo seculum relinquere, & monasterium nostrum intrare. Cum ergo solus esset in via, & monasterio appropinquaret, diabolo insidiante & têtante, cœpit anxiam & multum formidare, nesciens quid sibi obesset in bona via, sole adhuc clare lucente. Stans ergo & deliberans apud se quid ageret, cum nullum adesse cerneret, cœpit cogitare quòd forte diabolus eum impedire vellet, ne ulterius ad monasterium procederet. Circumspiciens ergo huc illuc, vidit à longe quasi nigram nubeculam de terra ascendere, & paulatim in altum excrescere, & quasi à vento agitante moueri. Perterritus itaque valde & coniecturans quòd satanas iter suum impedire niteretur, ne propositum suum imple-ret, statim eleuata manu sanctæ crucis signum fecit, & salutari signo frontem armauit. Sicque abiecto timore, & forti fide confortatus, frontem iterum cruce signans viriliter processit. Quo factò diabolicum illud phantasma virtutem sanctæ crucis non valens ferre, quasi sagittam acutam contra se missam deuitans, à via declinauit, moxque tanquam fumus euanes-cens ex toto disparuit. Tuncque multum lætus effectus monasterium nostrum in honorem sanctæ Agnetis virginis dedicatum cõstanter intrauit, quod tunc temporis in magna paupertate inceptum paucis cognitum fuit. Hic postmodum multis annis superiuués ad honorè sanctæ crucis omnibus feriis sextis ieiunauit, & etiam tempore mæsis magnis laboribus fatigatus nunquam sanctæ crucis ieiunium soluit, sed propositum suum quod

Tribula-tis Christi-
stus ve-nit ob-
uiam cū
cruce.

Crucis si-
gnum q̄
sic effi-
cax, pro-
bat ex-
plis.

bene incepit, constantissime terminauit.

Aliud exemplum.

F Vit quædam soror conuersa Margarita nomine, deo deuota in ordine regularium fororum, quæ officio coquinæ deputata tanquam fidelis Martha, Christo & fororibus humiliter seruire studuit quoadiu potuit. Quædam igitur vice posita erat patella olei super ignem qui ardebat, ipsa vero operi intenta nõ longe distabat. Cumque cerneret oleum nimis ebullire, & in altum spumas eius ascendere, timens illud effundi & igne consumi, citius ad focum cucurrit. Et factò desuper sanctæ crucis signo, mox tumor spumæ ad ima resedit, ac si aquam frigidam iniecesset. Quod facta eius videns mirata est, & aliis postea hoc factum reuelauit.

Exemplum aliud.

M Vlier quædam Campensis ibat ad forum ciuitatis, vt sibi & domesticis suis modicum lactis emeret. Emptione autem facta, ad domum redire festinabat, tenens in manu amphoram lactis quam secum tulerat. In via ergo posita cupiebat de lacte bibere, & inclinans se resedit super terram. Accepta itaque in manu amphora, fecit desuper signum sanctæ crucis antequam biberet, statimque amphora inferius crepuit, & lac in terram ruens vberum effluxit. Quo viso nimis exterrita surrexit, & perpendens quid miri sibi accidisset, præfenti signo virtutem sanctæ crucis patienter agnouit. Quidam autem rem gestam audientes, dixerunt: Forte nisi hæc mulier signo sanctæ crucis se signasset, diabolum cum lacte imbibisset. Bonum est ergo cibum ac potum prius signo sanctæ crucis benedicere, ne aliquid nociuū homini ex vitio gulæ contingat, per quam diabolus multos sapius tentat & captat.

Aliud exemplum.

D Vo fratres religiosi habita licentia ibat pariter non longe extra monasterij portam, post horam reuersuri ad cellam deuotionis amicam. Dum ergo fabularentur adinuicem de diuersis sibi placitis historiis, interuenit etiam ex incustodia oris sermo detractionis de factis sui prioris instigatione maligni spiritus. Tunc ecce subito apparuit eis equus niger valde terribilis cum impetu occurrens ambulans, & quasi volens inuadere fabulantes. At illi nimium perterriti mox signo sanctæ crucis se munitentes, concito cursu ad monasterij portam fugerunt, & sic periculum sauisimi hostis per sanctæ crucis signum euaserunt. Et dixerunt. Male fecimus, ociosa & detractoria de aliis loquendo. Ideo accidit nobis tam enorme monstrum, ad cauendum

decatero

decatero pessimum detractionis vitium omnibus abominandum.

Exemplum aliud.

Q Vidam frater ex labore fatigatus, cum sero factò ad dormiendum se disponeret, neglexit solito more signo sanctæ crucis contra terrorem inimici se signare. Nam celeri oppressus somno, non est armatus salutiferæ crucis signo. Postea tã grauitè fuit perterritus in somno ab antiquo humani generis inimico, vt præ timore clamaret alta voce, & expergefactus tremaret cum ingenti stupore. Tunc demum recordatus est quòd vespere præcedenti non satis caute se signasset solito vexillo sanctæ crucis, & idcirco hostis malignus fuit ipsi in illa nocte tam seuerè molestus. Ad se ergo plene reuersus, inuocato salutari nomine Iesu cruce se signauit, & suffragiū sanctæ crucis deuote legit, sicque iterum obdormiēs in pace Christi secure quieuit. Et ob huius rei factum per sanctæ crucis signum, sine cruce Christi nullum locum mundi ab hostis terrore putauit esse securum.

Aliud exemplum.

V Ir quidam honestus vidit in somnis sibi altare imaginem sanctæ crucis: quæ primo ante eum stetit & aspexit, postea vero post ipsum stans in dorso detrusit & recessit. Super quo nimis perterritus & perplexus, cuidam deuoto presbytero quod viderat reuelauit. Qui visionem perpendens, nec incausum reputans, ait trepidanti. Forte dominus noster vult te probare, & ad sustinendum aliquid oneris vobis imponere. Præparetis ergo dorsum vestrum ad portandum pic cum eo crucem, quia flagellat omnem filium quem diligit. His dictis consolatus est homo committens se deo, qui nihil facit nisi pro bono. Nec diu post venit super eum tribulatio & despectio hominum, quam crux prius visa in somnis præfigurauit. Ipse vero diligenter præmonitus ad patientiam se disposuit, & post dignam probationem bono sine vitam terminauit.

Exemplum aliud.

Q Vidam deuotus frater præ cæteris sacris libris in passione domini se exercere studuit, & imaginem sanctæ crucis in magna reuerentia habuit. Et vbicumque aliquam crucem vidit, humiliter inclinans libenter se signauit, memor dei sui pro se crucifixi, quem amare & honorare desiderauit. Quædam igitur nocte vidit in visione quandam imaginem sanctæ crucis in pariete cuiusdam ecclesiæ pendentem, multis vulneribus ac plagis sauciata. Quam nimis dolenter aspiciens, flexis genibus & iunctis manibus suppliciter ado-

rauit. Statimque imago dextrum brachium suum de cruce ad eum extendit, & dexteram manum sibi porrexit. De quo cum multum de tanta dignatione miraretur, dictum est ei: Hoc pro honore quem mihi in cruce exhibuisti. Exinde cœpit maior deuotio in corde eius erga imaginem sanctæ crucis excrescere, & dulcius ei fiebat de passione domini quotidie meditari, legere, & orare.

Oratio de laude sanctæ crucis.

O Dulcissima & amatissima crux domini mei Iesu Christi, foris nimis tristis & amara, sed intrus diuina dulcedine plena. O arbor, decora & fulgida, mæbris Christi tanquã preciosis Margaritis ornata. O vitis fecunda, duris clauis perforata. O oliua speciosa, sanguine Christi colorata, aqua lateris eius sanctificata. O lignum vitæ, portans regē gloriæ pro mundi salute. O crux scutum inexpugnabile, vexillum regis incomparabile, signum salutis admirabile, in titulo capitis habens scriptum tale, Iesus Nazarenus rex Iudeorum. Salue Iesu Nazarene, laus angelorū, vita beatorum, venia peccatorum, salus omnium populorum. O crux salutifera ab æterno præuisa & electa, tu omnium virtutum floribus adornaris, digne adoraris, miraculis coruscas, fructibus æternæ salutis exuberans, su per omnia aromata refoles, morbos corporis & animæ sanas, iustis cælum aperis, peccatoribus veniam præbes, diabolum fugas, infernum frangis, captiuos liberas, redemptos beatificas. O crux arbor speciosissima super omnia ligna siluarum benedicta, tu cedro altior, palma latior, cypresso odorator, balsamo nobilior, vite fecundior, oliua pinguior, sicu dulcior, buxo viridior, quercu fortior, rosa pulchrior, liliis candidior. O crux splendidissima, sole excelsior, stellis clarior, luna lucidior, gemmis micantior, lapidibus preciosior, auro dignior, argento melior, nardo efficacior, cunctis aromatibus & medicinis salubrior. O crux valde amabilis, summe venerabilis, esto mihi peccatori propitia & placabilis, dux bonæ vitæ, lux rectæ vitæ, protectrix ab hoste, liberatrix in tremendo iudicio, & pia susceptrix in regno superno. Assiste mihi in agone, conforta in fide, spem veniæ tribue, charitatem cordi infunde, & cum foelici fine ex hoc mundo migrare concede, vt me per te recipiat, qui in te pendit & me redemit, Iesus Christus dominus noster. Laudat mundus amatores sui, milites fortes & barones, quòd pro patria & ciuibus suis bella uerunt, & periculis multis ac morti viriliter se exposuerunt, & commune bonum omnibus priuatis & propriis prætulerunt, quanto ma-

Ioan. 19.

gis Christus laudandus est & amāus? qui pro omnibus nobis crucifixus est & mortuus, vt in æternum viueremus, & cum eo in cælis regnaremus. Amen.

De ueneratione & cōmemoratione beatæ Mariæ virginis. Sermo 2.

Ioan. 19.

STabat iuxta crucem Iesu mater eius. Dilecti fratres dignum est & consequens, vt post memoriam sanctæ crucis habeatur etiā specialis memoria doloris beatissimæ semper virginis dei genitricis Mariæ, quæ astitit fideliter dilecto filio suo Iesu pendenti in cruce, atq; pro totius mundi salute morientis. O flebile spectaculum matris & filij crucifixi, matris lachrymantis, & filij condolentis, matris deficientis, & filij alloquentis, matris sub cruce stantis, & filij in cruce pendentis, matris suspirantis, & filij expirantis. O immensi doloris magnitudo, nunquam obliuiscenda, sed in corde deuotorum fixe tenenda. Scripsit Pilatus titulum in tabula super crucem: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Scribe etiam & tu eundem titulum in corde tuo aureis literis contra derisus hominum, & terrores dæmonum, & liberabit te Iesus Christus rex cælorum ab omni pressura iniquorum. Si ita feceris, astabit & tibi mater Iesu. Maria precibus suis, ne desperes in extremis & angustiis tuis. Nulla enim mater tam magnum in natiuitate filii sui gaudium & solatium habuit, sicut hæc beatissima sensit, quæ filium dei concipere & parere meruit. Nulla etiam mater tantam tristitiam & intolerabilem dolorem in morte carnalis filii sui habuit & pertulit, sicut hæc beatissima & amantissima mater in passione prædilecti filii sui ex compassione perensit, quando iuxta crucem eius stetit, ac doloris gladio conuulnerata amarissime fleuit. Certe tantis visis doloribus in filio, quem singulariter super omnia excelsiue diligebat, mirum valde fuit quod vltra in corpore viuere potuit, cuius animam toties doloris gladius pertransiuit, quotiens filium torqueri & illudi vidit vel audiuit. O vere singulare martyriū in desolata matre, & tenera virgine, quæ acrius torquebatur in corde cōpatiēdo filio, quàm martyr aliquis suspensus in equuleo. Fratres si dominam nostram diligitis, & eius patrocinium in omni tribulatione desideratis, nunc stetis cum ea iuxta crucem Iesu cōpatiēdo ipsi & dilecto filio eius ex intimo corde, vt & ipsa iterum sedulo oret pro peccatis & negligentis vestris in morte. Qui enim nunc sæpe & deuote passionem domini & lachrymas tristissimæ matris eius pio mentis affectu recogitat & perpendit, sperare debet de mis-

Ad istan-
dum cru-
ci cum
Maria.

ricordia dei, & beneuolentia amborum, matris & filii, quod sibi etiam aderunt in necessitatibus suis, & subuenient consolando iacentem in extremis. O quàm læta erit anima illa, quæ Iesum & Mariam dilexit in vita sua, & tristem stationem Mariæ iuxta crucem Iesu omni die reuoluit in mente. Fœlix religiosus ille contemnens omnia solatia mundi, qui dominam nostram sanctam Mariam elegit sibi in matrem consolantem, totius vitæ suæ custodem protegentem. Nulli dubiū quin pia & misericors mater consolatrix pauperum, & orphanorum adiutrix, loquetur libenter pro fideli seruo suo de mundo migrante verbum bonum & suaue, placando faciem dilecti filii sui redemptoris nostri precibus suis sanctis, dicens: Fili mi amarissime miserere animæ famuli tui amatoris & laudatoris mei, sicut tu bene nosti & vidisti, de cuius ore sancti angeli sæpius mihi deuote salutationis gaudia nunciarunt, qui etiam ad laudandum nomen sanctum tuum & meum plures secum fratres inuitare consuevit. Hic etiam notarius noster scribens sacros libros, & amator sanctæ crucis, libenter orans & psalmos cantans, qui audito nomine sancto tuo atque meo, reuerenter solebat ad nos inclinare, & geniculando salutare. Transiens per viam & videns à longe crucem, memor passionis tuæ exhibuit tibi reuerentiam, inclinando se ad crucem. Cernens etiam in ecclesia vel in aliquo loco pictam imaginem meam, vel te in sinu meo iacentem aut sedentem, vel quasi mortuum inter brachia mea pendentem, statim compassus est & doluit, fleuit & orauit, genua flexit, & adorauit. Hic sine osculo amoris à nobis non recessit: sed tota die ac nocte dolores sanctorum vulnerum tuorum & fletus oculorū meorum in corde suo abscondit, & intime mihi compati studuit. Memor ergo esto horum filii mi charissime, & da ei nunc inuenire misericordiam coram te, me cum omnibus angelis & sanctis tuis pro eo instantia magna supplicante. Fratres ista modo attendere debetis, dum adhuc sani estis, & tempus emendandi habetis. Procuretis iam vobis tales amicos & aduocatos, qui loquantur pro offensis debitisque vestris verbum bonum deo valde gratum, & recipiant vos in æterna tabernacula sua post huius mundi pericula & laboriosa certamina. Non enim inuenietis fideliores amicos & potentiores in cælo & in terra, quàm Iesum regem angelorum, & Mariam dominam nostram reginam cælorū. Si amatores Christi estis, tollite crucem Christi, sequimini crucem, stete iuxta crucem, amplectimini crucem, non relinquatis crucem,

ccm,

cem, donec veniatis ad Iesum Christum veram lucem, qui dicit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Si consolari in omni tribulatione quaeritis, accedite ad Mariam matrem Iesu iuxta crucem stantem, fientem & dolentem, & omnia grauamina vestra aut cito recedent, aut leuiora fiet. Eligite hanc benignissimam matrem Iesu præ cunctis parētibus & amicis vestris, in matrem specialē & aduocatā ante mortem, & salutate eam angelica salutatione frequenter, quia hanc vocem audit valde libenter. Si malignus hostis vos tentat, & à laude dei & Mariæ impedit, nō curretis, nec laudare & orare cessetis, sed eo ardentius Mariam inuocate, Mariam salutate, Mariam cogitate, Mariam nominate, Mariam honorate, Mariam semper glorificate, Mariam inclinate, Mariam vos commendate. Cum Maria in cella manete, cum Maria silete, cum Maria gaudete, cum Maria dolere. Cum Maria laborate, cum Maria vigilate, cum Maria orate, cum Maria ambulate, cum Maria sedete. Cum Maria Iesum quaerite, cum Maria Iesum in vlnis portate, cum Maria & Iesu in Nazareth habitate. Cum Maria in Hierusalem ite, cum Maria iuxta crucem Iesu stete, cum Maria Iesum plorate, cum Maria Iesum sepelire. Cum Maria & Iesu resurgite, cum Maria & Iesu cælos ascendite, cum Maria & Iesu viuere & mori desiderate. Fratres si ista bene cogitatis & exercetis, diabolus fugiet à vobis, & in spiritali vita proficietis. Maria libenter pro vobis orabit pro sua clementia, & Iesus libenter matrem suam exaudiet pro sua reuerentia. Parum est omne quod agimus, sed si per Mariam & filium eius Iesum humili & contrito corde ad patrem accedimus, misericordiam consequemur & gratiam in hoc tempore, & gloriam in futuro cum ipsis sine fine. Fœlix anima deuota quæ habet Iesum & Mariam amicos familiares in hac vita, sodales in mēsa, comites in via, prouisores in necessitate, consolatores in tribulatione, adiutores in periculis, consultores in dubiis, susceptores in extremis. Beatus religiosus, qui se reputat peregrinum in hoc mundo, & pro summo solatio habet Iesum & Mariam in cordis hospitio.

Exempla de salutationis angelicæ virtute.

FRater quidam libellum in cella perdidit, quem diu sollicitè quaerens inuenire non potuit. Cūque de eius amissione tristaretur, & de inuentione eius iam desperaret, conuertit se ad orationē inuocans beatā virginem per angelicam salutationem. Cum ergo solito more aue Maria legere inciperet, & sæpe repeteret, & inter hæc de libello dolens

cogitaret, subito ei venit ad mentem tale inspiramentum, vbi sedebat iuxta lectulā orans ante beatæ Mariæ virginis imaginem. Quære hic ante te sub stramine lecti. Statim manū suam ad asserem lectuli extendit, volens explorare an ibi aliquid absconditum iaceret: & ecce leuato modico stramine, mox libellum manu tetigit & extraxit. Quo viso miratus est, & præ gaudio libellum osculans deo gratias egit, & beatæ virgini angelicas orationes ipsi promissas protinus persoluit. Et dixit. Forte domina nostra voluit aliquot aue Maria habere, & ideo non potuisti tam cito libellum inuenire. Bonum est ergo aue Maria sæpe legere, & matrem Iesu deuote inuocare.

Aliud exemplum.

Quidam frater scribens libros in cella, diabolo insidiante fordida cogitatione molestabatur. Quod sentiens, & indigne ferens, statim surrexit vt cellam exiret, & istam vexationem citius euaderet. Sed antequam exiret, deo inspirante respexit ad beatæ virginis imaginem, quam apud se habebat, & deuotionis causa salutare solebat. Mox igitur flexit genua, & iunctis manibus cœpit legere deuote aue Maria. Et ecce continuo affuit gratia diuina subueniente illi pia domina nostra Maria cum nobili prole sua benedicta. Nam incepta & intente perlecta salutatione angelica, cum in fine iam dixisset, Iesus Christus amen, mox in semetipso sensit dei virtutem, & ab omni noxa quietem. Stupens ergo de celeri exauditione, cognouit in præfenti articulo magnam angelicæ salutationis utilitatem, contra quamlibet hostis impugnationem. Et gratias agens deo, ait intra se. Nunc scio vere, quia potens est domina nostra sancta Maria iuuare & eripere omnes clamantes ad se. Nocte vero sequenti talis ei visio apparuit dormienti. Videbatur enim sibi quod per ortum pomarij solus transiret. Cui occurrens Satanas, ipsum terrere & fugare cœpit. At ille perterritus à facie eius, cœpit præcurrere vt euaderet manus eius. Et cum non auaderet extra septa monasterii transire, ex repetino cursu subito cecidit in fossam aquæ in limum profundi. Timens ergo submergi, cum nullum adesse videret qui eum iuuaret & extraheret, cœpit intra se angelicam salutationem legere, & auxilium petere. Mox igitur cum dixisset, Iesus Christus amen, raptus est de profundo lacu aquæ, & super aridam terræ restitutus. Tunc valde exhibilaratus, & quasi de laqueo mortis ereptus expergefactus est, & ad se plene reuersus.

Erigen ergo se in lectulo prægaudio cœpit flere, & pro gratiarum actione flexis genibus legit attente sapiissime, Ave maria. Addidit etiam hæc verba, Ave maria dulcis domina nostra gratia plena, dominus tecum misericordiam porta.

Exemplum aliud.

DVo fratres regulares ibant pariter ad partes superiores pro pia causa visitandi parentes, & amicos in Christo fideles. Contigit ergo paululum eos à recto itinere deviare. Dixit itaque senior iuniori. Frater videtur mihi quod erramus, reuertamur iterum ad publicam vitam. Reuertentes ergo ad priorem locum cœpit senior orare, & beatam virginem inuocare, vt mitteret eis recti itineris ducem, & bonæ societatis viatorem. Cumque iam aliqua suffragia cum hymnis & collectis de beatâ virgine legisset, ecce occurrit eis vir quidam in specie peregrini baculum & fucellum in dorso pro viatico secum ferens. Qui salutatis fratribus, dixit se velle tendere sursum pro indulgentiis ad sanctum Quirinum, & libenter cum eis comitari. Sequebantur ergo velociter recti itineris ducem per longæ viæ spatium, donec venirent ad optatum hospitij sui locum. Tunc senior cognoscens diuinum eis affuisse auxilium, ampliores gratias deo & beatæ virgini studuit referre pro ducatu bonæ viæ, memor verbi sancti Petri apostoli dicentis: Omnem sollicitudinem vestram proicietis in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

Aliud exemplum.

FRater quidam in tribulatione positus habuit usum inuocandi Iesum, & piissimam matrem eius Mariam. Et quando tentabatur vitiosa aliqua passione, vel tristitia, statim cōfugit ad passionem domini per orationem angelicam inuocando Iesum & Mariam in adiutorium contra tentationem. Quadam igitur nocte vidit in somnis diabolum sibi occurrere, & velle nocere. Et cum timeret lædi, nec posset effugere, cœpit submisse aue Maria dicere: sed cum ille audisset Iesum nominari, statim auertit se ab eo, & cœpit fugere, & cito currere. Quo viso clamauit frater adhuc altius post eum Iesus Iesus, & quanto fortius clamauit, tanto celerius præcurrebat Satanas perterritus voce dulcis nominis Iesu & matris eius Mariæ. Et subito cadens non comparuit. Hoc videns frater præ lætitia cordis euigilauit, & ait. Si cum vno aue Maria possum diabolum fugare, quid habeo nunc timere?

Exemplum aliud.

ERat apud nos laicus quidam Egbertus nomine, senex & prouectæ ætatis, deuo-

tus deo & beatæ virgini, ac feruidus sanctæ paupertatis amator. Hic secundum vires suas fortiter laborauit terram fodiendo & transectando, atque in laboribus defudans dominicæ passionis labores recogitabat, & fatigatur ex labore, pro releuamine corporis orationi insistebat. Hunc Satanas diu tentauit vt de monasterio recederet, & per mundum mendicatum iret, suadens quod hoc deo magis placeret, quia hic multa commoda haberet quibus indignus esset. Sed ab hac opinione consilio prioris & fratrum admonitionibus retractus est, ne se periculo daret, & per mundum vagando finaliter erraret. Sæpe enim callidus tentator sub specie melioris boni simplices decipit, & à bono incepto per mutationem loci ad inconstantiam animi trahit. Cumque adhuc minime contentus esset ad manendum, nec tamen auerteret inconsulte sine licentia recedere, inter hæc tentamenta cōfugit ad beatam virginem per deuota orationum suarum suffragia. Quadam igitur die fatigatus ex labore, reclinauit se ad orandum iuxta vehiculum suum, sicut sæpius faciebat inuocando beatam virginem, & nominando Iesum Christum. Cum ergo solus iaceret prostratus in terra, parum soporatus est dulci sopore in domino. Viditque valde venerabilem dominam sibi assistentem, & pia admonitione hæc verba dicentem: Maneas in loco isto, & quod prior tibi consulit & dicit, hoc facias. His dictis, honorabilis domina statim disparuit, & ille ad se reuersus & experrectus vberime fleuit. Deinde ad priorem festinanter accessit, & ea quæ viderat & audierat, per ordinem cum gemitu & fetu ei referebat. Ad quem prior tanquam pastor bonus ouem tristem consolando respondit: Bene placet hoc mihi chare Egberte. Maneas nobiscum, sicut domina nostra tibi modo ostendit & dixit. Nec diu postea superuixit, sed pro breui labore æterna præmia accepturus, cum multa patientia in obedientia perseuerans bono fine in octaua sancti Ioannis apostoli & euangelistæ inter matutinas obdormiuit in domino, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo.

De laude & inuocatione dulcissimi nominis Iesu, & dulcissimæ matris eius Mariæ. Sermo 3.

SPiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Digne quidem fratres & pulchre satis verba æternæ sapientiæ ad matrem referuntur misericordiam, de qua ortus est sol iustitiæ Christus. Dulcis Iesus, dulcis Maria, & non est in eis amaritudo aliqua, sed summa pietas, mæfuetudo, charitas, & misericordia

fericordia sine mensura. Beatus qui adhæret vestigiis humilis Iesu, & ad matrem eius deuotè se conuertit, vt inueniat gratiam in conspectu eorum. Recollige ergo fidelissime serue dei in vnum fasciculum facta Iesu, quæ egit & dixit, & proderunt tibi plus quam omnes thesauri mundi. Pertracta etiam apud te sedula mente sanctissimæ matris Iesu acta & verba, & erunt animæ tuæ solatiofa, atque super omnia aromata dulcia. Delectatur corpus odoribus bonis, & reparatur ciborum fomentis, anima autem virtutibus veris, & meditationibus sanctis nutritur, confortatur, & lætatur. Quæro vero perfectioribus quis instat studiis, & nobilioribus se subdit magistris, tæto clarius edocetur, & ad culmè beatitudinis citius perueniet. Summi magistri virtutis, & totius sanctitatis luminaria sunt Iesus & Maria, quos pro modulo tuæ paruitatis tibi anteponeere debes, & tæquæ præsentis intueri. His iunge te, his familiarem & deuotum te exhibe. Vbi cumq; audieris aliquid de Iesu & Maria recitari, tibi aurem diligenter accomoda, ibi moram diutius trahere, & quid ædificationis ac latentis insit dulcedinis pensa. Quotiescunque etiam ad opus diuinum accesseris peragendum, vel quando ad laborem communem siue priuatum actum fueris euocatus, primum ad cælum oculos leua, & Iesum atque Mariam specialiter inuoca, & ipsorum perpetuæ custodiæ suppliciter te commenda. Offer te quoque beneplacito eorum in cunctis agendis, vt fiat actio tua deo grata, proximo utilis, tibi salubris. Sit semper intentio tua pura, ferueat voluntas bona, sit labor discretus, sermo circumspectus, executio perseuerans, in sancti nominis Iesu laudem, ac benedictæ matris eius honorè. Hic incipe laudare, venerari & amare, vt in futuro merearis cū ipsis regnare, atq; in perpetuum cum angelis sanctis eos laudare benedicere & prædicare. Laus Iesu suavis & pulchra, laus Mariæ amabilis & decora. Lætus igitur lauda, tristis exora. Digni enim sunt omni laude, & omni tēpore pariter inuocandi. Quanto frequentius in eorū laude te exercueris, tanto in amore plus cresces, atq; in deuotionis gratia conualesces. Nunquā tui obliuisceris, si tu nō fueris eorum oblitus. Et si eos neglexeris, quod absit, aut male te rexeris, quod longe deus auertat, vel à deuotione cōcepta tepueris, quod deus non permittat, necesse erit dignis castigationibus te flagellari, & aduersitatibus ad mentem reuocari, vt discas cum deo sollicitior conuersari, & gratiæ præstitam decætero vigilantius custodire. Tuncque memento benefactorum illorum, & deplora negligentiam tuam, & ingratitude

magnam, quā stulte incurristi. Felix qui meretur admonitiones Iesu in spiritu audire, vt se in melis corrigat, quatinus post seruos amarus, iterum in iucundos rapiatur excessus. Excedit nanque pietas Iesu omnia peccata mundi, & benignitas Mariæ nunquam poterit exhauriri. O si posses in amore & laude Iesu multū proficere, & benedictæ matri eius Mariæ digne deuoteque seruire. Sed quid facies quia dignus non es eos aliquatenus nominare, cum sis homo fragilis, tepidus & negligens, in multis quoque frequenter offendēs? Quomodo ergo laudabis eos, cum non sit spectro-
Ecl. 15.
sa laus in ore peccatoris? Decet enim sanctos à iustis & dignis laudari. Silendum igitur, an aliquid dicendum? Væ tibi si non laudaueris, & væ tibi si indigna labia aperueris. Quid facies, vt misericordiam inuenias, & offensam non incurras? Nihil melius ad captandam beneuolentiam benignissimi Iesu, & misericordissimæ Mariæ matris eius, quam vt humiliter temetipsum in omnibus, & sub omnibus te inclines, atque in nouissimo loco te ponas, indigna & vilia de te veraciter sentiendo, & ad nihilum si quid boni senseris, redigendo. Ita placabitur deus, & miserebitur tui Iesus. Maria quoque orabit pro te, & consolaberis in humilitate tua. Non confundēris à facie eorum, sed copiose recipies soluendo cantica laudis. Quod si dignè laudare nequeas, age quod vales, reddē quod habes. Refrigerabit enim te intentio pia, donec ditior fias ad reddenda obsequia meliora. Qui magni sunt & valde deuoti, laudent magnifice & deuote. qui autem parum olei habent, etiam hoc ipsi libenter filio olei & matri gratiæ sacrificent. Videtur silendum propter excellentem gloriam & dignitatē magnifici germinis matris virginis, sed quoniam pusillos & peccatores Maria non spernit, misericorditer vociferationem tuam in cœtu laudantium admittet, sicut propheta sanctus dicit: Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Idcirco modicum dicendum fuit, propter deuotionis incitamentum, & si non plurimum diserte, humiliori tamen genere & affectu promptiori pro virium quantitate. Qui sunt sublimiores in cælo, & fuerunt humiliores in terra? Nonne Iesus & Maria? Iesus seruam se fecit: Maria ancillam se nominauit. Charitatem amborum totus expertus est orbis, dignitatem eorum cæli prædicant ciues, exercitus adorat angelorum. O si posses illis interesse, & in defensis vocibus dulce nomē Iesu & dulcissimæ virginis Mariæ collaudare. O quam bonū & quam iucundū est istis seruire, qui nobis tæ fideliter quam humiliter seruierunt. Seruite domino

filijs hominum, qui vobis sapius seruire dignus est. Seruite genitrici dei, quæ vobis sanctæ seruitutis exempla ostendit. O quantum decet summos honorare patronos, qui plus omnibus iuuare possunt, per quorum manus iudicia superna transeunt & implentur. Omni ergo hora implorandi sunt, qui ab hostibus mentis & corporis defendunt, & suis seruitoribus æterna gaudia conferunt. In qualibet necessitate ad Iesum & Mariam recurre, omnem grauitatem tuam eis expone, cõfiteri delicta, deplora commissa. Pete veniam, arripe penitentiam, spem resume, emendationem promitte, & de auxilio gratiæ bene confide. Si faciliter laboris, citius resurgere cura. Libenter annuent votis supplicum, non despicient gemitum pauperum, sed gaudebunt etiam super te angeli sancti, cum conuersus fueris ex toto corde ab omni deformitate peccati, & meliorem vitam assumpseris secundum formam Christi & matris Iesu benedicti. Tu tantummodo caue offensam, & illi optata non negabunt præsidia. Tu debitam exhibe reuerentiam, & illi curam tibi adhibebunt firmissimam. Amen.

Oratio.

Tibi domine Iesu & sanctissimæ matris virginis Mariæ commendo animam meam, & corpus meum custodiendum in vitam æternam. O vnica spes mea Iesus & Maria, in omni tribulatione & angustia succurrat mihi pietas vestra. Vos estis patroni potētissimi, super omnes sanctos amandi. Non habeo pauper & peregrinus in hoc mundo tam fideles & charos amicos ex omnibus charis & notis meis, sicut de vobis confido.

De deuoto seruitio beatæ virginis, & recordatione nominis eius. Sermo 4.

Memoria mea in generatione seculorū. Maria paupertatis amica, humilitatis via, patientiæ forma, & in omnibus perfecta, ab exordio natiuitatis Iesu pauperulam vitam duxit, & vsque ad exitum eius in cruce, patientiam constanter tenuit. Hanc sequi placeat, hanc honorare humili & deuoto obsequio decet, atque quotidie perpendere oportet quid gratitudinis & specialis dilectionis ei intētius exhibeatur. Libenter gauderes cum Maria in cælo, ser etiam libenter paupertatem & contemptum cum Maria in terra. Intuere humiles mores eius, & virginalem verecundiam inter suas sodales, & compesce tuas leuitates, ac fuge tumultus. Caue offendere Iesum & Mariam verbis vanis, & factis indignis. Non est enim leue, tam charos offendere patronos. Vident omnia quæ geris, & qualem te in emendatione præstiteris, tales in subuentione tua

Maria virgo nobis imitanda.

experieris. Attamen vincit sapiētia malitiam tuam, & benignitas eorum ad penitentiam te adducit. Si errata cognoscis, muta statum tuum in melius. In bonis perseuera, & de bonis dei gratias deuote retribue. Fecit ita beata Maria cum esset repleta spiritu sancto, & Iesum portaret in vtero. Disce mansuetudinis eius exemplo, occurrentes grauitates pie tolerare, & submitte te ordinationi diuinæ, sicut ordinatum est ab æterno. Iesus erit adiutor tuus, Maria erit tibi mater fidelis, esto tu filius bonus, & seruus deuotus ad omne bonum paratus. Vis facere quod placet beatæ virginis? Sis humilis, patiens, sobrius, castus, verecundus. Feruidus, internus, mansuetus, mente deuotus. Raro sis extra, lege, scribe, & sapius ora. Seruitium Mariæ nec longum videri debet nec onerosum. Delectabile est & lætabundū, tali dominæ corde & voce famulari. Nam absque insigni retributione non erit, quantumcunque modicum in eius honore impensum fuerit. Parua obsequia humilis mater non adspernatur, modica oblata pia virgo libenter acceptat, cum sponte & deuote offeruntur. Nouit quod magna dare non possumus, neque impossibilia exigit à seruis suis misericors domina, mansueta regina. Nescit nobilis illa natura indigentibus non misereri, quæ misericordiā vniuerso peperit orbi. O quam gratiose recipit fideliter sibi seruitentes, quæ tam frequenter conuertit monitis suis & miraculis euidentibus misere in seculo viuentes. Quot fuissent æternaliter condemnati, vel in desperatione permanissent obstinati, nisi benignissima virgo Maria pro eis interpellasset ad filium? Digne ergo de ea dicitur, quod sit miseratrix miserorum, & auxiliatrix omnium peccatorum. Non nostra quærit, nec nostris indiget, cui cælestia ad nutum famulantur. Amat nostrum bonum, cum à nobis exigit seruitium: cupit nostram salutem, cum postulat sibi exhiberi laudem. Et quando nominis sui memoriam celebrari conspicit, inde quærit occasionem beneficiendi nobis. Delectatur enim seruitoribus suis rependere vicem. Valde fidelis in promissis, & largissima in donis. Plena est deliciis, & semper angelorum fruitur concentibus. Attamen hominum seruitiis iucundatur, vt honor dei & salus multorum latius inde propagetur. Flectitur lachrymis miserorum, comparitur doloribus tribulatorum, succurrit periculis tentatorum, inclinatur precibus deuotorum. Si quis in hæsitanter ac humiliter ad eam confugerit, & dulce atque gloriosum nomen eius inuocauerit, vacua manu ab ea non recedet. Habet ad hærentes plurimos, & ipsi obediunt ange-

angelorum chori, quos mittere potest in solatium destitutorum. Dæmonibus imperat, ne aliquem molestare audeant, qui eius ditioni se subiicit & curæ. Expauescunt cæli reginam spiritus maligni, & diffugiunt audito nomine sancto eius, velut ab igne. Horrent sanctum & terribile nomen Mariæ, quod Christianis est summe amabile, & vbique celebre. Non audent apparere, nec possunt sua ludibria exercere, vbi nouerint nomen clarere sanctæ Mariæ. Tanquam tonitruum de cælo factum sic prosternuntur ad sanctæ Mariæ vocabulum, & quo sapius illud profertur, ac desiderabilius inuocatur, eo citius & longius ipsi fugantur. Rursum angeli sancti & spiritus iustorum lætantur & congaudent deuotioni fidelium, eò quod tam libenter & sedulo frequentant memoriam sanctæ Mariæ, cuius honorabile nomen in omnibus patet ecclesiis, quæ eius nomini specialiter sunt dedicata. Et congruum ac dignum est præcunctis sanctis dei honorari matrem à terrigenis, quam vniuersitas angelorum veneratur laudibus excelsis. Mariæ itaque nomen omnibus fidelibus venerandum, deuotis semper amandum, religiosis amplectendum, secularibus commendandum, peccatoribus prædicandum, tribulatis insinuandum, in periculis omnibus inuocandum. Ipsa est propinquissima deo, & charissima dei filio nato suo Iesu benedicto, potēs fiducialiter intercedere pro flebilibus Adæ filiis, vt ignoscat eorum delictis, & succurrat periculis. Nam cum oportunitas se præbuerit, non tardat in auribus filii sui verbum bonum proloqui, & misericordiam impetrare indigentibus. Exauditur autem promptissime in omni causa sibi commissa, pro singulari sua reuerentia, quoniam benignus filius eius Iesus auctor salutis generis humani, nihil negans eam honorat. Quapropter quilibet fidelis & deuotus cupiens mundi naufragia euadere, & æternæ saluationis attingere portum, confugiat ad dominam nostram sanctam Mariam, cuius ineffabilis pietas miseris sapit dulcius, & fortius in hæret, vt merito de ea abundantius præsumere liceat. Reuera ab infantia creuit cum ea misericordia: nec eam reliquit in cælo, vt pauperum suorum modo obliuiscatur, sed vberius ipsam ac dulcius impleuit. Et licet omnium sit altissima, atque felicissimis circumamicta gaudiis, non est tamen humilitatis suæ oblita, per quam meruit dignissime super omnes sublimari. Ideoque nouit ad minimos serulos suos dignanter se inclinare, gaudens aduocata miserorum fieri, atque orphanorum mater appellari. Amen.

De dolore & consolatione beatæ Mariæ virginis. Sermo 5.

Quasi myrrha electa dedi suauitatem Ecd. 24. odoris. Almæ virginis Mariæ exempla summo tibi desiderio sunt recolenda. Ipsa enim vt myrrha electa fructum obtulit odoriferum in patientia: & abundantiori diuinæ dulcedinis solatio iucundissime est refecta. Fortissimum inuenies & tu solatium, si Mariæ nomen gustaueris cordi tuo insertum. Habebis etenim multa bona, si bene fueris cū Maria. Dilectio sanctæ Mariæ expellit omnem æstū carnalis concupiscentiæ, & donat refrigerium castimonie. Dilectio sanctæ Mariæ facit mundum cõremnere, & Christo in humilitate seruire. Dilectio sanctæ Mariæ ab omni mala societate cõseruat, & ad religiosam conuersionis puritatem informat. Dilige ergo sanctam Mariam, & percipies specialē gratiam. Inuoca Mariam, & obtinebis victoriam. Honora Mariam, & habebis mercedem perpetuam. Duo confert præcipuè bona, sancta cõuersatio Mariæ ad memoriam sæpe reducta. In prosperis docet te deum ex intimo corde laudare, & in aduersis patientē permanere. Ipsa sine intermissione deum pro acceptis beneficiis altissime laudauit, quæ ab ipso cæteris excellentius accepit. Ipsa in pressuris huius seculi mitē se semper exhibuit, & contrēptibilia magis quam prospera elegit. Nullā diem sine dolore trāsiit: nec tamē sine magna consolatione inter angustias fuit. Omnis quippe tribulatio pro Christo suscepta dulcorat & lætificat, & quāto crebrius quis malorum ictibus teritur, tanto potioribus donis augeri meretur. Doluit nāque vehementer virgo beata pro mundi erroribus, & pro multorum malitiis, compassa fuit vere pœnitētibus, & duriter tentatis. Doluit pro magna ingratitude hominum, quibus deus pater misit filiū suum vniuentū ex charitate incarnatum, vt redirēt ad paradysum per Adam olim amissum. Doluit de perditione prauorū, qui contemebāt audire dei verbū, qui potius diligebāt mundū quā cælū, & diuitias magis quærebāt fallaces, quā virtutes veras. Doluit de innocētium oppresione, & violētia malignorū, de contēptu pauperū, & elatione superborū, de negligētia diuini cultus, & de trāsgressione cęlestium mādatorum. Et quia mundus totus in malignitate positus 1. Ioan. 5 erat, & pauci ad videndum lumen æternum, quod mando illuxerat, se disponebant, summæ pietatis mater, compassionum stimulis abundabat. In his patientissime se habuit, ducens vitam martyrio plenam, fundēs lachrymosas preces cum singulibus pro salute animarum. Quod si latius attendere velis quæ &

Memoria & dilectione Mariæ quid cõsequatur.

Mariæ nullus dies absque dolore abiit.

quanta in persecutione atque passione dilecti filii sui sustinuit, inuenies eam nimirum tot amaras portiones ebibisse in vita, quot Iesus habuit ætatum momenta, & membra vulnerata. Quando enim passus est Iesus aliquæ defectum & abiectionem hominum, & illa nõ defecit per compassionem? Si doluit quando Iesum ad horam perdidit, quãtum fleuit cum crucifigi & mori vidit? Notum est amantibus Iesum, quod maternus affectus excessit in cõdolendo, generalem deuotorũ modum. Ideo si experiri expetis vim doloris in matre, cogita vehementiam amoris in virgine. Rursum gaudium Mariæ nemo effari potest, nemo affluentia dulcedinis eius, & consolationis magnitudinem valet comprehendere, quia ibi amplior lætitia & consolatio, vbi plenior infusio gratiæ atque frequentior dei visitatio consuevit adesse. Hinc & ardentem semper excreuit diuinæ laudis affectus, & innouatur totius interioris hominis status. Non permittit gratia cælestis animam sanctam, deum super omnia amantem, sine interna consolatione viuere, sed ad superna continuo erigit, & in agendis sapienter illustrat, accendit in meditationibus sanctis, & deuorum reddit in gratiis referendis. Quanto autem maior gratia & purior vita, tanto lætior conscientia, & deuotior oratio laudantis. Hæc nanque conuersatio à terrenis separata tumultibus, nec infirmis retenta desideriis, quotidie angelicis inferi appetit choris, præsentibus superleuatur rebus, & summæ trinitatis estuat perenni gloria frui. Quam gloriam nullus sanctorum sic lymptide prælibauit in hac vita, sicut beata & gloriosa virgo Maria, omnium contemplantium ac deum benedictentium ardentissima exoratrix effecta. Imitare iã nunc & tu matrem dei auditis laudationum eius præconiis, quatinus & ipse in numero deuotorum merearis precibus matris virginis cõputari. Studeas sollicitè in prænominatis virtutum passibus sanctissimam subsequi Mariam, ad cõsequendam cælestis gloriæ palmam. Contristare satis de præteritis negligentis tuis, & de vitiis nondum victis, quibus deum & omnes creaturas offendisti. Nequiter egisti in seculo, tepide cõuersatus es in Christi seruitio, ideoque tibi lugendum primò super teipso, dehinc ex charitate super proximo. Compatere itaq; periculis male viuentium, quibus æternus instat cruciatus, nisi resipiscant à malis. Multi male agunt & nesciunt, plures prauitates suas cognoscunt, nec tamen emendant. Pro his dolendum & orandum, vt det illis deus compunctionis spiritum ad salutem. Ora etiã pro amicis & benefactoribus, pro aduersariis & de

Mæror atque dolor Mariæ super filio, quãtus.

Animam sanctam non finit deus absque consolatione viuente.

Dolèdũ nobis ob multa, exemplo Mariæ.

trahētibus tibi, vt piis tribuatur gratia digna, odiosis cognitio bona, omnibus autem pax Christi cum misericordia. Ora vt omnes deũ diligant, & mandata eius custodiant, vt creatorem suum creaturæ rationales glorificent, propter quas deus cuncta mirabilia fecit, & seipsum exinanuit, Mariæ & Ioseph humiliter subiectus. Iterum esto gratus diuinis beneficiis toti humano generi per sacratissimã dei genitricem dignantissime collatis, reuerentiam & honorem eidem iugiter exhibendo. Cum enim lex naturæ iubeat parentibus carnis reuerentiam & amorem omni tempore deferri, multo magis matri gratiæ, filij ecclesię debent esse grati & gratiosi, atque dei genitricem super parentes & cognatos omnes amare. Oportet etiam te addiscere votiuis laudibus ad deum cum Maria ascendere, & eius patrociniis fideliter inniti, non tuis viribus cõfidere, ne mēs tua oppressa passionibus retardetur inferius, sed quotidie nouis desideriis accensa sursum libera tendat, vbi cum Iesu angelorum rege, gloriosa cæli regina pia virgo Maria feliciter regnat. Sed heu denuo descendere cogit in hanc vallem lachrymarũ mortalis infirmitas, post breuem gustationem cõsolationum diuinarum. Et tunc iterum necesse est clamitare ad matrem multarum misericordiarum, vt suggerat misericordiam filio suo te non habere vinum feruoris, sed indigere sacro deuotionis ynguento, ad se debita cum veneratione laudandum. Etenim ipsi cura est de egenis & contemptoribus mundi, & de contemptis in mundo propter Iesum & Euangelium regni. Ideoque vile multum scire locum refugii à facie inimici, vbi protegaris à sagittis acutis, vbi lateas à frigoribus & tribulationum procellis. Non est tutior locus ad latendum, quã sinus Mariæ, nec equus velocior ad euadendum manus persequentis, quã oratio fidei missa in castellum regalis domicellæ nostræ sanctæ Mariæ. Nam & ipse Iesus hoc castellum intrauit, sumens ex ea sacra corporis sui membra, ad expugnandum principem tenebrarum. Intra ergo & tu sub huius castelli vmbraculum, orans die ac nocte, vt à cunctis malis imminentibus eruaris meritis sanctissimæ virginis, sub amplissimo & pulcherrimo mantello dominæ nostræ latitando secure. Etenim orate sancta Maria, ruit omnis turba maligna. Iuuante Maria, euades pericula cuncta. Ibi pauper habet domicilium, ibi infirmus inuenit remedium, ibi tristis accipit solatium, ibi turbatus meretur cõsiliu, ibi destitutus acquirit iuuamen. Bene tibi, & multum bene, si ita te exhibueris dignum & obsequiosum beneplacito sanctæ Mariæ,

Luc. 2.

Mariæ diligatur, peccatoribus est tutissimus.

Iom. 4.

Mariæ, vt eius gratiam obtineas in præsentem, & gloriam cum electis omnibus in futuro. Tene illam, nec dimitte eam, donec te benedicat, & ad cæli palatium felici gubernatione perducat. Amen.

De excellentia meritorum & priuilegiis donorum beatæ Mariæ virginis.

Sermo 6.

M Vltæ filia congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Dilecti fratres estote fideles serui Iesu Christi, & deuoti amatores sanctissimæ matris eius virginis Mariæ, si vultis cum ea semper lætari in cælis. Tunc eritis deo & benedictæ matris eius dilecti, si corde humiles, & corpore fueritis casti, si in omni conuersatione vestra modesti, prouidi, timorati & circumspecti, nulli occasione dederitis scandali, nec iustæ querelæ. Multum est pro salute vestra, pro honore dei, & laude beatæ virginis, vt sitis in oratione deuoti, in lectione studiosi, in opere strenui, in dormitorio quieti, in choro vigilantes, in cantando alacres, in capitulo corrigibiles, in admonitione docibiles, in silètio stricti, in refectioe sobrii, in oculis custoditi, & in omnibus moribus vestris disciplinati. Si ergo desideratis beatam virginem digne laudare & summe venerari, tunc sitis sicut simplices filii dei sine malitia, sine dolo, sine nequitia, sine mendacio, sine ira, sine disceptatione, sine murmure, sine suspitione, omnia contraria vobis supportantes in charitate fraterna, cum humilitate & patientia, propter Iesum & Mariã, & sanctorum vitam imitandam, propter pacem vestram, & aliorum ædificationem, & maxime propter sanctæ trinitatis gloriam perfruendam. Omnia enim amara dulcia sunt, omnia graui leuigantur, cum amor Iesu, & piæ matris eius memoria, ad cordis intima penetran. Si quis probare voluerit, frequenter de eis cogitet, loquatur, legat, cantet, & oret. Vt autem aliquantum vobis innotescat excellentissima dignitas beatissimæ virginis Mariæ, audite pauca de pluribus donis & priuilegiis eius, quibus deus eam benedixit & exaltauit præ omnibus sanctis angelis & archangelis in cælis, & præ cunctis hominibus in terris. Hæc est virgo sacratissima, & mater dei charissima, de qua canitur in sancta ecclesia per totum orbem terrarum late diffusa: Exaltata est sancta dei genitrix super choros angelorum ad cælestia regna. Recogitate ergo diligenter antiqua sanctorum patriarcharum gesta, de quorum stirpe orta est mater dei Maria, tanquam rosa inter spinas sine spina. Sicut enim olim per multos sanctos viros patriarchas & prophetas, per iudices & reges,

per sacerdotes & leuitas, per doctores & scribas, verbis signis & figuris prænunciatus est Christus dei filius ex virgine pro mundi redemptione nasciturus, & in cruce passurus, ita conuenienter satis & sapienter ordinatione diuina præfigurata & præconizata est beatissima ac deuotissima virgo Maria per sacras illius temporis virgines, per illustres fœminas, per castas viduas, per deuotas prophetissas, & per cæteras honestas matronas, in castitate viuentes, atque ob pudicitia custodiam cum puellis suis in domibus & cameris ab aspectibus virorum inclusas. Hæc est reuera attestatione sanctorum scripturarum, omnium virginum virgo prudentissima, omnium fœminarum pudicissima, omnium puellarum speciosissima, omnium matronarum honestissima, omnium domicellarum venustissima, omnium reginarum regina nobilissima, in qua omnis decor virginalis, omnis virtus moralis, omnis speculatio theologalis, omnis deuotio affectualis, omnis operatio virtutis, omnis perfectio sanctitatis, pariter conueniunt, inhabitant, & perfectissimè elucent, quæ nec ante se similem, nec post se æqualem habet, nec habuit, nec habebit. Et sicut olim materiale templum Salomonis præ omnibus terrarum templis decoratum, & latissime nominatum, ac copiosissime ditatum, magnifice à regibus & populis honorabatur, ita spirituale dei templum quod est beata virgo Maria ab omni labe pura, super omnia templa sanctorum prænitet, & ideo amplius honorari debet & amari. O vere inclyta proles ex insigni patriarcharum profapia nobiliter procreata, ex sacerdotali genere generose producta, ex pontificali dignitate dignissime deriuata, ex prophetali choro verissime prænunciata, ex regali stirpe illustrissime edita, ex dauidica linea rectissime originata, ex nobilissima tribu Iuda clarissime prolata, ex Israelitica plebe felicissime progenita, ex electo populo dei singulariter præelecta, ex sanctis ac religiosis ac deo placitis parentibus diuina præordinatione in lucem mundi serenissime exorta. O felix & illibata virgo Maria, omni laude & honore dignissima, omni amore & reuerentia ab omnibus amplexanda. O splendida virginum gemma, tu ab initio & ante secula à deo es prædestinata, redemptorem mundi tempore præfinito paritura, à patriarchis desiderata, & prophetis prænunciata, à multis regibus & iustis adoptata, à deuotissimo populo in Israel diu expectata, & tandem deo miserante agrotanti mundo visibiliter demonstrata. O sacra & illustrissima virgo

Christi in lege viri, mariam fœminæ figurarunt.

Maria templo Salomonis consecretur.

Maria, quàm præclarū & laudabile est nomē tuum. in vniuersa terra. Nempe à solis ortu vsque ad occasum in diuersis partibus Iudejs & Gentibus, Græcis & Latinis, Romanis & Germanis prædicatum est nomen tuum per euangelium Iesu Christi filij tui, & adhuc quotidie prædicatur inclytum nomen tuum in omnibus ecclesijs dei, in facellis & claustris, in campis & syluis deo dicatis, à paruis & magnis per sacerdotes & doctores, & per diuersorum ordinum prædicatores, qui omnes pariter te laudare & elucidare desiderant. Nam vsque ad cæli sydera te extollere, & super angelicam dignitatem, tuam sanctitatem & pulchritudinem commendare vocibus altis cuncti iustorum spiritus inardescunt & cōgaudent, & præ amoris magnitudine & deuotionis dulcedine cantando, meditando, orando, & sacra solennia tua celebrando, nequeunt fatigari, iuxta illud sapientiæ verbum, Qui edunt me, adhuc esuriunt: & qui bibunt me, adhuc sitiunt. Laus & gloria altissimo deo, qui maximam gratiam tibi præstitit ô Maria præ filiabus hominum in mundo, & nunc sedem tuam statuit iuxta thronum filij tui in cælesti regno, in eminentiori loco super omnes choros angelorum & sanctorum, ab æterno tibi pulcherrimè præparato, & in perpetuum felicissimè permanens. O summe venerabilis virgo Maria æterni regis mater & filia, omnium ore benedicenda, omni honore veneranda, virginitate candidissima, humilitate profundissima, charitate feruentissima, patientia mitissima, misericordia plenissima, oratione deuotissima, meditatione purissima, contemplatione altissima, compassione suauissima, consilio prudentissima, auxilio potentissima. Tu aula dei, porta cæli, paradysus deliciarum, pureus gratiarum, angelorum gloria, hominum lætitia, forma morum, virtutum splendor, lucerna vitæ, spes egenorum, salus infirmorum, mater orphanorum. O virgo virginum tota suavis & formosa, micans sicut stella, rubens tanquam rosa, nitens vt margarita, lucens vt sol & luna in cælo & terra. O virgo mitis, innocens sicut agna, simplex vt columba, prudens sicut nobilis domina, seruiens vt humilis ancilla. O radix sancta, cedrus alta, vitis fecunda, ficus dulcissima, palma latissima, in te reperiuntur omnia bona, & per te nobis æterna donantur præmia. Omnes ergo ad te confugere debemus, sicut filij ad sinum matris, & orphani ad domum patris, quandiu viuimus, vt tuis gloriosis meritis & precibus protegamur ab omnibus malis. Sed iam audite dicta cuiusdam doctoris de duodecim stellis in corona beatæ virginis,

Ecl. 24.

Encomion Mariæ singularissimū.

Stellæ duodecim in

quibus fulget domina nostra sancta Maria præ omnibus sanctis in cælis. Iste duodecim stellæ, sunt duodecim prærogatiuæ regnantis eius claritatis, quas habet respectu omnium aliorum ciuium supernorum. Respectu enim ecclesiæ militantis habet quatuor specialia superlucencia dona, misericordiæ operibus plena: quia præ cæteris omnibus exaudit benignius, condescendit humilior, agit virtuosius, succurrit frequentius, scilicet experientia docet in arduis ecclesiæ causis. Item respectu ecclesiæ triumphantis habet istas quatuor eminentes prærogatiuas: quia cæteris omnibus collocatur in cælo altius, respundet lucidius, amatur feruentius, honoratur amplius, sicut dignum est sentire de gloriosis eius meritis. Itē respectu summæ trinitatis beatificantis, habet similiter quatuor prærogatiuas siue stellas cunctis sideribus clariores: quia præ cæteris omnibus æternæ trinitatis gloriam contemplantibus, ipsam sanctam trinitatem inueneritlympidius, afficitur erga illam iucundius, contemplatur intimius, & fruitur illa super omnes in cælo felicius, de quibus nemo dubitare debet amplius. Sed adhuc audite quid de istis stellis sanctus ait Bernardus specialis amator beatæ virginis, dulcis doctor, & deuotus monachorum informator. In capite (inquit) eius corona stellarum duodecim. Quis illas æstimer gemmas, quis stellas enumeret, & quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est huius coronæ rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis abstinentes à periculo scrupulorum, non incongrue forsitan duodecim stellas istas prærogatiuas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem inuenire est in Maria prærogatiuam cæli, prærogatiuam carnis, & prærogatiuam cordis. Et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forte stellas duodecim, quibus reginæ nostræ diadema præfulgeat vniuersis. Mihi sane singularis rutilat fulgor primo in Mariæ generatione, secundo in angelica salutatione, tertio in spiritus sancti superuentione, quarto in filij dei inenarrabili conceptione. Vestræ quidem sedulitatis erit singula quæque diligentius intueri, mihi vero ex multis verbis pauca notificasse vobis sufficiat. Si quis plenius vult scire sensum stellarum mysticam, legat illum beati Bernardi sermonem tali themate inchoatum, Signum apparuit in cælo. Hæc igitur dilecti fratres propter singularem reuerentiam & amorem beatissimæ virginis Mariæ

diadema te Mariæ Apoc. 12.

Precatio ad Mariam.

riæ frequenter reuoluite, ore ruminare, & pro gratiarum actione hymnos & cantica lætitiæ in festis & in commemoratione eius per annum libentissime decantate. Præcipue tamē ante altare dei & coram imagine beatæ virginis capita vestra nudate & inclinate, genua humiliter flectite, quasi præsentē in corpore Mariam videretis cum angelo loquentem, aut filium sinu tenentem, moxque eleuatis oculis cū bona fiducia speranda salutis, opem misericordiæ à matre misericordiæ affectuose implorate, & dicite. O clementissima mater dei virgo Maria, regina cæli, domina mundi, sanctorum gaudium, peccatorum solatium, artēdē gemitus contritorum, imple desideria deuotorum, succurre necessitatibus infirmorum, conforta corda tribulatum, assiste agonizantibus, protege supplices seruos tuos ab infestatione dæmonum, perduc tecum amatores tuos ad æternæ beatitudinis præmium, vbi cū amantissimo filio tuo Iesu Christo regnas felicissime in perpetuum. Amen.

De tribus speciosis vestibus beatæ Agnetis virginis & martyris. Sermo 7.

Induit me dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me. Dilecti fratres ista leguntur & cantantur de sancta Agnete virgine egregia sponsa Christi & gloriofa patrona nostra, cuius diē festum annua reuolutione solēniter celebrare debemus, & eius magnifica suffragia deuotis precibus postulare. Et vtiā dignetur pro nobis omnibus orare, quæ valde dilecta est à domino nostro Iesu Christo, & optime visa coram oculis eius & sanctissima matre sua Maria, ad rogandum pro qualibet pia causa. O vtiā tam deuotas & acceptabiles deo preces pro suis seruis & amicis in cælesti regno iam effundere nō omittat, sicut quondam pro præfati filio male extincto fleuit & orauit, quæ à mortuis Christi gratia donante suscitauit. Notate ergo verba prædicta in principio huius sermonis quasi ea ex ore felicissimæ Agnetis iam auribus vestris audiretis. Considerate pulchritudinem vestimentorum speciosissimæ virginis, quibus eā induit & ornauit iterius magis quàm exterius Iesus Christus sponsus eius cælestis. Digna enim fuit à Christo vestimento salutis indui, & stola iucunditatis ornari, quæ omnem ornatum seculi contempsit, & pro amore sponsi immortalis sanguinem fudit, atque preciosam hic mortem libenter pro vita æternā accepit. Ibi nunc gaudet cum amabilissimo spōso suo & angelis sanctis, cum gloriosa matre Iesu, & innumerabilibus virginum turmis, constituta in altioribus virginum choris, sequens agnū

quocunque ierit, & cantans dulcia cātica dramaticis solis virginibus decantanda, quæ omnium organorum sonos & omnium mulicorum melodiam excedunt. Insuper hanc prærogatiuā habere meruit in terris, vt felicissimi nominis sui memoria perpetuis laudibus in ecclesia recolatur, & deuotissime celebretur, & à cunctis Christi fidelibus magnificè honoretur. Hanc profecto magni & sancti doctores frequenter commendant, excellenter laudant, patenter prædicant, & omnibus nobis ad exemplum amandæ castitatis textū passionis eius recitant, atque ad amandum Christum iuuenes & virgines altis præconijs exhortantur. Sed videamus nunc de speciosis vestibus sanctæ Agnetis, quibus præfulget præ cunctis artificialibus stolis ab hominibus factis. Valde enī preciosa & pulchra sunt vestimenta, quibus animæ sanctorum ornantur ab intra, quæ Christus de cælesti thesauro attulit mundo, natus ex Maria virgine de regia stirpe pro salute nostra. Sunt autem præcipue trium vestium genera spiritus sancti artificio contexta, quæ Christus dedit sanctæ Agneti sponsæ suæ pro munere, quantum nullum amatorem præter ipsum solum amaret, nec aspiceret, nec ad colloquendum admitteret: ne forte amorem eius minueret, aut offuscaret, aut extingueret, quod valde indecens esset, & maxime deuotionem orantis impediret. Prima vtiq; vestis qua induta est beatissima Agnes vna de sapientibus virginibus, est alba talaris tunica, vitro clarior, bysso mundior, niue candidior. Et hæc dicitur virginitas inuiolabilis, deo amabilis, angelis acceptabilis, hominibus multū honorabilis. Hanc sanctam & deo placentem vestē ab annis puerilibus, immo ab ipsis incunabulis Agnes castissima induit, & inuiolabiliter conseruauit, quæ inter exordia reptantis infantie à parentibus deo oblata, & annulo fidei Christo desponsata fuit, vt ab amore & fœdere cælestis sponsi, nulla ratione, nulla potentia, nullo terrore nec blandimēto villo reuocari posset, sed virgo in æuum permansit, & pro fide ac castitate mori non formidauit. Hæc vestis habet inferius simbriam auream digito dei subtiliter contextam, in qua albis literis habentur melliflua nomina, Iesus & Maria, necnon omnium aliarum sanctarum virginum ingenua nomina, secundum ordinem alphabeti deceterin scripta, ad sequendum beatam vestigia Iesu Christi, & benedictæ matris eius perpetuæ virginis Mariæ exempla, pro cælesti gloria feliciter obtinenda. Secundæ vestis est rubea siue purpurea, precioso sanguine agni immaculati Iesu Christi colorata, & multis albis floribus luculenter ornata. Et hæc vocatur patientia insu-

Agnete tribus vestibus ornauit Christus

perabilis, siue constantia infatigabilis. In hac veste continentur omnia dominicæ passionis signa, & stigmata sancta, quæ etiam cū interni doloris stimulo per quatuor angulos ante & retro inueniuntur animæ amanti impressa. Hæc autem sunt diuini amoris signa, & inuictæ sapientiæ scuta contra diaboli tela: scilicet crux sancta, clauis, lancea, virga, restis, columna, alba vestis & purpura, fel, arundo, sputa, flagella, corona spinea, & alia multa impropria & vulnera dura. Hæc vestis habet etiam fimbriam argenteam, longâ & latam, hoc est fidem rectam, claram & firmam vsque ad mortem: in qua omnium beatorum martyrum nomina græcis, latinis, & hebraicis literis secundum ordinem alphabeti continentur rufeo colore inscripta, quæ diligenter inspecta & perlecta, animam tribulatam & tentatam confortant ad toleranda omnia mundi istius aduersa. Hæc nobili & purpurea veste indutus est dominus noster Iesus Christus rex martyrum & sponsus virginum in sua beata ac benedicta passione, portans spineam coronam & purpureum vestimentum pro nostra salute, ad confortandum pusillorum corda in tribulatione sua, pro qualicumque contumelia aut iniuria eis facta, quatinus post leuem & temporalem tribulationem in mundo, recipere mereantur immarcescibilem coronam in celo. Omnis enim tribulatio patienter tolerata pro Christo, certam spem facit æternaliter regnandi cum Christo. Hanc sanctam & regalem vestem dedit Christus dilectæ sponsæ suæ nobili virgini sanctæ Agneti tempore persecutionis Christianorum in sancta vrbe Romana, ad sectanda factæ passionis sue vestigia, ad perferendas contumelias & minas impiorum pro fide & castitate, cum magna constantia, exemplo multorum martyrum & innumerabilium virginum pro nomine Christi innocenter occisorum. De quorum laudabili triumpho & ineffabili gloria Christum nunc laudat & magnifice iubilat in toto orbe terrarum sancta mater ecclesia. Felix anima quæ fortiter certat contra irruentia vitia, & crebro suspirat, & orat inter diuersa pericula & grauamina, vt possit citius liberari ab omni pressura & miseria. Tertia vestis sanctæ Agnetis est aureum pallium pro velamine virginis de holoseris factum, quod totum corpus virginis circumcingit, tegit, & ornat. Et vt intuitibus clarior fulgeat & placeat, multis candidis margaritis, multis preciosis lapidibus ac coruscantibus gemmis intextum decoratur. Et hæc cæteris eminentior vestibus spiritus sancti artificio textitur, quæ à doctis & intelligentibus digne ac recte vocatur charitas inextinguibilis, de qua per beatum Paulum dicitur, Charitas nun-

Cor. 13.

quam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Hac veste induta est beatissima Agnes, quando interrogata de sponso suo quis esset, ficialiter respondit: Amo Christum, in cuius thalamum introiui, cuius mater virgo est, cuius pater foeminam nescit. Quem cum amauero, casta sum: cum terigero, munda sum: cum accipero, virgo sum. Ibi charitas summe necessaria est ad ornandum virginitatis indumentum, quia sine charitate virginitas deo placere non potest, nec etiam inter prudentes virgines virgo superba computabitur, quæ oleum charitatis & feruentis deuotionis in lampade cordis non habet. Vt ergo vestis virginalis in conspectu dei & angelorum clare respicere, castitatis amatrix ab omni superbia metis, & dissolutione oris custodire se debet, ne forte per negligentiam interiorum, & concupiscentiam oculorum exteriorum decepta, cælestis sponsi oculos maxime offendat. Ideo omnes sensus suos & sermones omni loco & tempore stricte sub religiosa disciplina teneat, & totum bonum castitatis deo fideliter & integre ascribat, qui tam electum donum ad decorem animæ ipsi conferre dignatus est. Insuper cum magna humilitate & quotidiana supplicatione à Christo desideranter petat, vt vsque in finem casta, sobria & pudica (sicut virginem Christi decet) constantiter perseueret, & omnes carnis illecebras vincere, & seculi curas abicere valeat, quod in fragili corpore subsistit: quia inter hostes & pericula multa versatur. Ista charitas est etiam valde necessaria ad ornatum secundæ vestis virginalis, quæ dicitur patientia insuperabilis, quia patientia sine charitate Christi non prodest ad salutem & meritum vitæ æternæ, etiam si ferarum morsus, aut ignis, aut gladium, aut crucis supplicium quis sustineat. Non enim poena martyrem facit, sed bona causa sanctum martyrem facit, qui pro fide Christi patitur, aut pro iustitia, aut pro castitate, & præcipue pro animarum salute. Contulit autem Christus beatissimæ Agneti has tres preciosas vestes in signum maximæ dilectionis & perpetuæ desponsationis, quas valde grate accepit, & cum magna lætitia intus se ornans dixit: Induit me dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me. Et iterum, Induit me dominus cyclade auro texta, & immentis monilibus ornauit me. His itaque vestibus sacris cælitus induta, & quasi tribus clypeis munita processit virgo iuuenula Agnes beatissima contra tres turmas diaboli pugnatura, scilicet contra carnis delicias, mundi diuitias, & impiorum hominum minas. Gratiarum omnipotentis deo fortissimo adiutori nostro, regi inuisibili-

Abique
charitate
virginitatis
patientia
miseria &
ingratæ
Deo.

inuisibili & immortalis spōso omnium rerum creatori, qui cor virginis confortauit vt vinceret, corpus sponsæ suæ intactum custodiuit, Agnam innocentem inter flammam illecebram conseruauit, & tam vehementer cor eius in amorem sui sanctissimi ac melliflui nominis accendit, vt magis eligeret mori, quam cælestis spōsi sui fidem frangere, cui se deuouit perpetuo credere famulari. O vere admirabilis constantia virginis, o quam laudabilis patientia sanctæ Agnetis, quæ inter tentationes & persecutiones, inter tot clamores, derisiones, blanditias, terrores, & armatos viros gladiis vibrantes, virginitatis propositum tenuit, & Christum spōsum suum esse, palam coram aduersariis profiteri non timuit, sed cū magna constantia de nobilitate, de pulchritudine & potestate Christi sponsi sui multa magnifica laudabiliter narrando clamauit dicens: Ipsi sum desponsata, cui angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo. Et merito quidem. Ipse enim solus verus deus est, potens in celo & in terra: sedens super cherubim & seraphim intuetur abyssos & abscondita cordis. Ipse humiles respicit, & superbos à longe cognoscit. Ipse personam hominis non accipit, sed rectum iudicium in omnibus seruat, tribuens unicuique veraciter quod debet. Ipse ab æterno omnia cognoscit, & cum summa prouidentia cuncta gubernat. Ipse electos suos multipliciter probat, & pro multa patientia copiose in celo remunerat, reprobos vero propter eorum malitiam districte punit & damnat seruata in his omnibus magna misericordia cum plena iustitia: Cui æterna laus & gloria per infinita seculorum secula. Amen.

De aurea corona in capite sanctissimæ Agnetis virginis & martyris. Sermo 8.
Tanquam sponsam decorauit me corona. Dilecti fratres nunc de corona sanctæ Agnetis virginis, qua coronauit eam Christus in cælis, pauca (si placeat) audiat. Corona est ornamentum capitis, & maximæ dignitatis, quæ specialiter debetur regibus, & regum filiis & filiabus ob nobilitatem generis, aut etiam aliquibus magnis personis in signum victoriæ aut doctrine, aut sanctitatis, seu eximie virtutis. Vnde de sanctis martyribus specialiter legitur & cantatur: Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis. Sed quis huius coronæ pulchritudinem digne enarrabit? Existimo quod nemo mortalium scire poterit, nisi cui deus hoc mysterium reuelauerit, aut eius gratia post mortem ad regnum dei peruenierit. Ista aurea corona omnem seculi huius gloriam & decorem tam regum quam prin-

cipum, tam nobilium quam præfulum mitras excedit, quæ non de terrena materia facta est, sed in cælesti officina à deo parata, noua semper claritate refulget. Et quid melius & dignius pro nostra imaginatione per hanc coronam intelligere possumus, quam ipsum dominum nostrum Iesum Christum æternæ gloriæ donatorem? Ipse est enim essentialis præmium & corona omnium sanctorum, principium & finis omnium bonorum. Ipse summa felicitas, summa iucunditas, summa pulchritudo, summa suauitas. Ipse æterna veritas, æterna sapientia, æterna bonitas, æterna maiestas. Ipse fons vitæ amoenissimus, qui omnes cæli ciues sua præsentia lætificat & inebriat, & misericordia saluat & coronat, per gratiam iustificat & illuminat, per gloriam beatificat & fatiat. Ipse omnia ad se trahit, omnia per se implet, super omnia exaltat, & supereffluenter remunerat, tribuens singulis aureum denarium pro laboribus paucis, & pro breui certamine auream coronam in vita æterna cum angelis potissimum possidendam. Pro hac corona habenda omnes laborare debemus, & certare vt vincamus, sicut omnes sancti ante nos fecerunt & vicerunt qui modo cum Christo regnant, & coronas triumphales pro duri certaminis labore in capitibus portant. Qui tamen sibi victoriam de hostibus non ascribunt, sed cum omni reuerentiâ & gratitudine coronas suas ante sedem dei coram agno deponunt, & cum ingenti exultatione & consona voce psallunt & dicunt, Benedictio, claritas, sapientia, laus, honor, gloria, salus, virtus, victoria deo nostro in secula, qui nos per multas tribulationes perduxit ad hanc gloriosam coronam feliciter obrinendam. Hanc auream coronam cum aureola percipere meruit Agnes beatissima, permanens fortis & constans in passione sua pro fide & castitate, tradens semetipsam in mortem, vt acciperet coronam gloriæ nunquam amittendam. Quid hac corona pulchrius, quid iucundius, quid sublimius? Quid felicius, quam regem angelorum clarissimè contemplari cum omnibus sanctis in cælis? O virgo Christi, contemptrix mundi, quæ elegisti Christo in castitate seruire, exhilarare in spe futuræ gloriæ. Si desideras auream coronam ferre in celo, ser modo Christum semper in corde, semper in ore, semper in opere. Auerte oculos tuos à mundo, leua animam tuam ad Iesum in cælum. Sis feruens in laude eius, humilis & visilis in oculis tuis, frequens in precibus, prompta in obsequiis, prouida in verbis, patiens in doloribus, tacita in opprobriis, hilaris in despectibus, simplex in vestibus, pudica in moribus, custodita in omnibus viis tuis. Noli Chri-

Christus
corona
& præ-
mium
sancto-
rum om-
nium.Adhorta-
tio virgi-
nis sacre
ad demer-
endam
coronam,
qui est
Christus

stum negligere in aliquo opere vel momento temporis sub cælo, qui nunquam auerit oculos suos à te, in quocūque fueris loco. Attende Agnetem sanctā quasi in corpore morantem: & castitatis exempla tibi monstrant. Tam sancta, tam casta, tam deuota, tam pudica, tam honesta, tam custodita fuit Agnes beatissima in hac vita, vt nec oculos suos leuaret ad idola gentium, nec ad spectacula ludorum, nec ad fulgorem auri vel argenti, nec concupisceret decorem aur amicium alicuius mortalitatis viri, sed deum mente gerens, fide tenens, corde amans, ore laudans, toto animæ desiderio oculos suos erigebat continue ad cælū, vbi sciebat esse Christū sponsum suum, cordis sui thesaurum optimum, super omnia desiderabilia amandum & amplectendum. Igitur adhuc pro ampliori deuotione excitanda, contemplari libet pulchritudinem coronæ beatissimæ Agnetis, quæ speciosis ornata floribus, mirandam iucunditatem castis ingerit mentibus. Habet enim tres circulos argenteos ad honorem sanctæ trinitatis, continentes tria ferta conspata floribus pulcherrimi coloris, & suauissimi odoris. Qui habet aures audiendi audiat, & intelligat quid mystice ista significent. Delectantur virgines in pulchris vestibus & floribus, milites in armis aureis & loriceis, clerici in libris & studiis, monachi in hymnis & psalmis, seculares in terrenis, principes in deliciis, spirituales in diuinis. Nulla tamen delectatio maior & suauior, quam in deo & virtutibus veris ad dei honorem factis exultare. Dimisis ergo lubricis & caducis, cū castis & sacris virginibus inspicimus internis oculis immarcescibiles flores in corona felicissimæ Agnetis. Primus circulus continet fertum ex albis floribus & candidis liliis, inuale humilitatis conceptis & natis. Isti flores designant sanctas & deuotas meditationes de incarnatione Iesu Christi ex Maria pura & sancta virgine nati, mundis pannis inuoluti, in arcto præsepio locati, virginis vberibus lactati, angelicis laudibus commendati, à deuotis pastoribus visitati, à stella radiante reuelati, à sanctis regibus quæsiti, inuenti, & adorati: ab eisdem tribus muneribus auro thure & myrrha oblati digne venerati, à sancto Simeone in vlnis amorosis amplexati, ab Anna vidua corde & ore summe benedicti & confessi. Quid in his omnibus bonis auditis, lectis & percontatis aliud reperitur, quam hortus plenus floribus & liliis, cū aromatis multis? Verè hæc omnia nient, florent & choruscant: flagrant fragrant & delectant. Isti flores de natiuitate Christi & perpetua virginitate beatæ Mariæ matris eius, habent tam suauem odorem, tam mi-

Meditari incarnationem

rum saporem, tam magnum decorem, tam fortem ardorem, quod expellunt ab anima languente omnem tentationem, & carnalem amorem, omnem iram & indignationem, omnem inuidiam & superbiam, omnem acediam & torporem, omnem duritiā & perturbationem, omnem tristitiam & diffidentiam, omnem nequitiam & fallaciam, omnem turpitudinem & diabolicam immisionem, siue à viro, siue à muliere, siue à iuvene, siue à sene, siue à diuite, siue à paupere, quia pro omnibus natus est Christus, pro omnibus passus & crucifixus, vt omnes saluos faceret, omnes à peccatis mūdaret, & virtutum floribus adornaret. Sunt autem in isto fertō quinque lilia pro castitatis custodia virginibus valde necessaria, scilicet verecundia, taciturnitas, sobrietas, solitudo, & clausura. Hæc valde muniunt virginis aulam, & clariorē reddunt eius coronā. Audi virgo Paulum, virginum sanctimoniam commendantem. Virgo (inquit) cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu in Christo Iesu domino nostro. Quis est iste Iesus quæ sic amant sanctæ virgines, vt relinquāt etiam parentes? Hic est Iesus Nazarenus, dei patris vngigenitus, filius Mariæ virginis, spūs Agnetis, amator castitatis, custos virginitatis. Hic est consolator pauperum, defensor viduarum, susceptor orphanorum, qui loquitur ad virgines in canticis canticorum: Ego flos campi, & liliū conuallium. Ego sanctarum mentium visitator & inhabitator. Quapropter virgo Christi si vis cælesti sponso digne placere, stude flores virgineos & munda lilia intus habere, & omnes sensus tuos foris à deceptionibus custodire. Caue miluum ô simplex columba, fuge lupum ô mitis agnella, caue serpentem tibi appropinquantem casta puella, ne per fenestras corporis intret ad cubiculum cordis, & corrumpatur puritas conscientiæ tuæ, per incautum visum, vel turpem auditum; aut per cæteros sensus tuos pronos semper ad malū. Idcirco summè cauenda sunt loca, personæ, tempora, colloquia, salutationes, munera, risus, iocus, aspectus, ornatus, conuiuia, cantica vana. Hæc & alia multa carnis blandimenta mūdus habet, quæ pro dolor offert suis amatoribus cæca mēte currentibus ad inferni tormenta. O stulta mūdici gaudia, post quæ sequuntur æterna lamenta. Peribūt enim omnia pulchra & delectabilia sine mora cum mortis venient hora. Sunt autem ista terrena & carnalia oblectamenta venenosa virginibus, horrenda pudicis, fugienda deuotis, execranda religiosis, summè cauenda iuuenibus, strictè corrigenda in adultis & incautis. Vera namque disciplina Christi & amatrix castitatis ab aspectibus homi-

Christi quam iuuat.

1. Cor. 7.

Cant. 1.

Monialis iustitiam quæ adhibetur omnibus.

hominum se abscondit, ne offendat deum, ne amittat spiritus sancti solatium, ne forte sibi & aliis sit in periculū & scandalum, & diabolo in ludibrium fiat, quæ erat focia angelorum. Igitur in quanto arctiori manserit custodia & ordinis disciplina, tanto pulchriora lilia habebit in sua aureola & aurea corona. Cumque virgo abscondita soli deo placere intendens & cupiens, ab omnibus mundanis curis & fabulis se elongauerit & mundauerit, tunc Christi adspirante gratia, suauis ex ea odor bonæ viræ, sicut odor myrrhæ & thuris emanabit, & mulier filia Sion adhuc seculo deditæ audientes sanctam conuersationem inclusæ monialis, excitabuntur etiam ad relinquendam propter Christum omnem seculi vanitatem, vt apprehendant cū virginibus aureæ coronæ pulchritudinem. O quam sapiēter agis filia Sion, quæ mundum lubricum spernis, angelorum regni nubere & adherere semper intendis, & ad cælestes nuptias intrare festinas. Intra intra claustrum virginum, vbi discas facere voluntatem domini regis tui, & præpara te cum sodalibus tuis vigilando, orando, & expectando beatum aduentum spūs tui de cælo. Certe si perseveraueris in eo quod coepisti, erit sine dubio quod desideraueris à domino deo tuo sepe petisti. Secundus circulus huius aureæ coronæ continet fertum ex rubris floribus colligatum, visu pulchrum, odoratu dulcissimum, auditu mirandum, cordi solatiofum. Istæ rosæ designant carnis castigationem, mundi despectionem, cordis compunctionem, & sacram meditationem cum intimo compassionis affectu erga dominicā passionē. Istæ rosæ crescunt inter spinas & tribulos & vtricas, id est inter varias tentationes carnis, & hominum vexationes, qui nunc verbis duris, nunc prauis moribus alios inquietant, & deuotionem modesti hominis sepe perturbant. Væ illis, & bene his qui patiuntur molestias ab importunis. Istæ rosæ ideo dicuntur rubræ siue purpureæ, quia verecundis mentibus dolorem inferunt & ruborem. Attamen fragrant suauiter, si fuerint duriter confricatæ, quia humiles mentes dulciter respondent & pie, cum fuerint ab iracundis argutæ & despectæ, & ampliores gratias deo reddunt, quia à spinis proximorum lædi & pungi meruerunt. Istæ rosæ super ignem positæ & exustæ, dulcem aquam emittunt pro medicina vtilem, similiter mites & humiles igne sancti spiritus accensi, pro iniuriis & inuidis pie intercedunt, & lachrymas cum gemitu sæpius fundunt. Reuera magna sunt patientium merita, magna virginum trophæa, magna apud deum continētium fulgent præconia, quibus æterna merces cū aurea corona

reddetur in cælis, stellis præclarior vniuersis. O virgo mitis & humilis, valde multum potes promereri in pressuris pro Christi nomine sumptis. Etenim quoties verbum durum aut factum læsuum patienter sustines, quoties ru-beas rosas de spinis gignis & producis, & coronam tuam magis clarescere facis. Istæ rosæ inueniuntur in magna copia apud sanctos martyres & virgines deo dedicatas, qui fide armati, charitate inflammati, & patientia accincti, ro-seum sanguinem suum pro Christo largiter fuderunt, & coronas triumphales rosas ac liliis emicantes meruerunt habere perpetuas, summo honore gaudentes. Vnde de sancto Tiburtio nobili martyre Christi legitur, quod iussus super arduos carbones nudis pedibus incedere, ipse in domino Iesu confidens intrepidus accessit, & facta sanctæ crucis signo super igneos globos stetit illesus, & gaudenti animo iudici respōdit: In nomine domini nostri Iesu Christi videtur mihi quod super roseos flores ingrediatur, quia creatura ipsa creatoris famulatur imperio. Hinc etiā de sancta Dorothea nobili virgine & martyre pulcherrima fertur, quod ante horam passionis suæ breuiter orans meruit impetrare de paradiso cælestis sponfi sui Iesu Christi tres florentissimas rosas, cū tribus odoriferis pomellis, quas Theophilo viro scholastico sibi insultanti & non credenti per puerum angelici decoris eleganter transmissit. Quibus ille conspectis, conuersus est, & fidelis effectus, atque fidei calore accensus, protinus per martyrii palmam Dorotheam sequens, paradisiū lætus intravit, sicut eidem egregia sponfa Christi Dorothea promiserat. Nemo igitur de istis rubicundis rosas acquirēdis desperet, quasi longe positis, & difficulter iam inueniendis. Nam possunt ab omnibus Christianis & præcipue à deuotis religiosi personis tam die quam nocte, tam hyeme quam æstate studiose quæri, & fructuose inueniri, sed debent caute seruari. Legendo enim Christi passionem & sanctorum martyrum passionem rosæ rubræ in libris ecclesiasticis queruntur, meditatio & oratio inueniuntur, iuste, sobrie, caste & pie viuendo carpuntur & feruantur. Amplius autem istæ rubicundæ rosæ quærendæ sunt tempore angustiarum iuxta montem oliueti in orto secreto à turbis, in quem introiit Iesus & discipuli eius vt oraret. Qui tunc à Iudæis captus, ligatus, percussus, flagellatus, coronatus, crucifixus, vulneratus, & quasi toto corpore cruentus apparuit, omni rosa rubicundior, preciosi sanguinis sui rubore perfusus & purpuratus. O quæ multas rubras rosas ex singulis plagis & vulneribus suis mitissimè Iesus produxit, omnibus aromatis suauio-

Tiburtius martyr.

Dorothea virgo & martyr.

res & pulchriores. Nempe quanto sapius rosa ista aspiciuntur, durius teruntur, diutius merito reuoluuntur, tanto vehementius fragrant, dulcescunt, florent & rubescunt, crescunt, & dilatantur. Excedunt enim rosae I E S V Christi Nazareni in roseto passionis eius ortae, & in Hierusalem quasi in mortariolo à Iudaeis contritae, omnium sanctorum martyrum ac virginum passionibus, dignitate, magnitudine, suauitate, pulchritudine, & omnium gratiarum plenitudine, ab ortu solis vsque ad fines orbis terrae. Sunt autem istae rosae valde preciosae, & ad ornandum cuiuslibet deuotae animae coronam habiles & formosae, ita vt nullo precio mundi valeant existimari, nec à mercatoribus comparari, neque in apothecis medicorum inueniri. Vbi ergo possunt discerni & acquiri? Non in foro, sed in choro: non in platea, sed in ecclesia: non in bello, sed in cella: non in tumultu, sed in silentio: non in risu, sed in planctu: non in conuiuio, sed in ieiunio. Verum specialiter à contentioribus seculi crucem suam quotidie tollentibus, & in passione Christi seriose meditantibus citius inueniuntur, & vberius intra missam colliguntur. Valde enim recreant tristes animos, & confortant aduersitate depressos. Oportet autem deuotam animam magnam sibi adhibere custodiam, ne dolosus raptor diabolus in hunc hortum rosarum cum figmentis suis pessimis subito veniat, & si arcam cordis apertam inuenit, suaves Christi rosas exinde tollat, & foetidas vtricas & nigros carbones clandestinè immittat. Vbi est tunc Iesus, vbi crux, vbi clauis, vbi lancea, ad fugandum hostem malignum de arca tua? Surge & vigila, clama & ora, Iesum inuoca, crucifixum adora. Imprime tibi signum sanctae crucis contra hostes omnis virtutis, arripe lanceam Longini militis contra terrorem saevi leonis, claude cor tuum contravirus serpentis, confirma illud tribus domini clauis quasi tribus fortibus seris, ne callido & rapido hosti pateat tam facilis intrandi locus ad intima cordis. Tertius circulus continet fertum ex blaucis & glaucis floribus optime compositum, super omnia agri gramina odoriferum, caelestibus mysteriis plenum. Recte enim ad decorem virginis coronae huiusmodi flores pertinent, qui puritatem cum virginibus seruant. Et si bene intelliguntur, non parum religiosorum mores edificant, qui terrena funditus reliquerunt. Igitur blauci flores, qui speciem tenent aetherei coloris, designant contemplationem gloriae caelestis, & magnum desiderium perfectorum & inclusorum, qui oblitis omnibus infimis & praetentibus bonis perituris, meditantur aeterna, inhiantque incessan-

ter ad praesentiam dei, & angelorum consortia, vbi omnia sunt tranquilla, iucunda atque perfecta. Hi in oratione frequenter accensi cupiunt cum beato Paulo à vinculis corporis dissolui, & cum Helia in igneo curru ad caelum transferri, & Christo in regno eius feliciter praesentari, vbi semper gaudeant & epulentur in conspectu dei, laudando & canendo cum angelis sanctis sine omni impedimento & labore altissimas laudes summam trinitati in perpetuas eternitates. Hi flores, scilicet meditationes de caelestibus gaudiis, valde ornant coronam cuiuslibet sacrae virginis & animae fidelis Christum cordialiter amantis, & ad deum fontem viuum auidè sitientis. Hi sacri flores maxime inueniuntur & leguntur in euangelicis praeceptis & hortulis saluatoris, meditando de gaudiis dominicae resurrectionis, ascensionis, & spiritus sancti donis, & de miraculis per apostolos Christi in primitiua ecclesia in nomine Iesu gloriose perpetratis. Simili modo ex speciali deuotione carpuntur flores caelestis letitiae in singulis festiuitatibus beatissimae virginis Mariae, & aliorum sanctorum natalitiis, quando de ipsis deuote in ecclesia cantatur, legitur & celebratur, & de aeterna sanctorum gloria desideranter cogitatur. Totiens namque flores aetherei splendoris in anima contenti platiua ad deum suspensa oriuntur, crescunt & dulcescunt, quotiens ex memoria caelestium mens compungitur & accenditur, & ad praesentiam Christi & sanctorum suspirat & anhelat. Vnde saepe per feruida desideria sursum respicit, & ex intimo praecordii cum Helia clamat & orat, Sufficit mihi domine, tolle animam meam, quia melior est dies vna in atriuis tuis super mille huius vitae gaudia. Sed rursus considerandum, quod tunc nobiles istae rosae de corona animae deuotae cadunt, fordescent & arrescunt, cum infimis, vanis & curiosis rebus mens incipit delectari, aut friuole foris occupatur, & ex quodam torpore pressa negligit caelestia meditari omnibus visibilibus preferenda, & omnibus thesauris mundi meliora. Vnde & beatus Paulus discipulos suos ad florigeram patriam exhortans ait: Quae sursum sunt querite, vbi Christus est in dextera dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Quare? Quia cito praeterit figura huius mundi, & nihil permanet sub sole, quod potest cor hominis fatiare.

Sunt etiam in hoc virgineo fetto multi pulcherrimi flores crocei & cerulei coloris igneam habentes splendorem, aspectu delectabiles, odoratu suaves, tactu leues & flexibiles. Isti pertinent ad vitam actiuam, & designant compatiuos

passiuos affectus cordis ad subueniendum debilibus & infirmis, & dulces sermones ex ore prudentis ad consolandum tristes & grauatos, ne deficiat in tentationibus & laboribus quotidianis. Sic enim lex dei praecipit, & charitas fraterna exigit, vt fortis debilem portet, prudens instruat ignarum, mitis compeecat iratum, feruidus excitet torpentem, laetus consoletur tristem, maturus corripiat dissolutum, discretus refrenet nimium, humilis reprimat superbum, simplex cohibeat curiosum, stabilis retineat vagum, taciturnus increpet verbosum, vt silentio suo edificet potius audientes quam verbis effusis. Ex istis croceis floribus odor suauissimus sapius manat, qui animos debiles spiritalibus fomentis confortat, vt in virtutibus magis proficiat. Hinc est quod diuus Paulus multis virtutum floribus ornatus, ad colligendum charitatis flores discipulos hortatur dicens: Per charitatem seruite inuicem, quia sumus inuicem membra. Et iterum: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Isti flores fraternae compassionis & eruditionis inueniuntur plenius in agro dominicae praedicationis, scilicet in dulcibus Christi sermonibus, & octo beatitudinibus, in mysticis parabolis & iucundis reuelationibus regni caelestis, in signis variis super infirmos & oblectos, in misericordia super egenos & pauperes, in benignitate super peccatores & poenitentes, in mansuetis verbis ad duros & peruersos, in honestis moribus & humilibus obsequiis & penuriis rerum coram discipulis suis, in fatigatione teneri corporis sui, & longa pernoctatione in orationibus deuotis in altis montibus & locis secretis, ad meditandum de caelestibus gaudiis aptis. Ecce quot sacri sermones, tot pulchri flores: quot mysticae parabolae, tot nobiles rosae. Et quando de regno dei & angelis Iesus loquebatur apostolis, tunc flores aethereos amicis suis ostendit in caeli secretis. Et quando mandatum nouum eis dedit, vt inuicem se diligenter, atque pedes eorum lauit tam verbo quam exemplo eos instruendo, tunc optimi odoris fragrantiam ex croceis floribus inter eos disperdit. O quam stupendum signum fecit Iesus, cum seipsum omnibus praebuit omnibus verae humilitatis exemplum? O mirum super omne mirum, quod omnium sanctorum sanctissimus & omnium dominorum altissimus sit omnium seruorum suorum seruus infimus, quod summa maiestas inclinauit se sponte infra homines simplices & pauperes suos commensales dicens: Ego sum in medio vestri sicut qui ministrat. non enim veni ministrari, sed ministrare. Si ego dominus & magister vester vestros laui pedes, & vos debetis alter alterius lauare pe-

des. Quid plus domine? Alius pro alio orare debet, exemplo instruere, neminem laedere, omnibus benefacere velle. Isti flores fraternae compassionis & pia subuentionis valde ornant coronam virginis puritatis, & vitam religiosae conuersationis, tam in contemplatione caelestium secretorum, quam in visitatione laquentium proximorum. Tunc enim flores virtutum inter fratres suauius redolent, & vberius crescunt, cum deuotus contemplator angelicos ordines ad horam deserit, & ad seruiendum infirmis & egenis laetus accedit, quasi Christum in praesenti videret. Cum etiam studiosus lector scripturarum, aut diligens scriptor librorum vocatus codicem claudit, & pennam de manu ponit, & ad sonum pulsantis statim surgit & ad chorum vadit, aut ad comunem laborem conuictus incunctanter properat, tunc noui flores in horro cordis eius per gratiam sancti spiritus cum fructibus obedientiae incipiunt oriri, dilatari & magnificari, & ipsi ad maximum meritum & pulchriorem coronae ornatum computabuntur. Praecauendum tamen amator solitudinis, & deuotae meditationis speculatori à leuitatibus & rumoribus, ne per longas occupationes & superfluas locutiones perdat lauitatem unguenti mystici, & saporis melis extinguat leuis infectio fellis & aceti. Quis enim est tam deuotus in oratione, tam studiosus in sacra lectione, tam strenuus in operatione, qui tam cito se recolligit ab intra, quam facile labitur ad extra? Quis tam cito consolidat fracta, quam facile frangit aliqua? Quis tam cito immunda lauat, quam facile in lutum cadit? Igitur o virgines Christi, o religiosi serui dei, state super custodiam cordis & oris vestri, ne corrumpantur sensus vestri per varia desideria mundi, quae nihil profunt ambulanti in eis, cum magnis periculis & angustiis. Ecce in numeris fallacis & laqueis mundus est plenus. Ideoque secundum verbum Christi oportet vigilare & orare contra tentationes & tribulationes ab omni parte surgentes, & ad bene agendum non deficere, quoad vires assunt, & tempora gratiae promerendae florent. Non est corrigiam calceamenti perdere, gratiam dei amittere, tempus poenitentiae negligere, diem vane consumere, & vitam aeternam pro modico delectamento despiciere. Recogitate immensam bonitatem Christi super omne genus humanum, quanta bona fecit, quanta mala pertulit, & quam magna praemia electis suis post huius vitae certamina promissit. Habete bonam fiduciam in domino semper, & ad auxilium diuinum in omni necessitate recurrere, & in tempore tribulationis nolite desperare, nec ab oratione cessare. Capiatis notabile exemplum patientiae &

Eph. 4.
Gal. 6.

1. Reg. 9

Col. 3.

1. Cor. 7.

Humilitas Christi
si miraculum
omnium
maxim.

Luc. 22.

1. Ioh. 13.

Luc. 22.

passiuos

perseuerantiæ de sancta Agnete virgine Christi & martyre, corpore quidem iuencula, sed animo cana: statura paruula, meritis magna: sexu infirma, fide fortissima: vestibus spoliata, virtutibus ornata, quæ vt diabolus & comites eius vinceret, ad Christum deuotis & sedulis precibus conuolabat. Cumque humana rabies non cessaret, sed diabolo instigante ignem copiosum pararet, ipsa intrepida manens in medio flammaram expâs manibus orabat Christum corde, & ore laudabat, atque per martyrii palmam ad sponsum suum peruenire optabat, quæ super omnia sincerissimo amore diligebat. Plus enim valuit ingens amor Christi in sola fragili virgine, quæ tyrannicus furor armatus gladio & igne. Idcirco speciosissimam hanc auream coronam cum tribus floridis fertis ornata habere meruit, quia mundum spreuit, carnem domuit, diabolus vicit, tyrannum derisit, præmia calcauit, poenas superauit, & ad Christi gloriam pro Christo moriendo felicissimo sine peruenit. Nunc omnes pariter oremus & clamemus ad dominum nostrum Iesum Christum amatorem castitatis, innocentiam, & omnis puritatis, vt doceat nos angelicam vitam in fragili carne imitari, & cum sanctis virginibus castitatem mentis & corporis præcipue amare, venerari & conseruare. Amen.

Oratio.

O Dulcissime domine Iesu Christe flos omnium virtutum, castissime amator virginum, fortissime debellator demonum, strictissime extirpator vitiorum, fragilitate meam propitius respice, & per intercessionem beatissimæ matris tuæ virginis Mariæ, & dilectæ spousæ tuæ sanctæ Agnetis virginis ac martyris venerandæ, auxilium mihi supernæ virtutis impende, vt discam terrena cuncta despiciere, & amare cælestia: vitis resistere, & tentationibus non consentire, virtutibus firmiter adherere, honores fugere, delicias vitare, peccata commissa plangere, occasiones malorum cauere, à praua consuetudine abstinere, cum bonis conuersari, & in bonitate perseuerare, quatinus dono gratiæ tuæ merear coronam æternæ vitæ cum sancta Agnete & cum omnibus sanctis tuis æternaliter in regno tuo possidere. Amen.

Exemplum.

Frater quidam domus nostræ, capitis dolore frequenter patiebatur, & ideo non quæ exire chorū cogebatur. Habebat autem specialem deuotionem ad sanctam Agnetem venerabilem virginem patronam nostram, multæ pietatis dulcedine affluentem. Desiderauit ergo ingenti cordis desiderio sacras reliquias eius visitare in Traiecto, quæ ibidem in arca argentea auro repleta in ecclesia cathedrali sancti Martini ho-

norifice conseruantur. Contigit ergo vt cum priore suo pergeret ad præfatum summæ reuerentiæ locum visitandum, & veniens ad præfata cathedralis ecclesiæ aula multis sanctorum reliquiis decenter ornata, petiit à custode sibi ostendi beatissimæ Agnetis arcam ob deuotionis suæ instantiâ diu desideratâ. Tunc sanctarum reliquiarum custos ait: Non facile licet mihi referare preciosam sanctæ Agnetis arcam, sed libenter vobis antiquam almæ virginis capsulam ostendam, in qua sacræ reliquiæ eius diu requieuerunt ad dei laudem & gloriam. Quod frater audiens lætatus est & consolatus, expectans honorabilem sibi loculum præsentandum. Quo viso & aperto, inclinauit se reuerenter, & osculans sanctum scrinium, intromisit caput suum confidenter, sperans sibi auxilium meritis sanctæ Agnetis futurum in hæsitanter. His igitur actis maximas gratias egit deo & sanctæ Agneti virgini, quod patentibus oculis suis hæc meruisset intueri. Qui ex hoc tempore & deinceps à pristinis doloribus releuatus est non solum in corpore, sed etiam ampliori deuotione profecit in mente, atque reliquum vitæ suæ tempus iucundo & felici agone in feruore spiritus bene terminauit.

Aliud exemplum.

Alius quidam frater cum in profesto sanctæ Agnetis ad refectorium legisset, accidit ei improuise quod postea solus comedens os piscis, in ore eius frangeretur, & palato tam fixe inhæreret, vt acumen eius nec extrahere nec expuere tunc valeret. Quapropter contristatus valde, & timens periculum vocis ex hac læsione sibi imminere, expectauit patienter horam vespertinam de sancta Agnete solenniter in choro decantandam. Cumque cantor responsum, Pulchra facie, altius incepisset, & conuentus ebori lætis vocibus ad honorem sanctæ Agnetis residuum prosequeretur, deuote cantando & laudando, coepit frater læsus pariter concinere, & sanctam Agnetem dilectam & benignam patronam suam suppliciter inuocare, vt in ea hora subueniret, & se de ista læsione liberaret. Et o mira dei clementia, & quam ineffabilis virtus eius & potentia, quæ non deserit sperantes in se, de quacunque tribulatione clamauerint ad eum. Statim nanque cum hæc verba cum conuentu caneret, Intercede pro omnibus nobis, sensit quædam pruritus in palato gutturis, coepitque parum tussire, & in instanti cum salua oris expulit aculeum piscis sine dolore sui gutturis. Tunc alacer effectus gratias egit deo & sanctæ Agneti virgini, quod tam cito meruisset exaudiri & curari. Finitis autem vespere man-

sit

sit silenter in choro prosternens se humiliter super scabellum pedum suorum, osculando paucamentum asserum ex intimo cordis affectu, congratulans in secreto de tanto beneficio meritis sanctæ Agnetis sibi collato. Deinde magis volens certificari de præfenti facto, quæsiuit aculeum piscis ex ore proiectum, & inuenit eum in arena prolapsum. Quem secum tollens ad cellam, posuit iuxta sanctæ Agnetis imaginem, ob eius specialem dilectionem perpetue recolendam. Cuius sacro patrocinio pius dominus ab omni periculo nos semper & ubique dignetur custodire, & in bona conuersatione cum omnibus nobis comendatis conseruare. Amen.

Exemplum aliud.

Friti ciuitate Svuollæ si cuius quidam Hermannus de oeuer nominatus, diues & honestus, pius & misericors super pauperes, atque in hospitali sancti spiritus fidelis infirmorum & egenorum procurator. Hic quadam turbatione orta in ciuitate contra eum & quosdam conciuies eius, confugit ad monasterium nostrum in monte sanctæ Agnetis virginis hospitandi gratia. Qui pro sua probitate & mansuetudine susceptus est, & benigne tractatus cum multa charitate & fraternâ beneuolentia. Modico autem tempore transacto didicit Cõfiteor legere, & sacerdoti ad missam ministrare, licet iam senex esset, & literas penitus ignoraret. Quod cum tanta diligentia & deuotione fecit, vt aliis aliunde occupatis sæpe bis vel ter vno die sacerdotibus ad missam libenter & alacriter ministraret. Siquidem venerabili patri nostro Vvillhelmo Vorniken tunc temporis prior domus nostræ spirituali amatori sanctæ Agnetis, frequenter inter summam choro canente, ipse retro in ecclesia superpellicio indutus magno cum affectu ministravit. Accidit autem quadam vice vt ipse quosdam pecunias ex cella in qua morabatur perderet: de quibus vehementer doluit miras quis hoc fecisset. Nondum enim sua resignauerat: sed sicut hospes & amicus fidelis inter fratres in ambitu claustrum habitabat. Nam inter meridianum prandium quidam alienus & ignotus latenter per fenestram apertam cameram eius intravit: & quantum sibi placuit furatus est, & cito recessit. Prandio igitur facto, cum Hermannus post gratias dictas cellam suam intraret, pecunias suas quærens non reperit: & satis contristatus vni conuersorum fratrum Ioanni de Eme sibi familiari conquerendo dixit, O bone dilecte frater Ioannes, sunt hic fures in domo? Qui ait, Non vti que bone Hermanne. Tunc ille furtum sibi iam factum reuelauit dicens, Perdidisti pecunias quas habui in cella, & modo inter prandium sunt secrete

furatæ. Cui frater Ioannes cõsolando tristem respondit: Nõ cogites bone amice, quod aliquis fratrum nostrorum aut ex familiaribus domus huius hoc fecerit: sed forte aliquis extraneus hospes qui hortum pomarij intravit, tentatus hoc egit, sicut quandoque præteritis temporibus experti sumus, vestibus occulte furatis. Audiens autem hæc venerabilis pater & prior noster Vvillhelmus contristatus est valde, & omnes fratres de damno boni viri ex confusione furti doluerunt. Tunc quidam fratrum nostrorum ipsi magis familiares, consolando & ad patientiam hortando dixerunt ei: O Hermanne charissime sis modo patiens in isto, quia forte dominus deus noster non vult quod occupes amplius cor tuum pecuniis istis. Facias ergo nunc de necessitate virtutem, & offeras pecunias eas deo & sanctæ Agneti pro salute animæ tuæ, & si postea contigerit iterum eas acquirere, quod non velis inde aliquid retinere, sed ad cultum dei, & ministerium sanctæ Agnetis omnia prouenire debeant. Fecit bono animo & pia intentione quod consultum est, vouens spõte omnia deo plene, & beatæ Mariæ virgini & sanctæ Agneti patronæ ecclesiæ nostræ paulo ante consecratæ. Igitur oblatione ista votiua consummata, venit post triduum nuncius bonus de Svuollis missus à domino Ioanne de Haerlem tunc rectore deuotarum sororum Beguinarum dicens, Fratres non sitis solliciti & tristes de pecuniis perditis, cito eas recipietis deo fauente. His auditis gauisus est Hermannus, & cum eo prior noster & totus conuentus. Quis autem fuit iste fur & raptor, clericus an laicus, hucusque nescitur. Nam speratur quod penituit, & domino Ioanni secreto vt ad monasterium omnia remitteret supplicauit, quod etiam tacito nomine fideliter fecit. Empta sunt autem & comparata de pecuniis illis receptis, ad sanctæ Agnetis honorẽ, duo ornamenta sacerdotalia, & calix vnus argenteus deauratus, titulo Hermanni de oeuer sub pede calicis inscripto.

Aliud exemplum.

Quidam frater domus nostræ celebras in domo capituli in altari sanctæ Agnetis virginis diabolo insidiante subito tentatus est in missa de fide & sacramento corporis Christi, in quo sapius habuit consolationem & deuotionem magnam. Sentiens ergo grauem influere quæstionem, conuertit se cito ad piũ dominum Iesum cum gemitu & recta fidei intentione orando. Moxque audiuit diuinum responsum intus sibi dictum, Crede sicut sancta Agnes, Cæcilia, Barbara, & alia fa-

cræ vigines crediderūt, quæ pro Christo passæ sunt, & de nullo verbo in fide dubitauerūt. His auditis, cessauit tētatio & quæstionis dubitatio. Et sapius postea contra diabolicam immisionem hæc verba reuoluit, Crede sicut Agnes, Cæcilia, Barbara, & nunquam errabis in fide catholica. Nā tot sunt testimonia vera, quot sunt sancta verba in Biblia.

Exemplum aliud.

Alius etiā quidam de fratribus nostris infirmus in eodē loco & altari ex deuotione cōmunicauit, qui diu baculis se sustentās curuus incedere solebat. Sed post celebrationē missæ virtute Christi & meritis sanctæ Agnetis sic cōualuit, vt baculos suos post missam ibidem relinqueret, & postea ad chorum & conuentum latus & rectus transfret. Mirāte autem quodam fratre de isto facto, sciscitari cœpit pie quid ægrotus egerit, & inter missam cogitauerit. Respondit sanatus. Cogitauit & reuolui verba sancti Euangelii, Luca referente de domino nostro Iesu Christo, Et omnis turba quærebat eum tangere, & virtus de illo, exibat, & sanabat omnes. Bona ergo fides & virtus sacramēti cum precibus sanctorum sanare adhuc possunt mente & corpore debiles, vt fiant feruentes in amore dei, & ad omne opus bonum promptiores, & suis prelati sine mora obediētes. Hæc sunt æternæ salutis miracula, quæ adhuc frequenter operatur Christus cum deuotis mira clementia.

Aliud exemplum.

Accidit quodam tempore in quadagesima quod quidam frater rogatus fuit celebrare missam mane circa horam quintam pro hospitiibus, & tota domus nostræ familia, sicut cōsuetum est fieri pro bona custodia laborantium in officiis, & pro itinerantibus via propinqua vel remota. Frater autem ille pie annuit, & ex charitate libenter fecit, pro quo rogatus fuit. Erat tunc festum sancti Gregorii papæ, quem frater speciali affectu diligebat, quia in eius festo scholas ad discēdum alphabetum cum aliis pueris primitus intrauit. Cū ergo accessisset ad altare, cœpit cogitare qualem missam vellet legere, de ieiunio, an de sancto Gregorio. Statim venit ei ad mentem, Tu nondum legisti missam in hac hebdomada de sancta Agnete, pro speciali causa tibi commissam. Lege ergo modo de sancta Agnete cū collecta de sancto Gregorio, & postea canta missam de eo in choro cum toto conuentu corde iucūdo. Fecit sic in nomine domini cū bona fiducia, soluendo vota sua de sancta Agnete patrona nostra Christo summe dilecta. Omnibus igitur in ecclesia fere congregatis, & missam audientibus, contigit pericu-

lum incendii in domo agriculturæ nostræ, nemine adhuc sciente. Sed pius & misericors deus optime prouidit, quod incendium cito extinctum fuit. Nam laicus quidam donatus noster Mathias nomine post eleuationē ecclesiam exiēs superuenit, & fomitem ignis extinxit. Quod meritis sanctæ Agnetis confidimus ascribēdum, de qua tunc specialiter legatur missa ad rogandum pro pia causa domini. Deus enim qui beatam Agnetem in medio flammarum expansis manibus orantē illæsam conseruauit, ipse illo die domum nostram cum omnibus suis vrensilibus incombustam precibus & meritis eius clementi bonitate custodiuit. Vnus enim laicorum ad audiēdam missam cum aliis intrauit ecclesiam, & neglexerat sub tecto domus lucernam extinguere, quæ combusto ligamine cecidit super segetes ibi iacentes, & accendit. Sed pius dominus omnia vidēs, & inopum preces misericorditer attendens, huic pericula per aliū (vt prædictum est) tempestiue subuenire concessit. Audiens autem deuotus & prædilectus pater noster frater Theodoricus Cliuis tertius domus nostræ prior venerabilis periculum incendii accidisse, & dei gratia cito cessasse, primo satis expauit, nec mirum. Deinde consolatus est, & gratias egit deo, quod tam graue periculum non processit, sed repente dissipatum fuit. Cum ergo rumor incendii ad aures aliorū peruenisset, frater qui de sancta Agnete missam eodem die celebrauit, secrete ad priorem patrem suum accessit, & humiliter ei indicauit. Dilecte pater gratias agamus deo & sanctæ Agneti patronæ nostræ, quia missa de ea hodie lecta fuit pro speciali causa, & spero quod fideliter pro nobis orauit, & ab incendio isto nos dominus liberauit. Tunc bonus pater & pius pastor congaudēs magnifice, vt pote castus amator sanctæ Agnetis, iniunxit speciales orationes fratribus, atque largiores elemosynas distribui iussit pauperibus pro tam euidenti protectione ab incendio præsentis, & ab omni malo futuro. Amen.

Aliud exemplum.

Vir quidam furatus est equū ex pascuis monasterii nostri montis sanctæ Agnetis quē fecū duxit vltra miliare à monasterio nostro situm, putans se esse securum, & ad propriam domum cum præda prospere rediturum. Veniens ergo ad villam quandam ligauit equum resticulo ad stipitem cuiusdam lepis in biuio, & intrans hospitium sedit ibi ad bibendum, & modice quiescendum. Interim vero equus solus foris stans, & nullum adesse vidēs, quodammodo impatiēter motus in loco alieno esset, & à domo suæ habitationis vtolenter

lenter abductus, cœpit caput suum frequenter huc illuc agitare, & pedibus calcitrare. Et tandem lorū quo ligatus erat, huc illucque distraxit, donec penitus solueret ligaminis nodum. Cumque se liberum & enodatum iam sentiret, & fessorem suum diu expectando nō perciperet, quia naturale est animali ligato diligere libertatem, & ad suum tēdere stabulum consuetum, statim vertit caput suum ad viam rectam qua venerat, & solus deo ducente fortiter currens ad portā monasterii saluus peruenit. Ibi quo morose stans & expectans in loco sibi noto, à portario & colono nostro bene cognitus est, & latenter introductus, de quo deus æternaliter sit benedictus. O beatissima Agnes semper honorāda, tuis hoc meritis deputamus, quia in multis necessitatibus nostris tua patrocinia experti sumus. Ideoque Christum in te prædicamus, & deuote inuocamus, & laudamus, gratias agētes deo semper pro omnibus bonis suis misericorditer nobis sæpe collatis.

De quinque luminaribus templi in dedicatione ecclesiæ. Ser 9.

Domus mea domus orationis vocabitur dicit dominus. Dilecti fratres hodie est solennis festiuitas dedicationis ecclesiæ nostræ, quæ ab omnibus in hoc loco habitantibus debet deuote & iucunde celebrari, & mētes celebrantium ad superna angelorum gaudia incitare. Ad hoc enim omnis ecclesia construitur & dedicatur, vt in ea diuinæ laudis obsequia agantur, & orationes fidelium in loco sancto citius & plenius à deo exaudiri mereantur. Valde autem ecclesia dei ornatur & illuminatur, si hæc quinque seruitia in ea seruantur, & tanquam cæli luminaria, vt in templo dei luceant, sollicitè custodiantur. Primo inter cætera diuini cultus obsequia emicat, & domū orationis illustrat, atque ingredienti ecclesiam ad orandum excitat, & in diuino amore corda fidelium accēdit, cum sacerdotes sacris vestibus induti ad altare reuerenter accedunt, missas deuote celebrant, & pro se & communi populo sacrificium deo summe placitum offerunt, & pie intercedunt.

Secundo domum dei præcipue ornat & illuminat chorus clericorū cum quotidie horæ canonicæ ab ecclesia institutæ à clericis & religiosis personis temporibus suis debite persoluuntur, & omnia cantanda & legenda ad honorem dei modeste & honeste fiunt & cōplentur, & omnis leuitas, strepitus & confusio pro posse stricte vitantur. Tertio domū dei maxime ornat & illuminat, cum verbum dei frequenter à sacerdotibus, pastoribus &

doctoribus, populo Christiano, regibus & principibus, senibus & iuuenibus, paruulis & magnis strenue prædicatur, & quasi tuba cælesti ne peccent suppliciiis terrentur, & ne desperent æternis præmiis consolantur. Magna enim præmia habebunt sancti sacerdotes & prædicatores, qui vita & doctrina multos erudiunt, & ad virtutes frequenter admonendo trahunt & accendunt. Vnde de sancto patre nostro Augustino, glorioso sanctæ ecclesiæ doctore legitur & cantatur, quod verbum dei vsque ad ipsam suam ægritudinem imprætermisse alacriter & fortiter sana mente sanoque consilio in sancta ecclesia prædicabat. Qui deo auxiliante diu vixit in virtute, pro multorum salute scribēs libros, & docens infscios, sanctam ecclesiam multitudine librorum suorum magnifice ditauit ornauit & illuminauit. Quæ ob meritorum suorum dignitatē laudare oportet, & filiali amore semper honorare, & suppliciter exorare, vt recto itinere eum sequi valeamus ad Christum regnantem in cælis, quem tam ardentè amauit & laudauit in hymnis & psalmis dum esset in terris.

Quarto domum dei profecto ornat & illuminat frequens visitatio ecclesiæ ad audiendum verbum dei, & ad custodiendam legem vitæ & disciplinæ, perducentem ad patriam charitatis & pacis æternæ. Qui enim ad cælestis regni gaudia post mortem peruenire feliciter desiderant, modo dum sani sunt & viuunt, debent domum dei frequenter visitare, & prædicationem libenter audire, confessiones sæpe facere, indulgentias quarere & impetrare. Tempus enim breue est, & incerta mortis hora. Qui ergo modo non poenitet nec se emendat, post clausam ianuam foris stabit, & misericordiam non impetrabit: clamabit dolens, nec exaudietur plorans. Beatus populus & laudabilis nimis, qui relictis vanis spectaculis, properat tempestiue ad domum orationis, & prædicationem diuini sermonis, gratias agens deo de beneficiis acceptis, atque pro futuris amplius orans. Pulchrum est spectaculum videre templum dei fidelibus vbi-que repletum, & forum à negociis seculi esse quietum. Quinto ecclesiam dei ornat & illuminat frequens & communis oratio multorum tam cleri quàm totius populi Christiani ad deum instanter supplicantis, pro diuersis causis & necessitatibus omnium indigētium, sanorum & infirmorum, viuorum & defunctorum. Ista quinque luminaria sunt valde necessaria & vtilia in omni ecclesia, quæ domum orationis optime ornant, & tanquam quinque ardētes lampades templum dei illuminant, & rectam viam ad supernam Hieru-

Matt. 21
In festo
dedicationis
ecclesiæ,
sermo.

Templo
dei quin-
que sunt
seruitia,
sermo.

falem & celestē mansionē demonstrant. Vbi-
cūq; ergo in ecclesia ista deuota & sancta of-
ficia debitis tēporibus reuerenter & diligēter
fiunt, ibi deus habitat, ibi præsudet, docet &
gubernat, sicut in Apocalypsi beatus Ioannes
ait, Ecce tabernaculum dei cum hominibus, &
habitabit cū illis. Omnibus igitur tumultibus
& fabulis cum iocis exclusis, nil aliud in do-
mo orationis & loco sancto fieri decet & de-
bet, nisi quod deo maxime placet, & proxi-
mos edificat, & ad diuinum officium speciali-
ter pertinet. Quæ ergo ad deuotionis gra-
tiam, & ad canticorum dulcedinem, & ver-
borum intelligentiam iuuant, hæc corde pen-
sari debent, & læto ore ad laudem dei profer-
ri. Omnia vitiosa & ociosa colloquia vbique
vitanda sunt, sed præcipue in templo dei, in au-
la summi regis, in sanctuario spiritus sancti, in
conspetu angelorum, & celestium ciuium,
supernorumque spirituum præsentia. Sume igitur
venerabilis est locus iste à deo ab æterno
prequisitus, & ad seruiendū ipsi cū eius ministris
& sacris vasis electus & deputatus, & in tempo-
re præfinito per manus pontificis cum multis
sanctorum reliquiis consecratus & ornatus.
In quo quidem loco humana iunguntur di-
uinis, ima summis, terrena celestibus, per sa-
cramenta Christi quæ ibidem tractantur &
celebrantur à sacerdotibus in missis. Quod a-
gunt sancti angeli in cælis, hoc etiā agere de-
bent fideles in terris, scilicet laudare & bene-
dicere deum totis viribus, & magnificare eum
præ omnibus sanctis & creaturis, pro donis &
beneficiis suis. Et si nō tanta dignitate & ala-
critate sicut angeli, tamen pro posse suæ infir-
mitatis quilibet debet niti facere & aptare se,
vt deum perfectē cum angelis semper laudet,
super omnia amet, & in omnibus benedicat.
Si non potes labiis oris resonare, debes suspi-
riis cordis ad deum clamare. Si fueris rancus
vel dissonus, noli cessare à laudib; nec te sub-
trahere à diuinis officiis, sed ausculta quid cā-
tatur & legitur ab aliis, & congaude bene can-
tantibus. Si non vales ita pulchre cantare sicut
alaudæ & philomenæ, canta & lauda lugubre
sicut corui & ranæ in palude, qui cātant sicut
deus dedit, & natura concessit. Noli extolli
monedula de clamore vocis, quia nescis quan-
diu durabis, & alte cantabis. Vox quippe hu-
milis & contriti cordis bene sonat in auribus
dei omnipotentis omnia audientis. Canta &
lauda deum in voce exultationis, memor tamen
propriæ vilitatis cum timore futuræ tri-
bulationis. Canta humiliter cum sancto Da-
uid in psalmo, Latetur cor meum, vt timeat
nomen tuum domine. Quis sicut Dauid fide-
lis in omnibus, perges ad imperium regis, qui

miles fuit in die fortiter bellando, monachus
in nocte alacriter surgendo & deuote oran-
do? Si non potes cum sancto Ioanne Euange-
lista sublimia & diuina contemplari, procide
cum Maria Magdalena ad pedes Iesu humili-
ter veniam petendo, & pro peccatis lachry-
mando vt dimittantur etiam tibi peccata mul-
ta quibus deum sæpius offendisti. Si non vales
cum sancto Paulo ad tertium cælum euola-
re, maneat cum eo apud Iesum Christum cru-
cifixum, non in carne gloriando, sed carnem
cum vitiis & concupiscentiis suis crucifigen-
do. Si non habes alas aquilæ volantis ad cæli
sidera, habeas pēnas simplicis columbæ nidi-
ficantis in petra, meditatio quotidie sacrosan-
cta Iesu vulnera. Plus enim sanctitatis & dulce-
dinis inuenit humilis Franciscus in passione
Christi, quàm subtilis astronomus in speculā-
do sidera cæli. Relictis ergo curiosis & infru-
ctuosis rebus, stude in vita & passione Chri-
sti, & proficiet tibi magis quàm omnes artes
mundi. Si vis consolari cælitus: fuge homines,
& seculi rumores. Esto libenter cum domino
solus: & quære solariū intus in deuotis preci-
bus & meditationibus sanctis. Nihil salubrius
nihil iucundius & dulcius, quàm deum laudare
in hymnis & psalmis, & habere cor sursum cū
angelis in cælis, in finis neglectis. Talis dicere
potest in rapto spiritus: Memor fui dei solius
in iubilo cordis. Vere dominus est in loco isto:
non est hic aliud, nisi domus dei, & porta
cæli. Aperite mihi portas angeli sancti, & lau-
dabo vobiscum nomen domini dei mei in se-
culum seculum. Væ autem illi qui scienter cogit
vana inter diuina, & iniuriosa reuoluit
mente peruersa. Væ qui idola imaginatur im-
munda: & negligit preciosa Christi vulnera:
nec inferni timet pati tormenta. Væ qui ibi
tacet & dormit, vbi vigilare & orare deberet.
Væ piger & dissolutus, & tarde venientibus,
qui vagis oculis parietes aspiciunt, & dulces
psalmos non aduertit. Væ qui de cibo & po-
tu frequenter cogitant, & de pocnis animarum
in purgatorio parum pensant, & raro plorāt.
Si quis ibi fuisset per horam, nunquam senti-
ret in choro tædium, nec in ieiunio tristitiā,
nec in labore grauedinem. Benedicti omnes
religiosi & deuoti serui dei, alacres in diuinis,
studiosi in libris legendis & scribendis, qui se
& alios compescunt à verbis leuibus, & fideliter
orant pro benefactoribus suis, & omnibus
tribulatis & tentatis, quorum magnus est nu-
merus, deo melius quàm hominibus notus.
Quicūq; ergo gratus & fidelis fuerit in modicis
& præsentibus donis, dignus erit ampliora
recipere à deo in cælis. In diuino officio negli-
gēt aliquid agere, impune nō ibit. Cauete &
time-

In templo
dei fa-
ciat quic-
q; quod
possit.

Psal. 85.
1. Reg. 22.

Dauid
rex mi-
les &
mona-
chus.
Luc. 7.

2. Co. 11.
Gal. 5.

In ora-
tione ni-
hil aliud
quæritur.

Mysticè
quæ ad
templū
dei spe-
ctat, de-
scribit.

time, ne elemosynæ clamēt cōtra vos, quia
male sunt expensæ, & horæ negligēter sapius
lectæ & per soluta. A quibus malis Iesus Chri-
stus nos liberet, omnes offensas nobis dimit-
tat, & ad cælestia regna post huius vitæ peri-
cula feliciter perducatur. Amen.

De ornamentis & moribus ministro-
rum in templo dei. Ser. 10.

ORnauerunt faciem templi coronis au-
reis, & dedicauerunt altare domino, &
facta est lætitia magna in populo. Dilecti fra-
tres ista legite Maccabeorum libro primo,
de templo dei renouato, & cantantur etiam à
nobis in ecclesia tempore consueto. Sicut er-
go illi antiqui sancti fuerunt alacres & deuoti
in templo materiali laudando deum in hym-
nis & organis, pro victoria data eis de cælis
contra aduersarios, ita & nos multo deuotio-
res esse debemus regratiando deo, qui nos eri-
puit de tumultibus seculi, & laqueis diaboli, &
dedit spem perueniendi ad festiuitatem cæle-
stis Hierusalem, & ad dedicationē templi im-
materialis in quo habitat deus cum omnibus
sanctis suis. Quæritis in litera spiritualē sen-
sum, & in cera mel absconditum, & delectetur
anima vestra in deo viuo, & in omni verbo
quod procedit de ore dei, sicut angeli & om-
nes sancti in cælo. Tunc enim poterit anima
vestra per scalam sanctorū verborum ad alta
cælorum ascendere, quando negligit exteriorē
ornatū attendere, & ex intimis præcordiis re-
cordatur domini dei sui solius, quātum datur
ipsi sapere ex gratia supernæ visitationis i sta-
tu humanæ fragilitatis. Fratres ibi est magna
festiuitas dedicationis ecclesiæ, vbi est puritas
innocentis vitæ, libertas bonæ cōscientiæ, iu-
cunditas spiritualis lætitiæ, prædicatio sanctæ
doctrinæ, obseruatio regularis disciplinæ, re-
cordatio regni cælestis, obliuio omnis gaudij
secularis. Ibi est vera pulchritudo templi, &
ornatus ecclesiæ cum ramis & floribus bene
redolētibus, vbi est vera contritio cordis, hu-
milis confessio oris, & digna satiffactio pro
peccatis cōmissis. Ibi est læta dedicatio noui
altaris, vbi est nouus feruor deuotionis, cum
gratiarū actione in iubilo cordis pro benefi-
ciis acceptis. Nemo vacuus apparere debet
in cōspetu domini, sed semper aliquid offer-
re in altari ad honorē dei. Ille vitulū offert &
hircū, qui carnis petulantia frāgit per ieiuniū.
Ille bouē mactat & taurum, qui superbia mē-
tis & duritia proprii sensus redigit ad nihilū
per humilitatē & sapientis cōsiliū. Ille agnū
immaculatum deo dignū offert, qui passionē
Christi quotidie deuote commemorat, & se ei
per patientiam & mansuetudinē cōformat. Ille
arietē immolat, qui totā virtutē & fortitudi-

nē suā deo ascribit, & nil boni sibi attribuit.
Ille renes cor & pectus in altari cremat, qui om-
nes carnales affectus sancti spiritus feruore
refrenat. Ille colubam offert, qui simpliciter
ambulat, & de alienis rebus tacet, qui cū dolē-
tibus gemit, & pro sibi cōtrariantib; orat. Ille
turturē deo offert, qui castitatē diligit, & soli-
tudinē quærit, & cum solatiū terrenū perdit,
ad cæleste palatium liberius volat. Ille passerē
immolat, qui à garritu verborum inutilium
abstinet, & in secreto cellæ solus residet, vt ma-
iorem pacē habeat, & nulli onerosus loquēdo
existat. Ille vero faciē templi coronis aureis
ornat, qui præclara gesta sanctorum libenter
legit, scribit, & prædicat, & ad incitamentā vir-
tutū, eorum præmia aliis denunciat, ne in tē-
tationibus deficiat. Ille aureos clypeos in ec-
clesia pro ornatu suspēdit, qui veteris & noui
testamenti patres quantis virtutibus fulgeant,
proximis suis ad edificationē narrat, qui mar-
tyrum certamina ad tolerandum aduersa re-
citat, labores cōfessorum ad abstinendum cō-
memorat, trophæa virginum ac viduarum cō-
tinētium, ad castigandum corpus beatificat,
libros doctorum & sermones prædicatorum
ad studendū, legendū, scribendum digne cō-
mēdat, & aliorū bona opera ad laudem dei &
decorem sanctæ ecclesiæ replicat & expandit.
Ille pulchras imagines pingit & ornat, qui vi-
tæ & morib; proximū edificat. Ecce tot aurea
seu fulgēt in ecclesia, quot sunt sanctorum
nomina, quot festa, quot sacra verba, quot bo-
na videmus exēpla. O quàm magna festiui-
tas celebratur in dedicatione ecclesiæ trium-
phantis, vbi omnibus deuictis hostibus, cūcti
simul gaudēt sancti cum angelis, amici stolis
albis, & coronati coronis aureis nūquam per-
rituris. Ibi quippe æterna laus, & gloria sine
cessatione mansura. Ibi vox dulcis sine rāco-
re, cantus altus sine labore, pax ingens sine ti-
more, lætitia sine mœrore, amor sine liuore,
sciētia sine errore. Ibi abūdatia sine defectu,
dignitas sine despectu, sanitas sine interitu, iu-
cunditas sine fetu, securitas sine metu, volu-
ptas sine vitio, satietas sine tædio, claritas sine
nubilo, veritas sine ambiguo, puritas sine pla-
culo, libertas sine obstaculo, conscientia sine
scrupulo, summa felicitas sine termino, oīa bo-
na in deo. O quæ festiue gaudent ibi sanctorum
animæ à vinculo corporis absolutæ, ab omni
labe peccati purgatæ, deo intime cōiunctæ, si-
ne medio vnitæ, per ambitum cæli volātes li-
bere, canētes & gratias agētes deo lætissimē:
Laqueus contritus est, & nos liberatæ sumus.
Quotiens ergo adest aliqua festiuitas sancto-
rum in ecclesia, recordari debemus qualis &
quanta sit in cælesti patria, & despiciere omne
t iij

Felicitas
in celesti
Hieru-
salem,
quanta.

Psal. 112.

In profa nates fe- ita.

quod delectat in hac vita. Beati religiosi, qui a secularibus turbis remoti, a temporalibus curis liberi, a passionibus tranquilli, ad caelestia oculum mentis dirigunt, & praedulcedine amoris intimi quem sentiunt, dissolui & esse cum Christo concupiscunt. Beati qui ad caelestem dedicationem & ad coenam agni vocati sunt, & ita se student preparare, ut cum electis digni sint intrare. Vox vera: Nemo potest hic gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo. Amoenia prata, stultos ducunt ad hospitia praua. Et qui modo delicias & honores semper quaerunt, post breue gaudium inueniet aeternum ignem & luctum. Heu miser & infelici amatores seculi, qui festa Christi, & sanctorum honores, in conuiuia ciborum & ludos conuertitis, ubi manebitis? Vae vobis qui Iesum deseritis, & mundum requiritis: sanctos negligitis, & vagos ac lubricos vobis associatis: angelos offenditis, & daemones laetificatis. Vae qui simplices deridetis, & fallaces commendatis: rosas virtutum conculcatis, & spinas peccatorum colligitis: praesentia bona aspiciatis, & futura mala non praevideatis nec timeatis. Cur stulti vos ipsos decipitis, & ad rectam via non reditis? Timete deum nequando irascatur dominus, & pereatis cito de terra cum impiis, & recipiatis infernum pro deliciis quas amastis. Dignus est enim operarius mercede sua, siue bonum siue malum fecerit in hac vita. Habet etiam felix & sancta mater ecclesia pro magno solatio & decore domus dei, multa sanctorum corpora in bona custodia, omni honore digna. Ad quorum aspectum multi fideles excitantur saepe ad amorem dei & festum, desideranter petentes quotidiana suffragia, ut per eorum sancta merita mereatur pervenire ad gaudia aeterna. Quae est enim ecclesia vel capella tam pauper & modica, quae non habet vel procurat habere aliquas sacras reliquias pro ornatu oratorii sui, ex devotione erga animas sanctorum regnantium cum Christo in gloria? Nam sacra ossa sanctorum humiliter venerari, Christum est honorare, in quibus habitavit spiritus sanctus, a quibus victus est mundus, & diabolus per fidem Christi confusus. Sperandum igitur indubitanter, quod libenter orabunt pro nobis amicis suis in terra degentibus, quos viderint in oratione ferventes, & oculos crebro ad caelos cum gemitu levantes, & omnia propter Christum ex animo relinquentes. Iuvat etiam non modicum infirmos animos ad laetitia cordis, si in festis, melioribus vestibus, & cappis sacerdotes & ministri induantur pro diuino officio deceteri celebrando, si floribus & frondibus altaria & loca sacra adornentur, quatinus per externa signa, torpentium

corda ad meditandum caelestia bona citius accendantur. Nihil tamen in his caerimoniis, cultibus & ornatibus inaniter pro humana laude & propria complacencia fieri debet, ne deus qui corda humilium respicit, vanis clamoribus & vagis moribus offendatur, ne festum temporale in vitium animae ex aliqua leuitate aut curiositate conuertatur. Non enim est speciosa laus in ore superbientis, nec placent deo labia sonora, vana gloria foedata, vel discorde voce prolata. Dicat ergo grates deo omnis devotus orator, iubilet domino laudes omnis ardens amator, cantent & laudent deum omnes animae sanctorum cum angelis in caelo, cantent & laudent deum omnes ecclesiae terrarum cum fidelibus in hoc mundo, dicentes: Te decet laus & honor domine, pro tua maxima dignitate in secula seculorum. Amen.

De quatuor conditionibus ad edificationem & decorum domus dei pertinentibus. Sermo II.

Domum tuam domine decet sanctitudo, in longitudine dierum. Dilecti fratres sitis circumspicere & custodiri in omni loco & tempore, maxime autem in ecclesia, in choro, & in diuino officio, ubi a multis potestis considerari. Vos estis templum dei, vos estis domus dei, vos elegit deus in hereditatem sibi, quibus promissit dare regnum dei. Notate ergo conditiones quatuor ad decorem domus dei pertinentes, & ad sanctitatem verae religionis perducetes. Omnis bona domus debet habere fundamentum firmum, parietes rectos, fenestras claras, & tectum integrum.

Primo debet domus animae nostrae habere fundamentum profundae humilitatis, ne totum aedificium cadat ab alto elationis in barathrum aeternae damnationis. Idcirco multi ceciderunt de statu religionis in varias tentationes diaboli, & vita carnis, quia non habuerunt nec steterunt super firmum fundamentum vere humilitatis, quae hominem custodit ab innumeris diaboli insidiis & casibus. Felix anima quae honorem temporalem non appetit, sed omnino commodum pro posse vitat, & despectum pro maximo lucro reputat. Dixit quidam devotus: Qui me laudant, saepe decipiunt: & qui me vituperant, bonum mihi saepe faciunt. Vnde David sanctus orat, Non veniat mihi pes superbiae. Quare? Ibi enim ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Et quare non potuerunt stare? Quia superbi fuerunt, & deo gratias non egerunt. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Nemo quippe secure & iuste laudatur, nisi verus humilis, cui fordescit mundus, & omnis gloria eius. Qui ergo vult bene & firmiter stare, fundamentum humilitatis teneat, ab

Quatuor oratoria, quatuor parietes domus Dei.

Humilitas, scilicet rimas fundamenti.

Psalm. 117.

Quatuor Evangelia, quatuor parietes domus Dei.

Psalm. 99.

Christus veritas vincet.

Luc. 12.

Luc. 21.

Luc. 16.

Exo. 28.

ab humilitate non recedat, quantumcumque laudatus fuerit & honoratus. Caueatis fratres ne totum praemium laboris vestri perdat per superbiam & vanam hominum laudem, ne cum diabolo cadatis in damnationem & ignem aeternum. Transit cito tanquam fumus omnis delectatio carnis, omnis honor & gloria temporalis, sed non cito transibit poena infernalis, immo in aeternum durabit ignis ille sulphureus impiis preparatus. Secundo debet domus animae nostrae habere quatuor parietes rectos & firmos sursum erectos & coniugatos, non de curuis lignis & asseribus ruptis, sed de lapidibus preciosis artificiose quadratis & bene politis. Hi sunt quatuor sancta euangelia de incarnatione Christi veraciter conscripta, toti mundo ad recte credendum & iuste ac pie viuendum salubriter destinata. Isti parietes sunt sicut muri fortissimi, & sicut turres Hierusalem cum propugnaculis suis, qui cadere non possunt, nec in aeternum perire, quia veritas domini ab aeterno & usque in aeternum permanebit. Quantumlibet ergo sequatur mundus contra fideles, humiles & deuotos, aut tentet diabolus, aut persequatur tyrannus, aut rapiat auarus, non tamen conturbabitur iustus in domino confidens. Et si maledictus malignus, irrideat paganus, deludat Iudaeus, arguat astutus, reprobet philosophus, dubitet incredulus, erret haereticus, latret blasphemus, clamet obfessus, terreat gladiis iratus, mordeat dentibus insanus, semper tamen praevalebit contra mendaces homines veridicus Christus, & vincet cum eo fidelis Christianus veris verbis eius confortatus. Nolite (inquit) timere pusillus grex. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri. Nam facilius est caelum & terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere. Qui ergo sequitur Christum, & recte credit, ac bene vivit sicut euangelia docent, & sancti doctores plane exponunt, habet quatuor parietes rectos & firmos diuinae charitate connexos, qui templum animae suae valde muniunt, & omnes dubitationes ex animo repellunt. Sic enim sunt, in homine fidei & deuota anima sancti euangelii verba diuinitus inspirata, sicut aurea scuta contra ignita diaboli tentamenta, & carnis blandimenta, sicut preciosi lapides in pectore Aaron sacerdotis contra mundi errores, sicut candida margarita in corona virginis contra cogitationes iniquas, sicut lampades ardentes in medio ecclesiae ante dominum caeli & terrae clarissime lucentes, & sicut columnae aereae argenteae decoratae totum aedificium templi sustentantes. Felix anima, cui placet & sapit omne ver-

bum quod de ore dei procedit, & quicquid in euangelio Christi audit & legit. Quanto enim saepius quis euangelica verba audierit & legerit, atque attentius cogitauerit & ruminauerit, tanto in virtutibus plus proficiet, & domus animae eius firmiter stabit, pulchriusque fulgebit. Multum quoque in fine gaudebit qui Iesum intime diligit, & specialem gratiam ab eo ob eius memoriam obtinebit. Ipse enim ait ad dilectos discipulos suos in mundo exultantes: Manete in dilectione mea. Qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum. Si vultis ferre fructum multum, & augere meritum laborum vestrorum, tunc eatis per arctam viam, relinquendo propriam voluntatem vestram propter obedientiam, quae ducit recto itinere invitam aeternam. Si vultis etiam scire summam omnium librorum, tunc studeatis sequi Christum per crucem & contemptum omnium mundanorum, & inuenietis requiem animabus vestris, & aperietur vobis regnum caelorum. Purgetis proinde agrum cordis vestri a tribulis & spinis vitiorum, & recipietis gratiam Christi, & amicitiam omnium sanctorum angelorum. Orientur enim profecto vobis laboratibus in vinea domini multae in anima virtutum species, scilicet pro lappa superbiae nardus humilitatis, pro vitica libidinis liliium castitatis, pro absinthio iracundiae ficus mansuetudinis, pro spina inuidiae rosa charitatis, pro tribulo tristitia botrus spiritualis laetitiae, pro zizania discordiae balsamum suavis concordiae, pro iunipero leisionis oliua fraternae compansionis, pro genista dissolutionis myrrha deuote meditationis. Tertio debet domus animae nostrae habere septem fenestras claras ad recipiendum lumen caeli, deo semper apertas, sed contra diaboli tonitrua & fulmina clausas. Ista fenestrae sunt septem dona spiritus sancti, quae illuminant animam per veritatis cognitionem, & accendunt intus per amoris feruorem. His donis acceptis & accensis fugantur tenebrae peccatorum, & delectationes sensuum exteriorum, quae excacant oculos stultorum respicientium vanitates mundanorum, qui negligunt heu gloriam beatorum in regno caelorum. Caue dum ergo valde ne fenestra animae nostrae obscurentur fumo iracundiae, aut nebula tristitia, aut puluere vanae gloriae, aut turpi imaginatione, aut longa confabulatione. Vitandum praecipue ne fenestra nostrae illuminatae spiritu sapientiae & intellectus in scripturis, rumpantur duris verbis, aut luto male suspicionis inquinentur, aut temporalibus curis nimis implicentur, & sic a superni luminis claritate distraherentur, & caelesti consolatione saepe

Ioan. 15.

fabula

priuentur. Caute igitur omnino custodiendae sunt fenestrae domus nostrae in omni loco & tempore, ob fragilitatem humanae vitae, quae de facili declinat a deuotionis feruore ad terrenas occupaciones, pro recreatione, aut sub specie utilitatis alienae. Sed fallit deo saepe vacantem angelus satanae, sub specie recreationis externae. Ideoque deuotis precibus amplius est insistendum, & sacris meditationibus fenestras domus nostrae fortius sunt muniendae, ne diabolus locum intrandi habeat per euagationem mentis, & hoc maxime in tempore orationis, & studio sacrae lectionis. Venit enim Satanas occulte per ostium visus vel auditus cum phantasias externas quaerens rapere psalmum vel verbum ex ore legentis, aut suadens exire chorum ex teoio mentis. Quapropter magnopere satagendum, & ad interiora tempestiue reuertendum, quatinus Christo veniente, & ostium pulsante, statim ipsi aperiatur, & lux gratiae eius dulciter infuset, & totam domum mentis illuminet, purificet, & sanctificet, & ab omnibus irruentibus vitis cautius custodiat & defendat. O benignissime domine Iesu Christe misericordia mea & refugium meum in omni tribulatione & angustia mea, o vitam digneris quandoque cum caelesti lumine comitantibus angelis in domum animae meae intrare, & cum aureo thuribulo aromatibus pleno omnia interiora mea thurificare, & cor meum in templum sancti spiritus consecrare, cruce sancta signare, oleo gratiae inungere, auram veram cum manna ibi reponere, & librum legis tuae lateri meo fixe applicare, vt in eo studeam ac discam caelestia ac diuina mandata tua die ac nocte, quandiu dego exul in terra. Debet etiam domus animae nostrae habere quatuor fortes trabes, ne elationis vento parietes moueantur, aut maledictionis iaculo aliquis percussus, a veritate euangelii & sanctitate humilis vitae recedat. Omnia enim sine humilitate & firma custodia, periculis parent & ruinis. Teneat ergo anima fidelis trabem iustitiae, nulli inferendo iniuriam: teneat trabem fortitudinis, pie sustinendo aliorum malitiam: teneat trabem temperantiae, refrenando carnis perulantiam: teneat trabem prudentiae, cauendo erroris fallaciam. Fili a iuuentute accipe doctrinam, discite a sapiente sapientiam, vt sis prudens, est enim ignorantia mater erroris. Noli etiam esse negligens, qui a negligentia est perditio multum boni operis & temporis. Quis facile recuperabit tempus amissum? Vna hora silentii cum deo expecta plus laetificabit conscientiam, quam tres horae vanis fabulis consumptae. Sicis ergo charissimi diligentes in opere, custoditi in ore, simplices in malo, prudentes in bono, deuoti

deo, benigni proximo, alieni mundo, propinqui caelo. Quarto debet domus animae nostrae habere tectum solidum & integrum contra pluuia & ventum, ne opus bene inceptum pereat ante finem completum, & incurrat scandalum qui omisit ex incuria tegere domum bene fundatam. Dicit sponsus in canticis: Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cupressina. Ex duobus lignis fiunt tigna, quae in vertice domus sunt iuncta, & inferius diuisa, sed clauis parietibus affixa. Habeat ergo anima constantiam in principio conuersionis suae ad proficiendum in virtutibus, teneat etiam perseuerantiam boni operis usque ad exitum vitae de ergastulo corporis, vt consequatur pro breui labore certaminis, praemium aeternae beatitudinis. Cum istis duobus lignis constantiae & perseuerantiae construitur & perficitur tectum animae fidelis, quae facta est ad imaginem sanctae Trinitatis. Multi feruenter incipiunt, sed paulatim tepescunt, ad exteriora se vertunt, & negligunt perficere quod inceperunt. Horum domus sartum tectum non habet, ideo cogitationes malae saepe intrant, quae conscientiam maculant, & deuotionis gratiam perdunt. Tandem veto tentationis duriter flante, aut cadunt a bono proposito, aut cogitant recedere a loco suo, instigante diabolo. Isti ergo nisi consilio praetatorum acquiescant, diu cum bonis perseuerare non possunt. Noli homo fragilis a statu religionis & a sancta congregatione recedere, sed sustine per modicum tempus propter spem aeternae retributionis in caelestibus gaudiis. Sta in bono proposito firmiter, acquiesce consilio humiliter, certa quotidie viriliter, labora diligenter, ora frequenter, sustine patienter, indulge libenter, expecta longanimitate, spera confidenter, perseuera constantem, & coronaberis a deo corona gloriae indubitanter. Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Vtile est etiam domum nostram tegere lapidibus petrinis, ne vetus elationis inflet, aut humber carnalis delectationis conscientiam maculet. Regulae petrinae sunt exempla & verba Christi, quae nos docent diabolo resistere, & contra prauas suggestiones, bonas meditationes assumere, & die ac nocte in oratione vigilare. Felix anima, quae vitam suam ad bonum perseuerantiae finem perducere meretur, vt post multos labores corporis & dolores cordis possit dicere in fine quod Christus dixit in cruce, Consummatum est. His paucis ad laudem dei de domo & templo animae dictis, multae gratiarum actiones deo referendae sunt, etiam pro minimo verbo & cogitatu bono desuper inspirato. Debet ergo omnis sacer locus a nobis in reuerentia femper

Beneficia multa in domino dei christi nis conficiuntur.

per haberi, propter multa beneficia, quae ibidem orantibus solent deuotis praestari. Ibi nanque peccator poenitens & orans accipit veniam, iustus gratias agens meretur gratiam. Ibi pauper gemens & orans accipit eleemosynam, diues compatiens & tribuens meretur dei misericordiam. Ibi sacerdos celebrans offert deo sacrificium omni sacrificio dignius, pro se & aliis multis orans & genua flectens. Ibi missam audiens saepe compungitur vsque ad lachrymas intime dolens. Ibi deuotus orator inter missam cogitat sacram Christi passionem. Ibi peregrinus viator ambulaturus per terram & aquam, accipit benedictionem, & boni itineris ducem Iesum Christum amicum fidelem. Ibi minister sacerdotis supplet angelorum locum per obsequium maxime deo gratum. Ibi communicans recipit sanctissimum corpus dominicum, angelorum cibum, praeter omni dono dignissimum. Ibi iturus ad laborem per diem accipit a deo confortationem, tristis consolationem, timidus fiduciam, compunctus deuotionem. Ibi tentatus inuenit remedium, anxius consilium, defectuosus auxilium. Ibi sanus accipit laetitiam, infirmus medicinam, moriturus ab hoste in via tutelam, defunctus a poenis liberationem, per missam celebrationem. Bonum est ergo domum dei intrare, ecclesiam visitare, missam audire, cimiterium circuire, pro mortuis orare, sacra loca & altaria adornare, reliquias sanctorum conseruare, imagines sanctorum honorare, super omnes sanctos & sanctas sacramentum Christi suppliciter adorare, alta non discutere, difficilia nolle penetrare, secreta humiliter venerari, profunda deo committere. Nam veritas neminem fallit, omnipotens deus omnia potest. Qui vult bene stare & deo placere, debet de omnibus malis praeteritis multum dolere, etiam de bonis neglectis, & peccatis confessis. Salus animae saepe gemere, saepe orare, saepe confiteri, saepe communicare. Deuotionis signa, saepe bona proponere, saepe bona cogitare, scribere, legere, hymnos & psalmos ruminare, nunquam ociari, friuola vitare, fructuosa operari, corde deum amare, & ore deuote laudare. Fratres modo est tempus gratiae, modo debemus quarere, petere, & pulsare, & omni conatu ad recipiendam dei gratiam nos aptare. Modo possumus omni die & in omni loco aeternam gloriam promereri, & aeternas euadere poenas, si per dei gratiam veram agimus poenitentiam. Nondum clausa est porta caeli, ianua patet, qui parati sunt intrare. Qui non sunt parati adhuc, melius se studeant preparare, & vitam perfectius emendare, vt Christo veniente & vocante, digni

sint cum iustis laetanter intrare. O fidelis & humilis anima considera quam magna est misericordia dei super te in omni vita tua, quia non statim se vindicat, sed diu expectat, & ad se pie reuocat. O felix mater ecclesia vere apud te est deus absconditus, thesaurus infinitus, copiosa redemptio, & salus aeterna. Oculum humanum non vidit nec videre potest, nec intellectus aliquis capit, nec ratio fragilis penetrat, qualiter deus in sacramento vere totus sit: manducatur, & tamen integer semper manet. O quam magna mirabilia agit deus in sacramento, cui nihil impossibile est facere quodcumque voluerit in caelo & in terra, pro sancti nominis sui gloria & aeterna memoria. O salutaris hostia, quae caeli pandis ostium, quam mirabilia dicuntur de te, quam ineffabilia sunt omnia quae latent in te, quam pie & veraciter creduntur de te, & inuisibiliter operantur per te. Haec nobis proponuntur fideliter credenda, reuerenter celebranda, desideranter sumenda, suauiter gustanda, incessanter recolenda, ardentem amplectenda, & quotidie pro omnium salute gratissime deo patri offerenda. Nam quotiens missa celebratur, & hostia verbo dei consecratur, totiens deus noster ad homines venit, pro hominibus de caelo descendit, cum hominibus manere desiderat, quos creauit & redemit, ac in aeternum beatificare intendit, sicut promissit dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. O solatio sum verbum, o pium & fidele testimonium, o magnum & indubitabile diuinumque promissum, deum habere secum in sacramento praesentem, quem angeli habent & adorant in caelo regnante. Quando ergo sacra hostia in altari sacerdotis manibus leuatur, & hominibus adoranda ostenditur, tunc Christus pro nobis passus & crucifixus sub mystico velamine praesentatur, vere adoratur, deuote inuocatur, digne honoratur. Quicumque igitur voluerit templum dei intrare & orare, aut legere aut cantare, aut missam audire vel celebrare, debet prius se preparare, & cum pia intentione ita se disponere ac cogitare, quasi ad summum pontificem & imperatorem esset iturus in necessaria causa aliquid petiturus pro se & amicis. Iuuat enim orantem & psallentem in omni loco & tempore, cogitare deum quasi praesentem, & se cum sanctis angelis seriose claris oculis respicientem. Qualem autem quisque ante orationem se disposuerit, talem se postmodum in oratione frequenter inueniet. Vagus vage orat, leuis leuiter cantat. Attende homo fragilis reuerentiam dei, & cum sancto Dauid ingredi in locum

tabernaculi admirabilis in timore sancto. Nō
 Luc. 18. præsumas de te ipso, sed cum publicano pete
 misericordiam & veniam in præsentis exilio,
 vt in futuro merearis cū Lazaro habere æter-
 nam requiem & gloriam in cælo. Quam no-
 bis omnibus præstare dignetur Iesus Christus
 dei filius ex Maria virgine natus, pro nobis
 crucifixus & immolatus, qui cum patre & spi-
 ritu sancto viuit & regnat deus per omnia se-
 cula seculorum. Amen.

Finis Sermonum ad nouitios.

Incipiunt tituli sermonum
 ad fratres.

- De abnegatione sui ipsius, & contemptu con-
 solationum terrenarum. Sermo i.
- De mœrore & consolatione animæ in deo.
 Sermo ii.
- De duplici compunctione animæ pro cælesti
 patria. Sermo iii.
- De laudibus preciosæ Margaritæ castitatis.
 Sermo iiii.
- De custodia castitatis. Sermo v.
- Contra carnalia tentamenta. Sermo vi.
- De bono solitudinis, exemplo Christi & san-
 ctorum patrum. Sermo vii.
- De bono silentij, & fructu eius. Sermo viii.
- De solitudine cordis qua supra se leuatur ani-
 ma. Sermo ix.

De abnegatione sui ipsius, & contem-
 ptu consolationum terrenarum.
 Sermo i.

Luc. 14.



Vi non renūciauerit om-
 nibus quæ possidet, nō
 potest meus esse discipu-
 lus. Iste verbi dominus
 Iesus videtur illos argue-
 re, qui perfectionem quā
 inchoant, vsque ad con-
 summationem non sequuntur. Initium enim
 dum quidam arripiunt relinquendo extero-
 ra quæ possident, ad hoc quod perfectus est,
 scilicet seipsum relinquendo, voluntates pro-
 prias frangendo, non assurgunt. Et ideo mul-
 totiens ad priorem statum reuertuntur: quia
 ex quo partim aliquibus renunciant, neque
 iuxta sententiam domini cuncta terrena per-
 fecte deserunt, adhuc laqueos quibus captan-
 tur, & relabantur, in se retinent. Sed omnis ve-
 rus Christi discipulus tam se quàm sua pro-
 pter eius amorem contemnat, nihil de terre-
 nis tenere velit, ne impediatur in itinere quō
 tendit. Dicit seipsum per ardorem virtutum

& gratiam sancti spiritus vincere, qui antea
 potuit eius inspiratione mundana contem-
 nere. Beata mens, quæ omnibus renunciare
 nititur, quæ in vmbra huius vitæ florere vi-
 dentur. Hæc perfecta est renunciatio, seipsum
 ex corde relinquere, nulliusque creaturæ so-
 latium quærere, quia dum temporale aliquid
 inordinate appetitur, vera abdicatio non ha-
 betur. Et quando ad contemptum præsentij
 Christi seruus non nititur, parum de diuina
 consolatione percipere meretur. Qui enim
 foris sequitur quod appetit, in dei amore & in
 sancto proposito refrigescit. Sed pensare sæ-
 pius & meditari talis debet, quàm cito perit
 quicquid charum & magnum æstimatur, tam
 de hominibus quàm etiam de vniuersis mū-
 di creaturis. Hoc corde pertractet, quia in
 vno statu non manent, sed mutantur omnia
 & deficiunt. Ergo ibi solatium quærat, vbi so-
 lius veritatis & æternitatis plenitudo est. Et
 ex indeficiente fonte ad refrigerandum seu
 consolandum animam suam haustrum aquæ
 viuæ petat, quia nobilior est guttula vna di-
 uinæ dulcedinis, quàm puteus plenus volu-
 ptatibus terrenis. Fallitur omnino quicumque
 in hoc tempore solatiari amat. Perit ab eo
 veri gaudij solamen, quisquis mundi huius
 sequitur fallacem amorem. Quàm felix &
 sancta anima, quæ solius dei paucitur amo-
 re, & sanctarum virtutum trahitur odo-
 re, cuius tantum propositum est, vt visibilia
 contemnendo, inuisibilibus & diuinis sagine-
 tur. Talis multum sapiens esse liquido de-
 monstratur, quia pro modicis immensa, pro
 transitorijs perpetua, pro vilibus preciosa, pro
 deformibus pulchra, pro miseris iucunda, pro
 amaris suauia, & quod sublimius est & verius,
 pro nihilo vniuersa mercatur. Ista enim iam
 in terris cælestē sponsum quærit, cuius amore
 præsentia fastidit, futura diligit, & aduentum
 eius præsolatur, vt audire ab eo mortis tem-
 pore possit: Ecce sponsus venit, exite obuiam
 ei. Hæc cælibem agit vitam, & angelorum se-
 quitur formam, atque Christo soli exhibere se
 curat illibatam. Vult ergo interim cunctis ca-
 rere solatijs, vt ab eo mereatur consolari ple-
 nius. Et desinet omne quod mentem de terre-
 nis afficit desiderijs, alioquin illius non posset
 munda præsentari aspectibus. Vnde etiam
 tanto rigore se constringit intus, vt quicquid
 decætero extrinsecus se applicaueret, indi-
 gnado potius quàm probando expellat. Nec
 mirum. Timet enim ne angustia illi fiat vnus
 amor quem diligit. Optat soli adherere, quæ
 cum multis perfecte castæque nequit diligere.
 Hinc est quod vna ex his loquitur: Illi soli d. Ha-
 seruo fidem, ipsi me tota deuotione commit-
 to.

Perfecta
 renuncia-
 tio que.

ro. Habet tamen in exilio præsentis vitæ sola-
 tium, sed nō gaudium plenum. Suscepit spōsi
 arram, sed non ipsum. Legit epistolam de nu-
 ptijs scriptam, sed nondum venit hora eius. Et
 cum venerit, tunc introducet, nec mora
 erit. Vestes & ornamenta per legatos accepit,
 sed tunc duplicibus vestietur. Solatium nan-
 que eius memoria Christi est, & amplius illi
 solatium fit, quia diu hic non erit, quia statim
 ipse veniet, ostiumque pulsabit & dicet, Surge
 & veni. Sed quid ipsa? Nōne ad hanc vocē
 euigilabit? Surgat itaque, prospiciat per fene-
 stram, si ipse est quem diligit: & cum iterum
 atque iterum pulsauerit, sine mora aperiat, &
 illi dicat: Ecce ego, qui auocaui me. Si me quæ-
 ris, præsto sum domine. Educ de custodia ani-
 mam meam, ad confitendum nomini tuo.
 Non me permittas domine diutius separari à
 te, sed in bonitate tua suscipe me. Et quantum
 lætabitur, si tale aliquid à domino audire me-
 reatur, Sequere me, tempus est vt pariter epu-
 lemur. Eamus iam non ad vineam excolendam,
 sed ad vinū optimum bibendum. Eamus nō ite-
 rum in Iudæam, sed in patriam meam. Ascen-
 damus ad diem festum hūc, quia magnus iste
 dies festus angelorum & hominum. Sed quid
 de te o anima mea in corpore peregrinante,
 & iam diu expectante, & quotidie in oratione
 tua dicente, Adueniat regnum tuum? Quādo
 videbo? Putas de me recogites? Putas obliui-
 scetur misereri deus? Quando apparebit, &
 quando veniet? Sed forte in cubiculo est, &
 dormit. Nunquid tu dormies, & cor tuum nō
 euigilabit? Clamabis igitur si dignetur audire,
 & pulsabis cordis voce dicens: Exurge, quare
 obdormis domine, exurge, & ne repellas in fi-
 nem. Sed fortassis secretiori adhuc cōsilio &
 saniori iudicio dominus differt, quod tu o
 anima magis impetu quàm discretionē facis.
 Pausabis igitur parū, sed sub vmbra eius, nec
 in ætibus mundi quiesces. Melius tibi mori
 est, quàm mundo viuere. Felicius tibi lugere,
 quàm de iis quæ non sunt & videntur, gaude-
 re. In domino consolabitur anima mea, au-
 diant mansueti & latentur. Quādiu enim
 sancta anima viuit in corpore, peregrinari se
 à domino dolet: sed quia voluntas eius est,
 peregrinationem patienter sustinet. Vt inte-
 rim tamen alium dilectum non quærat vel
 eligat, illius amore certare fortiter necesse ha-
 bet, quia multi aduersarij, multi ad decipien-
 dum parati. Et ideo districte castigare debet
 quicquid foris se finxerit. amabile. Nec alicui
 quantumlibet blandienti credat, ne dilecti
 amicitiam fraude capta perdat: quia dum
 sponsus abest, lugere magis eius absentiam
 decet, & viduitatis tempus cognoscere, donec

Pal. 141.

Pal. 76.

Pal. 43.

Pal. 33.

1. Cor. 5.

veniat, & eam ad se in æterna tabernacula per-
 ducat. Ibi enim requiescunt sanctorum ani-
 mæ, non in vmbra, sed in præsentia, & serē-
 nissimam iugiter speculantur faciem dei pa-
 tris, quem cum filio eius vnigenito dilexerunt
 in terris, & secuti sunt relictis omnibus.

De mœrore & consolatione animæ in
 deo. Sermo 2.

Solet anima deuota quæ Christū diligit,
 de eius absentia dolere, & de ipsius spiri-
 tuali visitatione plurimum consolari. Hoc
 tamē magnæ dilectionis Christi signum est,
 non ipsius meritum, quotienscunque ab illo
 consolatur. Bonum ergo ei est, si se dignam
 non putet, sed exiguam & insufficientem ad
 donum gratiæ eius percipiendum. Quæ est
 enim anima, quæ tantis beneficijs responde-
 re valeat, etiam si iugiter gratias rependat?
 Certum est quod nulla inuenietur, dato quod
 omnium esset repleta sanctorum meritis. Soli
 nanque deo conuenit præ omnibus sanctis,
 honor virtus & gloria. Animæ autem dilige-
 ti deum magnum est, si pro suo modulo lau-
 dare vel exiguum possit, & in sanctis eius mi-
 rabilem eum prædicare: aut si id agere non
 sufficit, satis imparem laudibus dei se senties,
 saltem non omittat propriam desere mise-
 riam. Et istud fortassis multo vtilius prode-
 rit, quod non tam altiora sapere, quàm mi-
 nora quæque beneficia amare videatur. Con-
 gruus ordo ascendendi ad deum est, ab infe-
 rioribus studiis ad potiora tendere, & rursus
 ad pristinam infirmitatem humiliter se refle-
 tere. Ibi igitur maneat diutius, vbi tutior
 probatur esse locus. Quod si ascendere ipsam
 delectat, cum omni humilitate & timore per-
 ficat. In descensu suo non tamen penitus
 deiiciatur, quoniam humilibus sedes regni
 cælestis promittitur, sed libentissime ibidem
 commoretur. Et si natura horret & inferior
 videri nō vult carnalis homo, pondere futuri
 iudicij terreatur, vbi omnes elati confunden-
 tur. Beata nimium anima, quæ locum in hoc
 tempore eligit nouissimum, & sese desinet per
 momenta singula, quoniam magna eius mi-
 seria existit. Multam dolendi materiam ha-
 bet, quam nec perfecte valet cognoscere, nisi
 se à terrenis consolationibus exuat, & ad æter-
 na bona fide non ficta transferat. Etenim ex
 propria fragilitate qua tantum ad hæc ima
 premitur, fideliter anima deprehendit quod
 sine Christi gratia neque stare, sed neque se
 eleuare ad cælestia potest. Ideoque indiget vt
 à Christo Iesu per visitationem spiritualem
 & consolationem internam sustentetur fre-
 quentius, ne absorbeat aliqua delectatione

temporalium, aut fallaci suggestione diaboli auertatur à sancto proposito. Multiplices sunt enim insidiæ & immisiones diabolicæ, quæ caueri absque speciali etiam gratiæ luce non possunt. Diuersæ tentationes & inopinabiles tribulationes occurrunt plerunque hominibus sanctis, sed benignus dominus cuncta facit prodesse bonis, super quo benedictum sit nomen sanctum eius. Debet autem deo deuota anima inter labores quibus in hoc peregrinationis loco affigitur, de futura sanctorum meditari requie, ne sub onere deficiat, quanuis sæpe tritanti luctus solet esse solamen. Videns nanque ineuitabilem miseriam, quid mirum si doleat? Considerans quoque grande exiliū, quomodo læta erit? Senties abesse sapius quem intime diligit, notum est amantibus quale incommodum patiat. Verum qui non amant, ista nesciunt, nec quo dolore anima sancta concutitur, quæ venditis omnibus terrenis, ad quærendum inuisibilem sponsum se contulit. Talis enim Christus præ omnibus consolationibus, qui spūsus est & amicus dulcissimus, sui pectoris desiderat habere solatium. Complures terrenam & vanam dilectionem habentes grauerunt dilationem aut ablationem alicuius rei corruptibilis, quæ sibi vtilem existimant, gaudentque de proventu illius, & quotidiano aspectu consolantur. Si sic agitur in insipientium cordibus, fortius flagrare debet anima deuota in amore summi conditoris. Cum ergo per gratiam Christi visitatur, mox noua lætitia in ea nascitur, ac æternorum spe erigitur, exultat quoque in desiderio cordis sui, omniumque affectu virium internarum ad hanc gustandam vertitur dulcedinem. Et ut crassius per verbū internum reficiatur, in quo tanta dulcedo exuberat, aperit os suum, & attrahit spiritum, dicens: Quam bonus Israel deus, his qui recto sunt corde. Deus meus deus meus, dulcedo nō fallax, dulcedo sola reficiens, virtus & decor animæ meæ, quam bene mihi in hoc visitationis tempore. Non meis meritis, non meis votis, sed tuæ bonitati ascribo hanc horam domine, qui es verus & vnicus omnium mœrentium & te diligentium consolator animarum.

Psal. 72.

De duplici compunctione animæ pro cælesti patria. Sermo 3.

Tob. 6.

Quis det vt veniat petitio mea, & quod exspecto tribuat mihi deus? Magnū desiderium fidelis animæ præsentis versiculo innuitur, quæ non terrenas res, sed contemptis illis cum concupiscentiis suis, æterna bona sibi largiri deposcit. Illa enim sunt quæ fidelis

anima expectat, pro quibus laborat quotidie tolerando certamina. Veruntamen finiri laboriosam vitam citius optat, & venire beatam requiem quam expectat, cordialissimo affectu comprecatur. Antequam ad deum conuersa esset, & cum huius mundi delectationes eam adhuc tenerent, non illa quæ in cælis promittebantur quærere curabat, sed aut ignorans aut paruipendens inuisibilia bona, fatiari visibilibus, & diu illis frui summopere intendebat. Nunc vero ad Christum cōuersa & præsentia nihili pendit, & futura ardentius concupiscit. Simili quoque desiderio ardebat illa prophetalis anima, quæ dicebat: Vnam petii à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Duplici autem stimulo compungitur anima, vt tam instanter & ardentius quærat transire ad patriam. Interdum quippe præsentium malorum vrgetur incommodis. Videns namque tam in se quam in aliis multiplices tentationes, graues labores, diuersasque occupationes in quibus multi periclitantur, & pauci illæsi euadunt, prudenter sibi consulens, & aliis cōpatiens, quandiu propositio sancto feruet, à miseris istis liberari suppliciter desiderat. Timet enim ne forte iterum ad secularia aut carnalia trahatur, aut in alios errores morum, vel leuitates animi inducatur, quia etsi modo plenam voluntatem deo placendi habet, non tamen securitatem sic perseuerandi accepit. Vnde non immerito timida & infirmitatis suæ conscia, patriam supernam petit, & omnibus votis tolli ex hac miserabili vita sanius sibi fore sentit, priusquam (quod absit) nouissima sua peiora prioribus ferent. Ibi enim omni timore sublato, eum voluntate perfecta securitas etiam perfecte stabit. Ex hoc ergo stimulo quasi sinistro calcari equus sancti desiderij valenter instigatur, quo anima cursu incepto ad patriam pergit cælestem, quia in præsentia non habet manentem ciuitatem, sed nec requiem quidem. Quandoque vero deo deuota anima non tribulatione malorum & dolore afficitur ad exeundum de carcere suo, sed nobiliori modo, videlicet desiderio visionis diuinæ accensa, trahitur vehementer ad superna. Firque ei nimis angusta præsens vita, quia adhuc copia sibi plenitudinis negatur, quæ de fonte magis satiari appetit, quam sobriis haustibus refocillari. Valde autem distat iste stimulus à priore. Nam dextro iam calcari impulsus equus desiderij tanto expeditius fertur ad anteriora, quanto amor plus valet quam dolor efficere. Huic animæ pulchre & dignius aptatur, quod de patriarcha

Psal. 56.

patriarcha Iacob scriptura cōmemorat. Quia (inquit) seruiebat Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Sic etiam omnis labor paruus videtur amanti deum, & desideranti claritatem vultus eius inspicere, nec ieiunia horret, nec labores diurnos ponderat, neque elongari ab amicis & proximis triste ducit: sed neque aliquid æstimari aut promoueri in hoc mundo huiusmodi anima curat. Ideo omnia paruipendens præsentia, & vnum super omnia desiderans, eius amore frequentissime vulneratur, quia quod summe desiderat, adhuc in dies & dies differtur. Quocunque tamen istorum modorum anima compungitur, tanquæ in excessu mentis posita præsentis versiculo desiderium cælestis beatitudinis complectitur, ac sapius eundem reuoluendo enutrit deuotionem quam de supernis concepit, dicens: Quis det vt veniat petitio mea, & quod exspecto tribuat mihi deus? Væ ergo omnibus ambulanti in desideriis carnis, qui nec cōsideratione miseræ temporalis oculos ad cælestia leuant, nec magnitudine æternæ felicitatis ad ea percipienda vitam suam disponunt. Sed nihil tibi & illis anima fidelis, sine eis agere quod volunt, & implere omne quod delectat, absque dubio constat quia non diu neque in perpetuum durabit. Tu verò sicut nunc audisti, & gauisa es in pollicitatione patriæ cælestis, ita in eius quæso amore spes tua magis ac magis roboretur, donec brauium laboris tui merearis accipere. Insta diligenter pro virtutibus, passionibus fortiter vince, charitatis & castitatis dona in custodia humilitatis sub claufura diuini timoris collige & reconde, ac contra spirituales nequitas arma orationis indue, & semper diuinæ bonitati plusquam propriæ industriæ in cunctis confide.

Gen. 29.

De laudibus preciosæ margaritæ castitatis. Sermo 4.

Sap. 11.

Castitas pecunia redonit dei.

Loquamur aliquid de laudibus castitatis, & ad decorem eius primo habitorem illius consideremus. Spiritus namque sanctus auctor est principalis innocentis vitæ, & cōsecrator totius castimonie: quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, & in corpore subdito peccatis spiritus sancti nō permanebit gratia. Absque eius speciali munere castus nullus fuit, & nisi illo misericorditer protegente in hac gloria, virgo nemo permansit. Gloriosa siquidem continentie virtus, victoriosa castitatis palma, insignis & laudabilis flos virginum inuolabilis. Quanta sit virginum continentiumque gloria, indicant ipsorum magna certamina, & vincuntium

perseuerantiumque paucitas facit eminentiā huius virtutis lucere magis. Deposita omni spe propria, nihil de nostra industria, sed totum de immensa dei confidamus misericordia, quæ nunquam aberit dilectis suis in hac mortali vita. Nam supra nos est hæc virtus, & confertur tantum diuinitus, neque tamen ingratis aut elatis, sed humilibus & contritis corde, clamantibus quotidie in oratione & dicentibus: Cor mundum crea in me deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Speremus igitur eius pietate hanc nobis virtutem ab ipso tribui, quem constat sanctorum lachrymis posse placari, cuius etiam inspiratione cupimus de tam admirabili margarita pauillum loqui. Simile est enim regnum cælorum homini negociatori quærenti bonas margaritas: inuēta autem vna preciosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eam. His verbis Christus Iesus ecclesiæ sponsus præmonet & hortatur nos ad amorem castitatis, ad æquans illam rebus optimis, per figuram preciosi lapidis. Quia ergo nemo nobilium inuenitur, qui non velit preciosorum lapidum gloria fulciri, dummodo illi facultas asit, ac vestibus valde bonis non affectet indui, ne vilescat hominibus, multo magis nos verba vice deo placere studeamus. Sed quæ est ista temporalis gloria, & qualis vestium corruptibilium decor esse poterit, cum homo exigui temporis sit tanquam fumus & vapor pertransiens? Proinde sit nobis indignum & confusum valde, quod nobis deo consecratis non est sollicitudo tanta pro immortalis ornatu animæ, sicut inesse plerunque cernitur stultis mundi amatoribus pro vili corporis indumento. Nunc ergo hortatu saluatoris nostri demus omnem curam ad comparationem huius nobilissimæ margaritæ, si volumus in sanctorum sorte splendidi apparere. Minus enim in conspectu summi regis gloriosi erunt, qui ceteris licet honestantur virtutibus, hanc in se gemmam non habuerint. Antequam saluator de cælestibus descenderet, latebat hæc virtus, & quantæ esset dignitatis & gloriæ, per paucis innotuit. Sed nouus rex nouam produxit de cælesti thesauro gemmam, & quoniam sponsus hic erat, contulit hanc ecclesiæ, & accepit eam in suam. Et sic affinitate coniunctus est ei, & ipsa eius sponsa dicitur, propter castitatis fidem, & charitatis indissolutionem. Erat satis inaudita prioribus seculis vox turturis in terra nostra, quando non benedicebantur beatæ steriles, sed recensebantur per Moysen filiorum generationes. Nec tamen omnino videbatur abscondita prophetis, quanuis non prædicabatur

Psal. 50.

Matt. 25

Virginitas & castitas neque olim sub lege ignota. Exo. 3.

Num. 7. popularibus, quod satis liquet in hoc, cum quidam ex prophetis more castissimæ turturis ita insonuit: Lætare sterilis quæ non parit, decanta laudem quæ non pariebas, quoniam multi filij defertæ magis quàm eius quæ habet virum. Et in altero quodam loco cõtemplatus vitam continentium beatissimam, & eam seruantibus à domino donari specialem gloriam, prophetauit dicens: Hæc dicit dominus deus eunuchis. Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus. Ecce non tantum domini voce commendatur castitas, sed etiam præcedentium patrum oraculis est magnifice declarata. Quàm bene decuit, vt vtriusque testamenti auctoritas hanc nostris commendaret pectoribus, qua posimus deo fieri viciniore, & supernis spiritibus semper chariores. Incorruptio enim (vt scribitur in libro sapientiæ) proximum facit esse deo. Quàm splendida & speciosa facta es ô beata castitas, vt digna videaris ad agni intromitti nuptias. Hæc est formosa columba ac singularis amica creatoris omnium, quæ contemnit consortia mortalium, deestatur omnem carnis saniem, & ad cælestem properat amatorem. Ipsa lilio assimilatur candidissimo, bysino figuratur mûdo, & species eius semper placuit altissimo. Huius candore reficiuntur sanctorum oculi, & odore famæ eius trahuntur ad Christum innumerabiles virginum chori. Odor enim mirus est in vestimentis eius, quia castitas spargit vbique fragrantiam sui intacti corporis. Cuncti nanque reuerentiam castis deferunt, & inuenitur etiã inter eos laudabilis qui nunc munditiam seruant incorruptionis. Contulit hanc gratiam castitati Christus per inhabitationem sui spiritus, vt sit benedicta ab omnibus, quæ transcendit limites humanæ fragilitatis. Nil sic hominem super propriam fragilitatem eleuat, sicut virtus castitatis, quæ cælis etiam vim infert. Dum enim quis seruat per gratiam in terris, quod per naturam angelici spiritus, nõne vim infert cælestibus? Talis enim in domino gloriatur, & dicit. Domine exaltaisti super terram habitationem meam, & pro morte defluenti deprecatus sum, & liberaisti corpus meum à perditione. Cui merito deberet diuina responsio, Hæc est quæ nesciuit thorû in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Et rursus in generali sponso congratulatur cælestis: Hæc sunt quæ non nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli dei in cælis. Iam patet clarius, quia castitas de cælis sumpsit originem, & à confor-

tibus nobilissimis traxit progeniem, cum sit filia cælestis Hierusalem, & cognata supernorum ciuium. In germine & fœcunditate eius exultat spiritus sanctus, nam non præterit tempus quo deficiat fructificare castas generationes deo multum acceptabiles, quæ sunt deuotæ orationes, sanctæ meditationes, & mundi cordis affectiones. O quàm pulchra est ergo casta generatio cum charitate, quæ cælum replet incorruptionis suauitate, & fœcundat terram conuersationis sanctitate. Tam suavis denique odor inerat castitati, vt æterni regis filius de sola nasci dignatus sit virgine, consecrans hanc in matre, quam detulit postmodum in dotem sanctæ ecclesiæ. Non tamen propter solam fatemur virginitatem, quoniam virginitas sola non est, nec sola placuit Christo. Nec angelus inquit, Aue castitate plena, sed aue gratia plena: vt virtutum plenitudo potius referatur gratiæ, quàm castitati vel innocentia. Per solam quippe gratiam possidentur castitatis, humilitatis, charitatis, cæterarumque virtutum charismata. Refulsit nanque in Maria præcunctis excellentius decus virginitatis, cum eius vita (vt ita dicamus) sola castitas & immaculata virginitas extiterit. Sed habuit etiam gratiam perfectissimæ humilitatis, per quam de summo cælo filium dei ad se traxit. Vnde & de ea scribitur in canticis: Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis. Est itaque deo munus valde gratissimum habere perpetuæ incorruptionis gaudium, & acceptabile sacrificium cunctis temporibus vitæ suæ seruare continentia propositum. Stupet natura, mirantur angeli, lætantur archangeli, exultat quoque omnis sanctorum cuneus in obtutu & pulchritudine huius virtutis. Occurrit etiam Iesus Christus amator castitatis, conseruator pudicitia, salutans animam quam sibi adoptauit in sponsam, iubilians & modulans in ipsius aduentu carmina quædam ex canticorum canticis: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Quid ad hæc dicetis homines corpore & mente corrupti? An non demulcent aures vestras hæ voces gratulabundæ, hæ delicia mundis & castis seruata? Et si vultis recipere & vere intelligere, seruite munditiæ, studete sobrietati, & mundas manus vestras conseruate. Et veniet à deo vobis lætitia & inenarrabilis exultatio, quam soli percipiunt qui mundi luxus despiciunt, & mentem ab omnibus deliciis eius suspendunt. Eia charissimi nunc omnes arrigamus aures nostras intentius, quoniam venit nobis sponso de cælestibus. Et vos Christi virgines ferte lampades

lampades iam ardentes oleum simul deferentes. Ecce ianua patet, quæ paratæ sunt intrent. Intremus, intremus per portas quas aperuit dominus, vt cum omnibus sanctis mereamur illum benedicere & laudare in secula seculorum. Amen.

De custodia castitatis.

Sermo 5.

Sermone præcedenti in laudem castitatis quædam diximus, sperantes quod hæc virtus multorum erit grata cordibus, quæ iure nil in se habet offensionis. Et si sunt qui offenduntur, suæ potius hoc obscenitati, non eius sanctitati impudent. nam castitas velut quidam carbunculus in sanctorum vita semper emicuit. Confidimus igitur quod tanto charius amplexabitur ab omnibus, quanto splendidior effecta videtur sacrarum laudum præconiis. Alta profecto laus eius, quæ non ex hominibus sed à deo procedit, & sanctorum abundantius declaratur exemplis. Præcesserunt nos multi continentia armis armati, & suo sanguine proprio reliquerunt quid sit agendum nobis de corpore nostro, quia sanctitati non corruptioni nos optant famulari. Concurrunt etiam hodie sacratissima vtriusque sexus multitudo ad regales nuptias filij dei, optans pro illecebris carnis adimpleri spiritus sancti fructibus, qui sunt pax, patientia, modestia, cõtinentia, castitas. Et quia tam excellentis est dignitatis, non est mirum, si trepidi in eius deprehendamur laudibus, cum ipsa locum habeat celsiorem, & materiam loquendi ministret copiosam magis peritis. Sileret tamen de illa non oportet omni modo, quam tam necessariam nobis agnoscimus, sine qua nec sanctitatis perfectionem valeamus assequi, pro qua in sanctorum omnium remuneratione transito laboris onere in perpetuum beari non dubitamus. Perscrutemur ergo diligentissime qualiter seruari possit castitas, quibus etiam iuuari remediis debeat incontinens animus. Ad virtutem quippe castitatis absque labore & certamine non peruenitur, sine timore dei & sui custodia, nulli in ea perseuerare donatur. Grandis quædam custodia ad conseruationem perseuerantiæ, quæ castitatis est vtrique instituenda deuotis, ne videlicet loqui, audire, legere, aut talia inueniri vellet affectio carnis, vnde postea generari queat aliqua occasio tentationis. Verum hi qui spiritu sancto irrorante ab æstibus carnis aliquantulum temperati sunt, & magno iam castitatis munere præcincti videntur, si foris adhuc per sensuum custodiam se non muniunt, periculo rursus & casui appropinquant. Foris enim per sensus hauritur,

vnde mens casta deturpari, & delectationum fordidarum veneno ad mortem non nunquam solet infici. Dehinc valde est necessarium, cordis cubile sollicitius obstrui, ne visa aut audita prius phantasmata irruant, ne illa quæ videbantur obliuioni tradita, propter hominis incuriam reuertantur, & pacem cum tranquillitate conscientia de corde tollant, sicque de castitatis beatitudine cogitare prohibeant. Cæcatur protinus mens pura, si sollicitudinem intimam cum disciplina corporalium sensuum amiserit, & quæ gaudio perfundi poterat, indubitanter amaritudini & dolori admiscetur. Quid mirandum, si tradatur ludibrio diaboli, quæ prætermisit fidelissimum pactum immortalis sponsi? Auertat benignissimus saluator Christus talem iudicii sententiam à cordibus nostris, sed dignetur potius conferre vberiore spiritus sui gratiam, qua intus sanctificari & confirmari aduersus carnis bella mereamur. Flagitemus ab ipso remedia salutaria, quibus concupiscentia fomes sopiatur, & castitatis augetur refrigerium, vt simus sanctificationis templum, & sicut decet sanctos, immaculati perseueremus cum Christo, quemadmodum propheta in psalmo loquitur: Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum. Valeret maxime ad castimoniam decus promerendum sobrietatis virtus, quæ deliciares respuit cibos, & potum effluentem resecat, vigiliis sacris arque ieiuniis comprimere carnis lasciuam suadet, laborare manibus prædicat, occupari semper in dei opere adhortatur, quia ocium & delicia prædones sunt castitatis. Beatissima vero castitas totius gratia & sanctitatis amatrix sapienter quidem admonet renuciare terrenis affectibus, ne cælestibus fraudemur muneribus, & ne sanctorum confortiis simus indigni, ita inquit: Ego mater pulchræ dilectionis & timoris, & magnitudinis & sanctæ spei. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Qualis ipsa est, tales fieri & alios desiderat. Nam ipsa liberrima existit, & nulla peccatorum contagione violata, manet in innocentia vitæ. Nullis carnalibus resoluitur æstibus, refugit brutorum subdi actibus, & sulphureis consumi flammis contremiscit, propter creatoris sui reuerentiam. Ingenua (inquit) sum, & speciosissima in genere meo, vt omnis actio, vox & sermo index pudicitia protestatur. Ideo obscenitatis nimium dedignor circūueniri negociis, solis delectator sinceris & probis sodalibus interesse. Vox etenim mea in canticis est, Fulcite me floribus, stipate me malis, quia folius conditoris amore

Sap. 6.

Castitas cunctis amabilis

Ecc. 51.

Sap. 3.

Matt. 22

Virtutis plenitudo in Maria ex gratia procedit.

Cantici

Cantici

Psal. 92.

Ocium & delicia prædones castitatis.

Ecc. 24.

Cant. 2.

languo. Talibus incitamentis ex spiritus sancti unctioe fluentibus confortatur castitatis amator, ac contra immisionem Satanæ & concupiscentiæ motum sit constans bellator. Hic non pugnatur armis aut ferro, sed patientia, oratione, & humilitate: nam ita subiugatur facilius omnis motus libidinis. Donum enim dei est, & misericordia in electis illius, posse corruptibilis carnis concupiscentiam compescere, ignem quoque in sinu proprio ferrè, nec tamen prævalere aduersus mentem. Verissimæ gratiæ dei est hoc privilegium; & nullius hominis meritum. Merito ergo Moyses famulus domini miratus est quare rubus ardebat & non comburebatur, atque ait: Vadam, & videbo visionem hanc grandem. Quis ex nobis est quem stupor non apprehendat, quomodo in carne fragili, in vase fictili fieri possit, vt homo carnali grauatus pruritu, frequenti vexatus tentationum impulsu, nunquam præstet voluptuosæ cogitationi consensum? O quam mirabilis deus in sanctis suis, qui talem virtutem & fortitudinem contulit seruis suis, benedictus in æternum deus. Opus nanque magnæ fortitudinis est, talem in seipso experiri rebellionem, & continuo per gratiam dei de se conari habere victoriam. Vt vero certior sit hæc victoria, fuga est assumenda, his tamè magis qui infirmiores se cognoscunt. Nec impurandum inertæ hominis & pusillanimitati talis occultatio, cum vtique magnanimus dicendus sit qui festinus effugerit, & cauti signes lubricos declinando deuicerit. Hoc in Ioseph patriarcha castissimo adolescente factum legimus, cum impudens fornicata oculos in Incidissimum pudicitia speculum iniectisset, quia fugit Ioseph & exiit foras. Multum itaque circumspicere & pauidus esse debet, qui in carne fragili beatus castiusque viuere disposuit. Paueat, & se custodiat omnis iuuenilis animus, quoniam magna insidiæ & multa pericula consurgere aduersus eum consueuerunt. Incerta victoria, & molestiora probantur certamina. Nulla ætas, neuter quoque sexus libertatem sibi castitatis audeat polliceri. Cogitandus est frequenter Sanfonis sanctificati hominis lamærabilis laqueus, qui cum funibus & catenis vinci non posset, vnus mulieris blandimento superatus est, & hostibus traditus, qui statim eruerunt oculos eius, & vinctum perduxerunt in ciuitatem suam, quia mens carnis dissoluta blanditiis, potestati traditur diabolica ad illudendum, ac illi per suggestionem cupiditarum & voluptatum secularium eius spiritualem euertunt intentionem, cordis scilicet oculum, & vin-

Exo. 3.

Fuga eoducit ad custodia castitatis

Gen. 39.

Iudi. 16.

Sanfon captiuus vinctus & caecatus quid si gauffiet.

ctum ad seculum pertrahunt, aut (quod desperatius est) Tartari tandem claustris mancipant. Doleamus, & timore solliciti de nostra infirmitate, nunquam erigamur, quando sanctus Dauid rex & propheta dei, deiectus est voluptate carnis: & qui terrena mente pura sapissime calcabat, stebilitèr (vt dicimus) ad illicita opera quandoque cecidit. Pro qua enormitate criminis aduersa illi multiplicia suscitauit omnipotens deus, iuste puniens hoc grande facinus ad terrorem cuiuslibet præuaricatoris. Sapientissimi quoque Salomonis lapsus profundius intueamur, amplius que diuinum metuamus iudicium, quod talis ac tantus vir, de quo legitur quod dominus dilexit eum, & appellatus sit amabilis domini, & quod fecit illum excelsum præ omnibus regibus Israel, ad hanc corruit mentis insaniam, vt idola adoraret, quia mulieres euerterunt sensum eius. Quis igitur non pertimescat de se, etiam si fuerit iam castus & sanctus in operibus suis, audiens viros tam fortes & illustres cecidisse? Idcirco nemo se fiducia non bona erigat, quandiu eum grauat corruptibilis huius vitæ incertitudo, sed tanto magis se humiliet & deprimat, quia qualis illum tentatio apprehendere possit ignorat, & quis eius finis sit, præscire non valet. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Adhibenda est ergo cautio magna pro perseuerantia & custodia castitatis, ne vnquam callido tentatori foris aut intus pateat vel minimus accessus. Nullus tamen quauis imbecillis, fragatur laboribus aliquibus, aut tentationibus perturbetur, sed meminerit quod tanto illi erit corona preciosior, quanto fuerit in resistendo cõfictus maior. Neq; videri possit cur castitatis victoria haberetur meritis maior, & laude sanctorum insignior, si non grauioribus ac tãtis probaretur tẽtationum incursumus. Lætificare ergo nos debet illa beatissima foelicitatis æternæ repromissio, & erigere ad laborẽ certaminis spes coronæ immarcescibilis, qua laureatæ lætantur sanctorum animæ cū Christo sine fine pro leuissimis laboribus. Ad quã nos exules perducere dignetur Iesus Christus spes & corona sanctorum omnium, qui cum patre & spiritu sancto regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Contra carnalia tentamenta. Sermo 6.
De re quidè necessaria & vtili sæpius tractare nec superfluum putari debet, nec infructuosum. Quid ita necessarium, quid tã vtile saluti omnium, sicut mortiferis mederi passionibus animarum? Nil itaque sic morbidum, sic contagiosum inuenitur in homine, sicuti concupiscentia carnalis, & indomita libido,

Impudicium omnia damnat.

2. Reg. 11.

2. Re. 11. 3. Reg. 11. & 16.

Matt. 10.

bido, quæ totam corrumpit animæ pulchritudinem. Suprà nanque pauca de laudibus castitatis egimus, deinde subsequenti sermone de eius obseruatione nonnulla remedia protulimus. Restat ergo nunc adhibere aliquod saluiferum cauterium, vt qui neque decore neque amore trahuntur castitatis, vel terribili metu gehennæ terreantur ab æstu libidinis. Diuersis diuersa conueniunt, & non omnes vno ordine imbuendi sunt. Aduerte igitur deestabilis assensor libidinis: Proferam contra bestialem vitam tuam cælum & terram, inducam iudices damnationis tuæ angelos & archangelos, dabo testes verissimos conformationis tuæ, vniuersum coetum sanctorum. Nouissime ipse creator & rector omnium seculorum sententiam inferet incommutabilem, & armabitur vniuersitas creature in vltionem pessimæ turpitudinis tuæ. Sed & ipsi maligni & terribili spiritus intentatores & fautores tui rugient super te, & cruciabunt carnes tuas ignitis fulcinulis suis, & parabunt focum sulphure & pice plenum animæ tuæ, qui in æternum non extinguetur. Reuelabunt cæli iniquitatem tuam, quia cum illi legem naturæ qui sine sensu sunt, nunquam amiserint, te qui legem dei transgressus es, & preciosam imaginem eius maculasti, iudicabunt, & suis coniugi habitaculis nequaquam patientur. Itaque cælo indignus eris immundissime peccator. Clamabit etiam aduersus te terra inter alia elementa humilia, quia cum illa fructum suum reddere mortalibus cõfueuerit, tu carni obediendo factus es indignior terra, vt pote qui foctorem libidinis sectatus es pro sanctitate. Non ergo te terra suscipiet, nisi ad operiendum miserabile corpus tuum, eritque citus vermium, donec in nouissima tuba tremefacta illud eiiciat, vt in inferno submergatur cū anima tua. Ibi erit habitatio tua, & clauderis velut in puteo bullienti, à quo nulla erit redemptio. Ibi cruciaberis die ac nocte pro delectationibus tuis, & nemo tibi propitiabitur, quia corrupisti corpus tuum, & confundisti animam tuam. Gloriosos amicos dei & luminaria cælorum, angelos videlicet, & archangelos erubescere fecisti, quia cum illi præcipuo puritatis candore fulgescant, tu omni tabe foeculentior, turpissima facie denigrata longe ab eorum aspectibus detrahèris, & flammigeris demonum fornaculis fociaberis, quorum facies super nigredinẽ carbonum, & fauces insatiabiles, & oculi proterui & horribiles nimis. Propter indomabilem libidinem tuam, & abominabilem concupiscentiam, quam voluisti ad tepore exercere, cogèris sine tepore infernalibus tormenta pati. Nam ignis infernalis ardebit in

amatores libidinis, ita vt neque mare, neque omnis aquarum abundantia illam flammam sufficiat extinguere. Quapropter exhorresce peccata carnalia, si vis æterna euadere incendia. Noli perdere preciosam animam tuam, quam Christus redemit sanguine suo. Noli cõtristare angelos sanctos, & deum inhonorare. Metue dominum, & carnem tuam ne ita dilexeris, vt pro illa perpetuam damnationem incurras. Si enim secudum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viueteris. O quam cito transit delectatio, & quã longa instabit cruciatio. O quam cito poenitebit stulte egisse, quam grauis remorsus erit pro scelere. Eia quantum lætabuntur, qui nõ confenserunt operibus nequam? Quarta etiã fiducia expectabunt iudicij diem, qui nõ inquinauerunt vestimenta sua. Tunc stabunt iusti qui pie, sobrie, castèq; vixerunt, in magna constãtia aduersus demones qui tunc eos tentabãt, & ad opera nepharia instigabant, & aduersus omnes qui eis occasiones criminũ præstruebant. Tunc item stabunt ad sinistram iniusti, adulteri, incestuosi, incontinentes, qui deliciis & comestationibus vacabant, atq; præ nimia confusione contremiscent à facie iudicis cæli & terræ, ab auditione illa seuerissima. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Tunc eiulabunt & clamabunt: Væ væ quid vnquam egimus? vt quid nos ipsos in tã breui momẽto perdidimus? Ah ah dånati sumus. Heu q. vnquam nati fuimus. Tarde tarde iam poenitemus, frustra est clamor & dolor noster, qd sine mutatione manebit sententia quã accepimus. Nulla suffragia sanctorum, nulla nos valebunt adiuuare beneficia amicorum. Ecce æternæ noctis & perpetuæ obliuioni traditi sumus. Speculamini igitur vos o filij hominum in damnatorum poenis & opprobrijs, ne forte veniat repentina mors, & calamitas inferni vos opprimat, & non sit qui liberet. Conuertimini & agite poenitentiam, qui cum morte foedus iniistis. State innocentes, & pugnatè iuuenes cõtra libidines, ne dederitis membra vestra arma iniquitatis peccato, quia peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. Aeternum ignem cogitate, & de cordibus vestris concupiscentiæ ignem exufflate. Quis ex vobis habitare poterit cum igne deuorante? Præmia sanctorum considerate, & æternam gloriam perdere pro immunda delectatione despiciate. Sensus & oculos vestros ab impudico visu claudite, & deum gemitibus exorate, vt vos intactos custodiat, & perseuerare vsque in finem laudabiliter cõcedat. Amen.

Roma. 8.

Matt. 25.

Rom. 6. Iacob. 1.

Esa. 33.

De dono solitudinis, exemplo Christi & sanctorum patrum. Sermo 7.
Fons & origo profectus spiritualis, libenter in cella residere, & in solitudine sub silētio se tegere, vt possit dei seruus seculo mori, & Christo tantum viuere, & cum apostolo Galat. 6. dicere. Mihi mūdus crucifixus est, & ego mūdus. Et iterum ab eodem audire. Mortui enim vos estis, & vita vestra abscondita est cū Christo in deo. Solitudo corporis & cordis pariter quaerenda est, & custodienda. Nam corporis bona est & tuta, sed cordis melior & tutior. Qui tamen primam abiicit, alteram non inueniet, quia vna est alterius custodia, & hæc duo confouentur mutuo. Hæc solitudo est vere deuotis singulare confugium. Hæc docet (vt iam dictum est) mori seculo, & exterioris curæ non inquinari sorde, atque sanctis inhærere meditationibus, etiam cælestibus nonnunquam appropinquare spiritibus. Hæc Christus verbo & exemplo docuit, quando in nocte solus in oratione pernoctauit, & orantibus cubiculum intrare iussit. Est enim nocturnum tempus aptum sæpe pro deuotione, & sacra meditatione non paruum subsidium. Maxime autem formam vitæ solitariae exhibuit, quando quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit, & in deserto eremita fuit, ibique, vt euangelista refert, cum bestiis erat. Quod propter nos agere dignatus est, vt etiam nos ipsi libenter solli simus, & quantum in nobis est, illi semper vacare velimus. Hanc amauit propheta qui dicebat. Elongauit fugiens, & mansi in solitudine. Et alius quidam sedebat solus & tacebat, & leuabat se supra se. Vere in solitudine aliquid magni latere videtur, quæ a plerisque sanctis tam ardentem est amplexata. Nam ipsa solet incipientibus a multis esse protectio periculis, & a diuersis ymbra tentationibus. Perfectis vero & spiritualibus quorum conuersatio est in cælis, qui & si corpore in terris sunt, in bonis æternis tamen mentem ardentem figere cupiunt, solitudo quasi locus & paradisi voluptatis est, & tanquam ortus deliciarum amœnissimus. Quodammodo enim serui dei seipsos inueniunt, cum in cubiculo solitarios se conspiciunt. Cunctis igitur proficere cupientibus amor solitudinis videtur utilis & satis necessarius. In illa sæpe dolore cordis tacti præterita mala plangimus, præsentia discernimus, & futura cautius præuidemus. Itaque apparet quod in solitudine salubrem animæ fructum afferimus, modo mala nostra deplorando, modo contra tentationes & vitia nos exercendo, modo remedia passionum exquirendo, modo in profectu virtutum

nos consolando. Ibi etiam deuotionem cordis facilius accendimus, & ne tepescat vel extinguatur, melius custodimus. Veruntamen grauis vel magna videatur nobis nostra solitudo, ad sanctorum patrum pergamus interioris solitudinis loca. Queramus Paulum primum eremitam, queramus Antonium vel Macharium, si forte occurrat aliquis qui hominē intra annos viginti vel triginta vt amplius non viderit, & tunc quàm exiguum sit tempus quo latere solemus, apparebit. Et si adhuc plures cernere delectamur, videbimus non modo viros, sed & fœminas atque virgines huius solitudinis confortes, & tam arduæ vitæ & vere spiritualis militiæ seruasse semitas. Horum igitur omnium exemplis edocti, amplius nostræ solitudinis latibula adamemus, & apparere foris qua possumus diligentia deuitemus. Et erit nobis tanto Christus familiarior, cordibusq; nostris ipsius amor suauior, quanto huius seculi aspectus atque affectus fuerit rarior. In qua solitudine nos dignetur custodire, qui solus in corpore potuit sine culpa viuere, Iesus Christus dominus noster. Amen.

De bono silentij, & fructu eius. Sermo 8.

Silentium amica solitudinis est, sicut quidam custos eius sapiebat & dicebat, Sedebit solitarius & tacebit. Nam raro bene nisi in solitudine custoditur, sed & facilius ibidem tenetur, quia absentia occasionis multoties est victoria tentationis. Istud silentium obseruare cupiebat sanctus qui dicebat: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Et rursus orabat. Pone domine custodia ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Sed & dominus noster Iesus Christus silentiū nos amare docuit dicens. Sit sermo vester est, non, non. Quod amplius est, a malo est. Quibus verbis dilerte nos instruit, vt necessaria tantum & vtilia loqui curemus, superflua vero & inutilia declinemus. Nō enim seruus dei silentium ita reputare debet, quasi loquendum nunquam sit, sed suo tempore & loco verba sua sicut dispensator bonis distribuere sciat. Vnusquisque perpendat quid sibi salubrius existat, quia quibusdam magis expedit silētio intendere, aliis e contrario nō nimium taciturnitati se dare. Qui autem silentio vult studere, inspiciat Christum, quomodo ab iniquis accusatus nihil respondit, ita vt Pilatus miraretur vehemēter. Vnde & iterum scriptum est. Iesus autem tacebat. Sed & beatissima mater eius virgo Maria paucis utebatur verbis. Et sicut dicit beatus Bernardus, quater eam (vt ex euangelio colligitur) locutam fuisse legimus.

gimus. Propter hoc nobis valde expedit, quatinus tam exemplo eius quàm filij eius obseruemus omnia verba hæc, conferentes ea in cordibus nostris. Igitur sit omnis seruus dei velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & seruidus ad proficiendum. Attende si nō silentium totius boni interioris custos est & incrementum. Vide etiam si non thesaurus cælestium bonorum in his cordibus requiescit. Beatus qui silentium diligit & custodit, nam in custodia illius magnæ deuotionis fructū sibi accrescere sentit, dummodo in aliis sollicitus & ipse fuerit. Parum enim valet custodia oris, absque custodia & diligentia cuiuslibet boni operis. Propter hoc qui silentio & lectu salutari gaudent, hi præcipue sciunt precium eius, quia virtus & sanitas eorum versatur in linguis eorum. Et profectum quē inde sentiunt, sæpius experiuntur, quia leuitatibus subdi noluerunt. De his apertim potest quod in psalmo legitur: Non est ruina mæcæriæ, scilicet spiritualis ædificationis, neque trāitus neque clamor in plateis eorum. Hoc est, in latitudine cordis eorum non est vllus secularium actuum concursus, nec inutilium etiam cogitationum strepitus. Et quia deo intus coniuncti sunt, ideo a mundanis desiderijs sæpe filescunt. Beatum ergo dixerunt populum cui hæc sunt, quia dominus deus protector eius est. O si daretur famulo dei interdum experiri silentij ac solitudinis suæ spiritualis delicias, quàm merito ex abundantia suauitatis earum in hæc verba prorumperet: Ecce quàm bonum & quàm iucundum est federe solum & tacere, & leuare se supra se, & aduentum præstolari dilecti amici Iesu Christi: Quis talem dubitet esse fœlicem, & optimam cum Maria partem elegisse? Qui potest accipere capiat, sed non omnes ad hoc tendunt, neque per sanctum desiderium ad interna bona se accendunt. Qui sunt de mundo (ait sanctus Ioannes) de mundo loquuntur, & mundus eos audit: & qui est ex deo, verba dei audit. Vere preciosum, verbum nunquam proferre ociosum, & valde iucundum in cunctis verbis suis fore sollicitum. Vnde beatus Iacobus hunc asserit perfectum, qui verbo non offendit, quia linguam nemo hominum domare potest. Sed quia apud deum omnia possibilia sunt, id quod propriis viribus non valemus, eius munere fieri potest, quia non est impossibile apud deum omne verbum. Sed nos miseri nos ipsos decipimus, quia remedia contra consuetudines malas non quarimus. Quis non expertus quàm graue sit silentij claustrum intrare post inutiles aut prolixas fabulationes? Beatus qui malæ

conscientiæ flagellis pro incontinentia silentij edoctus, decætero cautior inuenitur, ne in idipsum aut in deterius rursus corruat. Amator vero silentij, & custos castæ conscientiæ, bonum quod intus sentit, non ignorat, quia in pace factus est locus eius. Et si est interdum conflictus ei vt se comprimatur, succedit tamen postea pax magna, quia hostibus restitit, & sibi ipsi vim intulit. Timet etiam frequenter iste ne inuentum thesaurum per incuriam aut leuitatem amittat, quem magis abscondere quàm effundere domini consilio debet. Videte (inquit Christus) ne quis sciat. Vnde sicut avarus nummos, ita religiosus verba sua trutinare debet, ne inutiliter aut sine lucro verbum aliquod dicat. Religiosorum etenim & deuotorum est vacare, silere, orare, & præter deum nil velle scire. Locus enim in quo religiosus stat, sanctus est. Vt quid etiam terram hanc optimam occupat, si fructus bonos non germinat? Bonus homo, ait dominus Iesus, de bono thesauro, hoc est de puro corde, profert bona, & malus similiter mala. Loquamur ergo de deo si tempus fuerit, aut differamus propter deum: de mundanis omnino rebus taceamus. Nec sit tibi graue homo dei paruo tempore in hoc seculo silere, quia si feceris, cū angelis poteris in æternum gaudere. Hoc igitur modo age in terris, quod sancti angeli seruauerunt in cælis. Factum est (ait euangelista Ioannes) silentium in cælo. Hoc Lucifer quia non tenuit, propterea cum omni comitatu suo de cælo cecidit. Dixit enim: In cælum cõscendam, ponam sedem meam ad aquilonem: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. O miser quid loqueris? Vt quid cogitationes istæ ascendunt in cor tuum? In illo summo monasterio vbi perpetuum silentium ab omni malo, statutum est ab illo summo abbate, tu quomodo loqui non timuisti? An nesciebas quia in his quæ præcepit tibi deus, oportet te esse? Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris? Turbasti cælum: superbia tua, non seruasti disciplinam dei patris, sed transgressus es statuta summi abbatis. Merito proinde expulsus es, nec potuisti stare, quia silentium in cælesti monasterio confregisti. Cauendum omnino a tali præsumptione & locutione, & ad illud properandum silentium, quod a tantis casibus potest præseruare animum. De quo scriptum est, Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Est tamen quoddam silentium quod tam angelis quàm hominibus nō conceditur, immo & nusquam admittendum videtur, hoc est silere a laude dei, a deuotione, & gratiarum actione. De quo propheta

Luc. 6. Colof. 3. Luc. 6. Marc. 1. Psal. 54. Thren. 3. Luc. 10. Mar. 10. Luc. 1. Psal. 35. Nunquā silentiū a laude dei.

Thren. 3. Solitudo silentij parit & aliam. Luc. 10. Mar. 10. Luc. 1. Psal. 35.

Apoc. 8. Lucifer quia silentium nō tenuit, corruit. Et sal. 41. Et sal. 35. Nunquā silentiū a laude dei.

ita meminit. Vos qui reminiscimini domini ne taceatis, & ne detis silentium ei. Et ne viderentur inobedientes, clamabant voce magna dicentes. Sanctus sanctus sanctus, dominus deus sabaoth, plena est omnis terra maiestate eius. Et nos similiter clamemus in cælum, & miserebitur nostri. laudemus etiam eum in terris, quæ laudant omnes angeli in cælis. Sed quia longe sumus ab illo loco, vbi nemo verbo offendit, reuertatur vnusquisque ad cor suum, sileat a malo, sileat etiam cum propheta quandoque a bonis propter melius. Ad exemplum silentij propone tibi serue dei. sæpe facta antiquorum patrum. Perge si vis, perge mente ad tabernacula illorum, si forte inuenire possis abbatē Agathonem, qui iam tribus annis lapidem in ore pro rigore silentij portauit. Et magnum illum Arseniū si inueneris, illo tacente loqui forsitan non audebis. Et alios perquam multos si quaeris, in cubiculis & in speluncis terræ solitarios & silentio deditos potius reperies, quam foris vagantes. Propterea non illud segniter debes tenere, vnde tam preciosa religionis studia posunt tibi oriri: quia per solitudinem & silentium multi sanctorum ad quietē cordis perducti sunt, & inibi multotiens didicerunt quicquid aliis salubriter tandem prædicauerunt. Sic Antonius primo latuit, post vero gloriosus & magnus monachorum pater apparuit. Sic Benedictus abbas, sic fecit in monasterio suo sanctus Gregorius, ita & consequenter deuotissimus Bernardus cum multis aliis viris perfectis. Et horum vitam si inspicias, inuenies quid imitari debeas. Nam viuendū speculum opere & verbo facti sunt.

Sancti in solitudine didicerunt, quod alios post. docuerunt.

De solitudine cordis qua supra se leuatur anima. Sermo 9.

DE interiori solitudine iam pauca videamus. Hæc quærere & amare debet quis vniri deo cupit. Hæc mentis solitudo dicitur, & longe dignior & vtilior corporis solitudine esse creditur. Hæc enim nisi menti infederit, corporis etiam solitudo multitudo fit. Hæc est quæ totum interiorem hominem ab omni seruat vitio purum, & contra suggestiones satanæ reddit cor valde securum. Nā quanuis diuersis cogitationibus mēs ista cōcutitur, introire tamen hostis aut præualere ultra consensum propter hanc solitudinem non permittitur. Laudabilis & prædicanda ista solitudo, quia magna mentis est fortitudo, qua cuncta superantur in hoc seculo. Hæc est quæ in multitudine multa nescit, quia alibi occupari se potius debere dicit, cum cito pertranseat quicquid hic stare aut florere vi-

detur. Et vbi cuncta motibus suis inferuunt, hæc vni immobiliter, quod tantum necessarium est, inhærere summopere quærit. Qui hanc intrat solitudinem, quanuis foris laboret, eius tamen mens intus orare non cessat. Et si ad horam inde videtur distrahi, mox in idipsum redire festinat, quia intus habet qui quotidie clamat: Redi ad cor, ecce assum, ecce venio cito. En sto ante ostium & pulso, aperi mihi soror mea, quia concupiui speciem tuā. Beata anima quæ ad hanc vocem semper vigilat, quia super omnia bona præsentia constituetur. Idcirco enim vox dilecti hanc inuitat ascendere, ne in finis rebus possit indebito amore retineri: quia qui istis caducis tenetur, valde intus distrahitur, & ad solitudinem cordis, in qua deus hominibus loquitur, tardius venit, ideoque visitatione eius multoties carebit. Hanc discipuli illi in monte Thabor intrauerant, qui neminem nisi Iesum tantum post mentis excessum videbant. In hanc quoque Moyses ascendit, quando solus in monte cum deo quasi vir cum amico suo loquebatur, vbi quadraginta diebus & quadraginta noctibus sine humano solatio fuit. De qua plura dicere quis poterit, nisi vberius expertus, & ab omni seculari strepitu alienus? Nam dulcius est, longeque nobilior interiora bona experiri, quam inde quicquam definire, vel a quocunque iusto tantum laborum vocibus percipere. Qui tamen hæc experiri desiderat, cor a face secularium desideriorum emundet, concupiscentias proprias mortificet, de terrenis consolari rebus metuat, sed in domino deo consolari & gaudere semper quærat. Et tunc cognoscere potest quoniam suauis est dominus, beatus vir qui sperat in eo. Tunc etiam in solitudine interiori libens commorabitur, & de bonis sempiternis frequenter meditabitur.

Incipiunt tituli Epistolarum sequentium.

- Epistola incitativa ad spiritualem profectum. folio seq.
- Epistola de custodia habenda ad seipsum. folio clvi.
- Epistola pro confortatione cuiusdam deuoti. ibi.
- Epistola de conuersione & perseuerantia in bono proposito. folio clvii.
- Epistola de pia memoria defunctorum. folio clviii.
- Epistola deuota ad quendam regularem. ibi.

Incipit

Incipit epistola incitativa ad spiritualem profectum.



Harissime frater libenter tecum diuido, si quid boni dominus pauperi seruo suo suggererit. Ego sum pauper & medicus, sed spero quod dominus sollicitus erit mei & tui similiter. Vnde oro eius clemētiā, vt elemosyna cōmunis sit nobis de largitate mēsæ eius. Occurrit hodie dominus medicō suo cū suauissimo pane de cælo. Dulcis admodū & graciosus sermo infusus est auribus meis. Sonuit enim lectio Apocalypsis, & de multitudine tantorū mysteriorum retentus est apud me breuis versiculus. Plura capere non sufficio, sed nec pauca quæ obscurius sonant. Dedit dominus vt aliquid breuiter & dulciter sonaret, vnde traheretur affectus: vt inam donet etiā vt hoc ipsum aperiat intellectioni, quia si spiritualibus videtur liquidum, manet tamen carnalibus occultū. Volo ergo te participem fieri huius muneris. Nam tunc vere comites indiuidui sumus, cū in Christo vnum sapimus, vnum quærimus, & in vnum tendimus. Appone aurem, & ausculta diligenter quod sonat valde dulciter.

Qui habet (inquit) aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo manna absconditum. Et dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum quod nemo scit nisi qui accipit. Audis iam frater celestem vocem? Vtinam & interiorem cordium nostrorum auditū tāgat, vt vim virtutis illius sentiamus. Sermo viuus est, & omni acceptione dignus. O quam cælestis vox, quæ nil terrenum fatur? Quod si caro non capit, capiat spiritus, quoniam nimirū torus hic sermo plenus est. Verba (inquit) quæ ego loquor, spiritus & vita sunt. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquā. Nō ergo sentit arcana supernæ reuelationis homo externus, carnalis, vagus & elatus: Paulo attestāte quod ait: Animalis homo nō percipit ea quæ sunt spiritus dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualibus ergo loquitur, qui spiritu facta carnis mortificat, & mundū odio habet, & maligna diaboli cōsilia respuunt. hi enim primitias spiritus habentes, quid sit hoc absconditū manna, ignorare non possunt, quia hoc gustando potius quā legēdo vel audiēdo didicerūt. Datur autē māna dilectis filiis ex amore deo patri seruiētibus, qui eius volūtati semper placere, eius gloriam studēt quærere. Et si nō horres accipere, māna interiorē mētis exprimit dulcedinē siue cōsolationē sanctorum

Manna promittit deus spiritibus terrenis delectis.

in hac vita. Est igitur cōgruus sensus, Vincētī dabo manna absconditū. Cōtemnenti carnalē cōsolationem, dabo spiritalē: respuētī terrena & exteriora bona, ostendā cælestia & interiora charismata, quæ merito sui excedunt omnia alia delectamēta. Talia ac tanta etiā existunt, vt dignus nemo sit cognoscere, nisi prius discat vana & vilia solatia cōtēnere. Scriptū est enim: Vir inspiens nō cognoscet, & stultus nō intelliget hæc. Liber autē pro expugnandis vitis & malis cōsuetudinibus vincendis, aliqua latius hic introducere. Sicut quondam filiis Israel in deserto habitantibus deus manna pluit, ita & modo spiritualibus filiis suis gratiam internæ cōsolationis contra tēramēta tribuit. Tādū filij Israel cibo illo aliti sunt, donec terrā promissionis attingerent: & quādiu electi in mūdo peregrinantur, pane vitæ & intellectus fouentur, donec deposito corpore terram viuētium intrent. Dū autem de frugibus illius terræ manducare cepissent, statim manna desit: & dū sancti assumpti fuerint in beatitudinis gloriam, a modo nō indigēt recreari nostro more spiritali alimonīa. Vnus tamen panis est qui angelos pascit & homines, animas in gloria, & viatores in gratia. Sed est quod multum mouet, quia plures sibi deesse manna causantur, plures etiā qui illo refici consueuerant, gustum iam perdidērunt. Quæ est alia causa huius ariditatis & insipidi oris vestri, nisi quia ad egeria & infirma mundi solatia reuersi estis? Memētote egressions vestræ de Aegypto. Dies ille memoriale nominis domini in sempiternū recorderetur. Nulli dubiū quin manna domini vobiscum erat, alioquin in seculo remanissetis. Vbi est ergo ille spiritus, ille primitialis feruor, intētio firma, propositum immobile, fortis vt mors dilectio? Quodāmodo armati egressi estis mundum, dum constanti animo omnia perferre aduersa vilia & aspera assensistis. Insuper & cum gaudio venistis ad montē dei Oreb, ad audiendam legē vitæ & disciplinæ, dum monita seniorū libēter audire, & secundū ea religiose viuere spopōdistis. Cur ergo nunc vos itineris tædet? cur ad sarcinas sedetis, & grauati ingemiscitis? Iam propter tempus & annos de fructibus terræ promissionis, botros & malagranata aliis afferre & propinare deberetis, & ecce vobis etiā manna deest. Conuertimini filij reuertentes, quia si corpore non estis reuersi ad seculum, tamen corde adhuc tenemini in variis desiderijs terrenorum. Prō dolor, multi spiritaliter exeunt Aegyptum, transeunt Mare Rubrum, ambulant per desertum, portant tabernacula & vasa eius, sed non intrant terram promissionis. Pene omnia accidunt eis quæ

Psalm. 91.

Hierem. 3.

contigerunt filiis Israel, qui murmurantes contra Moysen doluerunt quod educti essent de Aegypto. Sic complures hodie reperiuntur qui mundum relinquunt, parentes & amicos deserunt, peccata & vitia plangunt præterita, carnalia desideria abominantur, ignotam iustitiæ normam ad manum magistrorum ducti sequuntur, vitam Christi crucifixi aspiciunt, & iugum domini suauè in obedientia & abnegatione propria ferunt, ita ut omnes parati & feruentes sint ad labores & abstinentias, mites ad increpationes, humiles ad abiectiones, patientes ad correctiones, & ad aduersa qualibet & indigna constantissimi, sed non in tali feruore omnes perdurant. Nam aliquando tempore egressione, id est conuersionis suæ peractò, minus cauti & solliciti de profectu suo incidunt in varias tentationes & ægritudines passionum, ita ut nonnulli se incepisse contristentur, quidam vero deliberent & modum excogitent redeundi. Alij autem & si manserint, cum tempore quodam & usu asinariam molam trahant, quia paruam deuotionem & affectum habent in his que agenda didicerunt, laboriosa & dura omnia sentiunt, quia manna non habent. Cælum videtur eis æneum, & terra ferrea, quia neque cælestia contemplari, neque agrum cordis virtutibus & deuotis exercitijs excolere sciunt. Dicunt tamen quod libenter essent deuoti, libenter haberent virtutes, vellent se vicisse suas passiones. Sed non sufficit tantum bene velle, si deest manus & opera. Oportet quod laboretis, quod vim naturæ faciatis, sicut dicit dominus Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Violentia opus est, & scitis quod sancti non ocio & somno promeruerunt regnum dei. Viqueuo tardatis, & quare non armamini contra passiones, ut obtineatis virtutes, & diuersas consolationes suscipere digni inueniamini? Quanto amplius tardaueritis, tanto peius semper fiet, & sine labore & dolore optatam requiem non percipietis. Petite & accipietis, querite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Pigritia & negligentia vos tenent, sed contra has primo accingimini, & bellate prælia domini. Quid negligitis proprium profectum? Certe pro vobis est, & pro pace vestra erit labor vester. Dicit scriptura: Modicum laboraui, & multam requiem inueni. Sed forte respondebitis: Aduersus vitia & passiones certare quis semper potest? Multæ sunt & penè insuperabiles, ut nobis videtur. Quis tantam sustinere potest vexationem? Audite increduli & rebelles, delicati milites, & serui pigri. Laborem attenditis, pugnam consideratis, sed de præmio & victoria cur non cogitatis? Et quid est omnis

Matt. 11.

Matt. 7.

Eccl. 51.

labor ad æternam requiem? Et quid breuis exercitatio ad bonæ conscientie consolationem? O si inciperetis, & fortiter ac integre proponeretis, ut aut vincere aut mori eligeretis, profecto leue domino auxiliante sentiretis quod modo insuperabile putatis. Vix aliquando ita vitiosus quis repertus est, cui diligentia cum perseverantia boni virtutes negavit. Videtur vobis laboriosum vincere passiones vestras, sed nisi edomitæ fuerint, nunquam habebitis veram cordis requiem. Quando ergo alij sunt cum deo in deuotione & bona pace, tunc vobis erit tristitia, grauedo & tædium foris & intus. Nunquam eritis securi & veraciter læti, nisi mortificaueritis carnalitates vestras. Et si non trahit vos sanctorum religiositas, & plurimorum deuotio, terreat saltem miserabilis inopia vestra, & diuinæ vitionis sententia. Congregabo (inquit) super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Confumentur fame, & deuorabunt eos aues morfu amarissimo. Satis dure intonant versiculi isti, & vtinam conuertant vetustatem vestram, quatinus innouati & feruidi effecti, meliores vos quotidie & alacriores faciant promissa spiritus sancti. Vincenti (ait) dabo manna absconditum. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Orietur vobis pro spina, pulcherrima rosa, & pro tribulo candidissimum lilium. Magna sunt hæc, dulcia & consolatoria cupientibus proficere. Non ergo te conturbet homo dei, non te deiciat multitudo vitiorum. Crede deo, & spera in eo, & eris melior victor quam fuisi. Dominus pugnat pro te, & tu tacebis. Intelligis ne hoc? Dominus ipse dabit fortitudinem ut resistas iræ, pigritiam excutias, & concupiscenti animo non consentias. Et tu tacebis, quia tibi hanc potentiam non ascribes, te propter hoc non eleuabis, sed deo totum pure tribues qui astitit à dextris pauperis. Etiam quantum vales hominibus te absconde, & nihil aliud quam infirmum & inopem te confitere. Si quando insurrexerit contrarius tibi, & dixerit quod non libenter audis, esto patiens & tace, illatis malis dominus respondebit. Iustus enim dominus inultum non patietur abire quodcumque nociuum verbum. Quid tibi nocere potest alterius malitia, si contra te instatur, si detrahit, si obiurgat? Seipsum magis prodit, quia bonus non est. Nam si tu bonus fueris, & in patientia manseris, nil mali tibi intulit, sed potius meritum tuum auxit. Tu clarior ex opprobrio coram sapientibus, tu probator ex virtute patientiæ. Nemini nocet prauitas alterius, nemine lædit verbum contumeliosum, quandiu ipse pius & immotus fuerit. Omnis homo

Deut. 1.

Exo. 14.

Rom. 2.

In iustis

feras, non

inferas

aut relin-

tas.

homo qualis interius est, talis ei exterior aduersitas erit: quia si tu bonus simplex ac rectus ac deum timens probaris, nemo tibi bonitatem, iustitiam & pacem tuam potest auferre, nisi eam voluntarie reliqueris. Non est magna patientia, quam parua res perturbat. Disce saltem tacere ad iniuriam, quia prudentis est tacere in tempore malo. Qui vincere desiderat, victum se tradat. Cogita de corona non de iniuria, & quomodo possis alium sanare, non quid possis e contrario quasi zelo iustitiæ motus respondere. Si ille non ignoscit, tu ignosce, quia ut frequenter maiorem habet culpam qui alteri irascitur, quam qui iratum patitur. Miserorum proprium est conqueri, & impatientium citius commoueri, & causas alijs imponere. Tu ergo esto libenter reus, ut fias ante deum innocens. Tu primo à teipso incipe, & sic poteris etiam alium sanare. Audiat tamen qui zelum videtur habere aduersus aliorum defectus, qui indignatur si contra iustitiam agitur. Quam recte & prudenter ageres, si zelum tuum etiam contra tuam commotionem exceres, & quod in alio reprehendis, prius in te emendes. Cum ergo aliorum culpis irasceris, quid iuuat de oculo fratris tui festucam tollere, & tuæ impatientiæ motus non cohibere? An tibi videtur non esse festuca, sed potius trabs, illius culpa? Vide ne forte ex tuo iudicio trabem suspiciosereputes, quod coram deo vix festuca habetur. Non fidas nimis proprio iudicio, quia homo es, & non deus. Siue tamen magnum siue paruum fuerit, vitium semper teipsum consideras, quod & tu peccator es, & turatione indiges. In quo ergo alium iudicas, teipsum condemnas cum eadem facis. Quid enim mihi prodest si aliquem verbis meis sanauero, & in proprijs passionibus mansero? Bene illi cui malitia mea cedit in bonum, sed vix mihi propriæ salutis interemptori. Non est indicium mansueti cordis inconsiderate alium corripere, aut in correptione modum transire, vel non posse motum iniectionis differre, donec ira, in mansuetudinem, & zelus amarus redeat in dulcedinem. Forsitan tunc videbis non esse tantæ culpæ reum quem reprehenderas, ac etiam magis excusabis, super quo prius subito indignabar. Sed & tuæ malitiæ imputabis non incongrue, quod tantillum non potuisti iniuriæ perferre, lugebis quoque plus iniustam correptionem quam illius culpam. Pudeat igitur te nondum didicisse paruos fratris defectus tolerare, qui quotidie infirmitatē propriam ab alijs desideras portari. Cur ergo eandem misericordiam non exhibes alteri, quam optas fieri tibi? Reuertere ad teipsum, &

pertimefce, ne grauius delinquas indignando & male ferendo, quam frater tuus peccando. Ille forte casum suum mox ut agnouit fleuit, & decætero cauere proposuit; tu vero impatientis & incompassius peccatum tuum nec inspexisti nec fleuisti. Adhuc ille satis bene per amorem in corde suo tecum stat, & nihil mali de te existimat, sed se magis humiliat, & te super se iustificat. Videas ergo ne ille qui videtur peccator, in regno dei te præcedat, & tu cum iustitiæ præsumptione similis fias superbo Pharisæo, qui reprobatus est à domino propter suam superbiam aduersus Publicani humilitatem. Ecce iam audisti aliquantulum charissime quomodo teipsum debeas vincere, & zelum contra propria vitia exercere. Studeas ergo magis ac magis proficere, & semper aliquid vitiosæ consuetudinis amputare. Sicut autem negligentia vitia nutrire solet, & virtutes amittere, ita diligentia qualibet inueterata mala euertit & expugnat. Nam & si labor est in principio pugne, tamen cum videris paulatim hostes ruere, consolaberis de prospero fine. Impedit nos valde, quod non audemus violentiam inferre naturæ. O quantos labores faciunt homines pro terrenis lucrandis, & nos pro æternis bonis marcescimus? Nauta petit mare, mercator circuit regiones, miles fert arma bellica, rusticus vomere scindit arua. Et sine labore non queunt diuitias & honores obtinere. Ut quid ergo nos virtutes sine magna sollicitudine adipisci credimus? Hodie aliquid inchoare, & cras modicum addere, & sic diebus singulis virtutem virtuti, propositum proposito iungere, perficit hominem virtuosum, deuotum, purum, sanctum, & religiosum, deo charum, & hominibus gratiosum. Hoc ordine promeretur homo nomen nouum in calculo clausum, quia calcatis vitijs efficitur candidus interius, & sapius fruitur consolationibus supernæ dulcedinis, quæ ignotæ manent carnalibus & tepidis. Ruminemus igitur sedula mente præsentem versiculum aduersus detestabilem desidiam, ad igniendum nos & fratres nostros in amorem spiritualis profectus, & ut vitia nostra curentur, donationes cælestium virtutum in nobis augeantur. Neque enim fraudabit à desiderio suo fideles certatores spiritus sanctus, qui ut viriliter decertarent, hortatoria voce insonuit dicens: Vincenti dabo manna absconditum.

Epistola de custodia habenda ad seipsum.

FRater mi in Christo dilecte videas quomodo caute ambules, quoniã dies mali sunt. Magna cautela est seruo dei habenda in

omnibus verbis & operibus suis. Nam qui nō est prauis in rebus suis, aut cito lædit aut læditur. Et magnum damnum sentiet in fine, quisquis in principio fuerit negligēs aut præceps. Diu perpendendum est antequam fiat aliquid, & sæpius recurrendum est ad cordis habitaculum, ne homo sit absque consilio, sicut gens praua & exasperans quæ non direxit ad deum cor suum. Igitur præcedat oculus tuus omnia opera tua, & omnia agere cum prouidentia. Nec incedas per aliena facta te neglecto, quia nemo illo sapientior est, cuius anima semper in manibus eius est. Non habet homo chariorem thesaurum nec meliorem substantiam super terram, si bene cogitauerit, quàm animam suam. Debet igitur vigilare, & semper esse in custodia animæ suæ, quia nihil comparari potest salutis eius. Salus enim consistit in veris virtutibus. Vera autem virtus abominatur omnem vitium. Quāto magis quis nititur cōtra vitia, tanto magis accedit ad virtutes. Quanto virtus amplius placet, tātō plus detestatur eius contrarium. Cognitio vitiōrū multum prodest ad superandum vitia. Plures non cognoscūt in veritate proprios defectus, & quidam quanuis sciant, non satis ponderant: aut si ponderant, cito oculos auertunt, & obliuiscuntur quod tolerant. Non est ita faciendum charissime frater, sed resistendum est semper malitiæ & iniquitati, & remedium inquirendum, & auxilium à deo flagitandum. Maxime autem est obuiandum motibus passionū in principio pugna, quia si pugna creuerit, infirmus homo vbi erit? Ex parua re fit sæpe gravis inquietudo, & ex verbo vno nascuntur multa verba, & de modico risu scaturit sæpe grandis dissolutio. Parua contumelia generat stultis & inconsideratis hominibus difficilem exitum & profundum vulnus. Bene ergo & prudenter agit, qui omnibus neglectis se custodit, iudicat & ordinat. Tanto minus potest vnusquisque prouidere sibi, quāto prouidior est ad considerandum alios. Desiderans habere pacem, debet habitare in Sion. Hoc est vtile homini qui non inuenit requiem in hoc seculo, vt confugiat ad dominū, & cupiat cito dissolui & esse cum Christo, quia non est alius qui pro nobis pugnet, nisi ipse qui fecit nos. Si sentis insurgere vitia, oppone remedia quæ scis tibi esse vtilia: & quæ audisti ab aliis, cogita frequenter si tibi deseruiunt. Quotidianum bellum gerendum est, quoniā tentamur quotidie. Nec est victus, qui vitiosam cōsuetudinem sæpe rebellare sentit. Dolere tamē debet, quia adhuc in eo malum viuunt, & nōdum perfecte sibi mortuus est. Accipienda est semper noua fiducia, licet sæpe deliciatur homo. In

speciali proponendū est contra illa vitia fortius, quæ magis molestant & frequentius adueniunt. Aliquando ira, aliquando superbia, aliquando concupiscētia cor hominis tribulatur & vehemēter inflammatur. Sed scuto orationis aut gemitu cordis aut inuocatione sancti nominis Iesu est occurrendum, & in cælū respiciendum, vnde venit omne auxilium. Et quandoque sic oret vel consimiliter: O bone Iesu, succurre mihi modo. Eia domine deus adiuua me. Quid ego miser agam sine te? quid incipiam & quomodo finiam deus meus? Melius nosti quid tibi sit necessarium, quia & hoc quotidiana docet infestatio: at qualiter euades, docet & docebit spiritus sancti vnctio. Ibi igitur quære auxilium & consiliū, & ab ea postula cordis tui refrigeriū. Considera teipsum, quid quæris in operibus tuis, quid diligis, & quid non diligis. Secundum desideria sua fit homo stabilis aut vagus. Qui multum concupiscit, & multa habere vult, quomodo in se manebit? Dispergitur in omnem ventum cæli, & capitur laqueo desiderij terreni. Parua res est sæpe, propter quam adipiscēdam generatur homini perplexitas magna. Sed qui omnia expellit à se, permittens vnquamquodque stare sicut inuenit, bene in pace erit. Qui vero multis se ingerit, ac multa ordinat & regit, ille seipsum lædit & perdit. Et quia magister vult esse in rebus alienis, non est mirum si nescit esse discipulus in suis. O quanta adhuc discere habet, quæ non videt? Quantum illi adhuc deficit, & quomōdo longe stat? Quid ergo vult se intermittere de aliis, & quæ emendare nō potest? Aut cur se implicat talibus, quæ ad ipsum non pertinent? Quid pertinet ad me? inquis. Vt tantum cogites de te, & aliud quodcumque fuerit, proicias procul à te. In ista cogitatione inuenies te, & custodies, & proficies maxime. Eris sæpius liber à suspitione & indignatione. Parum curabis de exteriorum occupatione, & gubernatione eorum quæ sunt in domo. Dilecte frater dominus custodiat te, ab omni malo custodiat animam tuam dominus. Amen.

Epistola pro confortatione cuiusdam deuoti.

SV scipiamus charissime de manu dei quicquid voluerit super nos venire deus. Nihil enim sine iusta & certa causa agitur in terris. Et ideo curemus nos deo subicere cor nostrū & sensum nostrū, vt respiciēs humilitatē & patientiā nostrā, bene disponat desiderij nostrū. Inclinemus nos sub sancta & gloriosa maiestate eius, quia puluis sumus, & cogitemus quod magnum & dignum sit, vt recogiter de nobis aliquando

aliquando deus. Ex hac humili existimatione sensus nostri, & accusatione culpārū nostrarum, confessioneque iusti iudicij dei, quod vt frequenter occultum, semper autem rectum est, apprehendamus spem & confidentiam ad ipsum, & oremus largiter, atque ab aliis etiam intime flagitem⁹ orationes, quatinus sua maxima pietas nostram miseriam & tribulationem tantarum tentationū immutare dignetur. Nec ideo diffidamus de nobis quia multa contraria sentimus & patimur, & sæpius quàm vellemus & grauius quàm alii tentamur, vel quod inconstātes sumus, & tam parum laborare possumus, seu quod totiens cadimus & tarde resurgimus, aut quod tam indeuoti & aridi inuenimur, & parum appetitum ad virtutes & ad deum sentimus. Omnia ista solent bonis accidere, & sæpissime deuotissimi talia sunt experti. Cum ergo taliter nos affligi miserimus inter tristitias totidem, domino humiliter dicamus: Domine deus si dignus non sum nec tibi placet vt liberer à pressura cordis mei, saltem hoc mihi largiri digneris vt patiens sim, & non murmurem contra virgam tuam qua me percutis. Memor etenim benesum quod canitur in ecclesia tua: Tū sionibus pressuris expoliti lapides, & quod illuc introducit omnis qui pro Christi nomine hic in mundo premitur. Propter quod peto, vt pro quacūque culpa ista patior, ad mei purgationem semper peruenire facias, & pro signo clementiæ, non reprobationis furore, capienda esse doceas. Debemus ergo sic nos domino integro affectu resignare, & plus eius bonitati cōfidere quàm audemus postulare. Eius creaturæ sumus, & ipsi cura est de nobis. Qui vocauit nos, ipse adiuuabit nos, & custodiet nos à tentatione hac in æternum, vt non velimus cum hoc mundo gaudere, neque latam viam quā multi tenent, denuo ambulare. Admoneo te, attende scripturas sanctas. Sequi vis Christum, an mundum istum? Credis apostolo, an magis philosopho? Christus dicit, Intrate per angustam portam, quæ ducit ad vitam. Et iterum, Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Dicit apostolus, Nolite cōformari huic seculo: & si secūdum carnem vixeritis, moriemini. Nemo vos seducat inanib⁹ verbis. Quicunque sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Ego Christo confixus sum cruci. Ego stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Mihi mūdus crucifixus est, & ego mundo. Omnia arbitror vt stercorea, vt Christū lucrificiam. Ista sunt verba apostolica, sed apud philosophos & seculi prudentes talia non inuenies. Et quanuis ali-

qui gentiles contemptum diuitiarum laudabant, & voluptates spernebant, & eorum doctrinam multi hodie commendant, de Christo tamen nihil sciebant, nec æternæ vitæ amore id agebāt, sed euauerunt in cogitationibus suis. Et omnes (ni fallor) homines cupiūt esse cum Christo, & ad populum eius pertinere, sed pauci volunt sequi vitam Christi. Iterū dicunt se diabolū odire, & eius vestigia nolle sequi, sed vita paucorum continentium se à secularibus actibus carnalibusque desideriis, ostendit quod multi sunt ex parte eius. Opera probant cuius seruus quis fuerit. Ait ergo Christus. Qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. In mundum hunc veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Ac si diceret: Ego humilis & pauper in hoc mundo apparui hominibus, vt exemplo meo efficiantur simplices & humiles, & intelligant opera diuina & cælestia miracula ad credendum mihi. Et qui seipfos peccatores & despectos & quodammodo cæcos & inscios cognouerint, per gratiā meam illuminari digni erunt, sicque capient deuota humilitate, quod superbi & apud se sapientes nequaquam intelligere queunt, atque idcirco in cordis cæcitate & stulta opinione manent, existimantes suam doctrinā certiores, meam autem dubiosam, & mundo exitialem. Sicut olim Iudæi Christum præsentem in carne cōtemnebant, sic modo plures carnales eum cōtemptui habent, & in cæcitate pro dolor perseuerant. Malunt potius credere sibi, quàm Euangelio, & carni magis seruire, quàm deo. Atque ideo lōgos optant dies & voluptuosos super terram, cælum autem respicere negligunt, & quàm velociter tollentur ex hac vita non attendunt. Hæc si cogitas, nimirum senties melius esse sequi humilem deum crucifixū & passum pro nobis, & merito nos debere pari cum illo, & relinqui à parentibus & amicis in hoc mūdo. Mane igitur apud deum qui te vocauit, & ne discedas ab amore eius, sed ascende arborem crucis, vt inde videas Iesum ambulātem, & viam ad æternam vitam præparantem. Hęc est via, ait propheta, ambulate in ea. Via crucis vita nostra: via electorum, via paucorum: via amara, via vitæ & salutis: via breuis, via directa: via laboris, via perfectionis. Via inquam crucis est, sed ducit ad gloriam, ad latitudinem, ad regnum cælorum, ad multa millia & frequentiam angelorum, ad dulcedinem mirabilem & interminabilem, ad longitudinem dierum in seculum seculi, ad desideratum finem omnium fructuum, & appetitum cordium, ad requiem & pacem securissimam, ad iucunditatem & exultationē amoc-

Retatio-
nes bo-
norum.

Mat. 7.

Mat. 11.

Rom. 12.

Rom. 8.

Gal. 5.

Gala. 2.

Gala. 6.

Philip. 4.

Rom. 1.

Pauci se

cōtinen-

tes à vi-

tiis ostē-

dūt quā

multi

sint vi-

tiōsi.

Ioan. 8.

Ioan. 9.

Luc. 19.

Est. 30.

nissimā: quæ breuī quodā versiculo qui cantatur in festo sanctæ crucis, pulchre tangitur. Serui crucis crucem laudēt, qui per crucē sibi gaudent vitæ dari munera. Quia ergo vita Christi crux fuit, debet vita Christiani etiam crux esse. Et multo magis vita monachorum, clericorum, & omnium religiosorum in cruce erit. Extra crucem nō est salus, præter crucem non venit ad regnū Christi. Oportebat pati Christū, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam. Si aliam viam quærimus, erramus, & in perditionē ducimur. Et qui crucem fugere cupimus, in medium lacus ardentis picis & sulphuris incurramus. Crux nostra æterno cruciatui comparata, est delectabilissima. Labor noster perpetua requie donāus, leuissimus est. Frangere voluntatem propriam crux est, & forte qua maior vix est: sed in inferno quis vnquam vel in minimo sua voluntate vitur, cum semper quod nolit pati cogatur, quod voluerit nunquam accipiat? Fili (inquit) recordare quia recepisti bona in vita tua, & similiter Lazarus mala. Comedisti & bibisti, & saturatus es nimis. Meliora & delicatiora elegisti tibi vestimenta, & ornatus es. Risisti, cantasti, saltasti præ lætitia, nec prohibuisti cor tuum à voluptatibus, sed quodcunque libuit sine cōtradictione implesti. Et hæc existimasti partem tuam & regnum tuum & gloriam tuā, nec de Lazaro quicquam cogitasti, quantum egeret, quantum pateretur, quantum infirmaretur. Recordare ergo fili quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autē hic consolatur, tu vero cruciaris. Ille dum viueret crucem habuit, & ad modicum spatium sustinuit: tu dum viueres, celum tuum in terra habuisti, & libenter vitam in deliciis protraxisses. Sed nunc ille nec pœnam corporis nec animæ patitur, sed in requie beata lætatur: tu vero & modo cruciatū in anima habes, & postea simul in corpore & anima torquendus damnaberis. Hæc meditare inter tentationes tuas, & domino aspirante cessabit earum impetus. Nam solet ardor ardore expelli, & labor labore grauiore minui. Sta ergo in loco isto quem elegisti, & eleua patientiæ clypeum contra ictus tentationum, mori eligens magis quam cedere antiqui hostis vexationibus. Qui vicerit (ait spiritus sanctus) faciam illum columnam in paradiso dei mei, & scribam super eum nomen patris mei, & nomen ciuitatis nouę Hierusalem. Insuper sanctorum exēpla intueri, & eorum suffragia iugiter quære. Memento quantum sancti pro vita æterna laborauerunt, in qua nunc cum Christo sine fine regnantes gaudent. Quāto in mundo despectiores & paupe-

riores fuerunt, tanto nunc gloriosiores & nobiliores in celo resurgent. Propter amorē igitur Christi & locus & status inferior semper plus placere debet, & dulcescere cordi tuo, quia vanitas est in hac vita aliquid apparere. Quāto in inferiori & humiliori statu quis fuerit, tanto verius sæpe bona agit, & facilius habita custodit. Si alij nos præcedunt, quid ad nos? Sequamur Iesum in humilitate & simplicitate, & non curemus humanam vanitatem. Nos propter Christum stulti, ignobiles, & infirmi, nos propter illum libeter sumus abiecti & nouissimi reputati. Ego (inquit) sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quæ maior gloria, quam cum Christo gloriari in cruce? Quæ maior consolatio cordis, quam portare viuentem imaginē crucifixi? Cōfortare igitur, & esto robustus, & ne timeas, quia ego tecum sum vt liberem te, dicit dominus. Cōpassus tibi, locutus sum tūquam infirmus infirmo, vt pariter in domino cōsolati per ipsum cōualescam⁹ in ipso. Amē.

Epistola de conuersione, & perseverantia in bono proposito.

Dilecte frater intime cōgaudeo tibi, quia inuenisti locum deo seruiēdi. Sit dominus noster ex hinc benedictus, qui te vocare dignatus est ad suum seruitium. Agnosco hæc vocationem donum dei esse, quoniam nō ex meritis tuis, sed secundum misericordiam suā de seculi vanitatibus te eripuit, & in electam societatem perduxit, vbi audires atque oculis etiam cernerer qualiter illi seruire. Quam multi diuites, nobiles & potentes, quam multi sapientes, literati & famosi adolescentes in hoc seculo miserabiliter fluctuant, & abiicere iugum diaboli à suis cervicibus non prævalent, nec illo spiritu adhuc mouentur, vt seculo renuncient. O vanitas vanitatum, mundum diligere, & quæ dei sunt, minus curare. Veniet tempus, veniet cito tempus, quando omnes seculares & carnales delectationes simul finem habebunt, & tunc relinquēt vel inuiti præsens seculum, qui modo voluntarij non sunt abrenunciare pompis eius. Tu autē dilecte frater maiorem gratiam à domino accepisti, quia inter tot sodales tuos à multis periculis corporis & animæ, à laqueis diaboli es præseruatus, & in loco apto ad saluandam animam tuam constitutus. O quantas gratias deo debes, qui regnum suum promerendum obtulit, quod diues pecunia possidere non potest. Et quā miranda dei gratia, vt inualidus & imperitus sanctorum viam fortiter ambulet, quam robustus & doctus sæpe subsequi

subsequi vix valet. Recogita vbinam sunt olim tecum studentes, vbi illi focii familiares, cum quibus viuere & ludere secundum carnē dulce erat, cum quibus peregrinari in remotis partibus non amore Christi, sed cupidine temporalis processus & lucri, iucundum tibi videbatur. Quam multi iam obierūt, quā multi etiā vagi in seculo remanserunt. Bene de ipsis cum sancto Moyse dicere potes, consideratis finibus eorum: Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Audisti alios Romam pergere, & pro beneficiis laborare, alios Parisiis residere, & ad magistratū tendere, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quæ maior gloria, quam cum Christo gloriari in cruce? Quæ maior consolatio cordis, quam portare viuentem imaginē crucifixi? Cōfortare igitur, & esto robustus, & ne timeas, quia ego tecum sum vt liberem te, dicit dominus. Cōpassus tibi, locutus sum tūquam infirmus infirmo, vt pariter in domino cōsolati per ipsum cōualescam⁹ in ipso. Amē.

omnia relinquentes imbuat & confortat, durum sermonem hunc esse dicunt, omnibus amicis & rebus propriis abrenunciare. Et sicut ipsi sapiunt, ita aliis & libenter persuadet. Sed contra tales loquitur sententia saluatoris. Caute (inquit) ab hominibus. Multi enim sunt qui pulchris sermonibus, & aptis (vt ipsis videtur) rationibus, viam leuem & planam commendare sciunt, & hominē imperitum quandoque iustificat & laudant, atque per tales sermones bene proficientem & firmiter stantem quandoque vacillare faciunt. Veruntamen deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, quia iuxta iter sanctorum nō ambulat, neque loquuntur. Non veniat anima mea in consiliū eorum, & domus eorum longe sit à me. Ideoque frater dilecte nunquam tibi placeat talia audire, & multo minus credere velis. Siue enim diabolus instiget, siue homines fabulētur, quod incepisti, i eo permanes obsecro. Recurre ad Euangelium, & optimum audies remedium. Quid prodest homini si lucratur vniuersum mundū, seipsum autē perdat? Hoc apud te semper retine, & cuiusuis manus pugnaverit contra te, scuto euangelico vtere. Sed solent quidam homines sine spiritu & scientia dei obicere quādoque seculo renunciantibus: Ergo qui in seculo sunt, peribunt, & vos soli salui eritis? Aut non potest aliquis venire ad cælum, nisi ita viuatur, sicut vos viuatis? Quid fabulamini sic iniuste contra deum & seruos dei? Neque hoc Christus dixit, neque serui eius ita locuti sunt. Benefacite, iuste viuite, & mandata dei custodite, & nemo vobis salutem negabit. Ad hæc illi iterato, Mādāta (inquiunt) vellemus seruare, sed non possumus. Si debemus lucrari victum & necessaria vitæ, oportet nos sæpe contraria agere. Qui cum seculo conuersamur, secularia negocia quomodo cauebimus? Si ista perfecte consideratis, & pericula atque fallacias mundi non ignoratis, quid ergo obloquimini quia serui dei mundum fugiunt, & monasteria aut congregationes deuotorū intrant, vt deo sine tali impedimento seruiant? Si imitari nō vultis aut non valetis, saltem congaudere & adiuuare bonos pro vestra salute deberetis. Sed non plus frater de istis, quia nec taliter loquentes excusationem habent de peccatis suis. Cōstanter igitur age, Christus qui tibi incipere donauit, ipse perficiet, consolidabitque in finem propositum tuum. Ecce tempus breue, mors incerta, omnia caduca & vana in mundo. Multi iam in sepulchris foetent, qui diu se viuere existimabant. Receperunt à memoria hominum, qui in ore versabantur omnium. Colit mūdus præsentis, absentes nescit, dese-

rit morietes. Beatius ergo contemnere fallacem mundum, & sequi veritatem, quae nobis pariter concedat vitam aeternam. Amen.

Epistola de pia memoria defunctorum.

Multum iam tempus praeteriit dilecte frater, ex quo decreuerit aliquid pro pia memoria defunctorum charitati tuae insinuare, & maxime parentum nostrorum, & amicorum specialium, omniumque devotorum quorum nomina deus in libro vitae scribere dignetur, & inter sanctos suos collocare animas eorum, sicut & corpora eorum apud nos sepulta sunt in terris. Nos debemus libenter pro eis & pro omnibus fidelibus defunctis orare, quia hoc opus est summam charitatis & misericordiae. Sicut igitur nobis desideramus subveniri post mortem, ita & eis quo melius possumus domino opitulante laboremus subvenire. Qui enim pro animarum liberatione fidelis & sedulus fuerit, nimirum & sibi ipsi plurimum proficit, cum pro talibus oras nequaquam se spoliat orationis fructu, & insuper sibi recordationem mortis adducit, & vix sine compunctionis gratia ad solita exit, scies quod omnes viae uniuersae carnis ingressuri sumus, & quod illi iam expleuerunt, certissime sibi constat futurum. Oremus igitur pro charis nostris, quia post modicum eos sequemur, & cum melius habuerint omnino, in eadem necessitate recordabuntur nostri. Non sit fides nostra ore tenus, neque quae in facie sunt respiciamus, sed dilectionem faciamus siue praesentes siue absentes corporaliter fuerimus. Charitas enim nunquam excidit, & qui se in veritate diligunt, seipso obliuisci non poterunt. In necessitate probatur amicus fidelis. Est enim impium & crudele nimis, si videas fratrem tuum aut amicum cordis tui, carceri traditum, vel flammis iniectum, nec mouearis ad fletum, & cum manum porrigere possis, nihil agas charitatis, ac etiam si loqui aliquid pro eius qui ueris liberatione, clauso pertranseas ore. O fidele Samaritanum, qui viso homine vulnerato a latronibus & expoliato, misericordia motus est. Luc. 10. Vae vae pincernarum magistro qui oblitus est Ioseph sui interpretis, cum de carcere esset eductus. Sic timeo ne multotiens contingat cum aliquis amicorum obierit, & pro se instanter orari petierit, ac fidei uiuentium se commendauerit, quod nonnunquam obliuionem accipit, aut parua aut tardius sentit aduenire expiationis hostiam, quam sperasset. Propter quod dilectissime me ipsum & te pariter admoneo, ut pietatis oculum frequenter dirigamus ad memoriam defunctorum, & quicquid ad eorum absolutionem nouerimus prodesse, deuota exequamur festinatione, ponderantes

Quantum proficit meminit de defunctorum in bonum.

1. Co. 13.

Luc. 10.

Gen. 40.

quam graui tenentur tormento, & quod nisi purgati fuerint, ad requiem transire non possunt. Eorum etenim consolatio & liberatio, maxime in Christi meritis, & sanctorum suffragiis, & fidelium constat oblationibus. Simus ergo seruantes ad soluenda beneficia salutaria, & deuote premus pro eis generaliter & priuatim. Attente uigilias legamus, libenter & facilius ad missam ministremus, & cum sacerdote uota laborum nostrorum in conspectu summi & veri sacerdotis offeramus, qui est hostia dignissima ad exhaurienda omnium peccata. In illa hora dum Christus in altari inter manus sacerdotis deo patri pro salute uiuorum & defunctorum offertur, te ipsum cura cum omnibus tibi in orationibus commendatis offerre, in acquisitionem & possessionem perpetuam salutis, & ut omnes sint participes huius preciosissimi sacrificij, quod immolatum semel in cruce, sufficiens est precium pro peccatis totius seculi. Habeas tunc specialem memoriam eorum qui tibi sunt commendati, & recita nomina eorum in praesentia Christi, & reuerenter ac deuote saepius flecte genua cordis tui, ubi consistis ante fontem miserationum domini. Quotienscunque etiam te ad perceptionem corporis Christi praeparas, & perceptum tecum habes, esto quasi memor fidelium defunctorum & implora tanto ardentius misericordiam eius, quanto certius retines in te pignus aeternae redemptionis. Saepemane, saepe de uespere, sed & in labore, & tempore scripturae, charissimorum tuorum recogita obitum, quomodo habeant, & quomodo aliquid facias pro eis, quod ipsis potest prodesse & tibi nihil obesse. Antequam comedam suspiro, ait sanctus Iob. Ex quo verbo pietatis & compassionis tibi innuitur opus, ut nunquam cibum corporalem sumas, nisi prius fidelibus defunctis aliquam spiritalem elemosynam mittas. Ego noui aliquorum talem esse consuetudinem, qui signo refectorij facto se expediunt, & vacant orationi, ad refrigerium animarum fidelium, quorum elemosynis sustentantur.

Epistola deuota ad quandam regularem.

Ista sunt praecipue necessaria & utilia pro conseruatione deuotionis & pace cordis, pro profectu uirtutum, & edificatione aliorum, scilicet solitudo, silentium, opus manuum, oratio, lectio, meditatio scripturarum, paupertas, sobrietas, obliuio patrie, fuga seculi, quietas claustrij, uisitatio chori, & custodia cellae. Cum his obseruationibus fit homo compunctus, internus & deuotus. Nimia occupatio in externis magnum impedimentum est interiorum, & infrigidat a caelestibus. Duo sunt quae ualde nocent

Libera. tio de. fundo. rum ex igne pur gatorio quibus modis fit.

Deuo. tionis & pacis & conseru.

nocet religiosis quod tam parum illuminantur, quia sunt nimis multiplices in exercitiis corporalibus, non considerantes ad quid oia ordinata sunt: & quia non examinant sollicitate interiora sua, quibus affectionibus mouentur ad uirtutes vel ad uitia, & quantum distat ab unione cum deo habenda. Nam tanto quis deo unitur & plus illuminatur, quanto a mundi curis magis elongatur. Multa non sunt homini necessaria scire nec habere, sed curiositas & auaritia trahunt ad multa animae nociua. Placeat tibi propter Christum simplex uestitus, & sobria mensa, nec quaeras preciosa ornamenta. Christus amat cor purum, non captam pulchram, neque casulam sericam mirari uarietate contextam. Non optes ut monasterium tuum abundet diuitiis & altis aedificiis, sed ut floreat omnes fratres bonis moribus, & uirtutibus sanctis. Et si alicui pulchra & sumptuosa videas, excusare potes & tolerare pro honore dei & reuerentia loci, sed non debes similia affectare. Quando relinquis amicos propter Christum, & non quaeris consolationes hominum, sed permanes in cella faciendo opus tuum, tunc aderit tibi gratia caelestis, illuminando cor tuum, & gaudebunt super te angeli sancti, & custodient te ab impugnationibus inimici ne dominantur tibi, sed uiriliter agas, & precibus eis resistas. Quae ad secularis scientiam & reputationem humanam trahunt, omnino caueas, sed semper humilia sectare, sicut fecerunt Iesus & beata uirgo Maria. Attende quoque vitam doctrinam & patientiam sanctorum, qui habuerunt ueram sapientiam per quam soli deo placere studuerunt. Pius dominus non dereliquit electos suos in mundo afflictos, sed tollit quandoque eos tempestiue de laqueis superuicturis, ne deteriora mala incurrant, quae forte tolerare nequirent. Debes sollicitate cogitare de defectibus tuis, & saepe ingemiscere, ne vincaris vel seducaris. Ora primo pro propriis miseriis, deinde pro aliis amicis uiuis vel defunctis, sicut fraternalis charitas exigit. Pro tam e confidere debes de dei gratia & misericordia, & sanctorum meritis, quam de tuis precibus & actibus bonis. Habeas firmum propositum te emendandi, & si centum annis posses adhuc uiuere, cogita quod propter nihil aliud uelis uiuere, nisi ut deo possis perfectius seruire. Contra tria uitia oportet quotidie certare, quae raro plene vincuntur, scilicet contra superbiam, contra gulam, & acediam. Superbia latet in corde, & multipliciter extollit stultum in propria existimatione sui: apparet saepe in uestitu, aperitur in uoce, notatur in incessu & leuitate morum. Gula graue est uitium: quae si refrenata non fuerit,

Aduersus tria uita quotidiana pugnam.

rit, facit hominem dissolutum, pigrum, & ad spiritualia ineptum, inducit somnolentiam, & excitat libidinem. Acedia multum retrahit a spirituali exercitio, ab intensa oratione, & sacrae lectionis studio: quaerit carnis molliem, fugit laborem, odit cellam, diligit fabulari, delectatur uanis rumoribus, attendatur interesse diuinis. Qui non certat uiriliter aduersus ista tria uitia, parum proficiet in bona uita, & cito cadet ad alia peiora mala ex istis nascentia. Dilectio dei probatur magis in contemptu sui & omnium terrenorum, quam in pulchritudine uerborum. Plus deus delectatur in humili prece contriti cordis, quam in alto clamore curiosae uocis. Semper humilis inuenit gratiam: & qui se dat ad humilem obedientiam, optimam habebit conscientiam & quietissimam uitam. Saepemane est occultae superbiae signum, desiderare habere magnam deuotionem uel reuelationem. Potius te iudica diuina consolatione indignum. Nam de defectibus tuis atque excessibus cogitare, magis placet deo, & uilius est tibi, quam indagare de caelestibus secretis. Quando non es uerus humilis, & totus ab intra mortificatus, ita ut laudibus non delecteris, nec maledictis mouearis, non expediat tibi altiora perscrutari. Christus saepe contempsit apostolos de multis futuris & subtilibus materiis loqui. Cur ergo tu uis scire quae excedunt scientiam tuam? Munda conscientiam tuam, & caue praesumptionem, & stude diuinam discere & facere uoluntatem, non propriam. Sic enim orat sanctus Dauid, magnus cognitor caelestium secretorum: Domine ad te confugi, doce me facere uoluntatem tuam. Quicquid ergo humiliorem te non facit, & ad maius beneplacitum dei non tendit, noli cupere nec curare, quia deo obligaris mundam seruire conscientiam, & seculi abiacere uanitatem. Verba domini nostri Iesu Christi cum magna diligentia attende, dauidicos psalmos saepe rumina, quia in illis est uera sapientia & salus tua. Passionem Christi & uulnera Iesu in corde tuo quasi in libro scribe, & totam spem tuam in meritis Christi & sanctorum precibus pone. Quid enim nos fragiles agere possumus, nisi quod multum humiliemus nos sub potenti manu dei, & coram ipso prostrati ueniam peramus? Resistendo uitiis & insistendo bonis exercitiis, concupiscentiae & passionis paulatim minuuntur in nobis, & uirtutes amplius roborantur, ita ut homo delectetur in eis frequenter, & maxime si honorem dei & non suum commodum uel pacem propriam quaerat, quia aliter non esset purum, nec uerum uirtuosum. Nam qui ad deum omnia opera sua pure non refert, superbus est & uanus. Quic-


Deuotio non semper anxie de se delectanda.

Psal. 142.

1. Pet. 5.

quid boni homo facit, cogitare debet quia donum dei est, & non se reputet inde. Nā tenetur deo regratiari, & magis se humiliare, ne imputetur sibi ad peccatum, & grauius de ingratitude iudicetur. Omne opus bonum in deo factum, gratiam maiorem meretur, laetificat mentem, & delectat operantem, quia deū habet adiuuantem. Qui desiderat à deo consolari, taceat de mundanis, oret sæpius, & raro sit foris. Omne enim peccatum generat tristitiam, corrumpit naturam, & meretur poenā. Attende donum dei in alio, & dilige illud sicut vere est donum dei. Erit autē tuum, si diligis illud tanquam tuū, semper tamen totum ad deum humiliter referendo, ne perdas bonum malevtendo. Tunc male vteris bono, si inde extolleris & vane gloriaris. Tūc bene vteris malo, si inde humiliaris & contristaris, & per poenitentiam emendaris, nec te superbe excusas. Status huius vitæ debilis, est & plenus periculis, ideo ad deum semper currendum est, & orandum vt nos custodiat & adiuuet in omni luctamine & opere bono vsque in finē.

Finis Epistolarū grauium & moralū deo deditissimi patris & deuotissimi Thomæ Malleoli à Campis. Incipit prologus in vitam veneralibis magistri Gerardi magni, vulgariter Groot.



Vxiliante domino frater charissime, de paternis actibus, pauca tamen de pluribus, charitatis ausu dicere tētabo, ob magnā vtique petitionis tuæ instantiam, & communem vtilitatē. Ex quo enim multi iam patres & deuoti fratres olim mihi cogniti dormierūt, eorum virtutes effari non vereor, quatenus exinde bonā memoriā de bonis exēplis ipsorum posteris relinquā ad diuini nominis laudem altius extollendam. Igitur à venerabili magistro Gerardo cognomento magno, prædicatore egregio & deuoto exordium sumā. Deinde etiam si dominus annuerit, de deuotis fratribus discipulis eius aliqua sanctæ conuersationis exēpla adiiciam, ad tuam & aliorum simplicium fratrum deuotionem excitandam. Quem licet in carne non viderim, plures tamen discipulatu eius adhærētes corporaliter agnouī, à quibus multa de fœlicibus actibus eius frequenter audiui, vt non putes me propria imaginatione hæc confinxisse, sed à valde fidelibus vtriusque sexus personis veridica relatione percepisse.

Explicit prologus.

Incipiunt capitula.

- De ortu & interpretatione nois Gerardi. Ca. i. De celeri profectu eius in studio Parisiēsi. ii. De cōuersionis eius reuelatione Colonia. iii. Qualiter per religiosum patrē & priorē Carthusiensem tractus sit ad deum. Cap. iiii. De mutatione habitus & morum. Cap. v. Qualiter à confortio secularium se subtraxit. Cap. vi. De abstinentia eius, & cilicio quod gestauit. Cap. vii. Quo cōsilio cœperit verbum dei prædicare. Cap. viii. De patientia eius inter aduersarios. Cap. ix. De profectioe eius ad partes Brabatię. Ca. x. De rigore eius in victu & vestitu. Cap. xi. De deuotione eius in orationibus & diuinis audiendis. Cap. xii. De magno eius desiderio legendi scripturas sanctas. Cap. xiii. De multiplici fructu eius in conuersione hominum. Cap. xiiii. De deuotis congregationibus & monasteriis ab eo exortis. Cap. xv. De felici obitu eius & sepultura. Cap. xvi. De magnifica commendatione eius à cantore Parisiēsi. Cap. xvii. De publica protestatione eius, & de veridica prædicatione Euangelij quod prædicauit. Cap. xviii.

Sequitur vita venerabilis magistri Gerardi magni deo deuoti diaconi, & prædicatoris eximij.

De ortu & interpretatione nominis eiusdem. Cap. i.



Venerabilis magister Gerardus dictus magnus, cuius fuit Dauentriensis ciuitatis, ex honestis & maioribus eiusdem loci parentibus ortus, ac diligētī cura suorum teneriter educatus. Congruè autem satis tale fortitus est nomen à terrenis parentibus sibi imposītū, sed cælesti prouisione postmodum in melius permutatum. Nam qui antiquam vitam suam in nouæ cōuersionis statum mutauit, digne quoque nomen eius piam interpretationem habere promeruit, sicut ob virtutum eius insignia sequens narratio declarabit. Dicitur namque Gerardus quasi gerēs artes, quia studio literarum deditus, in liberalibus artibus & scientiis multis fuit vel maxime eruditus. Vel dicitur Gerardus quasi gerēs ardorem, quia gratia dei misericorditer præuētus, in amore Christi arsit interius, & in diuinis

uinis laudibus vehementer erat affectus. Vel recte iam tertio Gerardus vocatur quasi gerēs ardua, quia ad deum perfecte conuersus, magna & alta gessit in vita, dum sedulo mentem ad cælestia erexit, & multos populos ad emendationem vitæ prædicando conuertit. Nam totam hanc patriam nostram vita, verbo, moribus, & doctrina illuminauit, & accedit. Fuit itaque re & nomine magnus in seculo, diuitiis, honoribus, sciētīis, ac beneficiis locupletatus, sed maior extitit in contemptu seculi, & imitatione humilis vitæ Iesu Christi, necnon in multiplici fructu discipulorum Christi, sicut vestigia derelicta patenter ostendunt. In memoria ergo æterna erit vir iste, qui in diebus nostris orthodoxæ fidei regulares secutus docuit, & sanctæ religionis statum per deuota exēpla reparauit. Nam licet diu in seculari vita in solens ac vanus incesserit, tamen postea cōuersus humillime ac deuotissime in sancta paupertate & abstinentia multa vitam valde exēplarem exegit, quam & felici agone optime consummauit.

De celeri profectu eius in studio Parisiēsi. Cap. 2.

Hic itaque à parentibus ad studium Parisiense sub annis adolescentiæ missus est, & copiosis expensis præ multis consodalibus affluens, satagebat (pro quo venerat) proficere diligenter. Nec tunc quidē Christi gloriā studens quærebat, sed magni nominis vmbra sequens, famam potissimum curabat humanam. In breui tamen secundum cōmunem studentium cursum, ad altiora auidē nitēs, ad magisteriū intellectu suffragāte decimo octauo ætatis suæ anno promotus est. Adeptus ergo hūc apicem, cum calleret ingenio, ac seculari fastu tumeret, ecclesiasticis beneficiis insignitur, & inter plura beneficia etiam Aquis ecclesiæ canonicus inuestitur. Verum latas adhuc seculi vias necdū inspiratus peruagatur, donec deo miserate ī virū aliū mutaretur.

Quod conuersio eius cuidam solitario in Colonia fuit reuelata. Cap. 3.

Ed cū omnipotens & misericors deus qui facit mirabilia magna solus, hunc doctum & famatissimum magistrum à præsentis seculi nexibus soluere decreuisset, modum cōuersionis eius duxit ad effectum. Cuius tamen cōuersio hominib⁹ inopinata & incognita, cuidam solitario in Colonia prius fuit reuelata, & prædicta. Cum enim quodam tempore Colonia esset, & secularibus ludis intenderet vagabundus, præfatus solitarius nomen & habitum magistri Gerardi expresse designans, prædixit eius cōuersionem cito complendam, & multis profuturam. Vnde quidam hoc sciēs,

venit ad eū vbi stabat, & ait. Quid hic stas vanis intētus? Alius homo fieri debes. Quod ille de se dictum tanquā puerile factum existimauit, nec tunc quidē multum aduertit. Sed deus præsciis futurorum qui non fallit, in breui tēpore impleuit prædestinationis suæ verbum, reuocans dilectum sibi Gerardū à via iniquitatis ad sanctæ cōuersionis statum, per quēdam religiosum Carthusiensem ordinis virū.

Qualiter per religiosum Carthusiensem tractus sit ad deum. Cap. 4.

Ratnanque in terra Gelrensi apud oppidum Arnemense religiosus quidā prior ordinis Carthusiēnsis in Monichusen, vir literatus & deuotus, magistro Gerardo olim in seculo familiariter notus. Hic charitatis visceribus plenus, & zelo animarum erga proximū concitatus, cœpit cogitare qualiter cum magistro Gerardo posset habere sermonē, & secreto de eius tractare salute, ne tantus vir eruditusque magister in seculo deperiret, sed de diaboli laqueis ereptus dei auxilio, electorum numero iungeretur. Eo siquidem præcipue tēpore mundi status in maligno videbatur vndique positus, ita vt pauci essent qui verbum vitæ moribus ac vocibus prædicarēt, pauciores vero qui continentia sectarentur, & quod dolendū erat, nomen sanctæ religionis, & status deuotionis præ inopia spiritus à patrum præcedentium vestigiis nimium claudicabat.

Apud Carthusienses vero lux vitæ cælestis remansit occulta, & carnalib⁹ videbatur satis auftera, erat tamen deo gratissima, & spiritu feruentibus optabilis atque iucunda. Interea accidit vt prænominatus prior causa emergente Traiectum tenderet, ibique dilectum magistrum Gerardum esse percipiēs, ad eius colloquium desideranter properat, moxque ad extrahendū piscem hunc magnum de seculi fluctibus, sanctæ exhortationis rete opportune relaxat. Aggreditur ergo familiarē amicum, salutat sodalem antiquum, hortatur sapienter hospitem benignum, cum docto loquitur de summo bono, proponit præmia æterna, terret iudicio futuro, miscet blādis tristitia, laudat religionem, mundi vituperat cursum, ostendit sub sole cūcta esse peritura. Nam mors imminet, inquit, incerta dies mortis & hora, sed o quāta sectatoribus Christi sunt dona promissa? Inter hæc sancta mutuaque colloquia sæpius repetita, adest gratia diuina. Mollitur animus audientis, fidem præbet dictis magister reuerendus, assentit veris, ducitur rationibus, trahitur promissis, firmatur sanctorum exemplis. Tandem proponit vitam mutare in melius, & mundanis renunciare fastibus deo fauente. His prior perceptis exhilaratur altius q

Apud Carthusianos velut sub cineribus latuit vicitque intemerat⁹ hæten⁹ monachissimus.

femen dei in terram bonam cecidit, gaudetq; gaudio magno de ceto grandi Christi hamo capto, citius de marinis turbinibus extrahendo. Redit letus ad focium suum, gratias agit deo à quo omne bonum, fatetur se nō frustra tenuisse sermonē: Quia cœpi, inquit, vt spero, magistrum Gerardum, & confido de eius conuersione, quōd bonum propositum velit tenere, & factis comprobare. O stupenda & laudanda saluatoris nostri clementia. O ineffabilis spiritus sancti virtus & gratia, quæ facile corda hominum mutat, dum intus vīstat & illustrat. Hæc est mutatio dexteræ excelsi, faciēns prodigia sursum, & signa in terra deorsum, euacuans tenebras, & lucem cordi infundens. Hæc est dei solius potentia magna, qui in benedictionibus dulcedinis suæ præuenit electum diaconum suum Gerardum, faciēs de leone agnum, quem ante secula prædestinavit sibi incorporandum, atque in fine seculorum præparauit ad euāgelizandum verbum suum multis ciuitatibus & populis ad sancti nominis sui laudem & honorem.

Psal. 76.

De mutatione habitus & morū. Cap. v.
Nec longe post cœpit bonæ voluntatis suæ propositū ducere ad effectum. Igitur animo bene deliberato, & in Christo fundato, abrenūciat beneficiis cunctis, vestes mutat seculares, simplicibus induitur, sicut decuit humilem clericum, mundi cōtemptum diuitiis præferentem. Fit rumor in populo, & multi obstupescētes de nouitate facti, adinuicem loquebantur: Quid hic iam pretendit? Quæ res noua huic accidit? Nunquid multarū literarū ad infantiam eum perduxerit? Ecce qui iam antea ornatis vestibus incedebat, nūc incultis & griseis tegitur lanis. Et qui conuiuīs & epulis delectabatur variis, nunc respuit iucunda, quærīt vilia, fugit honores, diligit paupertatem. Etenim manus domini erat: cum eo, cœpitque fiducialiter agere in nomine domini. Vnde hominum fabulationes & susurationes inanes paruipendens, ad deum tota cordis intentione se cōuertit dicens: Elegi abiectus esse in domo dei mei, magis quāam habitare in tabernaculis peccatorum. Factus est ergo deo cooperante ex diuite pauper, de superbo humilis, de delicato abstiniens, de vago stabilis, de mūdano spiritualis, de curioso simplex & deuotus. Loquētibus igitur & mirantibus populis de subita mutatione tanti viri, accessit ad eum secreto vnus ciuū eius de magnatibus, volens plenius scire propositum venerabilis magistri fugiētis læta cōsortia mundi. Cūque multa ab eo studiose exquisisset, & perfectæ abrenūciationis mysterium audisset, ita de dubiis quæsitis perdocetur, vt sum-

Acto. 26

Psal. 83.

me ædificatus abiret dicens, Quid isti ignari & vulgares de bono & prudenti viro tam insana verba loquuntur? Nunquam tam sapiēs & sensatus esse cœpit, sicut modo cum seculi vias fugiens deserit, & deo in spiritu humilitatis seruire intēdit. Quāni fœlix foret qui imitari veller, nec bene agenti insultaret? Si in hoc bono perstiterit, multorum erit ipse causa bonorum.

Qualiter à consortio secularium se subtraxit. Cap. vi.

Sed ne semen sanctū in corde viri dei plantatum, à transeuntibus secus viam conculcaretur, aut à volucribus cœli nō opertū carperetur, ne etiam lumen accensum leui flatu extingueretur, sed potius sub modio latēs seruaretur, & pinguedine internæ deuotionis nutrireretur, vel ne recens & fragilis arundo vanitatis aura pulsata ad terrā mox flecteretur, sed virtute firmaretur ex alto, elegit humilis magister ad tempus latere, & ab humanis aspectibus seculariumque colloquiis se caute segregare, à cunctis quoque mundi curis animum soluere, soli deo & sibi libere vacare, vt primo in se disceret quod postea docturus erat, quatinus diuina dulcedine præguftata æquanimis ferret pro veritate aduersa, nec diabolica pertimesceret tentamenta ipsi aduentura. Seceffit igitur à ciuitate sua, & de domo paterna, venitque in partes Gelriæ ad religiosos fratres Carthusienses in Monichusen in Christi charitate sibi dilectos. A quibus reuerenter susceptus, cellam accepit vt hospes amandus, quam lætus & desideratè ingrediens, cū beato Petro in mētis excessu ait, Domine bonum est nos hic esse. Ibi naq; recollegit cordis sui dispersiones, ibi veteris vitæ deterfit rubigines, atque interioris hominis imaginem reformauit ad purum. Ibi insurgentes passionum motus ieiunando vigilandoque confregit, & dæmonum varios insultus orando stendoque deuicit, loquens cum sancto Dauid, Ecce elō-
Psal. 4
gavi fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate. Vidi & ego habitationis eius locum, in quo lucerna dei & amicus omnipotentis ad tempus laruit, donec super candelabrum poneretur, vt omnibus lucis exempla monstraret.

De abstinentia eius, & cilicio quod gestauit. Cap. 7.

Nouus igitur miles Christi sub castris Carthusiorum stabat intrepidus. Nec tēdio cellæ vincitur intus, nec laboris exercitio frangitur foris, sed sicut bonus claustralis fit custos cordis & oris. Etenim agrum cordis sui districta examinatione quotidie vīstrās diligenter

ligēter excoluit, spinas vitiorū eradicando, ac virtutum femina inserendo. Itaque bellū spirituale aduersus carnem & sanguinem assumens, quo citius mundi rectorē, principem tenebrarum diaboli prosterneret, strenue cōtra seipsum in loco solitudinis armatur. Non ergo se palpat vt delicat⁹, nec sibi parit quasi sit debilis, nec se excusat tanquam innoxius, nec pœnitentiam differt sicut negligēs & tepidus seruus, sed memor iniquitatū suarū antiquarū spiritum contritionis concepit, & faciem Christi placare desiderās, carnem suam cum vitis & cōcupiscentiis pro nomine Iesu crucifixi. Tenero nanque corpusculo crebra ieiunia indixit, ab esu carnū (sicut mos ordinis est) & à multis licitis abstinuit, vigiliis noctis prolongauit, somni torporem, stando, orando, genu flectendo ab oculis excusit, atq; in spiritu feruoris corpus spiritui seruire coegit. Lumbos quoque suos cilicio asperrimo & nodoso præcinxit, ne caro lasciuēs titillaret: fortique pudicitæ vigore renes constringēs, pellem & carnē pro anima fideliter exposuit. Vnde ad literam veraciter propheta verbū in psalmo impleuit, vt merito dicere posset, Ego autem cū mihi molesti essent, induebar cilicio. Qui sunt isti ô bone magister tibi in claustro intēsti? Caro certe cōcupiscentis, mūdus alliciens, & diabolus tentans. Mirum si in hac solitudine tentationes habes, vbi iam à secularibus lōge degis. Non sum securus, nec ego nec aliquis in corpore peccati constitutus. Sed ne vincat affectionibus prauis, aut moueat exemplis malis, quæ sui locū solitudinis sub maiori spe diuinæ protectionis. Et quidē Christus nunquam fuit tam aperte tentatus, nisi cum intrasset desertum, & ieiunasset à cibis, qui tamen liber erat à passionibus cunctis. Itaque ego qui peccator sum, vt deo meo amplius satisfaciā, subtraxi me à turbis, humiliavi in ieiunio animam meam, vt oratio mea in sinu meo cōuertatur. Rerulit mihi quædam deuota soror quam ipse conuertit, quōd post mortem eius cilicium magistri Gerardi vidisset, & manibus cōtrectasset, quia valde lōgum & asperum fuit, & multos nodos habuit ad grauiorem pœnā ipsi infligendam.

Psal. 34.

Quōd cōsilio religiosorum cœpit verbum dei prædicare. Cap. 8.

Cumq; deuotus ac studiosus magister virtutum proficeret incrementis, & mundus tanto magis ei vilesceret, quanto Christus ipsi plus dulcescebat, deo disponēte cū tēpus fructificandi iā in stare, cōsiliū fuit prudentū virorū ac religiosorū fratrum, vt lucerna ardens & lucens super candelabrum poneretur, quatinus oībus qui in domo dei sunt luceret, ac per-

vocē prædicationis, & per sanctæ cōuersationis exemplū accēderet corda peccatorū. Fuisset bonum q; vir magnæ facultatis deo & sibi continue vacasset in solitudine claustrali, sed maius bonum & altior laus dei exinde sperabatur, q; magister ad prædicandum idoneus, & ad ferendum onus ordinis minus validus pluribus proficeret animabus verbū vitæ palam prædicādo, qui viam humilitatis didicit incedere, terrena oīa aspernando, vt sic Christo lucrum maximum ferret, & multos secum ad æternum perduceret regnū, tanto gloriosior vtique in futuro, quanto feruentius laboraret pro animarū salute in præsentī. Tribus autē annis lectioni & orationi vacauit antequam prædicare inciperet. Accensus est ergo præco fidelis spiritualibus armis & scripturarū documentis ad euāgelizandum verbum dei in ciuitatibus & villis coram clericis & laicis ac religiosis multis audientibus viris & mulieribus, paruulis & magnis, doctis pariter & indoctis, magnatibus, scabinis, cōsulibus, seruis ac liberis, diuitibus, pauperibus, indigenis & peregrinis. Cumq; tuba salutari intonaret, nec quicquam necessariæ salutis audientium auribus subtraheret, sed omne cōsiliū dei secundum statum & cōditiones personarum sexus & ætatis publice annunciaret, commota sunt corda plurimorum à facie formidinis domini, & à vêtura ira iudicij extremi, & ignis extremi. Posuit quippe securim secundū beati
Matt. 3
Ioānis baptistæ sententiam ad radicem arboris, vt districtum iudicē omnes timerent, peccare desinerent, ac dignos pœnitentiæ fructus agerent, orationibus, eleemosynis & ieiuniis insistendo, faciem piī conditoris præuenirēt atque placarent. Et multi audientes sermonem eius compuncti sunt, & accedentes ad eum cōsilio eius se subdiderunt, omnem vanitatem seculi abiicientes. Quidam etiam in castimonie æmulatione virgines permanserunt: nonnulli continentiam vouentes, plures secum in dei seruitio congregarunt. Sed quoniam probitas bonorum inuidiam paritur malorum, contradixerunt ei frequenter homines mente corrupti, amatores mundi, & deliciarum sectatores, viam veritatis odientes, & omnibus bonis aduersantes. Isti viro dei secreto detrahebant, & quandoque apertis latratibus contra eum turbationem suscitabant, quia eorum vitia & scelera acriter arguebat. Sed quod nequius est, quidam prælati & sacerdotes necnon religiosi circunvagantes, indigne ferebant tanti viri doctrinam & iustitiæ zelum in desertores sacræ legis: idcirco famam eius denigrare, & animi constantiā debellare conabantur. De quibus & ipse in

quadam epistola ita scribit: Multi me circumstant laetratus, qui exardescunt sicut ignis in spinis, sed non comparat. Unde amator Christi & zelator animarum, nec minis aduersantium turbabatur, nec vituperiis exprobrantium irritabatur. Fudatus enim erat supra firmam petram, quia non quaesuit mundi gloriam, nec veritus est pati pro Christo contumeliam, quinimmo paratus erat pro veritate & Euangelio dei corpus tradere & animam ad dei gloriam promouendam, & vbilibet dilatandam. Benedictus itaque deus qui talem nobis predicatorem suscitauit, & ad predicandum transmisit, per quem nobis in hac infima terra resulsit lux vitae caelestis.

De laboribus & patientia eius inter aduersarios. Cap. 9.

Longum est enarrare labores quos pertulit in predicando, constitus quos habuit contra subuersores fidei in disputando, exhortationes quas peregit, deuotos fratres & sorores in sancto proposito confirmando. Et haec latissime in epistolis eius patent, quas diuersis personis pro consolatione destinauit. Ait namque in epistola quadam ad sacerdotes in Amsterdamo sibi multum familiares. Non terremini charissimi, si famam audieritis de Campesibus contra me. Omnia succedunt ut spero sicut deus vult. Et mirabiliter augetur ecclesia in Capis, deo altissimo laus & gloria. Ardeat caritas intra nos non lente, sed vehementer. Despiciamus ista stercora, simus in laudem conditoris ut exepalaria altissimi. Senties proinde multos ecclesiarum prelatos sibi aduersari, & predicationem suam inimica emulatione impediri, ac callido edicto interdici, cessit humiliter furori & luori, nolens in populo tumultum contra clerum agitare. Dixitque ad plebem quae indigne ferebat inhibitionem talem constitutam, Praelati nostri sunt, & volumus prout decet & tenemur eorum edictis obedire. Non enim quarimus aliquem laedere, nec scandalum suscitare. Dominus bene nouit suos quos elegit ab initio, & vocabit etiam per gratiam suam sine nobis sicut ei placuerit. Suppresit ergo vocem suam ad tempus, & interim ad priuatas se constitulit exhortationes, cunctis aduentantibus consolationis verbum alacri corde impendendo, ^{2. Co. 12.} quemadmodum & beatus Paulus ait: Et ego ipse impendar pro animabus vestris, non quaerens quod mihi utile, sed quod multis. Fecit etiam plures sacrae theologiae libros a scholaribus scribi, quos attraxit colloquiis bonis, ac precio remunerauit, inuitans eos ad domum suam venire, & verbum dei sapientius audire, ut sic instrueret ad castitatem, & vitae emendationem, quatinus aeternae beatitudinis participes fierent, & sanctae nouitatis formam arriperent, per

abrenunciationem vitae secularis. Interdum quoque pia cautione praehabita pecuniae summam ex integro non soluit, sed per partes tribuit, ut frequenter ad eum pro debito tollendo accederent, & tali occasione familiaritatis eius gratiam inuenirent. Qui tanto libentius magistri doctrinam audiebant, quanto maiora pietatis beneficia in eo redundare videbant. Multum enim affectauit ex his scriptoribus aliquos facere discipulos Christi: quod etiam deo fauente factum est in tempore breui. Plus enim delectabatur simplicibus, & minus eruditus loqui, quam sapientibus seculi, quia innocentes & egeni plerumque consilium dei citius admittunt, quam astutiores qui in sua sapientia confidunt. Unde propheta Dauid: Innocentes ^{Psal. 24.} recti adhererunt mihi, quia sustinui te. Quidam ex ordine mendicantium religiosi habitu, sed perniciosus sermone, coepit venerabili magistro contradicere in multis. Is ergo cum eum vincere non posset, ad curiam Romanam iter arripuit, ut viro dei lite inferret, aut qualicumque astutia silentium imponeret: quod vti que facere pertimuisset, si spiritu dei motus fuisset. Verum deus arbiter iustus & pacis amator aliter disposuit, quam ille iniquus turbator presumpsit. Subito enim infirmatus in via obiit, & tota machinatio eius ad nihilum redacta cessauit. Fuit & alius in ordine praedicatorum eloquens sermocinator, magnae opinionis habens titulum & dignitatem, qui comperta venerabilis magistri fama praecelara, gauisus est charitate eximia, congratulans eidem mente deuota. Misit ergo ipsi amicabilem litteram elegantem dictamine conscriptam, recommendans bonum opus ab eo inceptum, suadens ne frangeretur impulsibus peruersorum, sed in domino confusus staret fortissime, & populo Christiano caelestia fluenda vberius instillaret. Quibus auditis & literis perlectis magister in multis probatus, collegam sanctae exhortationis charitatis vlnis amplexatus est, & ad praedicationis opus velut diuinis oraculis armabatur.

De professione eius ad partes Brabantiae. Cap. 10.

Aadiens pius & humilis magister Gerardus magnam ac celebrem famam venerabilis domini Ioannis Rusebroec religiosi, prioris Viridis vallis prope Bruxellam, perrexit ad partes Brabantiae per longinqui itineris spatium ad videndam sancti ac deuotissimi patris praesentiam corporalem, ut quem opinionone vulgata tantum & ex librorum eius editione cognouerat, coram quoque positus oculata specie cerneret, ac viuentis in carne vocem gratiosam tanquam spiritus sancti fistulam audiret

audiret sua verba resonantem. Assumpsit ergo secum reuerendum magistrum Ioannem Celestium scholae Syuollensis, deuotum ac fidelem Iesu Christi amatorem, quorum erat anima una & cor unum in domino, & grata vtriusque societas & accensa voluntas, ut ad hominem dei pariter proficisceretur, spiritualis aedificationis duntaxat gratia. Profectus est etiam cum eis vir quidam fidelis & deuotus, cuius Gerardus calopifex dictus, dux angustii itineris, & indiuiduus comes huius felicissime professionis. Venientes ergo ad locum viridis vallis nomine, viderunt in eo non alta & curiosa edificia, sed simplicitatis & paupertatis in signa, quae caelestis regis nostri fuerunt vestigia prima, cum in orbem terrarum rex caeli ex virgine natus processit inopia plenus. Intra tribus autem monasterii portam, mox occurrit pater sanctus prior deuotus, aetate gradaeuus, affabilitate serenus, ac morum honestate reuerendus, propter quem intuendum & visitandum venerant. Qui benignissime aduentantes salutans, diuina reuelatione instructus magistrum Gerardum proprio nomine appellauit & cognouit, quem tamen antea nunquam viderat. Salutatione igitur praemissa hospites honestissimos secum ad interiora claustrum perduxit, & debitam humanitatis gratiam hilari vultu & corde laetiori eis exhibuit, tanquam Iesum Christum recepisset. Mansit autem magister Gerardus ibidem paucis diebus conferens cum viro dei de sanctis scripturis, a quo multa secreta caelestia audiuit, quae suum intellectum excedere fatebatur, ita ut cum regina Saba stupens diceret, Maior est sapientia & scientia tua pater eximie, quam rumor quem audiui in terra mea. vicisti enim virtutibus famam. Post haec cum suis ad propriam urbem plurimum edificatus repedaui, & tanquam mundum animal audita mente pertractans frequenter intus ruminauit, & quadam ex his dictis ne obuiisceretur in scripta redegit. Cui etiam deus obitum amantissimi patris reuelauit, ut in compulsionem campanarum multis ciuibus audientibus manifestaui, eiusque animam vna hora purgatam ad caelestem gloriam transisse quibusdam amicis suis secretius indicauit. Sed nec ipse diu postea superuixit. Nam triennio fere transacto mortalitatis tempore carnis debitum domino se vocante persoluit. Nec fuit ociosa huius visitationis peregrinatio, nec infructuosa tantae sancti patris allocutio, sed viuae vocis eius informatio fiebat nutrimentum amplioris dilectionis, & augmentum noui seruoris, sicut in quadam epistola ad eosdem fratres de viridi valle directa testatur dicens: Intime commendari desidero praeposito & priori cuius scabellum

pedum tam in hac vita quam in futura (quia anima mea ipsi praecunctis mortalibus amore & reuerentia coaglutinata est) fieri concupisco. Ardeo adhuc & suspiro vestram praesentiam, & de spiritu vestro renouari & inspirari & mihi impertiri.

De rigore eius in victu & vestitu. Cap. 11.

Domestica autem conuersatio eius qualis fuerit, paucis edicam. Ipse nanque normam viuendi sibi statuit, & multa deuota exercitia compilando descripsit. Valde sobrius in comedendo fuit, & pene omni die vno prandio contentari consuevit. Somni necessitatem sic temperauit, ut septem horas pro quiete sufficere existimaret. Extra domum suam comedere a quocumque etiam inuitatus noluit, deuotans familiaritates secularium, & longas epulationes diuitum in detrimentum egenorum. Tam rigide suum propositum tenuit, ut nemo eum inuitare aut molestare precibus auderet. Et in hac conscientia bonis viris sic placuit, ut malis omnem obloquendi tolleretur ansam. Attamen aliquos pauperes deo seruietes, & interdum vnum vel duos honestos burgenfes, ad suam mensulam conuocauit ob instructionem vitae melioris, quos vberius suauitate caelestis sermonis refecit, quam ferculis accuratis quae minime praeparauit. Siue enim solus, siue cum hospite edebat, lectio sancta praebat, sermo aedificatiuus ex ore mellito fluebat: alias silentium suum stricte tenebat. Longe ab ore eius risus & iocus, longius detractionis nauus, aut qui ad rem non pertinet rumor secularis. Sermo eius sale conditus, & super omne delectamentum, dei cultus & animae salus sapiebat edenti. Inter haec etiam mensae caelestis in regno dei & dulcis societatis sanctorum post grande huius mundi exilium recordabatur, sicque hospites suos reddidit laetos in domino in corde compunctos. Habebat autem refectorium modicum, in quo pauci cum eo poterant discubere. Vbi in propinquo contra mensam stabat promptuarium libris optimis refertum, ut si ferculum corporis non placeret, ex copia librorum poculum animae amicis suis propinaret. Saepae etiam cibos insulos aut exustos edebat, non impatiens, sed gratias agens, & tanquam poenam de praeteritis bonis exigens & persoluens. Ipse sibi cibos coquere solebat, licet peritiam coquendi non haberet. A fororibus autem quae in vicina domo segregatim morabantur, suscipere seruitium deuitabat. Si quid forte emendandum esset in foro venali, hoc illae prouidebant, nullam tamen ad suum domicilium ingredi permisit, sed vnus clericus solatio contentus fuit. Cuncta ad honestatem bonae fameque tam intus quam foris disponebat. Et ne suspecta res notaretur.

tur, nulli fororum nisi clausa & obuelata fenestra loquebatur. Quod si aliquid ipsi dandum erat & ministrandum, per volubile rotam hoc inferebatur. Vnde quidam discipulorum eius vidēs eum tam sollicitē custoditum, quāsi ab eo familiare verbum dicens: Quare bone magister tam diligenter obstruitis fenestram vestram? Respondit verbum ædificatione dignum: Si possem, etiam aures obturarem, ne voces earum audirē. Siquidem abundans cautela nō nocet. Omne enim scandalum & periculum fragilium personarum, ex incustodia sensuum & nimia familiaritate venit. Qui ergo vult seruare continētiam, visum reprimat & auditum, nam sola necessitate cogēte, cum foeminis timorata est loquendum. Ieiunia autem sanctæ ecclesiæ multum striete obseruabat. Feriis sextis à lactiniis penitus abstinēbat, & sæpe istis diebus cōdimento salis pro oleo utebatur. Scutellam suam raro lauit, sed pane tergebat, aut catello & muribus lingendam exposuit, nec mucidum panem abhorrebat. Feriis quintis vero ob parasceuen sequētem, cūcta vascula sua ob omni sordē pinguedinis cœna facta abluebat in aquis. Erat igitur iucundus in domino, modicis & simplicibus necessariis contentus, superflua ressecans, delicata non requirēs, sibi rigidus & parcus, aliis misericors & benignus. Vestimenta eius grisei coloris erant, & humiliter formata, non mollia, non nitida, non multis rugis complicata, raro noua, & ob vetustatem quandoque attrita, quæ modicis etiam panniculis fecerat refarciri. Nec erubuit homo bene natus inter amicos & conciuēs videri abiectus in vestitu. Gestauit perinde ruptum pelliciu multīs particulis repectatum, pauperibus & mendicantibus consumibile, diuitibus aspernabile, deuotis tamen exemplare, & posteris sanctum memoriale. Omnis siquidem amictus illius nō magni valoris erat, sed non parua virtutis. Nam totus ornatus eius abint⁹ lucebat, ideo externos non curabat obtutus: Quæ prius vix aspexisset, istis iam delectabatur inuolui. O virum inclytū, non mollibus indutum, sed cum Ioāne duris cilicij sagis opertū, cū Christo quoque sanctæ paupertatis pannis amictū. Interrogatus est aliquando à quodā familiari amico, quare tam antiquum & subunculatū pelliciu portaret, vnde rusticanus homo erubescere potuisset? Respondit more suo grato & iucundo: In hoc quæro cōmodum meū, ne frigus patiar, & ne ventus per foramina intrēt si non essent obstructa. Hoc audiens frater ille, valde ædificatus fuit perpendens quod non mundo, sed deo tantum placere desideraret. Quæsitus est etiam de pellicio suo & tunicis,

quot annorum essent. Qui ait, Maius pelliciu quod superius gero, vltra nouem annos habet: sed paruum quod subtus porto, duorum annorū est. Quandiū, inquit, portasti tunicā tuam? At ille. Vna duodecim annorū est, altera vero triū. Poterat ergo cum sancto Dauid dicere domino fiducialiter supplicando, Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Recordabatur enim humilis magister, & paupertatis sectator, qualis dudum in seculo fuisset cum deliciis amaret, quoniam oportet recto iudicio contraria contrariis curare. Olim siquidem pulchris vestibus & cingulo deargētato processit in publicum, transiit etiam inter canonicos cum superpellicio subtilissimo & almutio formoso, corpori suo lautiora sæpe indulst alimēta & pocula preciosa, sed postea mutatus in virum alterum non est passus priora inulta transire, subiecitque se non solum pedibus maiorum & honoratorum, sed etiam nouissimorum laicorū, coram eis super nudam terram aliquotiens comedendo, ita inquitens. Non sum dignus vobiscum in sedili ad mensam sedere, quia plus omnibus peccavi, & deum offendi. Et qui capiti suo loturam superfluam frequēter exhibuerat crines molliiter componendo, postmodum sibi ipsi indignatus birretum gessit in capite valde vetustum à tineis corrosus, & pene centum foraminibus pertusum. Magnā igitur sibi violentiam fecit, carnem subegit, mundum contempnit, caput serpentis antiqui contriuit, nec vitia sibi dominari permisit, sed Christo duce per viam humilitatis constanter incessit, vitam suam secundum mores sanctorum patrum legitime conformando.

De deuotione eius in orationibus & diuinis audiendis. Cap. 12.

Sed quā deuotus & feruidus in oratione extiterit, quis enarrabit? Sæpe namque cum horas legeret, ex infusione superabundantis gratiæ in vocem iubilationis erupit, internum cordis gaudium cantu dulcisono promens. Dūmque leniter intra se modularetur, sursum in deū spiritus eius ardentē ferebatur. Plus enim iucundabatur in eloquiis diuinis & orationibus deuotis, quā vnquam prius in mundi comestationibus, & variis musicorum cantilenis. Habebat autem secum in ministerio Ioannē Zutphanā cognomēto Brinkerinc deuotum clericum, moribus maturū, ab adolescentia sua deo deditum, qui cum eo horas canonicas legere, & ad diuersa loca prædicationis tempore ipsum comitari solebat. Hunc bonæ indolis iuuenem tanquam filium paterne dilexit, quia deo & hominibus charus

charus extitit, & difficulter ab eius latere auelli potuit. Cui quadā vice horis expletis dixit: Quid tu Ioannes iam meditaris? Intelligis ne quæ legis? Dic mihi, quid inde sentis? At ille ad magistrum, Quomodo intelligerē, nisi ab aliquo instructus? Tunc ille ad discipulum suū. Et mihi sensus multiplex & mysticus occurrit, & de vno ad alium latenter transmittit, vt tædium in legendo non habeam, sed diutius his bonis gaudeam immorari. In via positus & hospicio receptus dicto completorio dixit duobus discipulis suis, Florentio & Ioanni iā præfato, Dicamus modo singuli suffragia nostra quotidiana. Et hæc erant de consuetudine bona, vt vnus alteri defectus suos diceret, si quid forte reprehensibile in ipso notasset. Tunc satis libenter obtemperantes libere se inuicē admonebāt, & humiliter culpā agnoscētes veniam petebant, sicque charitatiue emendati ibant ad quietem. Quodam tempore cū ciues Dauentrienses cōtra hostes suos pergerent armati, vir dei pro ciuū salute suppliciter orauit. Et factum est deo dispensante vt hostibus appropinquantibus nebula condēsa inter eos exurgeret, vnde aduersarii perterriti & in fugam versī discesserunt, at ciues cum suis salui & alacres in oppidum remeauerunt. Multum ergo valet deprecatio iusti assidua. Omni quoque mane priusquam negotia externa tractanda susciperet, vel quærentibus responsa daret, sacris lectionibus mentē refocillabat, & deuotis meditationib⁹ ac precibus futuras actiones suas tempestiue studuit præuenire, secundum illud Psalmistæ verbū: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Quotidie missam cum magna reuerentia & debita deuotione satagebat audire, quærens primo regnum dei & iustitiam eius, deinde proximorum vtilitatibus se exponens, rectum tenuit iter geminæ charitatis, iuxta illud in canticis, Ordinauit in me charitatem. Cumque ecclesiā introisset, non ad spectandum excelsas parietum vitri non stetit erectus, sed humiliter genua coram domino flexit, aut super terram in oratione se prostravit. Nec vllos ibi sermones confere-re voluit, sed solum diuinas auscultare laudes aut horas legere complacuit, vitans in templo Dei omne ociosum verbum loqui. Et ne deuotio orantis ex tumultu hominum turbaretur, aut ab astantibus quid secreti cum domino gereret notaretur, locum priuatū & clausum apud fratres minores obtinuit, vbi solus reclusus iacuit in oratione prostratus, & per quandam fenestellam venerabile altaris sacramentum in pluribus locis vidit & adorauit. Ibi que precibus & gemitibus cælum pulsabat,

pectus suum cum Publicano amarissime tundebat, postulans deum sibi propitium fieri, & delictis præteritis ignosci, ab instantibus malis & passionibus emūdari, & à futuris periculis solita pietatis sue munere defendi. Tan-tæque deuotionis & contemplationis extitit, vt diuina plerunque reuelatione mereretur consolari, & prophético spiritu instrui de futuris. Nam quendam discipulum suum de longa fratris sui absentia tristem, consolabatur de celeri aduentu eius, quia sanus est, inquit, frater tuus, & cito veniet, & ita accidit. De quibusdam etiam fratribus clericis sibi adherentibus prædixit, quod aliqui eorum ad sacerdotium essent promouendi, & quidam ad statū religionis assumendi. Quodam tempore magno desiderio æternæ vitæ accensus, ait vni ex discipulis suis, Quid hic faciam amplius? Vtinam essem apud dominum meum in cælis. Tunc frater ille respondit, Prædilecte magister, non possumus adhuc carere præsentia tua, Quis nos ita instrueret, & pro nobis tam strenue certaret? Pauci sumus & imbecilles, & isti seculares cito nos forsitan fugarent. At ille rursus confidenter aiebat, Rogabo pro vobis patrem vt non deficiat deuotio vestra, quam dominus noster plantauit in terra ista. Spero quod istud modicum inceptum erit in magnum profectum. Deus bene providebit sibi pro me alium virum idoneum, qui se murum ponet pro domo dei indubitanter.

De magno desiderio eius legēdi scripturas sanctas. Cap. 13.

Magnus autē huic venerabili magistro inerat amor legēdi scripturas sanctas: & infatigabilis æstus colligendi libros doctorum, plusquam thesauros denariorum. Vnde in epistola quadam testatur dicens: Semper (inquit) sum inutilis: semperque auarus & præauarus librorum. Quauis enim multis doctis esset doctior, non tamen inde voluit honorari: sed erat mæstorum consolator, & omnium volentium deo famulari, fidelis semper adiutor. Nec destitit semel lecta sæpe repetere, obscura quoque diligentius inuestigare: vt seipso semper melior fieret, & industrius ad sacra-tiora capeffenda. Sed nec puduit eum à minoribus aliquid discere vel quærere, sciēs scriptum, Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Vnde talibus valde affabilem se præbuit & benignum, immo maluit potius ab alio consilium petere, quā in sensu solus abūdare. Quā, inquit, si puer aliquis me posset instruere ad sciendam plenius domini voluntatem, libentius eum vellem audire, quā neminē consulto

ex meipso aliquid noui attréare? Erat igitur studiosus in scripturis legendis, sed nō curiosus in pulchris libris habendis. Siquidem & breuiarium non multum valens habuit, ex quo horas suas legebat, vitās pro vsu suo omne quod niteret, aut simplicitatem non redoleret. Videns ergo quendam habere librum satis bene paratum, & quā sollicitè illum inspiceret & complicaret, dixit ei, Potius habeo quōd liber me custodiat, quā ego illū. Seruire debet liber vtilitati legentis, non ad curiositatem intuentis. Itaq; affectio deuoti magistri magis versabatur erga sentētias in libris, quā ad venustatem expoliti codicis. Sic & beatus Hieronymus maluit habere in vilibus mēbranis codices emēdatos, quā pulchros & incorrectos. Est tamen decens & commendabile satis pro honore dei, & ornatu sanctae ecclesiae longe lateque florētis, quōd libri sacrae scripturae, & ad diuinum officium pertinentes, meliori stylo scribantur, atque ab omni pulueris sordē & corruptione praeseruetur, quatinus multis tam praesentibus q̄ futuris catholicae pacis fidelibus deseruiant, & inertes ad legendum ardentius prouocent, ac diu nobiscum perseuerēt, quia magno precio empti & longo labore conscripti existimantur. Nec solū sacros libros perlegere studuit, sed etiā ex authenticis dictis sanctorū nōnulla opuscula rogatu aliorum flagitatus pro vtilitate petentium fideliter conscripsit & edidit, paratus etiam illos instruere, quos corporaliter adire & orē tenus informare nō potuit. Scripsit namque inter caetera plures notabiles epistolas, quae apud plerosque simul aggregatae pro digno memoriali seruantur & leguntur. Habuit enim scientiam omnium liberalium artium cum multiplici sanctorum scripturarum notitia, necnon naturale ingenium valde acutū, diuinā gratiae lumine exornatum, linguam quoque eruditam, copiam exhortandi, memoriamque tenacem, vt vix ei alter in tot scientiis sciretur aequalis, & in sancta conuersatione tam strenuus & deuotus. Cumque esset tam diuinarum q̄ humanarū eruditionum praerogariua illustratus, erat nihilominus in deferendo honorem maioribus suis & praelatis valde humilis & submissus, in studēdo simplicia & deuota aliorū dicta bene affectatus, in sermone circumspectus, in scribēdo scriba velox, in meditando compūctus, & in negociis sibi comissis fidelis & expeditus. Sed ne oblivioni traderet quae agere vel dicere eum oportebat, prout vtilitas causarum exigebat, mox in regeſtis aut in marginib⁹ librorū vel operculis negocia occurrentia firmiter assignare solebat. Vnde ad cautelam propter amulos

Libros accuratē cultos, et addidit.

reuincēdos qui ei insidiabantur in multis, copias dictorum suorum apud se diligenter retinuit, vt casu emergēte in promptu haberet quid detrahentium latratibus responderet.

Cōtigit igitur vt quidam ecclesiasticus prelatus aduersarius eius contra ipsum disceptaret, & de quibusdam scriptis eius quasi minus bene speret, palā eum argueret, non perpendens quali inuidiae morbo intus ipse laboraret. Tunc vir dei memor innocentiae suae, copiam literarum suarum protulit, asserens illa quae sibi obiiciebantur, nō esse scripta ipsius, nec cum literis suis consonantia habere. Vos (inquit) domine videritis quales literas recepistis vel misistis: En haec est copia & series literarum mearum quas manu mea distaui. cū istis loquor, & pro istis ago & respondeo. His ita constanter editis, obstructum est os loquentis iniqua, & magister insignis per assertionē veritatis in maiori abscessit reuerentia coram multis astantibus: Quoniam veritas semper praeualebit, quauis ab imperitis frequenter impugnetur. Fertur quoque quōd idem magister in astronomia & necromantia tritus fuerit, & antequam conuersus esset, quaedam magicae artis praestigia actitasset. Sed à duobus discipulis eius intellexi plura ipsi non recte imponi. Cum enim vnus discipulorum eius de hac re sciscitaretur ab eo veritatem, ait illi: Scientiam quidem huius artis didici, & libros legi & habui, sed magicam leuitatem nō exercui. Adiecit etiam mihi dicere quidam discipulus eius fidelis & deuotus presbyter ad certificandum me clarius de dubio praesenti. Quia duplex est (inquit) necromantia. Vna ^{Necrom.} dicitur naturalis, quae est subtilissima, & à paucis vix discernitur à secunda, quae diabolica appellatur, & à iure prohibetur. Naturalem magister Gerardus sciuit, sed alteram existimo eum non didicisse, nec cum diabolo pactum iniuisse. Sed qualitercunq; tamē sit, quicquid vanitatis & cōtagionis ex praedicta scientia olim contraxit, siue ioculariter siue seriose aliquid egit vel dixit, haec cuncta dignis poenitentiae fructibus ad deum plene conuersus diluit & purgauit. In cuius rei testimonium, quadam aegritudine tactus, coram sacerdote omnibus illicitis artibus renunciauit, & codices vanitatis igni tradidit exurendos. Agnoscatur in his omnibus diuinæ pietatis sinus immensus, qualiter omnipotens deus quosdam sine grauioribus peccatis & diuturnis erroribus implicari, & tandem ampliori miseratione apparente ex occulto, reuocat perditos ad vitam, ac lapsos suscitāt ad poenitentiam, donans non solum de praeteritis criminibus veniam, sed etiā per-

fecte

fecte conuersis & bene proficere nitentibus, cumulū maioris gratiae, & quod diabolus instigauit ad cōfusionis poenam, deus nouit ordinare ad altioris gloriae coronam promerendam. Si enim gaudium nascitur angelis super vno peccatore poenitentiam agente, quā ingens gaudium factum est de eo qui non solū de propriis malis poenituit, sed tam multos etiam peccatores ad poenitentiam verbo & exemplo suo conuertit, atque magnam turbam fidelium ad caelestia regna trahere laborauit?

De multiplici fructu eius in conuersione hominum. Cap. 14.

Quoniam quidem omnis arbor, Christo attestante, ex fructu cognoscitur, pandēdum nunc est quales ac quantos pietatis fructus haec arbor protulerit in tam breui tempore quo praedicauit. Tribus autem praecipue arboribus hunc memorabilem virum & doctum magistrum dignum duxi comparandum, videlicet oliuae fertili, cedro sublimi, & palmae florenti. Ipse enim tanquam lignum fructiferum secus decursus aquarum plantatus extitit, qui in tempore suo fructus optimos deo reddidit, quia pius fluentis scripturarū, vineae domini sabaoth vberim irrigauit, vnde botri deuotionis cum viriditate boni operis excreuerunt ad laudem omnium nostri saluatoris. Nō fuit iste homo dei arbor sterilis, nec syluestris velut quercus desuetibus foliis, sed reuera fertilis vt oliua speciosa in capis, sicut cedrus nobilis exaltata in Libano, & tanquam palma decora in monte Sion. Praestitit enim ei misericors deus gratiam magnā, quam non in vacuū recepit, sed ad vsum boni operis exercuit, vt fieret omnibus exemplum virtutis, qui prius fuerat multis causa erroris, & comes vanitatis. Et factus est tanto humilior & feruentior ad bonum, quāto grauius se nouerat errasse in malo. Quamobrē spiritu dei innouatus & accensus, operibus misericordiae diligētius insistebat, magno compassionis affectu proximis succurrēdo, salutis verbum populis praedicando, tristibus & tētatis tanquam pius animarum medicus diuinā consolationis solatium adhibendo, & reciduiantes crebra exhortatione ad primi feruoris statum precibus & lamentis reuocando. Quia ergo multā misericordiae affectus est à domino, & hanc cū proximo impertiri studuit in vera charitate largiter & vbique, merito potest cum sancto ^{Psal. 51.} David cātare & dicere: Ego autem sicut oliua fructificauit in domo domini, speraui in misericordia dei in aeternum. Non enim incōspiciuus & immisericos extitit, sicut malus ille ^{Mat. 23.} feruus, qui omnibus sibi dimissis, nō est miser-

tus conserui sui, sed ab initio cōuersionis suae omne debitum in se peccantibus dimisit, pro detrahentibus sibi suppliciter orauit, paratus etiam ad satisfactionem prior venire si quem offendisset, & cum omnibus pacem salua veritatis defensione conseruare. Nec etiam abscondit pecuniam domini sui, sicut piger ille ^{Mat. 25.} feruus propriis commodis intentus, sed donū scientiae ac talentum sibi traditum, ad lucrandas animas fideliter exposuit. Digne ergo oliuae fertili comparatur, qui oleum misericordiae quod à deo percepit, in proximis suis pia erogatione transfudit. Praecipue tamē misericordiae viscera, pauperibus clericis, viduis desolatis, & virginibus castitatem seruantibus ostendit, curam paternae sollicitudinis eis impendens, atque omni quo potuit consolationis auxilio, necessitatibus egenorum per se & per alios studuit subuenire. Comparatur quoque non absurde cedro sublimi in altum protensa, quia terrena cuncta spernendo, per cōtemplationem aeternorum creuit in altum, atque per propriae fragilitatis respectum, cor suum fixit in humilitatis profundo, factusque est tanto latior in summo, quanto angustior & depressior in mundo. Cum enim esset tam multis scientiis praeditus, & maximae reputationis inter egregios sui temporis doctores, despexit tamen omne culmen secularis honoris, & simplicium se conformauit moribus, vt si quis eum non cognouisset, vix attendisset aut salutasset. Bene etiam palmae florenti magister iste assimilatur, qua antiquitus viatores pugilesque solebat coronari, quia multis laboribus & scripturarum documentis veluti armorum telis cōtra hereticos, simoniacos, vsurarios, proprietarios, focaristas, ac alia complura vitiorum monstra certauit, & vicit, dignus proinde aeternae beatitudinis palma coronari, atque à fidelibus populis debita laudum veneratione commendari. Ecce iam verus Israelita, & theologicę veritatis deuotissimus praedicator & defensor, qui sic deum dilexit, vt proximum non negligeret: sic ad caelestia mētem erexit, vt necessitatibus aliorum nō deesset: qui non tantum propriae saluti intendit, sed multis prodesse, & secum ad perfectiorem vitam ducere satagebat. Erat enim vultu hilaris, affatu benignus, mente tranquillus, habitu humilis, victu sobrius, consilio sagax, iudicio discretus, rigidus cōtra vitia, feruidus ad virtutes, ocium fugitans, semper aliquid vtilitatis pro aedificatione exercens, simplicitatem diligens, humilia sectans, caelestia meditans, interna penetrans, lectio-nibus & orationibus sedulo vacans, deū semper praec oculis habens, iura ecclesiae solli-

x iij

cite custodiens, atque secularibus bonum exemplum præbens, nil terreni cōmodi ex prædicatione quærens, sed animarum lucra pensans, ac gratis sine ecclesiasticis sumptibus euāgelizans. Quauis ergo longæuam vitam non duxit senio fessam, in breui tamen tempore multum fructum prædicatione sua protulit, & deuotissimos post se discipulos ac fratres in diuersis locis reliquit, quos ipse primo nouæ lucis gratiâ, qua imbutus erat, fideliter instruxit & accendit.

De deuotis congregationibus & monasteriis ab eo exortis. Cap. 15.

Oprime autem æterna patris sapiëntia supernaq; clementia prouidit, vt senescēti iam mundo, & ad deteriora vergēti, talis ac tantus magister tāquam cælestis legatus destinaretur, lorica fidei indutus, & sanctitate vitæ suffultus, per quem religio sacra restoreret, & deuotio christiani populi ad diuini cultus studium & obseruantia decalogi frequenter eius sermonibus erudita incalcesceret, atque opera misericordiæ in pauperes exerceret. Nō enim imperiti hominis opus esse videbatur, tot hominum malitis posse resistere, & de profunda peccatorum caligine pereuntes animas ad veritatis lucem reuocare. Sed huic doctissimo viro & in multis experto gratia diuina prædicandi tribuit facultatē, qui vitæ merito & doctrina cælesti plenissime instructus, alios præcellerat, & contēptum mundi non in humanæ sapientiæ verbis, sed sanctæ conuersationis exemplis suis auditoribus efficacius persuadebat. Tantusque affectus audiendi verbum dei in populo fuit, vt turbam conuenientē ecclesia vix caperet. Nam multi sua prandia relinquēbat, & negocia necessaria suspendentes, ad eius sermonem pia prorsus auuiditate tracti cōcurrebant. Sæpe nanque duos sermones vno die prædicauit, & quandoque spiritu feruoris cōcepto, tribus horis aut amplius sermonem cōtinuauit. Prædicauit autem in principalioribus ciuitatibus diocesis Traiectensis, Dauētriæ, Syuollis, Campis pluribus vicibus, & in Traiecto coram vniuerso clero, atq; in Hollandiæ partib; Leydis, Delfi, Goudæ, & in Amsterdamo primum sermonem teuthonicū, & in compluribus aliis oppidis ac villis famatis, vbi sperabat aliquem fructum facere, & nouū populum deo parturire. Et benedictus deus, qui misso desuper spiritu sancto accēdit corda fidelium suorum, & auxit populum suum vehementer, vt de paucis granis cōuersisurgerent multæ cōgregationes deuotorum fratrum & sororū in castimonia vitæ deo seruiētium, ex quibus nōnulla monasteria regulariū ac sanctimonialium scēminarū initium san-

ctæ cōuersationis acceperūt. Magna laus magistri Gerardi, quōd de origine ac fonte prædicationis eius stirps tanta processit, quæ neq; post mortē eius licet nouiter plantata in agro dominico germinare cessauit. Siquidem primo ad proximas regiones Hollandiæ, Gelriæ, Brabantia, dehinc ad remotiores partes Flan driæ, Frisiæ, Vuestfaliæ, Saxonie, ordo regularis & deuotorum cōuentus deo prosperante cursim emanauit, insuper ad audiētiam apostolicæ sedis odor bonæ opinionis peruenit. Ipse nanq; venerabilis magister Gerardus spiritu dei repletus, cū videret paulatim numerum discipulorum suorum augmentari, & ad studium cælestis exercitij cōflagrare, operam dedit & cōsultuit, vt deuoti quandoq; in vnam domum pro mutua exhortatione cōuenirēt, & de deo ac charitate seruanda sincere tractarent. Et si qui simul stare vellent, de labore manuum suarum victum quærerēt, & cōmunem vitam quantū possent sub disciplina ecclesiastica tenerent. Nullū etiam permisit publice mendicare, nisi euidentis necessitas cogisset, nec curiose per domos sub obtentu alimonie circuire, sed potius domi manere, & operi manuali, vt Paulus docuit, insistere suafit, neq; aliqua negocia deuotionis impeditiua spe vberioris lucri censuit exercēda, ne diabolo instigante daretur in hirmis occasio recidendi rursum ad pristina mala. Habuit etiā in proposito ædificandi monasterium clericorum ordinis Canonicoꝝ regularium, volēs quosdam de idoneis clericis sibi adherentibus ad religionis habitū promouere, vt aliis deuotis essent in exemplum, & aduentantibus aliunde clericis vel laicis, bonæ conuersationis iter ostenderent. Ad hunc ordinem regularium instituendum præcipue inductus fuit propter singularem reuerentiam & amorem venerabilis domini Ioannis Rusebroec primi prioris Viridis vallis, & aliorum ibidem religiose conuersantium probatissimorum fratrum in ordine regulari, quos dudum personaliter in Brabantia visitauerat, à quibus magnam ædificationis formam ob multam ipsorum humilitatem & simplicis habitus deferentiam traxit & annotauit. Cum igitur pro loco religioni apto & monasterio fundando diligenter instaret, mortalitate præuentus nō potuit perficere quod oprauit, sed deo regi immortalis & inuisibili omnium rerum conditori intentum voluntatis suæ pro operis effectu obtulit, ac totum desiderium monasticæ constructionis charissimis discipulis suis ab eo cōuersis perficiendum commisit, horrans ne tantum bonum ipso defuncto sopiretur, sed pro honore dei ampliando, omnes pariter

riter consilium præstarent & iuuamen. Ex his fuerunt qui monasterium in Vvindefem & domum sanctæ Agnetis in monte prope Svvolas primitus deo iuuante fundauerunt.

De felici obitu eius & sepultura.

Cap. 16.

Sentiens itaque fidelis & prudens seruus domini magister Gerardus dierum suorum adesse finem, vt pote communi mortalitatis fulmine percussus, salutare viaticum petiit & accepit. Insuper plagā domini patiēter tolerans cum electis non refugit flagellari, vt iram omnipotentis iudicis tanto facilius placaret, quanto humilior & libentius præsentia flagella sustineret. Igitur omnimodo voluntati diuinæ se resignans, & ordinationi supernæ sponte se subiiciens, agonem suum fiducialiter domino commendauit, ita ad astantes sibi fratres breuiter loquens. En vocor à domino, & tempus resolutionis meæ instat. Augustinus & Bernardus pulsant ad ostium, non possum præterire terminum à deo constitutum. Cogor cum mortalibus cæteris debitum persoluere carnis. Deus tueatur exitum meū, pergat spiritus ad dominum qui fecit illum. Tegat terra corpusculum, de terra sumptum, non diu ibi mansurum. Det mihi deus inuenire requiem post mortem, pro cuius amore laboraui, scripsi, & prædicaui. Cōtristati vero nimis discipuli eius, & profunde ingemifcentes dixerunt. Quid iam vltra faciemus, & quis decætero nos informabit? Tu pater & defensor noster fuisti, & ad dominum nos traxisti. Jam aduersarij nostri lærabitur, & seculares nos subsannabunt dicentes: Non habet isti duce[m] ac principem, ideo cito redigentur in nihilum. Si te veniente ausi fuerunt nos deridere, & maledicere, quid facient te decedente? Cadat oratio tua pro nobis, & fer cito auxilium filiis derelictis. Tuo consilio nos emendare incepimus, adiuua vt perseueremus. Videns pius & misericors magister corda filiorum suorum de suo transitu grauiter contristari, benignam consolationem intulit dicens. Habete fiduciam in domino charissimi, nec timeatis seculares homines contra vos garrientes. State firmiter in proposito sancto, dominus erit vobiscum in loco isto. Non enim præualebit homo infringere, quæ deus decreuit operari. Vt primum venero ad dominum, spero quōd proiciam vobis flores de cælo, vt gratiam sentiat, & fructum faciat in mundo. Commendo autem vos omnes deo & sanctis eius. Et ecce dominus Florentius dilectus discipulus meus, in quo vere spiritus sanctus requiescit, erit vobis pater & rector vester. Ipsum loco mei habeatis, ipsum

audite, & eius consilio obedite. Non noui cōsimilem ei, de quo talia sentio, & cui tantum confido, quem sicut patrem diligere & honorare debetis. Sicque benigne cōsolatus est discipulos suos graui mœrore affectos, spondēs auxilium dei eis certissime affuturum. Quibus non aurum nec argentum, nec prædiorum copias reliquit in testamentum, sed sacros codices & pauperulas vestes, ac alia quædam vilia & antiqua vtensilia in signum contempus mundi, & ad consequendum facilius regnum dei. Tunc etiam venerunt ad eum quidam deuoti scholares morbo pestilentie percussi, cupientes pro remedio animæ salutare aliquod verbum ab eo audire. Ad quos ille clementer locutus est: Si habetis bonam voluntatē, semper seruiēdo deo secure potestis mori. Omnes lectiones quas didicistis, reputabuntur vobis sicut oratio dominicalis, propter piam intentionem quam ad deū in studendo habuistis. His auditis cōsolati iuuenes, & reuertentes ad hospitia sua defuncti sunt in confessione bona, cōmendantes deo & angelis sanctis animas suas Christi sanguine redēptas. Igitur post festū assumptionis beatæ Mariæ semper virginis cum iam natalis dies beati Bernardi illuxisset, venerabilis pater magister Gerardus speciali deuotione sancto Bernardo affectus, sole aduersperascente inter quintam horam & sextam tradidit deo animam suam sacramentis ecclesiasticis munitam, fide preciosam, ac multis virtutibus claram, Anno domini incarnationis millesimo trecentesimo octogesimo quarto, ætatis suæ quadragesimo circiter quarto, tempore Vrbanus Papæ sexti, ac reuerendissimi domini Florentij de Vveulichouen Traiectensis episcopi viri spectabilis, multis probis actibus adornati. Cum ergo tristis rumor obitus eius exisset in populum, conuenerunt multi fideles ad tam amandū & deo deuoti magistri exequias celebrādas. Fuderuntque piæ lachrymas religiosi fratres & sorores, debitum humanæ defunctionis cū precibus & missarum solenniis ex more persoluentes. Omnique ecclesiastico officio fideliter peracto, corpus eius deportatum est ad ecclesiam beatæ Mariæ, in qua reuerendæ traditur sepultura, vbi frequenter verbum dei noscitur viua voce prædicasse. Ibi non longe à sanctuario requiescit in pace, cum cæteris fidelibus resuscitandus in nouissimo die, per Iesum Christum dominum nostrum, qui iudicaturus est viuos & mortuos & seculum per ignem. Hæc pauca de pluribus & magnificis actibus venerabilis magistri Gerardi pro ædificatione præsentium & futurorum fratrum nostræ cōgregationis sint dicta ad lau-

dem domini nostri Iesu Christi. Peto autem veniam mihi dari pro omni errato & sermone defectu, quia imperitiam meam agnosco, & fraternam correctioni humiliter me subicio, gratia dei tribues quicquid boni hic scriptum inuenitur.

Nouitius. Multum desideranter ista audio, & quasi nouum deuotionis spiritum sentio mihi exinde generari. O si multi iam tales magistri possent inueniri, qui ecclesiam dei tam preclaris exemplis & doctrinis conarentur informare: Quapropter egregium virum hactenus mihi ignotum in maiori reuerentia dilectionis habeo, & eius scripta ac gesta vbicunque inuenero, studiose perlegere & indagare curabo. Sed quaso te si adhuc aliqua commendabilia de eo nosti, quatinus hec mihi prius edisseras, antequam ad vltiora procedas.

Senior. Licet ad alia scribenda festinem, stamen vt tuo desiderio satisfaciam paucis, audi quid de eodem quidam doctor in theologia cantor Parisiensis olim ipsi familiaris scribit, & quanta eum laude post mortem extollit.

De magnifica commendatione eius a cantore Parisensi. Cap. 17.

Sacrae recordationis magister Gerardus dictus magnus feliciter migravit ad dominum. Et vere magnus, quoniam in omnibus scientiis liberalibus, naturalibus, moralibus, ciuilibus, canonicis, & theologis simul in vno supposito congregatis, nulli secundus erat in orbe. Erat etiam tanta sanctitatis & exempli in mortificatione carnis, in abnegatione temporalium, in contemptu mundi, in charitate fraterna ad omnes, in desiderio salutis animarum, in efficacia predicationis, in reprobatione & detestatione vitiorum, in opponendo se haereticis, in persequendo secundum iura canonica concubinariorum, in conuertendo ad vitam spiritualem plures viros ac mulieres prius secundum seculum viuentes, in fidelitate ad dominum nostrum Urbanum sextum, quod multa millia personarum testificarentur de credulitate quod credunt eum fuisse non minorem in dictis virtutibus quam in antedictis scientiis. Magister Vvilhelmus de Saluaruilla cantor Parisiensis archidiaconus Brabantiae in ecclesia Leodiensi, doctor in theologia praecellens, haec praedicta compilauit, prout ab ore fide dignorum audiuit, & secundum quod ipse magistrum Gerardum nouit, vera esse procul dubio credit.

Nouitius. Consonant scriptis tuis verba su praedicti doctoris, de veridica laude magistri Gerardi primi nostrae religionis instituta

toris. Nam quod doctor praecellens breuiter & summam conscripsit, tu largiore stilo serasti. Vnde quo plura testimonia de venerabili viro percipio, eo amplius exulto, & dictis eius fidem firmius adhibeo.

Senior. Vt ergo non tantum aliorum testimoniis informaris, ad habendam notitiam magistri fidelissimi volo introducere eloquia oris eius, quatinus publica protestatione eius lecta, cognoscas clare, quid viuens ipse docuerit & professus sit.

De publica protestatione eius, & de veridica predicatione euangelij quod praedicauit. Cap. 18.

Ego Gerardus dictus teuthonice Groot coram omnipotenti deo, coram omnibus sanctis, & coram vobis & omnibus hominibus protestor firmiter me circa ea quae fidei sunt, in ipso summo lapide Iesu Christo fundamento, firmam, illibatam & catholicam fidem praedicasse & defendisse, atque in via morum sanas, certas & indubitatas euangelicas & apostolicas doctrinas & vias, secundum scripturas diuinitus inspiratas docuisse & seminasse secundum sensus & intelligentias sanctorum doctorum & patrum Ambrosij, Gregorij, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Dionysij, Bernardi, Bedae, Isidori, Hugonis & Richardi, quorum libros vna cum sanctorum aliorum libris pro terrenis habeo & quero. Itemque ea quae scripsi aut praedicauit circa iura humana, aut circa materiam decretorum aut decretalium, & maxime circa turpissimos notorios fornicatores, spero ab omnibus mendullitis iura intelligentibus aut tanquam certa & indubitata, aut tanquam securiora & probabiliora aut veriora, cum eo temperamento & moderamine quibus ea pronunciaui aut scripsi, inueniri & probari, saluo semper iudicio sacrosanctae Romanae ecclesiae, cui humillime vndique & vbique me submitto. Et si (quod absit longissime) me contra fidem vel sanam doctrinam quam vbique defendo, quispiam dixisse diceret vel confingeret, aut nominatim me exprimendo, aut si hoc non auderet in propriis verbis, diffusius circumloquendo, aut in genere me vrendo secundum praesumptionem aut cleri aut populi designaret, aut temerarie infamaret, aut falsum aut mendacium reperiret in effectu. Episcopalem reuerentiam excipio, cui in hoc defero honorem. Si tamen (quod absit) quid reperiretur in literis principis populi & domini nostri episcopi, respondeo quod beatus Bernardus ad literas qualdam summi pontificis cum assensum malo praebisset, respondit, videlicet pontificem nostrum aut circumuentum mendacium aut

aut importunitate victum.

Coclusa & proposita, non vota, in nomine domini a magistro Gerardo edita.

Ad gloriam & honorem & seruitium dei intendo vitam meam ordinare, & ad salutem animae meae. Nullum bonum temporale siue corporis siue honoris seu fortunae seu scientiae praeponeo salutis animae meae. Omnem emulationem dei sequi, de qua mihi certum esset esse scientiam & discretionem, habito respectu ad corpus & statum meum, de quibus aliqua emulationes subsequuntur.

Primum est, nullum amplius beneficium desiderare: nec spem nec desiderium in aliquo lucro temporale ponere de futuro. Siquidem quanto plura habuero, tanto sine dubio auarior fuero. Item secundum ecclesiam primitiuam non potes habere plura beneficia. Item in morte te poenitebit, quia communitur dicitur quod nunquam quis pluralis in beneficiis sine huius poenitudine mortuus est. Et quanto plura beneficia & plura bona habeo, tanto pluribus ego seruiro, & pluribus oneratus sum, & est contra libertatem spiritus, quae est principale bonum in vita spiritali. Alligatur enim affectus pluribus, & tenetur pluribus alligatus. Repugnat namque paci cordis & quieti mentis affectio huiusmodi animam inficiens, & curae istae annexae mentem maculant & disturbant sapienter. Item appetitus plurium rescindendus est, deinde possessa abbrevianda sunt, discrete ad minus. Item si de meis largiri volo, cur pro pluribus stabo? Tantum est si dedero ex modico modicum, sicut ex magno multum deo, quia non substantiam, sed cor pensat deus. Vnde vidua quae misit duo minuta, diuitibus praefertur a domino. Item video quod quae habeo, excellenter me ligant, quanto magis illa acquirenda si adderentur istis? Item satis habeo secundum proportionem communis vitae & dignitatis. Item nulli cardinali vel ecclesiastico, attento sine hoc seruiam, ad beneficia vel bona temporalia consequenda, quia hoc seruitium multis lapsibus & reciduationibus proximum est, & tu debilis es, & periculis multis nisi in seruitio dei, te expones, & morti satis proximus, & nullas comestationes vales sustinere. Item nulli domino temporali seruias ad lucrum consequendum. Item nullius domini vis vnquam esse astrologus. Item pro nullo homine mundi exercere debes aliquam scientiarum prohibitarum, quia res in multis in se mala, suspiciosa, & suspecta & prohibita. Item omnes has superstitiones & alias curiositates debes a mentibus hominum remouere, in quantum potes, salua quiete mentis, & purita-

Sacerdos siue beneficiarius plura quis vult habere non potest.

te & libertate voluntatis, vt in illo in quo deo displicui, deo complaceam secundum suam voluntatem. Item nunquam tempus eliges ad itinerandum vel flebotomizandum, vel ad aliquid aliud nisi grosso modo secundum aeris consistentiam. Talis enim electio prohibita est in decretis & a sanctis patribus. Item quicquid incipiam, in nomine domini incipiam, & spem meam in illa re ponam in domino, vt ipse ad viam salutis meae me in illa re dirigat. Et non dependeat aliqua spes in fato vel orbitibus caelestibus alia a spe dei & oratione, & bonis spiritibus, & eorum custodia. Item, quomodo scio si prosperari in via vel in re est mihi utile? immo sapissime inutile, quia saepe angustia, saepe tribulatio vtilissima est, ergo supponam me ordinationi dei. Beatus enim homo qui sperat in deo. Omnem igitur sollicitudinem in eum proicias, quoniam ipsi cura est de te. Quanta enim misericordia me per flagella contra meam voluntatem spero reuocauit? Nec solliciti debemus esse quid madducemus, quanto minus de astris & superstitionibus? Necessarium est enim ex corde puro omni Christiano seipsum deferere, & se deo committere. Item nunquam iudicabo rem futuram, & modicum aduertam futura in genere, quoniam deo & me & mea singula supponam.

Item per honores & fauores & per auaritia, quibus omnes student, coinquinatur homo, & per tales lucratiuas scientias obscuratur, passonatur, & rectitudo naturalis obliquatur, & inficitur appetitus, vt nec quae sunt dei nec virtutis nec bona corporis recte aspiciant. Vnde rarissime est quod qui scientiis lucratiuis vel medicinae vel legibus vel decretis inhaeret, rectus sit vel aequus in ratione, vel iustus vel quietus vel recte viuens. Item. Tu nullum tempus consumes in geometricis, arithmetis, rhetoricis, dialecticis, grammaticis, lyricis poeris, iudicialibus, astrologis. Haec enim omnia per Senecam reprobantur, & retracto oculo bono viro respicienda sunt, quanto magis spiritali vel christiano respicienda? Item inutilis temporis consumptio est, & nihil prodest ad vitam. Item inter omnes scientias gentilitium, moralia minus abhorrenda sunt, quae saepe sunt multum vtilia & proficua tam in propria persona quam in docendo alios. Vnde sapientiores omnem philosophiam ad mores retorquebant, sicut Socrates, & Plato. Et si de altis rebus dixerunt, etiam sub leui mortalitate ea figuratiue secundum beatum Augustinum & experientiam tuam tradiderunt, vt & inueniri posset semper mos iuxta cognitionem. Vnde & Seneca haec secutus in quaestionibus naturalibus totiens admiscet mo-

Temporis nulla ratio habenda ad iter futuri praedum, aut aliud quiduis.

Moralis ex scriptis gentilitium praecipue sectanda

ralia. Quicquid enim meliores nos non facit, vel à malo non retrahit, nocuum est. Item secreta naturæ non esse studiose inquirenda in libris gentilium, nec legis nostræ veteris & noui testamenti, sed cum occurrent, de eis & in eis deus est laudandus & glorificandus, vt de naturali fiat meritoria scientia, & offeratur sicut sacrificium deo altissimo, per gratiarum actiones cum Abel iusto, & cum eo cogitetur aliquod bonum in honorem dei. Aduerte in omnibus quod hæc omnia coinquant, non fatiant, & inuenies in eis nauream per gratiam spero altissimi. Nunquam capies gradum in medicina, quia nec lucrum nec beneficia cum gradu intendo acquirere. Similiter nec gradum in legibus vel canonicis, quia finis graduum est vel lucrum vel beneficia, vel inanis iactantia, vel gloria mundi, quæ cum ad lucrum vel beneficia non ordinantur, simpliciter inutiles sunt, & superuacue & stultissimæ res, & contra deum & omnem libertatem & puritatem sunt, & homo cum illas appetit, cadit in mala plurima, & peiores sunt lucris & beneficiis. Item nullam artem studere, nullum librum facere, nullum iter arripere vel laborem, nullam practicam scientiæ exercere ad dilatandam famam meam, & nomen scientiæ meæ, & ad habendos honores vel gratitudinem quorumcumque, vel propter memoriam mei post me derelinquendam. Si enim propter hæc, talia vel aliquem actum fecero, mercedem in eis ponendo, nõ reddetur mihi apud patrem qui in cælis est, & si quid talium propter bonum & mercedem æternam semper faciam, vnde dilatatio nominis omnimodo vitetur. Item quia hæc inanis gloria memoria & fama etiam per philosophos tam excellenter est reprobata, vt vix eam aliquis dignus laude admitteret. Et si veniret laus ex opere propter deum facta, de quo intentio fuerit occulta, licet hoc opus luceat, redde altissimo laudem illam & gloriam. Item secundum Bernardum, nullum verbum proferas, de quo multum religiosus vel scientificus appareas. Item omnem disputationem publicam vitare & abhorre, quæ est litigiosa, vel ad triumphandum vel ad apparendum, sicut sunt omnes disputationes theologorum & artistarum Parisij, immo nec ad discendum interesse. Patet quia contra quietem sunt, & lites & dissensiones fiunt, & inutiles & semper curiosæ, & vt plurimum superstiosæ, animales, diabolicæ & terrenæ, ita quod doctrina sæpe nociua, & semper inutilis est, & consumptio temporis inutilis est. Interim possis lucrum spirituale acquirere vel oratione in merito vel studio alicuius deuoti. Item nunquam

Gradus
& honores
res i sci
tiis gra
ni.

Disputa
tiones
publicæ
hand ad
eo vi
let.

disputabo cum quocunque priuate, nisi præordinetur certus finis euidentis boni, & nisi talis sit, qui me velit audire, & cum quo possim sine litigio conferre & modeste, nisi malitia rigorem requireret propter bonum subsequens, & hoc nunquam nisi bene deliberate. Patet quia semper in bono sine omni res debet ordinari in laudem dei, hoc est semper orare. Vnde non differas cum eo, nisi qui veritatem concedit. Item nunquam studebis ad capiendum gradum in theologia, vel nitêris ad hoc, quia lucrum & beneficia nolo consequi vel famam, & scientiam æqualiter possum habere sine gradu. Item communiter est carnale, & qui carnaliter sapiunt. Item in multis retraheris à salute proximi. Item ab oratione, à puritate mentis & abstractione. Item multis vanis lectionibus oportet interesse, & multitudine hominum, in quibus homo inquinatur & diuicatur. In legibus & in medicina nunquam studebis, nisi casu occurrere, & in quo possis aliquid boni facere cum eis. Nihil enim nutriunt in se, sed mentem diuertunt, sed amore concordia, vel casu necessitatis vel casu mirabili se offerente in legibus potest videri, & pro proprio corpore vel focij in medicina. Sunt enim res seculares in quibus magis congruum est pati aliorum consilia, quam dare. Item theologis, monachis, & legem dei desiderantibus prohibentur leges & medicina. Item non dabis dubias medicinas, vel dubiæ infirmitati quascunque medicinas vel cuiunque ægroto, nisi maxima necessitate modicum dicas, vbi alius haberi non possit, sed aliter nunquam te intromittas. Item vides quantum boni viri gaudent liberati à practica eius. Itê in nullis causis placiti vel cõtrouersie cõsulas, vel te intromittas, nisi euidenter constaret tibi quod illi calumnia euident fieret, & nisi miserabilis & nisi causa tota pia esset, vel manifestissimorum malorum fieret repressio, vel pauperum suppressio, & si æquamente seruata, possis te intromittere. Et post intromissionem te retrahere, ita vt reliquiarum curæ non maneat. Et in hoc caute attende, vt amicitia vel consanguinitate vel odio non mouearis. Et si amicus vel consanguineus, vel odibilis aliquando tibi, inuestiga intra te, si esset alienus vel non odibilis, si idem faceres. Patet satis quia cõditio foelicitatis in rustico est, quod non vidit, secundum Virgilium, ferrea iura, insanumque forum. Item coram officiali vel iudice spiritali pro nullo amico- rum vel consanguineorum vel aliorum fauore comparebis, nisi vrgeret maxima necessitas pietatis, & tunc alium procuratorem mittere debes, si necessitas requirat, & ipsemet nõ ire.

ire. Ex hoc nanque turbatur quies mentis, si ires, & strepitui & naufragio mundi te intromitteres: in omnibus aliis mitte mortuos sepelire mortuos suos. Coram scabinis vel iudice seculari in Dauentria non comparebis, nisi in similibus necessitatibus, quia amici tui omnia hæc tractant satis coram scabinis. Nunquam de quibuscumque hominibus contropersis (nisi vt supra) te intromittas, nisi ad componendum, si in breui & sine strepitu cõponi potest. & vbiunque etiam compositio fieri debet, si æque bene per aliũ fieri potest, non te intromittas, & hoc semper considera, sed propter tuam quietem, pacem quam posses verisimiliter ordinare, non dimittes. Item Quodocunque aliquis tuus consanguineus verberatur, interficitur vel molestatur, nunquam iniuriam molestabis, nunquam cõsiliium in malum eius contra eum dabis, nunquam os tuum contra eum obturabis vel eum vitabis, sed potius consolatorie monebis, vel ad pacem reduces. Et si volũt vindicare amici, à vindicta eos remouebis placidis verbis, & ab iniuriis, ne inferant. Tu te dimittes omnibus, & exemplum tale præbebis quãto magis alios monebis. Item facta amicorum & consanguineorum vel dominorum nunquam tractabo, nisi mere pia sint ad misericordiam & pietatem & iustitiam declinantia, & quæ per alios æque bene fieri non possint. Malum esset etiam propter contemplationem pietatis & iustitiam, quod per alium fieri non posset deferere, & proximi utilitates pias.

De sacris libris studendis.

Reuertor ad scientias. Radix studij tui & speculum vitæ sint primo euangelium Christi, quia ibi est vita Christi. Deinde vitæ & collationes patrum. Deinde epistolæ Pauli & canonicæ, & actus apostolorum. Deinde libri deuoti, vt meditationes Bernardi, & Anselmi Horologium. De conscientia Bernardi. Soliloquia Augustini, & consimiles libri. Item legenda & flores sanctorum. Instructiones patrum ad mores, sicut pastorale Gregorij. De opere monachali beati Augustini. Gregorius super Iob, & similia. Homilia euangeliorum sanctorum patrum & quatuor doctorum. Intellectus sanctorum patrum, & postillæ super epistolas Pauli, quia continentur in capitulis ecclesiæ. Studium in libris Salomonis parabolarum, & ecclesiastæ, & ecclesiastici, quia continentur in ecclesia in lectionibus & capitulis, Oratio spiritu, oratio & mente. Studium & intellectus psalterij, quia continentur in ecclesia sanctorum patrum, Psallam spiritu, psallam & mente. Librorum Mosaicorum, studium historiarum, Iosue, Iudicum & Regum, pro-

phetarum, & expositiones patrum in his. De modo transcurrendi decreta propter scire instituta maiorum & ecclesiæ, non ad incorporandum, sed transcurrendi, ne ignorantia iuris pietatem veritas in inobedientiam, vt vides grossos ecclesiæ primitiæ fructus, vt scias à quibus debes cauere, & à quibus monere cauendum. Omni die quando potes debes audire missam vsque ad finem. Laicis enim præceptum est in dominicis, vt de conse. dif. i. c. missas. clericis singulis diebus, vt in glossa ibidem. Item in ecclesia maneat diebus festis quousque missæ solennitas compleatur. Item corporali naturæ iuuenem est ad deuotionem cantus, vt scis per experientiam. Surgendum semper in euangelio & standum est, vnde de conse. i. c. dicitur: Apostolica auctoritate mandamus, vt nõ sedentes sed venerabiliter curui stantes simus, & in conspectu euangelij. In verbo venerabiliter, includitur honorem tribuendum euangelio, vnde & in verbo quod dicit, Attente verba eius audiant, & fideliter adorent, id est venerentur per compositionem corporis. Corporales venerationes sunt in curuitate, secundo in capitis deponendo ex consuetudine, tertio inclinare ad verbum Iesus & Maria, quia hoc habent deo deuoti. Item cum legitur euangelium, mens non debet aliam sibi orationem præponere, vel aliam lectionem cui debet intendere. Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Præcipiuntur enim verba euangelij & scripturarum apostoli in solennitatibus attendenda, per cap. Omnes. de conse. d. prima. Frustra audire esset nisi attendere. Item nihil legere, nihil meditari, quia attendere præsens debitum est seu debemus euangelio, à quo subtrahimus omne quod vel dicendo vel meditando peragimus. Item curuatio nostra illis verbis & veneratio corporalis, signa sunt venerationum mentalium. Signa falsa sunt, nisi signata eis respondeant. Item illorum mentalium hæc exteriora inductiua sunt: & sic sunt frustra, si eis non corresponderent. Item plus ore & mente venerari est, quam solo ore vel capitis. Vnde audiam capitis, audiam aure, audiam & mente: aliter est sicut cymbalum tinniens aut æs sonans. Non sunt mihi voces aut loquelæ quorum sermo à me non percipitur. Item genu flexo, capite non velato, dorso inclinato stabis post consecrationem sacramenti, si ipsum vel calicem videre valeas. Humilis illa adoratio & bassatio corporis decens deo & menti congrua in iuuenem deuotionis omnimodo, immo aptissima inclinatio capitis super cubitum, vt scis. Maxime enim seruus tenetur exhibere reuerentiam domino in

Missam
audiendo
quomodo
nos
gerere
oporteat

Incurua
tio apta
deuotio
ni.

Parobla
ta in mif
fa, quid
notet.

De abfti
nētia do
cumenta

præfentia domini. Incuruatio est mirabiliter
apta deuotioni mentis, propter proportio-
nabilem phantasmatum motionem. Quando
es remote, vel videre non potes, iaceas capite
declinato, & ora in abscondito deum tuum, à
Sanctus vsque ad pacem, & deinde siue capias
siue non, vsque ad euangelium sancti Ioan-
nis. Pacem venerabiliter & deuote sumas, quia
contactus est dominici corporis per os sacer-
dotis. Nonne & Veronica adoratur? Nonne
pictura Christi, non Christi dedicata corpore
adoratur? Nam fideles solebant communica-
re omnes in primitiua ecclesia, loco cuius cō-
municationis datur pax, quasi aliquid com-
municationis corporis Christi. Ratio, quare
non ita communiter datur corpus, opinor,
quia in primitiua ecclesia meliores erant fer-
uente sanguine Christi, & religio stetit in vi-
gore & culmine, quæ est iam antiquata. Vn-
de & ipsi se subtraxit. Quando pax venit, sis
paratus ac si capias corpus Christi, & tunc le-
ua desiderium & te præpara, vt si sacramen-
tum corporaliter manducare non vales, sal-
tem spiritualiter manduces. Post commu-
nionem talem ex pace, oportet desiderium
tuum manere & diu durare intus. Si tamen
euagari incipias sicut solet tibi contingere,
quando per te cogitas quæ non præordinasti,
vade ad passionem Christi. Item à Sanctus
sanctus præpara te ad videndum sacramen-
tum. Nunquid solent omnes se præparare ad
videndum regem, à quo & videantur? Post vi-
sionem præpara te ad ipsum manducandum,
& nihil aliud facias, quia tunc præfentia Chri-
sti operatur & iuuat infirmitatem tuam, & sic
ad sacramenti amorem exciteris. Hoc patet
per hoc quod dicitur Sursum corda, & habemus
ad dominum. Item semper appropinqua
sacerdoti quantum honor permittit, vt audias
missam, vt videas sacramentum, & in præfen-
tia eius sta. Nūquam velis alicui consulere vel
dicere nisi deuotissimo vel iuuare vt ordi-
netur. Primo propter dicta quæ ad officia cō-
tinentur, quæ fieri deberent & non fiunt, vt
patet in.iiii. sententiarum & in decretis. Secū-
do propter simoniam quæ communiter in-
teruenit. Tertio propter inutilem statum ec-
clesiæ. De abstinentia, videntur bona, sed
non promissa. Primo seruare præcepta ieiun-
nia, secundo nunquam comedere carnes. Ra-
tiones habes in margarita decretorum de cō-
secratione, v. distinctione, vbi. Tertio aduen-
tum & septuagesimā semper ieiunare non sine
causa dimittere. Quarto quotidianū ieiuniū
fit, non satiari totaliter, nisi frigus impediatur.
Hoc suadent philosophi omnes, præcipue Se-
neca & Aristoteles. Dum adhuc appetitus du-

rat, manum retrahere, sed male scitur satietas,
sed eam sic considera quantum velles comedere
si omnino liceret tibi vsquequaque, & de illo
appetitu durante aliquid trahas quod tibi ra-
tionabile videtur. Quinto iuxta finem come-
stionis vel vltimum ferculum, delibera quātū
comedisti, & quātum esses adhuc comesturus
si cōtinuares, & de hoc refeca, sequitur vel præ-
cedit ista præcedentem? Sexto in principio cū
præparare incipis, delibera comestionem tuā
& eius quantitatem. Septimo caue plus quam ab
vno pyro cocto post cibum, nec multum ma-
gnū, vel tria paruissima. Octauo semper in no-
cte comedere inter horā quartam & quintā,
nisi hospites, infirmitas vel accidens aliud, iter
vel huiusmodi impediuerit. Probatur per cau-
sas. Primo hoc digestionem conueniens, vt ci-
bus in stomacho non corrumpatur in vigilia,
per hoc quod calor sit nimis modicus. Secū-
do propter studium vel aliud impediens dige-
stionem in vigilia, sicut sollicitudo & tristitia.
Tertio ne digestionem impediatur potus super-
sumptus. Quarto ne potum superfumere tibi
cōsciētiam faciat, quod sæpe cōtingit. Quin-
to ne crudum pomum, species vel alia te ten-
tent per diem. Sexto quia somnus est melior,
quia plenus venter libenter dormit. Septimo
quia tūc studiū & orationes diei minus impe-
diunt somnū. Octauo ex hoc fiet vt eatur cito
dormitū, & vna hora semper. Nono ex hoc
fiet vt sit vnus somnus cōtinuus propter tem-
pestiuam dormitionem. Decimo nō tenebit
te delectatio studij nimis ad noctē. Vndeci-
mo quia tunc habes totam diem in laboribus
& orationibus. Duodecimo quia tūc tua vigi-
lia tota est sobria & ieiuna, subtilis & apta ad
deū & opera. Item plus appetit homo cibū qui
comedit quam ieiunus, sicut nō potest se ho-
mo abstinere existēs iuxta vel in mensa. Item
ab exaltatione sanctæ crucis vsq; ad pascha
non nisi semel comedere, hoc est Carthusien-
sium & Bernarditarum & aliorū. Item hoc in-
cipit in septembri circa æquinoctium, & du-
rat vsq; ad æquinoctium fere vernale. Item in
magno rigido plus comedere licet, nō tamen
nisi semel, quia hoc est doctrina Hippocratis.
Item hoc adiuuat te ad resistēdum frigoribus,
quibus vix alias posses resistere: Vnde potes
vna hora vel media plus dormire. Itē quando
bis comedendū est, tunc modicū de paruo di-
gestibili, vt vnū ouum, nō plus, vel magis ali-
qua siccantia, vt panem & vinum, vel species
cum pane modico, si tamē vinū &c. quia pro
digestione. Sunt hic rationes sicut superius,
vbi de nocte comedendum cōcluditur. Item
vellē posse nunquam bibere vinum sine cau-
sa quādiu essem sanus, ne contra doctrinam
Pauli

Ieiunio-
rum per
labdo-
mada ra-
tio.

Pauli agerem, est enim in eo luxuria, item ex-
pensæ nimia. Item post prandium & ante, &
inter prandium nunquam bibere, nisi infir-
mitas vel causa maxima ac ratio distaret. In
labore & post laborem nullo modo bibere,
nisi sedata calefactione, hoc sanum corpori
& animæ. Nulla satietas trahat te ad potan-
dum inter horas vel ieiunia frangenda. Bonū
est iniicere pedes in compedes sapientiæ. Item
sit tibi hora ad perlegenda ea quæ scribis in
hoc libro, quia hoc ordinat statum tuum. Vi-
detur mihi quod patres in deserto breues &
crebras orationes fecerunt, ex eo vt semper
continue cor eleuetur ad dominum, & non
in res fundatur, sed abstrahatur à rebus, & sic
faciendum est. Consilium in nomine domi-
ni, quod semper feriis quartis ieiunem, nisi
infirmitas vel rationalis causa obtiterit, vt
non habeam tamen tanquam fixum, sed tan-
quam ad quod niti debeo: similiter sabbato, &
feria sexta. Die nanque feriæ quartæ Iudas tra-
didit dominum, & sexta crucifixus est, & qui
non ieiunat, videtur tradere vel crucifigere
Christum cum crucifigentibus sine necessi-
tate. Eo plus teneor, quia clericus sum de for-
te domini. Item sanitas conseruatur multa, &
animam sentio meliorem cum deo suo. Etiā
si modicum corpori noceret, non aduerte.
semper enim melius fuisi quando ieiunasti,
semper solue deo tuo aliquid, & semper eius
melius recordaberis. Caue subitam comestio-
nem & auaram & auidam. Venit enim velo-
citas ex amore obiecti inordinato. Edacitas
velox gula & desiderium admixtum habet &
vitium. Gregorius in expositione Iob. Loqua-
citate excitat, immo inebriat, calefacit &
exorbitat, sicut ebrietas vel nimia loquela, te-
pescit, & illecebras educit. Item omnem co-
gitatum de deo præscindit & recludit. Melius
est vnum actum in magna mora bene facere,
quam in parua exorbitare. Nam ad sanitatem
corporis quanto honestius & ornatus inge-
ritur cibum, tātō facilius digeritur & salubrius.
Et sic etiam debet vltari & scribendo & lo-
quendo & agendo, vt non festines. Secundo
quia in illis non potest gloria domini quæri,
cum ita impetu homo fertur in rem, quod
omnes vires in eam extenduntur. Discas ergo
tardare & minui ab actu. Nullum bonum fa-
cias, vt inobedientiam incurras. In tempora-
libus pecuniis, redditibus & libris habeas te si-
cut dispensatorem, & videas vt in hoc fidelis
& prudens inueniaris. Tibi ergo victum & ve-
stitum frugaliter tribuas, deinde magis indi-
gentibus & melioribus, & in salutem anima-
rum magis. Nulli non indigenti aliquid no-
tabiliter tribuas vnquam, quia indigentes

plurimos inuenis. Et si abundanti tribueres,
fideliter non dispensares, nec prudenter ad
tuam salutem. Item ne carnaliter in dando
afficiaris. A nullo temporale accipiam, cum
indigentiores reperiantur, quia quod nulli fa-
cere volo, ab aliis non postulabo. Item dixit:
Pro nulla re mundi deberet homo turbari.
Qui facit illud quod scit, multum meretur
scientiæ: & qui non facit illud quod scit, mul-
tum cæcitat. Magnum est obedire in illis
quæ sunt homini contraria & graua, & hæc
est vera obedientia. Præ omnibus & in omni-
bus stude te humiliare specialiter in corde, &
etiam ad extra coram fratribus. Scientia sci-
entiarum est scire se nihil scire. Quanto plus ho-
mo scit se distare à perfectione, tam prope est
perfectioni. Initium vanæ gloriæ est sibi ipsi
placere. In nullo melius cognoscitur homo,
quam in hoc, quod laudatur. Semper debes
niti aliquid boni notare & cogitare de alio.
Quotiens aliquid inordinate extra deum cō-
cupiscimus, totiens à deo fornicamur. Ideo
propheta ait. Mihi autem deo adherere bo-
num est. Viriles esse debemus in oratione, &
non leuiter desistere: nec cogitare quod deus
non vult nos exaudire, sed quotiens repellimur,
nunquā desperemus. Pusillanimes orare
debent tanquam filius ad pium patrem, sicut
in euangelio dicitur: Quis ex vobis patrem
petit panem, nunquid lapidem dat ei? Er cæ-
tera. In omni re mundi est tentatio, quanuis
homo non sentiat. Maxima tentatio est non
tentari. Quādiu homo inuenit in se aliquid
ad amputandum, tunc bene stat. Quando ali-
quid mali tibi suggeritur, cogita quod velis
socios tuos interrogare, & tunc diabolus stat
confusus. Semper magis sperabis de æterna
gloria, quam timebis de gehēna. Caueat qui-
uis ne alios scandalizet moribus suis, sed stu-
deat mores suos corrigere, & honeste se vbiq;
habere, vt alij magis ædificentur. Cum quali-
bus cogitationibus vadit homo dormitum,
cum talibus surgit. Vtile est tunc orare, vel
aliquos psalmos legere. Modica confusio
hic perpessa delet æternam confusionem eo-
rum deo & omnibus sanctis. Illi studeas solū
placere, & illum timere, qui te & omnia tua
cognoscit. Posito quod omnibus placeres, &
deo displiceres, quid esset? Auerge ergo cor
tuum à creaturis, etiā cum magna vi. Auer-
te vt te ipsum perfecte sic vincas, & erige cor
tuum semper ad deum, sicut propheta dicit:
Oculi mei semper ad dominum. Deo gratias. Psal. 24.

Scientia
omnium
maxima
est scire
se nihil
scire.

Psal. 72.

Luc. 11.

Maxima
tentatio
non tē-
tari.

Psal. 24.

Epistola ad episcopum Traiectensem pro
magistro Gerardo Groot quando erat
ipsi interdictum ne publice prædicaret.

Pater præcelsæ potestatis, & princeps populi Traiectensis. Nuper cum inspirante domino, Gerardus Magnus diaconus vestræ diocesis in his ultimis temporibus prædicationis zelo accensus, clero ac populo scelera sua annunciaffet & pericula, necnon sanã & veram euangelicam & apostolicam doctrinam, contra hæreticos, vsurarios, & clericos focarias habentes, atque contra diuersa aliorum facinora & flagitia in diocesi vestra per vestram & parochialium curatorum licentiã, non sine fructu & incremento vt sperat prædicasset & seminasset. Vnde in diuersis locis multorum corda vias suas peruersas & malas relinquenda, conuersa sunt ad dominum. Vnde etiam in agro dominico virginis flores plurimi, viduarumque castarum & voluntariorum pauperum segetes, abrenunciationes seculi, restitutiones ablatorum, atque multi & varij alij ecclesiastici & catholici germinis fructus, ad oculos vere deum amantium nofcuntur pullulasse. Vnde etiam quorundam hæreticorum secreta serpentium in terra, audacia compressa videtur, & in partibus Zelandiæ vsurarum prauitas & vafani amores cessauerunt. Veruntamen eidem Gerardo, procuratibus vt præsumitur clericis & presbyteris focarias habentibus, per vestras literas sine causa vel causã cognitione exercitiũ prædicationis indirecte interdictum est. Nam quanuis generaliter vestræ literæ emanarunt, omnes tamen alij ad sua officia pene restituti sunt: quod ab episcopali prouidentia non sperat idem Gerardus, sed à malignorum suggestione processisse, in sanctæ ædificationis non paruum detrimentum & grauamen. Inde lærantur heretici, & serpunt audacius. Inde exultant inimici ecclesiæ clerici focaristæ, in lubrico carnis foetidissime permanentes. Inde gaudent vsurarij, inde etiam multiplicantur scandala, & multiplicantur forte latius quam carnales & mundanæ mentes valent existimare. Et quanuis deo teste idem Gerardus, quantum est ex se, speculationi veritatis vacare mallet & quiescere, tamen quia vidit hostem humani generis in proximos suos vndique crudeliter grassari, & eos per abrupta & in præcipitia vitiorum impellere, quorum plures secundum spem ipsius, vt etiam ex effectu apparuit, per suam prædicationem possint eripi à laqueo venantium, & à verbo aspero, zelo domus domini incitatur, & amore proximorum accenditur & stimuletur, vt possit verbum domini sine emolumento temporali in paupertate humiliter sed veraciter prædicare & seminare, prout prius non sine fructu euidenti prædicauit & seminavit. Et si sibi

specialis licentia denegatur, hoc saltem petit vt parochialibus curatis non inhibeat, quin ipsum possint si velint admittere, qui secundum consuetudinẽ ciuitatis & diocesis Traiectensis, quos voluerint prædicatores maxime veros & bonos sine licentia vestra semper admittere consueuerunt. Et adhuc (quod absit à dominatione vestra) si contra huiusmodi fructum & contra consuetudinem prædictam ipsum Gerardum velitis à prædicationis exercitio prohibere, rogat & petit humiliter & obnixius, vt sibi causas & rationes prohibitionis vestræ velitis ostendere, & non sine monitione, quæ semper debet præcedere, ipsum iudicare, aut iure suo priuare, vel à iure suo suspendere, qui paratus est non solum vobis pater, verum omni homini de singulis quæ docet publice vel priuate, rationem reddere, & sanctis sanctorum radicibus & scripturis veraciter comprobare, & si necesse fuerit, ad conspectum summi pontificis deducere.

Epistola magistri Vvillhelmi de Saluaruilla cantoris Parisiensis ad Papam Vrbano sextum ad impetrandum magistro Gerardo priuilegium prædicandi.

Sanctissimo in Christo patri ac domino nostro, domino Vrbano diuina prouidentia Papæ sexto, sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo pontifici. Humillimus vestræ sanctitatis orator & seruator, Vvillhelmus de Saluaruilla cantor Parisiensis, archidiaconus Brabantie in ecclesia Leodiensi. Beatissime pater humillima ac deuotissima ad pedum oscula beatorum subiectione præmissa, zelum dei habes, nisi fallor, scribo fideliter quæ sequuntur. Vir quidam venerabilis nomine Gerardus Magnus, diaconus Traiectensis diocesis, in scientiis liberalibus naturalibus & moralibus ac etiam in theologia & iure canonico eruditus, qui dudum propter deum omnia beneficia sua, scilicet præbendas Traiectensem & Aquensem, ac etiam patrimonium suum satis largum reliquit, modica dicti patrimonij parte retenta pro tenui victu suo, cui mundus crucifixus est, & ipse mundo, factus est magnus hæreticorum persecutor, iustitiæ & vnitatis ecclesiæ zelator, & feruidus prædicator in dicta diocesi contra vitia laicorum & clericorum, nihil ab illis quibus prædicat recipiens seu requirens, nullum temporale seu ecclesiasticum petit beneficium, sed desiderat, vt liberius & sine impedimento prædicare possit, habere super hæc commissionem auctoritate apostolica. Vnde quantum mihi potest apparere, videretur expediens quod vestra sanctitas eidem conferat auctoritatem


auctoritatem prædicandi, & contra hæreticos inquirendi, & etiam vestræ sanctitatis canonicam iustitiam in suis sermonibus propalãdi, in prouincia Coloniensi, vel saltem in prædicta diocesi Traiectensi. Præsentiam vestræ sanctitatis dignetur altissimè conseruare feliciter ad regimen ecclesiæ suæ sanctæ. Scriptum Leodij, xxi. die Octobris.

Epitaphium vetus & inconditum venerabilis magistri Gerardi Magni.

Gerardus Magnus, vixit sicut pius agnus. Fecit quod dixit, sicut docuit quoque vixit. Sicut non fictus, aliis mitis, sibi strictus. Lux fuerat cleri, tradens huic lumina veri. Lux fuerat prauis, oculus mentis bene gnauis. Hic mundo spreto, sed pneumate corde replet. Eius doctrina, falsis fuerat quasi spina. Ridiculum vanis, odium mentis malefani. Quæ falsos læsit, pars veridicis sed adhæsit Illi pro vero, fuit vilis hic quia clero Vt clero laicis prodesse volens inimicis, Doctrina veri, debet Christus misereri Eius de iure, pro tali pondere curæ. Talis nanque fore voluit gratis sed amore Diuino tactus, nulla mercede coactus. Nanque resignauit præbendas, sicut amaui Christum, sic strauit carnem, tenues quoque pauit De propriisq; bonis, tenuit regimen rationis. Sic fuit exemplo, lux in Christi bene templo. Gerardus Magnus quem verus diligit agnus: Sanctorum forte tenet euincens modo mortem.

F I N I S.

Prologus in vitam reuerendi patris domini Florentij deuoti presbyteri & vicarii ecclesiæ Dauentriensis.



Dignum iam arbitror ex ordine promisso aliqua etiam scribere de vita & moribus reuerendi patris ac piæ memoriæ magistri Florentij Dauentriensis ecclesiæ presbyteri, quondam magistri Gerardi discipuli, de quo superius narrationem peregi. Et rectus iam ordo loquendi procedit, vt qui bonæ arboris vbertatem in Gerardo ostendi, qui fuit nostræ deuotionis fundator, iam in pio Florentio eius discipulo aperiam speciosi floris dulcedinem, qui eiusdem deuotionis imitator extitit, & feruentissimus propagator. Cuius humiles & tractabiles mores, profecto sunt animæ languentis flores medicinales, & sanctæ eius virtutes

nouellos instruunt & prouectos. Obsecro autem te frater bone, ne simplicitatem eloquii mei ad iniuriã illustris sacerdotis retorqueas qui erat humilitatis & simplicitatis amator, sed bona laudata pio considerationis oculo inspicias & perlegas. Esto sicut apis prudētissima sugendo mel dulce de floribus pulchris prato in virenti, atque ad ædificationem status & ordinis tui dilecti patris nostri Florentij virtutum germina & exempla tanquam flores rosarum & lilia redolentia, in ortulo peccatoris tui diligenter infere & reconde, vt in bono semper proficias, & in amore Christi amplius inardescas. Ipse enim fuit insigne virtutis speculum, & cunctis deo seruire cupientibus ad cæleste regnum singulare iuuamen. De quo tanto fidentius valeo loqui, quanto apertius eum agnoui, & sæpius ipsi adititi & ministrati.

Nouitius. Opus quod rogatu meo & aliorum instanter incepisti, ad honorem dei perice. Erit enim delectabile posteris audire, quàm clara luminaria in sinibus nostris emicuerunt. Quorum meritis tu quoque particeps esse poteris, si ea quæ gratis accepisti, cæteris in charitate studeas impertiri.

Senior. Laboriosum est opus quod aggredior, & quod scientiam meam ac vires imbecilles excedit. Nam potius eligerem ab aliis dictata in silētio legere, quàm rusticitate mea claritatem illustrium virorum barbarizando obscurare. Verum tu qui non apices literarum sed virtutes morum quæris in literis, propter inopiam dictaminis nõ debes aspernari margaritas in vilibus conchis. Fateor nanque imperitiam meam non posse sufficere ad tantæ patris vitam describendam, sed in templo dei offero pilos caprarum ad operiendum rectum tabernaculi, qui lapides preciosos non habeo ad ornandam chlamydem sacerdotis. Denique durum & ingratum mihi indigno videtur, si tam dilecti patris virtutes reticerem, qui mihi & multis aliis benefecit in vita, & primo traxit ad dei seruitium, ac tandem direxit ad monasterii portum. Vnde pro gratiarum actione & dulci recordatione eius libens ipsi rependo muneris vicem, hoc opusculum conficiendo post eius decessum. Sic igitur pro aliquanta excusatione operis præsumpti inges affectus patris reuerendi, cuius memoriã inter deuotos opto semper & vbiq; florere. Dominus autem Iesus qui duo minuta pauperis viduæ nõ spreuit, mihi exiguo in futuro recõpset, quia pia intentione in eius gazophylaciũ mitto manũ, doctiorib; me altiora

referuans. Nam & propriam exiguitatē sciēs, correctioni me subdo maiorū. Iuuet me obsecro deuota mens orando, & si quid ædificationis hauserit hæc scripta legendo, laudet deum de vniuersis donis suis, & sit grata etiam in paruis.

Explici Prologus.

Incipiunt capitula vitæ Florentii.


- De humilitate Christi, quam dominus Florētius studuit imitari. Cap. i.
- De interpretatione nominis Florētii, & laude triplici. Cap. ii.
- De interpretatione nominis patris eius Radevini. Cap. iii.
- De patria eius, & profectu in studio Pragenſi. Cap. iiii.
- De honestate morum eius inter seculares. Cap. v.
- De conuersione eius per prædicationem magistri Gerardi. Cap. vi.
- Qualiter seculari vita despecta magistro Gerardo adhæsit. Cap. vii.
- Qualiter ipse iam plene conuersus complures alios conuertit. Cap. viii.
- De pressuris & iniuriis ipsi illatis. Cap. ix.
- De promotione eius ad sacerdotium, & descensu humilitatis eius. Cap. x.
- De raritate exitus eius, & cum quanta disciplina stabat in choro. Cap. xi.
- De simplicitate vestimentorum eius. Cap. xii.
- De humili seruitio eius inter fratres. Cap. xiii.
- De labore manuum eius pro communi bono. Cap. xiiii.
- De misericordia eius in pauperes & ægrotos atque ignotos. Cap. xv.
- De refectioe pauperum, & balneatione miserorum. Cap. xvi.
- De abstinentia eius & infirmitatibus ex rigore austeritatis contractis. Cap. xvii.
- Qualiter orationibus deuotorum adiutus sæpe reuualuit. Cap. xviii.
- Quod semel in nocte paschali angelica uisitatione curatus fuit. Cap. xix.
- De viro qui eo prædicatē in puteum cecidit, & inde illæsus extractus fuit. Cap. xx.
- De uisione crucifixi super domum eius apparentis. Cap. xxi.
- De patientia eius & mansuetudine, ac dilectione ad omnes. Cap. xxii.
- De deuota exhortatione eius ad spiritualem profectum. Cap. xxiii.
- De efficacia sermonum eius, & intellectu scripturarum. Cap. xxiiii.

- De custodia verborum, & iuratione vitanda. Cap. xxv.
- De tribus periculosis tentationibus deuotorum. Cap. xxvi.
- De emissionem fratrum ad fructificandum in diuersis locis. Cap. xxvii.
- De foelici transitu eius ex hoc mundo, & ecclesiastica sepultura. Cap. xxviii.
- De quadam uisione facta post obitum eius, & magna gloria euus. Cap. xxix.

Expliciunt capitula.

Incipit vita Florentii.

De humilitate Christi quā dominus Florentius studuit imitari. Cap. i.



Los omnium virtutum omniumque scientiarum magister & dominus noster Iesus Christus ab humilitate & mansuetudine normam viuēdi incepit, quam & discipulis suis tamquam legitimam regulam tradidit obseruandam, dicēs, Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Hanc autem verā humilitatis virtutē, quæ rectissima via est ad cæleste regnum promerendum, secutus est deuotus & humilis sacerdos Christi, magister Florentius filius Radevini, quam vsque ad consummationē vitæ suæ per multos spirituales agones in longa carnis maceratione continentissime viuendo tenuit, donec in æternę beatitudinis requiē pro piis & iustis laboribus a deo remunerādus introiret. Sed qualiter ad hanc humilitatis viam peruenerit, referam deo fauente per processus sequētes. Deus enim omnipotēs & misericors qui eum ab æterno sacerdotē elegit cōsecrandū, ac donis sublimioribus præsciuit illustrādū, ipse quoq; eundē de mūdi naufragio mirapietate eripuit & abstraxit, atq; in sanctioris vitæ statum & nouæ prolis palmitem per verbū veritatis efficaciter regenerauit.

De interpretatione nominis Florentii, & laude triplici. Cap. 2.

Sane non sine præſagio futuræ probitatis Florentius Radevini est appellatus, ad cælestis patris gloriam, & sui generis famam lucidius declarandam. Tunc enim res digna laude geritur, si vita nomini concordat, si fama virtutibus non dissentit: quod utique in synceris actibus eius comprobatur. Est namque Florentius dulce nomen piis ad nominandum & recolendum, qui talem se exhibuit in vita

in vita, vt ab omnibus tam religiosis quam secularibus in maximo amore & reuerentia haberetur. Pulchre autem Florentius quasi flores legens dicitur, propter liberales artes quas olim didicit, in quibus tantum valuit & profecit, vt magister vocaretur & esset. Aut propter diuinæ legis notitiam, & sacre theologiæ libros quos præ cæteris scientiis libentius legit, & super omnes mundi thesauros charius dilexit, quemadmodum propheta in psalmo dicit. Ideo dilexi mandata tua super aurū & topazion. Sed multo pulchrius Florentius dicitur quasi florem tenēs, quia Christum omnium virtutum florem & castitatis amatorem secutus est: pro cuius amore florentem mundum despexit, atque synceritatem fidei & catholice pacis vnitatem firmissime tenuit, dicens cum sponsa in canticis canticorum. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pacificus inter lilia. Tenui eum, nec dimittam. Adhuc autem sacratori sensu & vberiori fructu Florētius dicitur quasi flores colligens, quia multos fratres clericos primæua atate florentes, secum in domo sua congregauit, qui seculi vanitate despecta humiliter & deuote altissimo domino in castimonia vitæ & fraterna charitate seruiuerunt, secundum quod sanctus David gratulabunda voce decantat: Ecce quā bonū & quā iucundum habitare fratres in vnum. Hos cum tāta disciplina & spiritali feruore rexit & educavit, vt esset domus domini Florentij schola cælestis exercitij, speculum sanctitatis, ornatus morum, exemplar virtutum, aditus pauperum, conuentus clericorum, instructio laicorum, refugium deuotorum, & totius boni initium & profectus. Ex hac quippe domo complures honorabiles & literati viri spiritū deuotionis conceperunt, & veluti apes dulcedine mellis refertæ, de alucrio pleno ad fructificandum in aliis locis longius processerūt, & deo benedictionem datē nō modicū fructū effecerunt, vt de his merito dicere libeat, quia flores apparuerunt in terra nostra.

De interpretatione nominis patris eius Radevini. Cap. 3.

Sed nec absurdum videatur, si paterni nominis vocabulū mystice exponatur, quia hoc ad laudem tanti viri non parum rendere existimatur. Apte ergo satis Radevini dicitur, quasi radius diuinus. Quo nomine recte Christus intelligitur, qui est splendor patris, mundum illuminans sapientiæ suæ luce, vita pura, doctrina vera, miraculis sanctis, & reuelationibus multis. Qui & apostolos suos tanquam veri solis radios misit in orbem terrarū ad prædicandum verbum suum, & ad dandū exemplum bonum fidelibus cunctis, ita ad eos

inquirens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Bene ergo Florētius filius Radevini dictus est, qui à Christo in spem viuam renatus, ab ipso irradiari meruit & accendi, vt terrena despiceret, & cælestia ardentem amaret. Et si idem nomen Radevini ex teutonico transferatur ad latinum, consilium exprimit, & vinum. Quæ duo simul Florentio optime adaptantur, qui consilium mundanæ sapientiæ reliquit, & diuinæ legis mandatis se subdidit, iuxta illud psalmistæ: Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ. Cui etiam Christus pro delectationibus vanis & carnalibus quas mūdus offert suis amatoribus, gustum internæ suauitatis præstitit, quam mundus accipere non meretur: & spiritualis lætitiæ vino dum diuina mysteria celebraret, cor eius & animam potissimū repleuit, vt omnia interiora eius diuini amoris incendio feruerent, atque in voce exultationis cum propheta deuotissime iubilaret dicēs: Cor meum & caro mea exultauerūt in deum viuum. Tunc enim totus intra se collectus, & supra se in spiritu raptus, semetipsum hostiam viuentem ac deo placentē obtulit, multumque fideliter pro sancta ecclesia & omni populo Christiano suppliciter intercessit. In quo sacro cōuiuio deificam in suo fonte dulcedinem gustans, & præ magnitudine diuinæ largitatis amorose liquefactus, cum magna gratiarum actione hæc mystica verba ruminabat, Quā magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te! Sed his iam prælibatis, ad rem gestam stylus vertatur.

De patria eius, & profectu in studio Pragenſi. Cap. 4.

Reuerendus pater & deuotus sacerdos Christi magister Florētius vicarius fuit ecclesiæ Dauētrienſis, per prædicationē venerabilis magistri Gerardi Magni diuina gratia opitulatē cōuersus. Cuius fact⁹ humilis auditor, per omnia studuit eius fieri imitator. Et fatalitibus cōsiliis gratanter acceptis, ipsum sicut patrem charissimum, & suæ salutis genitorem dilexit, ac summa cum reuerentia vt deuit semper & vbique honorauit. Vnde multo ab ipso inter cæteros discipulos suos amplius diligere meruit, & præ cæteris commendari, ob specialem morum suorum venustatem, & modestiam qua eminenter præditus fuit, ac religiosius resulsit. Hic igitur de ciuitate Leyderdam in terra nobilis domicelli de Erkel originem natiuitatis duxit, quæ circa fines Holladię sita, tribus fere miliaribus

à Traiectēsi ciuitate distat. Huius pater Radevvinus nomine, vir quidem erat inter suos fama notissimus, rebus ac facultatibus secundum status sui exigentiam decenter adornatus: qui filio suo Florentio ad studium Pragensē pergeti pium assensum præbuit, & iuamen. Nam tunc tēporis apud Pragā Bohemix studium priuilegiatum latissime floruit, & multi de partibus inferioribus illuc expeditius pergebant. Fit cito artista bonus, qui erat ingenio clarus, & in proficiendo studiosus, taliter inter scholares pius ad domesticos, reuerendus erga magistros. Post hæc ad patriā suā cognatolque reuertitur, & pro magisterii gradu honorifice suscipitur. Congaudent vniuersi amici cum vicini eximie, quod iucunda eius præsentia salubri prosperitate post tāta terrarum spatia & pericula diuinitus concessa, frui ac consolari merebantur. Si quidem matura eius de Pragensi vniuersitate ac studio reuersio, grandis exitit amicorum exultatio, sed deo melius disponente facta est æternæ salutis eius foelix præparatio, quia nō multo nec longe post tempore lapsus factus est verus Christi discipulus de magistro. Cui etiam pius dominus cum de Pragis rediret, rem satis mirandam ostendit, in qua misericordiam eius manifeste cognouit. Nam cum ad quandam profundam vallē peruenisset, sequebatur cum currus cū impetu magno de mōte descendēs, quem declinare non valens, & periculū corporis metuens, cum iam humanū deesset auxilium, cōfugit ad diuinum. Et inuocato omnipotente domino, affuit gratia saluatoris immentia. Vidit nanq; (quod dictu mirabile est) mox vt dominū inuocasset, currū eūdem antecedere se per viam qua tendebat, & omne periculum esse sublaturum. Quod factum erga se miraculose gestum deo totum ascripsit, qui tribularos corde sanat, & ab omni angustia liberat ad se clamantes.

De honestate morum eius inter seculares. Cap. 5.

ERat autem morū honestate conspicuus, lætus inter sodales, affabilis verbis, liberalis expensis, facie venustus, statura gracilis & mediocriter procerus. Quem deus aliquo tēpore permisit in seculo versari, & eius infanias falsas experiri, sed non finaliter periclitari, vt nemo cōuerti volens de venia desperet, quando hunc tā cito in melius mutatū cognoscit. Quodam nanq; tempore inuitatus est cū multis amicis ad nuptias seculares. Cūq; in itinere simul pergerent, egit aliquid pro solatio amicorū, promptissime eis obsequendo, & lætitiā exhibendo. Præcidit itaq; ramos virētes de arboribus, quibus secum allatis obum-

brauit in vehiculo sedentes, vt magnos inde mereretur habere fauores. Nōdum enim sciebat quid dominus de se facturus esset, nec aduertit quanto studio conscientiam suam interius ornare cum virginibus sanctis debuisset, vt ad cælestes nuptias dignus esset intronitari. Sed nec spirituales epulas in nuptiis Christi nouerat, ideo secularibus conuiuuiis interesse gaudebat. Verū deo miserante nō diu in hac vanitate permansit, sed ad magnam deuotionis gratiam omnem mundi suauitatem superantē felici vocatione peruenit. Præfigurauit tamen istud factum seculare, aliquod bonum in eo futurum, quia ipse dei gratia mutatus in virum spiritualem plures secum contubernales inuitaturus esset ad nuptias ciuium supernorum, vbi spōsus immortalis Iesus Christus cū omnibus sanctis conuiuatur in secula seculorū. Hoc postea verissime patuit in multis fratribus per eū deuote cōuersis, sicut etiā manifeste oculis meis cōspexi, & tota Dauētria nouit.

De conuersione eius per prædicationem magistri Gerardi. Cap. 6.

NEc distulit pietas saluatoris nostri succurrere ouiculæ errati, quæ inter nebulas gloriæ secularis versabatur non sine periculo grandi. Cū igitur tempus miserendi eius aduenisset, pius pastor animarum ouem suam precio sanguinis sui care redemptam de medio laqueorū caute subtraxit, & ad sanctæ cōgregationis caulā quam recturus erat, clementer induxit. Prædicante nanq; venerabili magistro Gerardo magno euangeliū Christi per dioecesim Traiectēsem, multi clerici & laici audito verbo dei reliquerunt vanitates seculi, cupientes euadere pœnas ignis æterni, & regna cælestia per pœnitentiam & luctum adipisci. Viua etenim vox magistri prædicantis, tanto fortius valuit in cordibus audientium, quanto perfectius cæteros præibat in via virtutum, vt fidei sermonibus eius daret sancta cōuersatio in operatione ostensa. Cum igitur Dauētria apud sanctam Mariam feruenter prædicaret, affuit etiam magister Florētius diligenter auscultans quid diceret, & lumine cælestis sermonis sapienter foris instructus, mox interius irradiatus est, & corde compunctus. Solebat enim prædicator egregius interdū oculos suos dirigere ad astantes, & pro audientium qualitate ac vilitate sermonem suum formare in altum vel longum per feruoris excessum, quemadmodum cupidi piscatores ibi larius sua retia laxant, quō plures pisces confluisse opinantur. Diuina itaque inspiratione actum est, vt magister Florētius ætate iuuenili decorus, & sufficienter præbédatus, vocem domini libenter

libenter audiret, & sonitum cælestis fistule non surda aure pertransiret, sed ad se vtiliter traxit, quod ad omnes generaliter per os magni prædicatoris emanauit. Erat enim de omnibus illis de quibus saluator noster prædixit: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.*

Qualiter seculari vita despecta magistro Gerardo adhæsit. Cap. 7.

Igitur spiritu dei affatus magister Florētius lac rore cælesti intime perfusus repente pedem vanitatis retraxit, quem in huius seculi itinere figere cœperat. Perpenditque prudēter quid sequeretur post fugitiua gaudia carnis, quia profecto mors sæua, & luctus æternus. Ideoque ne florigeram angelorum patriam amitteret, falsos mundi honores spernere decreuit, & humilem vitā Christi sectari pro optimo duxit. Cupiēs ergo magistro Gerardo familiaris loqui, quem vidit magnum zelum animarum ad omnes habere, non differt ad eius reuerentiam sidenter accedere, cui quid intus gerebat, tanquam amico & secretario dei ex ordine narrat. At ille venientem gaudenter acceptans, charitatis sinum aperit, colloquium desideratum præbet, paratus rationem reddere de quibuscunq; voluisset sciscitari. Itaque in vnum conuenientes, ea quæ salutaria sunt dulciter conferunt, exardescunt corda amborū in cælestibus, vilescunt omnia terrena, ratificantur consilia bona de diuina seruitute tenenda. Efficiuntur deinceps in fraternitatis amore vnanimis, qui in sanctæ cōuersationis proposito ad patriam in domino feruent. Quibus affuit etiam multiplex gratia Christi, vt non tantummodo sibi, sed & proximis suis proficerent ad salutem. Nam additi sunt illis ad solatiū amplioris gaudij, & decorem domus dei nostri, quidā literati & eloquentes viri, qui dono spiritus sancti vehementer inflammati, elegerunt vestigiis Christi firmiter adhærere, atque per contemptum mundanorum & fortia bella vitiorum ad æterna bona transire.

Qualiter ipse iam plene conuersus complures alios conuertit. Cap. 8.

Cumque suauissimus diuini amoris auster, hortulum cordis magistri Florentij crebrius perficaret, & stibibus irrigaret, cœpit magna deuotione foecundari, & ad extrahendum alios de sordibus peccatorum, pia æmulatione moueri. Dedit ergo operam ad habendum fratres spirituales, qui dudum studio literarum intētus delectabatur socios habere seculares. Nam igne quo ipse iam erat

accensus, cupiebat & alios secum accendere, & lumine quo fuerat à deo illustratus, non tardauit ad se venientes verbis & exemplis lucidis informare. Suasit igitur clericis ac laicis deo seruire volentibus, praua consortia fugere, ad audiendum verbum dei propetare, humilitatem Christi sectari, & sanctorum vitam ad imitandum aspiciere, quatinus per continentix virtutem & præcepta dominica præmia consequerentur æterna. Nec fuit inutilis labor quem pro lucrandis animabus impendit, sed copiosus inde fructus excreuit. Plures nanque iuuenes & virgines eius salutari consilio freti, relictis parentibus & amicis humiliter & deuote incedere cœperunt, & secularem vitam odientes, apostolico more socialem in Christo cōuersationem ducere, & alacri corde communem mensam & victum tenuem habere gaudebant. Denique virtutum gradibus singulos proficere hortabatur, orare sæpius, & temporibus debitis laborare manibus, nec non sacris lectionibus, ac meditationibus insistere compunctiuis, quibus feruor deuotionis maior acquiratur, & horror continuus contra vitiorum incentiua habeatur, ne quis per desidiam cordis à diabolo seducatur.

De pressuris & iniuriis ipsi illatis.

Cap. 9.

Intuens hæc studia spiritualis exercitij antiquus humani generis hostis grauitè doluit, & felicibus initiis ac piis actibus deuoti magistri Florentij inuidit, non omittens persequi bene agentem. Nam metuens exemplo eius & industria sermonis multarum animarum spolia sibi auferri, suscitauit aduersarios quosdam qui asperis verbis & derisionibus infueris, iusti simplicitatem impugnarent, ad retrahendum eum à bonis inceptis. Sed vir animo mansuetus, & ad toleranda opprobria pro Christo bene animatus, nec verborum iniuriis, nec detractionum mouetur figmentis, sed velut araneorum telas paruipendit omnia, permanēs cōstantissime in bono quod cœpit. Ibat ergo mitis inter peruersos, patiens inter obloquentes, nulli malum pro malo reddens, sed tranquillo corde orabat & racebat, aut rationabili verbo imprudentum ora frenabat. Reprehenderūt enim stulti quod ignorabant, & quem humiliter incedere, atq; omnē leuitatē vitare cernebant, hunc protertio sensu multum delirare autumabant. Ipse autem tanquam flos campi processit verecundo aspectu, grisea tunica indutus, & longa toga palliatus. Et sicut liliū inter spinas crescit, & incisum redolet, sic Florentius derisus inter subsannantes lætior fiebat, & odorem notitiæ

fuæ per patientiam suauiore reddidit ac clariorem. Induit enim cum dominus loriam fidei, & virtute constantiæ militem suum armavit, vt non posset hominum pueritas statum mentis eius euertere, quem gratia dei roborauit intus. Studuit quippe pro nomine Iesu contumelias pati & terrores, sciens scriptum: Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint nomen vestrum tantumquam malum propter filium hominis. Attendebat igitur sedulo in auctore vitæ Iesum filium dei, quem Samaritanum & seductorem vocabant Pharisei, qui discipulos suos præmonuit multa contraria debere pati à mundanis, quia & ipse prius grauiora patiebatur ab æmulis Iudæis. Si me, inquit, persecuti sunt, & vos persequentur, non est enim seruus maior domino suo. Et si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? His itaque sermonibus sanctis strenue confortatus, nec hominum ludibria curauit, nec à vera humilitatis via quæ veritas docuit, declinavit, sed per contemptum mundi, & abnegationem sui, conatus est ascendere ad alta virtutum. Elegit namque potius abiectus Lullardus cum fratribus suis vocari, aut insanus à secularibus reputari, quam magnus dominus & magister nominari. Vnde quantum in eo fuit, honorificum magistri nomen suppressit, voluitque solum simplici nomine Florentius dici, sicut & alii fratres eius, quorum aliqui satis bene literati erant, & ex ditioribus in seculo nati. Nihil autem preciosum aut nitidum in vestibus habere voluit, nil delicatum in cibis cupiuit, nil superfluitatis in necessariis vitensibus admisit, sed simpliciora & plana quæ humilitatem præterderent, & seculares non offenderent, qui melius docentur humili exemplo, quam subtili sermone. Itaque communem vitam sectando, & fraternam charitatem omnibus exhibendo, non alta de se sapiendo, sed humilibus semper consentiendo, iam non vt magister rigidus metuebatur, sed sicut amabilis pater diligebatur, quia in ipso velut in lucidissimo speculo & foris decens morum honestas, & intus cælestis puritas apparebat.

De promotione eius ad sacerdotium, & descensu humilitatis eius. Cap. 10.

Sed quia humile merito gloria sequitur, & mirem iusta laudatio decet, illi qui viro dei prius aduersabantur, videntes mentis eius constantiam, & propositum in domino fixum, repræsentarunt linguas suas ab infestatione iniussa. Vnde ad pietatem conuersi cooperunt commendare vitæ sanctitatem, & reuereri eum propter modestiam habitus eius & disciplinam, nec non fratrum eius deuota diligere studia in

humilitate Christi fundata. Et quidem iuste. Quæ enim gratia dei perfuderat, & multis virtutibus florere fecerat, recte diligere meruit, & ab omnibus magnificari. Crescente igitur fama bonitatis eius, complures clerici & laici ad audiendum verbum dei domum eius frequentabant, & nonnulli de scabinis & maioribus ciuitatis consilii causa ad eum veniebant, eoque quod sapientia dei & fides maior secundum virtutem animi inueniebantur eidem inesse. Quapropter in arduis & obscuris casibus conscientias suas securus ei committebant, & libenter eum audiebant, auditoque eo multa bona deo placita faciebant. Gaudebat igitur magister humilis charitate plenus, de fructu animarum & spirituali profectu fratrum suorum, magnamque curam pro necessitatibus pauperum clericorum gerebat, Christum dominum in eis venerando. Considerans autem venerabilis magister Gerardus dilectum discipulum suum magistrum Florentium speciali deuotionis prerogatiua florere, consilio sancti spiritus inspiratus, & multorum fratrum precibus flagitatus, decreuit eundem ad sacerdotii gradum promouere. Qui tanto honore indignum se contestans, ab hoc onere humiliter petiit subleuari. Sed fratrum victus instantia tandem magistri sui monitis resistere non audens, obedientia compellente assensit. Factus ergo presbyter non est elatus in gloriam humanam, sed tanto humilior in omni actu & habitu suo inuentus est, quanto dignitate & ordine maior. De quo magister Gerardus tale testimonium perhibuit dicens: Semel feci vnum ordinari in presbyterum, & spero quod dignus sit. Decetero cauebo ne leuiter quid simile faciam, quia paucos ad hoc idoneos cerno. Ipse tamen dominus Florentius sicut vere paruus & vilis in oculis suis, nil magni ex clericali ordinatione de seipso existimauit, sed inferiores etiam fratres in animo sibi præposuit, & de quodam simplici clerico nondum in sacris constituto sic ait: O si pro calice meo possem deo offerre in iudicio pennam illius clerici.

De raritate exitus sui, & cum quanta disciplina stabat in choro. Cap. 11.

EX bonis autem & honestis moribus suis facile poterat vir domini Florentius ab ignotis & secularibus agnosci quod erat deuotus homo, & amicus dei, dignusque vicarius Iesu Christi. Hic itaque prius fuit canonicus sancti Petri in Traiecto, sed illa præbenda relicta vicariam recepit in Dauentria, vt apud magistrum Gerardum staret, eius erudendus exemplo & doctrina. Vnde semel vni amicorum

amicorum dixerat hæc verba: Spero quod non moriar canonicus, sed in humiliori statu seruiam deo. Et factum est ita ad laudem dei in secula. Qui cum in magna haberetur reuerentia pro sua sanctitate & abstinentia, summe tamen vitauit ab hominibus honorari. Ideoque egredi ad publicum declinavit, & manere domi cum fratribus suis vnicum solatium sibi duxit, sciens maiorem sibi profectum, & aliis exemplum stabilitatis inde prouenire. Transiens autem per plateam expeditius ibat, non texens alicubi longos sermones, sed breui verbo aut solo nutu capitis satisfecit obuiati. Sed & oblatos sibi honores sic paruipendebat exterius, vt sæpe non aduerteret obuiantes: nec quorums tenderent, inuestigare curaret. Vadens autem ad ecclesiam interim orabat, aut meditabatur de deo, prout spiritus sanctus inspirabat. Propter magnam autem corporis sui debilitatem, & frequentes infirmitates quas in primo seruire propter nimiam abstinentiam inciderat, non potuit quotidie chorum visitare. In magnis tamen festiuitatibus & celebritatibus sanctorum, quantum valetudo permittit, libenter affuit vesperis & missæ maiori. Cumque esset senior vicarius, in sinistro latere chori semper in inferiori stallo locum tenuit, cum tamen altissima ei sedes post canonicos competisset. Stans autem in choro nequaquam vagis oculis circumspectabat, sed versus ad altare cum omni disciplina & reuerentia quietissimus stabat, deo & sibi deuote intentus, & prout æger potuit, moderata voce, non fractis notulis psallebat. Ita morigeratus & reuerenda facie erat, vt multi pueri & cantores eum frequenter aspicerent, & religiositatem eius mirarentur, quia nihil leuitatis in verbo aut motu corporis apparuit, vnde potuisset reprehendi. Et ego tunc temporis cum aliis scholaribus chorum visitare consueui, sicut iniunctum mihi fuerat à magistro Ioanne Boeme qui scholas & chorum strenue regebat. Quotiens ergo dominum Florentium in choro stantem vidi, licet ipse non circumspeceret, præsentiam tamen eius ob reuerentiam status eius metuens, cauebam aliquid fabulari. Et accidit aliquando vt non longe ab eo starem in choro, vertitque se ad librum nobiscum canendo. Et stans post me, manus suas super humerum meum posuit, stetitque fixus vix audens me mouere, stupens ad tantæ dignationis gratiam. Erant quoque tunc temporis in collegio Dauentrienfisi plures canonici & vicarii literati, ac probabilis vitæ viri, strenui & alacres ad diuinum officium debita cum laude persolendum. Hi virum dei magistrum Florentium

in reuerentia & digno honore habentes, ipso præsentate insolentias leues sollicitius compecebant, totusque chorus illustrabatur tantæ sacerdotis disciplina.

De simplicitate vestimentorum eius.

Cap. 12.

A maior simplicitatis & humilitatis pius dominus Florentius, sciens quod ornatus vestium clericum non facit, sed magis humilitas cordis, & probitas morum, ad maiorem conscientie suæ puritatem seruandam, omnem à se amouit vestium nitorem, & quicquid ad mundi pertinuit pompam, & ostentationem humanam. Vt ergo interiori homini habitus exterior responderet, postquam sacerdos effectus est, non quæsiuit molliores vestes quasi præ cæteris sibi magis competentes, sed communibus & simplicibus sicut alii fratres erat contentus. Nam deum præ oculis semper habens, non amauit transitorium corporis cultum vel ornatum, sed ad virtutes animæ oculum gerebat apertum. Cauebat autem infirmis dare offendiculum in propria veste, aut alia quacunquē necessitate naturæ, eligens exemplo Christi quod humilitati erat propinquius, & minus ab hominibus reputabatur. Non ergo alia portabat in festis, alia in diebus quotidianis, sed tantum in celebratione missæ ob reuerentiam sacramenti meliori ornamento in festis utebatur, in quo tamen metam seruauit debite honestatis. Almutium eius quod habebat, satis antiquum & pallidum erat, & in multis locis quasi à tineis corrosum & caluum. Et quando vidi eum cum tali Almutio ad chorum transire, condolui quod tam bonus & honestus sacerdos ita simpliciter & humiliter incedebat. Ad pedes non habebat pulchra sandalia, sicut alii vicarii in ecclesia, sed pro illis fecerat sibi parua & bassa calopodia, quæ erant antiquo corio subfuta, cum quibus sine strepitu chorum intrauit. Tunica eius & toga de griseo panno erant. Dederat ei auunculus eius nouam togam amicitie gratia, sed eam noluit portare, quia nimis honesta videbatur, & ipse simplicia præferebat semper preciosis. Caputium nigri coloris aut grisei fuit, & sicut ipsi parabatur portauit, quod vtranque scapulam & colla nuda protexit. Manicas habebat paruas & strictas cum paucis nodis, quæ propter attritionem vetustatis interdum fuerant nouis panniculis anterius reparatæ. Non enim erubescibat humilis sacerdos dei antiquam tunicam à sartore repectatam portare, quinimmo ipse & omnes fratres eius contendebant sacra æmulatione viliora indumenta habere, & in hoc alius alium superare. Quadam vice

præfente quodam feculari clerico loquebatur deuote de deo, & ftabat idē ſcholaris iuxta eum pulchris & curioſis manicis ſuis occupatus, nunc huc nunc illuc manus ſuas verſando. Ad quem dominus Florentius benigne intuens aiebat: Ecce frater manicas meas quales ego habeo, quæ me non occupant nec inquietant. Nam tam longas manicas ferre ſicut tu habes, tædium mihi foret & onus. His auditis parū erubeſcens quietius ſtetit, & bene acceptans quod dixit, ædificatus abſceſſit, quia ad ſimplicitatem veſtium proprio eum exemplo inſtruxiſſet. Alio quoque tempore vocauit ad ſe fartorem, qui ei tunicam nouam facere debebat, & ait: Magiſter ſcis deformem tunicam facere? Qui reſpondit. Neſcio an bene noui. Dicis tamen mihi domine, qualem vultis habere? Tunc ait humilis magiſter Florentius ad fartorem. Facias de iſto panno quatuor partes, & ita conſuas eas ſimul ſineplicis, vt de facili queam tunicam iſtam induere & exuere, & tunc ſatis bona erit. Ad hæc fartor cum admiratione multa reſpondit: O dilecte mi qualiter hoc ſtaret? Quare vellem bonum pannum deſtruire? Ego faciam bene ſicut melius conuenit. Tunc humilis & mitis ſacerdos ait: Quæ cura eſt de apparatu ad extra? Facias amore dei planiori modo quo potes, ſic enim mihi magis placet. nam ſimplicitia me decet habere ad ædificationem cæterorum. O nobilem Chriſti ſacerdotem ad humilia ſemper inclinatum, qui vt deo amplius placeret, omnem curioſitatem amputauit.

De humili ſeruitio eius inter fratres.
Cap. 13.

LVx mundi Chriſtus ad illuminandum mentes fidelium venit in mundum, prædicans verba vitæ cæleſtis, atque per humilitatis ſuæ exempla, ad amorem ſui nominis torpida peccatorum corda præcipue accendit, quæ cunctis per orbem fidelibus imitanda reliquit. Nam talem ſe Chriſtus in medio diſcipulorum ſuorum exhibuit, ſicut vnum ex iſtis, ſeruitium pietatis oſtendens, & dominium poteſtatis non exercens, vt qui eum imitari voluerit, ab eo quoque dignus ſit honorari, & ſuper omnia bona in cæleſti regno cõſtitui. Ego, inquit, in medio veſtrum ſum ſicut, qui miniſtrat. Et iterum. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam pro multis. Hanc autem ſanctæ ſeruitutis doctrinam, humilis ſeruus Chriſti Florentius cum fratribus ſuis ſtuduſſet obſeruare, perſuadens omnibus ſibi ad hærentibus, cuiuſcunque eſſent ætatis, vt per charitatem inuicem ſeruirent, inuicem ſua onera porta-

Luc. 22.
Matt. 20

rent, nulla abiecta opera exhorrent, ſed humilia ſeruitia libenter exercerent, illud amplectendo charius, quod minus continet honoris, & plus habet laboris & rigoris. Mos igitur ſanctus & probabilis apud eos virtus inoleuit, vt quilibet fratrum per hebdomadam in coquina miniſterio ſtaret, & cum omni humilitate ibi cõqueret, vel quæ ſibi à coco iniungebantur, prompte & hilariter adimpleret. Feruebant enim tunc omnes ad viliora opera faciendâ, ſiquidem & pro regno dei laborare iucunda requies putabatur. Volens ergo bonus pater & dulcis magiſter Florentius exemplum bonum præbere ſubiectis, tenuit etiam ipſe in coquina vicem ſuam pro poſſe. Cui quidam ex vicinis compaſſione motus dixit: Cur bone domine verſaris in coquina? Non habes aliquem qui pro te iſtud faciat? Nonne melius eſſet quod tu ires ad eccleſiam, & alius coqueret pro te? Reſpondit humilis miniſter Chriſti Florentius dicens: Nonne magis affectare debeo quod habeam omnium aliorum orationes, quàm ſolummodo meas? Dū enim ego ſum in coquina, omnes alij interim tenentur orare pro me. Maiorem ergo fructum ſpero conſequi de orationibus aliorum qui ſunt in eccleſia, quàm ſi ego ſolus orarem. Sic ergo tam verbo quàm exemplo ædificauit vniuerſos, non quærens quod ſibi eſſet delectabile, ſed aliis vtile & exemplare. Quotiens autem cum fratribus comedebat, primum ferulum manibus ſuis eis appoſuit, & de hoc plurimum doluit, quia infirmitate cogente refectioni fratrum quotidie intereſſe non potuit. Quapropter ſeorſum in coquina cum coco ſuo ſolus edebat, habens menſam parua ſobrie paratam, quia ſolidum cibum debilitas ſtomachi non ſufferebat. Ego licet indignus ab ipſo ſæpe inuitatus menſam eius parauit, & modicum quod petebat de cellario attuli, gaudenſq; cum multa hilaritate ei miniſtraui.

De labore manuum eius pro communi bono.
Cap. 14.

Optimus in moribus digneque memorandus inter omnes deuotos deuotiſſimus Florentius nunquam ocioſus voluit inueniri, ſed precioſum tempus fructuoſe niſus eſt expendere, cauens omnimodo, quanuis beneficiatus eſſet, panem ſuum gratis & abſq; labore manducare. Quod à venerabili magiſtro Gerardo didicit & accepit, hoc diligenter obſeruauit, cuius ſententia fuit, vt nemo ad congregationem ſuſcipi deberet, niſi ſecundum beati Pauli dictum manibus laborare vellet. Eſt nanque operatio ſancta ad omnem ſpiritualem profectum vtiliſſima, per quam carnis laſciuia

1. Cor. 4

laſciuia domatur, & ab euagandi leuitate mēs diſſoluta citius refrenatur. Per hanc ocia noticia tolluntur, & confabulationes friuolæ ex ocio ſurgentes facilius decurtantur. Occaſione enim loquendi ſublata, labor proficet in manibus, & erit ſemper ditior in bonis, qui fuerit operarius fidelis. Per hanc etiam neceſſitatibus fratrum ſapiēter prouidetur, & pauperum miſeriis copioſius ſubuenitur. Nā illa eleemoſyna gratius deo placet, & clarius luceat, quæ de vultu ſudore procedit, & iuſto labore quaſita reficit indigētes. Igitur ars ſcribendi libros, quæ clericis melius conuenit, & quietius exerceri poteſt, à fratribus domus eius eſt maturius arrepta, & pro cõmuni bono ſeruando viſitatius introducta. Ipſe vero venerandus pater Florentius ne vacuum nomen gereret rectoris, ſed in exhibitione operis officiū ſacerdotale commendaret, dedit ſcriptoribus exemplum clarum, membranas pumicando, quaterniones lineado & componendo. Quia licet minus bene ſcribere ſcires, in præparando tamen aliis neceſſaria, quàm plurimū ſcriptores adiuuit manu ſua oleo ſancto conſecrata. Interdum cum opus eſſet, & tempus vacaret, aſſumpto ſocio libros iam ſcriptos perlegit & correxit, aut de ſcripturis ſanctis aliqua deuota notabilia ad conſolationem fratrum & exercitationem internorum compilaui. Multum nanque gauiſus eſt & delectatus, cum pro communi aliquid vtilitatis per diem feciſſet, ſciens hoc deo gratiſſimum fore. Verum multitudine clericorum ad eum confluente, cum fama bonitatis eius longius reſonaret, requiſitus eſt à multis extraneis & religioſis viris & literatis. Idcirco pro aiarum ſalute altioribus negociis oportebat eū intēdere, & à priuatis actionibus & internis ſtudiis frequenter abſtinere, & ſpiritualia lucra temporalibus commodis anteferre. Totque conſultandi cauſa ante cameram eius quadoque ſteterunt cupientes ei loqui, aut abſcondita ſua tanquam viro ſancto cõfiteri, vt vix ei tranſiſtus exeundi pateret, vix tempus pro horis dicendis & neceſſitatibus corporis ſoluēdis oportune ſuper eſſet. Neminem tamen in conſolatum reliquit, ſed vel incontinenti expediuit, aut altera vice liberū ad ſe reditum ſecundum condiſtum petentis conceſſit. Contriſcit aliquotiens vt horas ſuas legere inciperet, & ſuperueniētibus aliis & aliis perquam multis, non poſſet finire pſalmum quem inchoarat. Ne ergo tædio affectus deſiſteret aperire pulſanti, ait ad ſemetipſum, Adhuc ſemel propter deū, ſicque ſemel iterauit ſæpe, & fiebat lōgum, vincens moleſtiam & inquietudinem aliorū in patientia ex charitate fraternâ.

De miſericordia ei⁹ in pauperes & agrotos atque ignotos. Cap. 15.

Virtus quoque miſericordiæ in corde pii patris inter alia pietatis opera præcipue floruit & excreuit, quam frequenti eleemoſynarum largitione in pauperes & peregrinos oſtēdit & impleuit. Vnde merito de ipſo dici debet, quod de iuſto viro in pſalmo decantatur, Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Ipſe enim dominus Florētius fuit piſſimus pater pauperum, dulciſſimus conſolator tribulorum, & compatiētiſſimus viſitator infirmorum. Qui proſecto ſpiritu dei plenus cum lacte miſerationis habuit vinum zeli & feruoris, fouens in firmos oleo miſericordiæ, & odio habens paſſiones & vitia ipſorum, magna cum maturitate & diſcretionē exercēs vtrunq; in tēpore ſuo. Sæpe nanq; egenis & debilibus cibos mēſæ ſuæ miſit, & ſpecies ſibi ex charitate miſſas, maiori charitate vltius cū aliis indigētibus impertit⁹ eſt. Pauperū etiā nomina in ſcriptis habuit, quorū curā vni aut duobus fratribus ſuis iniunxit, vt hoſpitia honeſta & ſubſidia ſumptuum eis procurarent. Erant autem tunc tēporis in oppido Dauētriēſi viri quidam honeſti, deum timentes, ſecundum cõſilium domini Florentii bene conuerſantes, necnō matronæ aliquæ diuites & deuotæ, miſericordiæ actibus deditæ, quæ eccleſiam dei ſedulo viſitantes, & ſacerdotes honorantes, multa beneficia pauperibus clericis deo famulantibus, rogatu & inſtantia eiufdem domini Florentii libentiſſime miniſtrabant. Tam pius tamque dilectus omnibus apparebat humilis vicarius Chriſti Florētius, vt ſi pro aliquo paupere rogaret, cito petitionem ſuā impetraſſet. Ignotis & extraneis ira affabilem ſe præbuit, quaſi amici & cognati ſui fuiſſent, quærens vnde eſſent, & quo nomine vocarentur, rogans vt interdum viſitandi gratia ad ſe accederent.

Paruulis & iuuenibus naturali innocentia & puritate nitentibus inſignis caſtitalis amator ſuam beneuolentiā nō abſcondit, ſed pijs verbis ad amandum Ieſum & Mariam eos inſtruxit, ſuadens eis innocentiam ſeruare, quatinus angelis dei ſimiles facti, in cælo canticū virginum decantarent. Triftibus & tentatis hilarē ſe exhibuit & ſolatioſum, vt ſi quis offenſus fuiſſet & turbatus, eo viſo & ſecum parum loquente, mox bene pacatus & conſolatus ad ſua cum gaudio remearet. Hoc ſæpiſſime expertus ſum in me ipſo, & ſociis meis deuotariis, qui eius cõſilio eruditi ſumus, & in ſchola Chriſti optimis collationibus informari. Sed nec leproſos & aliqua deformitate corporis viciatos abhorruit, immo clemen-

Pſal. 112.

tiorem se talibus abiectis personis curauit exhibere, cognoscens hoc magis placere creatori, & sibi gloriosius fore, quia non vilitatem personæ, sed naturæ copulam & imaginem dei in homine considerabat. Vidi quendam monoculum & alium pede claudicantem ab ipso conuersos, & probabiles viros postea effectos. Cognoui etiam quendam leprosum extra mœnia ciuitatis morantem, qui deuotionis gratia ad sacerdotem dei accessit, loquens cum ipso familiariter, multis hoc idem videtibus, & mirantibus quàm humiliter iuxta leprosum sederet. Cui etiam iussit potum dari, & misericordiam utique specialem impedi, quem post plura sacræ consolationis verba, dimisit ad propriam mansionem cum suo collega gratiose redire.

De refectioe pauperum, & lauatura miserorum Cap. 16.

2. Co. 9. **Q**uia vero, docente scriptura diuina, hilarem datorem diligit deus, liber amplius aliquid narrare de eximia misericordia huius clementissimi patris Florentij erga inopes & vlcerosos atque deformes, solatia amicorum non habentes. Igitur misericordissimus pater pauperum, exceptis quotidianis elemosynis in pios mendicatum vsus, omni anno in festo beati Gregorij papæ, duodecim pauperes scholares ad honorem sancti Gregorij ad suum prædium inuitare solebat, quia beatum Gregorium duodecim pauperes omni die habuisse legerat. Et ego ex commissione eius aliquos pauperes nominatim mihi expressos, ad domum eius hora prandij introduxi. Qui cibo potuque refecti, alacri corde ad scholas redierunt, & de acceptis beneficiis deo laudes, & magnas grates largituo hospiti suo domino Florentio, & fratribus eius retulerunt. Tunc manifeste impletum est quod per psalmistam dicitur, & à multis religiosis ante benedictionem mensæ canitur: Psal. 27. Edet pauperes, & saturabuntur, & laudabunt dominum qui requirunt eum &c. Similiter in mense maio quando hærbæ agrestes maxime valent pro medicamentis, pius pater non est oblitus pauperum suorum. Sciens ergo multos esse debiles, scabiosos & vlcerosos, fecit eos ad domum suam venire certo die & hora, pro quadam medicina & corporali balneatione in aquis calidis cum odoriferis hærbis suscipienda. Quibus bene balneatis & lotis, lectulum parauit mundissimum pro sudoribus eorum abstergendis. Datoque poculo, & consolationis verbo, cum ingenti læticia ibant ad sua hospitia, mutuo inter se conferentes, Quàm bonus & pius homo est iste dominus Florentius, & quæ boni fratres sunt isti cum eo habitantes, qui

nobis propter deum gratis talia præstāt? Quodam tempore in quadagesima cum tempora essent aliquatenus cara, & pauperes mendicantes grauarentur inopia, multi ad solatium misericordis patris Florentij obsecrando confugerunt, sperantes qualecunque subsidium inuenire, quia nemo vacuus, nemo in consolatibus inde consuevit abire. In tali ergo articulo, misericordiarum pater condoluit fame afflictis & pauperibus deuotis, habito que consilio cum fratribus suis, quæsiuit optimum modum succurrendi egenis, qui erant ita attenuati rebus ut neque æs in zonis, neque panes haberent in facellis. Tunc unanimiter fratres accesserunt ad succurrendum pauperum turmis: & præcipue in tam sancto tempore quadagesimæ, quando aguntur dies poenitentiae, & largiora misericordiae stipendia exuberare debent erga indigentes, panem pro deo multis precibus postulantes, sicut in Esaiâ legitur: Esa. 4. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Statuerunt ergo firmiter aliquid sibi subtrahere, & pauperibus contribuere copiosius, atque ultra solitum tempus laboris unam horam adiciere quotidiano operi suo per totam quadagesimam pro pauperibus, & quicquid illa hora scribendo lucraretur, hoc integre collectum pro uisori pauperum tradere, ut ille consequenter necessaria alimenta emeret, & indigentibus fideliter ministraret. Hoc idem fecerunt in aliis domibus quidam fratres scriptores & officiales, propriis de laboribus elemosynam deo immolantes, seipsos sponte castigantes, & pauperes felicissime recreantes. Et quis digne explicabit omnes misericordias huius felicissimi patris in pauperes & peregrinos, maxime autem erga simplices & deuotos Christo famulantes? Et si omnes tacuerint, ego non silebo, sed misericordias domini Florentij in æternum cantabo, quia indubitata fide ipso adhuc uiuente per septennium multitudinem miserationum ipsius experientia rerum probauit. Si quidem cum beato Iob, pes fuit claudus, oculus caeco, manus egeno, baculus infirmo, solamen lapsio, amictus male vestito. Alius namque gaudebat de elemosyna sibi data, alius de tunica sibi parata: alius togam, alius capitium reportauit. Alius calceos, alius caligas, alius cingulum & foccos recepit. Alius libros, alius pennas, atramentum & papyrus se impetrasse lætabatur. Singuli pro singulis læti muneribus, ab ipso honorabili domino Florentio patre orphanorum & egenorum emolumentum non tantum corporis, sed & anime suæ remedium se consecutos facebantur. Cuius virtutes &

tes & opera charitatis ad plenum exprimere lingua fragilis non sufficit, quia existimationem humanam conuersatio eius ac fratrum ipsius præcellit. Merito ergo de his dicere non vereor, quod de apostolicis viris scribitur: Isti sunt viri misericordiae, quorum iustitiæ oblivionem non acceperunt. Cum semine eorum permanent bona, & elemosynas eorum narabit omnis ecclesia sanctorum.

De abstinentia eius, & infirmitatibus ex rigore contractis. Cap. 17.

Feruus ac deuotus dei famulus Florentius in primordio conuersionis suæ ad edomandam carnis suæ concupiscentiam, corpus suum ieiuniis & vigiliis rigide nimis castigauit, non satis naturæ imbecillitatem attendens, sed in feruore spiritus tantum perquebatur hostem domesticum, ut podere rigoris obrueret eum sibi adhuc necessarium & fidelem, quia non solum ab illicitis & superfluis abstinebat, sed multa etiam sibi necessaria subtraxit, ita ut plerumque appetitum comedendi perderet, & gustum discernendi cibos non haberet. Unde semel accidit, ut absente coco cellarium intraret, & ex quadam amphora oleum pro ceruisia potaret, nec hoc discernere potuit, nisi quando cocus eum de qua amphora bibisset requisit, & tunc se errasse cognouit. Alio quoque tempore in monasterio quodam oblatum ei fuit modicum vini ad bibendum pro sua debilitate, & reuerentia quam ad ipsum fratres habebat. Cumque inde parum gustasset, ait astanti: Quam acrem & amaram ceruisiam habetis. Et mirati sunt fratres, quia vinum ab alio liquore non discernit. Comedit igitur sapius quasi sine sapore, & potius ex necessitate naturæ, quam ex appetitu gulae, vel alicuius cibi suauitate. Veni aliquando ad visitandum eum in camera eius, ubi sedebat debilis in lectulo suo, & salutauit eum benigne, multum dolens de eius infirmitate. Frater autem Iacobus de Viana qui ei tunc ministravit, aliquas species confortatiui ei obtulit dicens: Istæ bonæ species sunt, gustes parum inde. Nonne valde bene sapiunt? Tunc ille me audiente respondit: Crustula panis melius vobis saperet, quam istud mihi. Quauis ergo totus debilis esset, & multis teneretur incommodis corporis, non tamen ab opere dei & piis animarum fructibus cessauit, sed quando accessus hominum pati potuit, resumpto spiritu dabat petentibus monita salutis. Et tanto dulcius, quanto amplius nouerant eum à deo dilectum, & infirmitatibus variis tanquam aurum preciosum in igne probatum.

Qualiter orationibus deuotorum adiutus sæpe reconvalescit. Cap. 18.

Cum igitur frequentes pateretur molestias corporis, studuit deo sedule gratias agere, quia non sunt condignæ passionibus humanis temporis ad futuram gloriam dei promerendam. Ideoque virgam domini sibi illatam, patienter suscepit, sicut animæ medicinam, reputans dilectionis esse signum, secundum illud apostolicum verbum: Quem enim diligit dominus minus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Volens autem pius dominus ostendere quantum sibi placeret probata virtus filiorum, & quantum valerent orationes deuotorum, miseratus est dilecti sacerdotis sui sæpe in extrema necessitate constituti, qui à medicis humana via desperat videbatur. Sed ipse in domino spem totam posuit, qui merentes erigit sospitate. Igitur quotiens grauis eum infirmitas inuasit, missum est ad vicinas congregationes fratrum & clericorum atque fororum, ut pro eo instanter singulis diebus omnes orarent, quatinus deus ei adhuc parceret, eius vitam pro multorum salute proteclando, ne deuoti tristitiam super tristitiam haberent, si tam amabili patre & necessario gubernatore priuarentur. Ego quandoque internuncius huius rei fui dicens sororibus: Orate pro domino Florétio, quia grauitur infirmatur. Et ecce clemens dominus qui non spernit preces pauperum, sed vota humilium libenter exaudit, reddidit sanitatem dilecto & fideli seruo suo, ut notam faceret filiis hominum potentiam suam. Psal. 144.

Fuit temporibus illis magnus quidam magister in medicinis, dominus Euerhardus Eza curatus in Almelo, vir valde peritus & nominatus inter phycos doctos, qui deuotionis gratia inspiratus, multum familiaris extitit domino Florétio, & fratribus eius aliisque Christo deuotis. Hic frequenter ad dominum Florentium venire consuevit, & libenter illi artis suæ medicameta adhibuit, quem fratres valde diligebant, & reuerenter suscipiebant. Qui magna adhibita diligentia pro curatione domini Florentij intimi amici sui multotiens ei profuit, molestiamque fratrum fiducia sperandæ salutis sæpe erigebat & consolabatur. Dicebatque, Ista attento in domino plus confidens quam in arte medicinae, quia supra humanas vires est, quod hic homo potest tandiu in tam debili corpore viuere: & nisi specialis gratia eum præseruaret, & orationes multorum pro eo fieret, celerrime deficeret, aut etiam diu defunctus fuisset. Bonum est ergo fideliter pro ipso orare, quia salus eius specialiter in diuina stat gratia.

Quod semel in nocte paschali angelica visione curatus fuit. Cap. 19.

Inter cætera tempora anni grauius & frequētius in quadragesima ægrotare solebat, propter cibos quadragesimales sibi magis onerosos & inflatiuos. Et licet tūc corpore debili or erat, mente tamen hilariori ad susceptionē ieiunij se offerebat. Semel igitur quasi per totum ieiunium debilitato stomacho nimium languebat, & vix vsque ad pascha victurus sperabatur. Sed deuota fratrum oratio nō cessauit ad dominum pro eo clamitare, & gratiam domini quam sæpe fuerant experti, multiplicatis intercessoribus iterum flagitabant. Deficiebat enim tunc omne humanum præsidium, ideoque ad fortissimum deitatis recurrebant solatium. Cum ergo iam peracto ieiunio, dominicæ resurrectionis gloriosa instaret festiuitas, & electus vir dominus Florentius in lectulo suo requiesceret dulci somno soporatus, ecce in ipsa sacratissima nocte paschæ mox angelica visione meruit consolari & confortari. Vidit nanque duos angelos sibi apparere, quorum vnus stabat ad dexterā lectuli, & alter ad sinistrā. Eleuans autem vnus manum suam in altum, quasi ad percutiendū gladium vibrabat super caput dormientis, sed statim alter ictum sustētauit ferientis, & prohibuit eum, dicens: Noli percutere, vita enim adhuc viuet, & non morietur. Ad hanc visionem cælitus factam obstupescit & quasi de morte ad vitam resuscitatus euigilauit, mirabiliter in domino confortatus: & vocans ministrum suū qui non lōge in camera quiescebat, ait illi confidenter. Surge, & para aliquid quod hodie manducem. Sentio me melius habere, & volumus in domino pariter epulari. Tunc ille ingēti gaudio repletus festinauit parare quod iussit. Et omnes qui audierunt, mirari sunt & gauisi, quia tam cito conualescere cœperat, quem iā pridem mori formidabant. Hanc visionem postea auunculo suo canonico sanctæ Marię in Traiecto intimaui, qui eum cordialissime dilexit, nō tamen seipsum nominando, sed quōdā reuelatum esset quōd adhuc superuicturus esset. De quo magnifice & intime congratulans deum benedixit, quia misit angelum suum, & sanauit eum ab interitu mortis. Vixit post hæc charissimus dominus Florentius aliquot annos, ad consolationem omnium deuotorum tam clericorum quàm laicorum, de diuersis partibus & regionibus ad eum venientium pro remediis animarum suarum, quibus vir domini tā verbo quàm exemplo magnum præstitit sanctæ conuersationis ducatum, cum vniuersis fratribus secum in domo congregatis, ad laudem dei omnipotentis.

De viro qui in puteum cecidit, & inde il-

læsus extractus fuit. **Cap. 20.**
Accidit autem quodā tempore vt plures ad audiendum verbū dei in antiquam domū prædilecti patris domini Florentij conuenirēt. Et dum collatio deuotæ exhortationis fieret, vir quidam cum aliis fidelibus sedebat super putei marginem, & oppressus somno cecidit improiise retro in aquam, capite verso. Ad cuius lapsum exterriti qui aderant, mox in puteū dolentes respiciunt, & ecce deo protegente stetit homo super pedes suos in aquis putei saluus & illæsus mirantibus cūctis. Sumentes ergo festinanter vectē defuper pendentem, submiserunt in os putei, & extraxerūt hominem viuum, quem existimauerunt pene submersum & defunctum. Vidētes autem eū de tanto periculo liberatum, gratias deo omnipotentī retulerunt, & consolati sunt nō minime, quia deus nō est passus hominem periclitari in illa domo subita morte. Hæc mihi quidam ciuis Campensis retulit, qui præsens tunc affuit, & Dauentriæ iuuenis frequētauit: sed & multa alia bona de viro dei & fratribus eius enarrauit. Et ego ex eodem puteo sapiens aquam hausi ad vsū coquinæ, qui satis angustus erat, & ideo res gesta ad gloriā dei amplius valet, qui supra id quod petitur, occurrit periculis animarum.

De visione Crucifixi super domum eius apparentis. **Cap. 21.**

Grata admodum & deo dilecta congregatio fratrum in domo reuerendi patris domini Florentij, ad laudem dei collecta magnis refulsit virtutib⁹, & sublimium meritorū actibus exiit decorata. Ibi humilitas omnium virtutum prima, exquisita fuit à maiore vsque ad minimum, faciens de terrena domo paradysum, & transferens homines mortales in cælestes margaritas, tanquam lapides viuos in templo dei glorificandos. Ibi obedientia mater virtutum, & discretionis lucerna, vigit sub tanta disciplina, vt summa esset sapientia obedire sine mora, & nefas foret horrendum præterire senioris consilium aut minimum verbum. Ibi charitas ad deum & ad proximū sic arsit intus & extra, vt dura corda peccatorum auditis sermonibus sanctis, soluerentur in lachrymas, & qui frigidi aduenerant, verbi calore accensī, læti abibant decætero peccare cauentes. Ibi spiritualis militiæ armatura contra singula vitia enituit strenue, & senes cum iunioribus aduersus Satanam & propriam carnem, ac mundi fallacias, fortiter certare didicerunt. Ibi antiquorum patrum memoria, & Aegyptiorum monachorum

chorum feruida cōuersatio, quæ quasi semimortua iacuit in terra, ad vitam rediit, & clericorum status ad summæ perfectionis normam secundum ecclesiæ primordia surrexit. Ibi audiebatur deuota spiritalis exercitij exhortatio, & inter quotidianas meditationes sacrosanctæ & dolorosa passio saluatoris nostri Iesu Christi, crebri⁹ & affectuosus est repetita & masticata, ex cuius intēta recordatione salus animæ noscitur effluere, valēs mortiferos serpentis morsus sanare, & mētem passionatam mitigare, ac torpentem animum ad cælestia de terrenis per cruciformē imitationem subleuare. Cum igitur magnificæ deuotionis ardor erga diuina beneficia recolēda, in multorum cordibus flagraret, & exemplo reuerēdi patris domini Florentij ad perfectū mundi contemptum sancta illa congregatio erudita proficeret semper in melius, pius deus qui benedictionem suam & gratiā humilibus præstat, non destitit consolationibus sacris & internis gaudiis refouere sibi fideliter seruiētes. Et vt de multis aliquid proferam, vnā breuius visionem his inferam, quam deus omnium secretorum cognitor super domum illam cælesti vnctione benedictam ostēdere dignatus est. Quidam ex nouellis plantationibus domini Florentij discipulus deuotus quadā nocte insolita visione perterritus expauit totus in principio, sed in fine lætificatus est mira dei pietate. Cūque in stratu suo quiesceret, ecce ventus ab aquilone validus nimis, & tempestas sæuissima veniebat torā concutere terram, quasi iam instaret dies extremi iudicij omni carni metuenda. Pauescētus ergo horrēda tēpestate cœpit iuuenis ille cogitare quonam fugeret, & quō diuerteret à facie formidinis domini. Deprehensus itaque inter angustias aspexit sursum in cælum, & ecce signum crucis euidens in aere apparuit, salutis humanæ auctorem representans. Videns ergo hanc sanctam imaginem crucifixi expansis manibus & confixis clauis in aere pendentem, cuius radiis illuminabatur orbis, iam tempestas illa cessabat. Et crux vltra procedebat vsque dum staret supra domum domini Florentij, in qua habitabant sanctæ crucis serui, & veri contemptores mundi. Ad cuius aduentum & præsentiam tota domus quasi obuiam tendēs saluatori, à fundamento eleuabatur in aere super terram, nusquam tangēs terram: atque reuerenter se inclinās ex vno latere versus crucem, rediit iterū super stabilitatē suam. Imago autem crucis processit, & stetit super murum contra ostium domus, per quod quotidianus est transitus fratrum. His visis cœpit iuuenis expansis manibus orare versus crucem, & pe-

tere à timore terribilis iudicij protectionem. Statim raptus est de loco suo, & intra ianuam domus domini Florentij collocatus, tāquam in loco securitatis sub alis crucifixi. Tunc nimium exhilaratus, & quasi de omni angustia tutatus, præ ineffabili lætitia expergestus est. Et vehementer admirans gratias egit deo, qui dignatus est sibi talia de deuotis fratribus illis reuelare, quibus deinceps studuit adhærere, & vitam eorum cum Christo absconditam semper venerari.

De patientia eius & mansuetudine, ac dilectione ad omnes. **Cap. 22.**

Quidam curialis seculari sultus astutia virum dei magistrum Florentium nō est veritus molestare, sed eum beneficio suo conabatur frontose priuare, existimans quōd forsitan nemo se opponeret, aut pro vicario Christi responderet, quia deuotus & mansuetus ad iniurias videbatur. Vocatus ergo ad causam, vt de obiectis sibi querelis aduersario responderet, non multa cōtentione nec splendido sermone vsus est, sed breui & humilis rēspōsione sic ait: Si vos melius ius habetis quā ego, teneatis in nomine dei. Mirati sunt astutes, & edificati in verbo præsentis. Vnus autē ex canonicis pro viro dei zelans, nec sustinēs iustū & innocentē opprimi, ait ad eum: Quomodo ita loquimini dilecte magister Florenti? Non curatis plus de præbenda vestra? Veruntamen iste non habebit quod querit, sed pro vobis agimus, vt teneatis quod bono iure possideris. His auditis siluit aduersarius, & recessit nihil adeptus. Cognouerūt siquidem à maximo vsque ad minimum, quōd fidelis & deuotus magister Florentius dignus sacerdos Christi erat, cuius vita & doctrina plures ad seculi contemptum trahebantur. Nam de magnis & terrena sapientibus humiles & simplices fratres fecit, necnon quosdam competenter instructos ad statum religionis & sacerdotij honorem crescente in eis septiformi spiritus sancti gratia habilitauit. Illud autē pro maximo lucro & gaudio singulari reputabat, si alicui iter æternæ salutis ostendisset, atque à peccatis ad continentiam reuocasset. Reuerbatur igitur à mundanis, honorabatur à magnatibus, & à bonis & deuotis tenerrime diligebatur. Fecerat enim eum tam amabilem cunctis vita sincera, charitas ad eū perfecta, pietas ad proximum, largitas ad egenos, honestas ad ciues, affabilitas ad afflictos. Vnde quidam de eo dicebat: Non est religiosus quem tantū diligo, nec est quem tantum timeo, sicut dominum Florentium, quem sicut angelum dei aspicio. Ipse tamen nequaquam de sui reputatione gaudebat, sed de conuersione hominū

& fratrum profectu, quorum numerus quotidie augmentabatur, domino gratiam suam in diebus eius largiter conferente. Hinc & nomen eius ad exterarum ciuitates cum multa admiratione & bonae famae noticia peruenit, & tam praesentes quam absentes eximie eum laudibus commendabant. Sed humanas laudes sibi impensas non attendit nec ponderauit, immo vilipendit & derisit. Nam literas quasdam commedatitias sibi transmissas breuiter legens post citam iactauit dicens: Non est aliud quod scribant? Bene potuissent de hoc tacuisse.

De deuota exhortatione eius ad spiritua-
lem profectum. Cap. 23.

Egregius ac uernas flos sacerdotum magister Florētius, feruidus animarum zelator, non solum curam domesticorum fratrum habuit, sed etiam salutaris uerbi semina in aliis vicinis congregationibus clericorum plantare studuit, faciens interdum collationē deuotae exhortationis per se uel per alium idoneum fratrem domus suae pro mutua pace & charitate seruanda. Ad cuius aduentum laetabantur omnes inhabitantes, ex ore sacerdotis dei sacra uerba audire cupientes. Nam loquebatur spiritus sanctus per eum ad consolationem gregis pusilli, qui paratus erat ei obedire alacriter & deuote. Dicebat ergo in quadam collatione admonendo hoc modo: Quilibet deberet omni die proponere uitam suam feruenter emendare, & nouum certamen contritiationis & uitae suae arripere, & quae amplius eum molestant, fortius illa uincere, & uolentiam sibi propter Christum inferre, quia regnum caelorum uim patitur, & uolenti rapiunt illud. Est etiam uile quandoque alicui fratri discreto & in uia dei experto passiones suas & perplexitates reuelare, nec proprio sensui inniti, sed alteri potius credere, atque humiliter accipere consilium, & libenter sequi suum rectorem, quia hoc est magnum releuamen nouiter conuersis, & bonum signum spiritualis profectus. Qui ergo sic proponit deo semper seruire, & totam uitam suam diligenter emendare, atque ab omni peccato se cauere, de hoc magis meretur & acceptior fit, quam si centum pauperes pasceret, & tale propositum continendi non haberet: quia maximum munus quod homo potest deo offerre, est bona & perfecta uoluntas seruiendi deo omni tempore quo uixerit. Talis etiam non potest male mori, quia diu in sancto proposito steterit. Et si obierit, spero, quod in statu salutis erit, & misericordiam inueniet, quia bonum propositum habuit, & bona uoluntas pro opere completo ipsi ad meritum computabitur, sicut Dauid san-

ctus confitetur dicens, Domine ut scuto bonae uoluntatis tuae coronasti nos. Multa quidem & alia consolatiua pro confirmatione bonorum iuuenum loquebatur, qui de diuersis partibus illic congregati fuerant, non tantum in schola literarum, sed etiam in schola Christi uacantes studio spirituali. Quidam ex ipsis uerba uiri dei in tabulis signabant, & aliis absentibus indicare cum magno seruore satagebant, multo alacrius diuina eloquia inter se tractantes, quam seculares solent scurrilia recitare. De altis quaestionibus & subtilibus rebus & intricatis negociis omnino tacuit, sciens quod paruum aedificationem deuotis mentibus praestant, & compunctioni cordis frequenter obfistunt, & corda innocentium subuertunt, sicut expertum est in plerisque qui curiosa scrutantes, & uiam Christi planam & humilem relinquentes, multis lapsibus & erroribus se infecerunt. Cum quidam literatus monachus quendam Carthusiensem argueret eum quod ordo eorum deditus esset solitudini, & quieti ad uacandum propriae salutis, & pene nullum fructum facere uiderentur in ecclesia dei, respondit ille bonus religiosus satis prudenter & eleganter dicens, Nos libenter faceremus quod uos praedicatis & docetis. Nam contemptum mundi melius credimus poenitentiae laboribus persuaderi, quam sermonibus pulchris & euagationibus multis. Vir quidam ex Iudaeis ad fidem christianam conuersus, audiens famam sanctae conuersationis magistri Florentij, cupiebat cum ipso de antiquis patriarchis & prophetis disserere, eum quod in ueteri lege & Hebraicis literis satis edoctus uidebatur, & rabbi a multis secundum sectam Iudaeorum dicebatur. Cumque uenisset ad praesentiam uiri dei, ipse benigne eum suscipiens, & patienter audiens, humane & charitativae cum eo egit, ac operibus bonis insudare. De quaestionibus uero legis ad salutem non pertinentibus, & genealogiis ueterum nihil uentilare uoluit, non quia ignorabat, sed quia aedificationem non importabant.

De efficacia sermonum eius, & intellectu scripturarum. Cap. 24.

Sermo reuerendi sacerdotis non fuit palans adulatione, sed ueritatis clara protestatio: non secularis eloquentia, sed humilis informatio morum, & ad abiectionem seculi rationabilis inductio per exempla sanctorum. Neque enim a diuitibus pecunias quaesuit, nec honorem inter magnates, sed cum simplicibus liberior sermocinatio eius, pro quibus etiam instabat apud potentes ut pauperum memores essent, & de mammona iniquitatis facerent sibi

sibi amicos in tabernaculis regni caelestis. Et quis illi facile negaret, pro quo ipse intercedere uolebat? Offensam dei timebat, qui eum in petitione non audisset. Venit ad eum aliquando pastor & curatus ecclesiae Dauētrienensis bonus amicus eius, beneuolentiam obsequij sui exhibens & dicens: Praedilecte mi domine Florenti, si possum aliquid tibi gratum facere, non parcas mihi. Ad quem pius pater ait: Nihil aliud pro nunc, nisi ut beneuolum te exhibeas deuotis fratribus & sororibus sub cura tua positus, ne molestentur a secularibus & improbis personis. Qui mox pie annuus respondit: Libenter id faciam amore dei & uestri, ut etiam sitis memores mei. Magister Ioanes Bohemae rector scholarium, & vicarius maioris ecclesiae, sub quo diu scholas frequentauit, magnus amicus fuit domini Florentij, libenter eum audiens, & faciens quod deo placitum fore sciebat. Cum ergo tempus soluendi precium instaret, reddiderunt singuli quod iure debebant. Tunc etiam ego obtuli ei precium ad manum eius, reperens librum quem pro pignore reliqueram. Et quia notitiam mei habuit, sciens me stare sub cura domini Florentij, ait mihi, Quis dedit tibi hanc pecuniam? Respondi. Dominus meus Florentius. Vade inquit, reporta ipsi pecuniam suam, nolo a te recipere propter ipsum. Reportaui iterum pecuniam domino meo Florentio, & dixi: Reddidit mihi magister precium amore tui. At ille, Grates illi ago, alias iterum donis potioribus providebo. Per spiritum discretionis sciebat quid unicuique respondere deberet, & per donum consilij sapientibus & indoctis, uariisque necessitatibus occupatis saluari subuenit remedio, nihil tamen terreni commodi pro his requirere. Unde quidam eius consilio se committens dicebat: Quotiens consilium domini Florentij secutus sum, bene mihi successit: & quando proprio sensui innixus sum, malum mihi semper aduenit, aut me poenituit, quia non feci sicut mihi dixit. Intellectus sanctorum scripturarum uelut quidam caelestis radius in eo luculenter resplenduit, tantaque puritate diuinae claritatis illuminatus est, ut sine in ueteri sine in nouo testamento legeret, ab omni parte mysticus ei sensus occurreret, & ubique inueniret quod eum instrueret, & ad deum omnium scientiarum fontem finemque uerborum reduceret. Habebat tamen apud se simplices & morales libros, & praecipue Speculum monachorum, & quaedam uirtutum exercitia contra uitia quibus se suosque commilitones in Christi militia docuit contra diabolica tentamenta triumphare. Nouis autem & imperfectis, ac seculari fastu tumidis, & carnali amore adhuc

infectis dissuasit alta & subtilia atque obscura & dubiosa legere, & curiose rimari. Discat ergo isti primitus se humiliare, & proprios defectus bene cognoscere, superioribus suis perfecte obedire, nemini se preferre, cum omnibus pacem & concordiam tenere, timorem dei in mente semper habere, & firmum fundamentum in humilitate ponere, ac sic demum ad arcem claritatis, & diuinae speculationis ascendere lucem, per inhabitantem spiritum sancti gratiam mundis cordibus promissam, iuxta illam domini sententiam qua ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Qui autem studet magis uideri subtiles quam esse humiles, & plus quaerit scire quam bene uiuere, cito extolluntur, & sunt carnales. Tales solebat acriter corripere, & ad cognitionem defectuum suorum per humiliationem & frequentes exercitationes salubriter reuocare. Quando autem necessarium fuit ut aliquem argueret, ita timebatur, ut nemo auderet contradicere, nec se excusare, propter reuerentiam sanctitatis eius, quam nullus audebat offendere, metuens dei indignationem incurrere, si non humiliter sermonibus eius obedisset.

De custodia uerborum, & iuratione uita. Cap. 25.

Quodam tempore apud Amerfordiam constitutus, ab incolis illius ciuitatis & maioribus illius loci satis reuerenter est susceptus, & interdum pia deuotione uisitatus. Tunc etiam quidam honesti uiri ad audiendam uocem sermonum eius uenerunt ad prandendum cum eo & fratribus eius, cupientes familiaritatis eius habere gratiam, & exemplis bonis & doctrinis informari. Quos benigne tractans, & pro eorum statu salubriter exhortans, post auditionem uerbi dei, cum gratiarum actione singuli in domum suam sunt reuersi. Illis autem abscedentibus, mox breuē admonitionem fratribus dixit: Periculosum est magnatibus & secularibus loqui & coniungi. Non expedit diuitibus blandiri, nec arctiora eis conuenit dici. Ideo oportet ut homo caute prauideat quid talibus loquatur, ne scandalizentur in aliquo uerbo leui, uel actu indecenti. Habent enim oculos super nos apertos ad considerandum gestus nostros, propter bona quae audiunt de nobis. Stemus ergo super custodiam nostram, & demus bonum exemplum aliis qui nos uisitant & requirunt, qui tantum exteriora uident, & secundum haec de interioribus iudicant. Quauis in omnibus perfecti non simus, tamen praecauendum est ne malum exemplum & occasionem scandalii demus infirmis. Sed isti nimis beneuoli sunt nobis, & hoc forte non expedit nobis. Non delectemur fauoribus uanis, qui

Viri dei
tuti in-
ter ho-
stes qua
cu ami-
eis ver-
fantur.

simplices & humiles esse debemus. Melius est ergo ad locum pristinum citius redire, quia multi ibidem minus curant de nobis, & quidam etiam derident nos & obloquuntur, quod valde nobis proficuum est, & ad deum magis redire compellit. Fuit itaque vir domini Florentius custoditus & praemeditatus in cunctis sermonibus suis, maxime coram secularibus & ignotis personis. Pessimam etiam hominum secularium consuetudinem iurandi stricte vitavit, & omnibus suis interdixit, ut neque certe vel vere in quotidiano sermone dicerent, ne peccatum super peccatum ex incauta iuratione cumlarent. Quando ergo aliquid notabile & seriosum exprimere voluit, aut dicere in testimonium oportebat, non facile nec temere iurandi notam interposuit, sed faceto modo ita respondit, Dico vobis finaliter, vel utique: & sic satisfecit querenti. Nec voluit verbum assertiuum loqui, in quo potuit deprehendi, sed memor verbi domini, est est, non non, lapsus linguae studuit praecavere, & alios bono exemplo & simplici veritate prolatione docere. Unde magis ipsi credebatur sine iuramento, quam aliorum linguis multa iuratione male assuetis.

Matt. 5.

De tribus periculosis tentationibus
deuotorum. Cap. 26.

Tentatio
nestres
prætex-
tu boni
fallaces.

Expertissimus in spiritualibus reb⁹ ac strenuus athleta magister Florentius, tres tentationes dicebat esse valde periculosas, quae sub praetextu boni decipiunt multos. Et nisi tentatione eis in principio resistatur, ad peruersum finem paulatim perducunt, aut in miserabilem teporem desides trahunt. Sed (quod nequius est) multi has tentationes pro veritate diabolicæ fraudis minus caute aduertunt, & in quata pericula labi possunt, vix a prudentibus & expertis informari queunt. Vna est quando aliquis nouiter conuersus repatriare desiderat, & visitare querit parentes vel amicos. Hic enim sub specie boni & spe conuertendi seculares reuertens ad seculum, cum existimat in partibus suis facere fructum, ex tali occasione saepe negligit semetipsum. Dumque moras trahit inter vanos & lubricos, periculosis se exponit ventis & vndis: quia (sicut frequens experientia docet) leuis animus, & necdum in virtute fundatus, si mundanis libenter iungitur, aut peccatis eorum inuoluitur, aut tetatus refrigescit ab inceptis bonis. Bonum est ergo homini, ut semper fugiat omne quod animam nocet, & sine causa notabili patriam vel amicos non requirat. Nunquam de seipso praesumat, sed praesens seculum laqueis venenatis plenum habeat ubique suspectum, & praelati sui sequatur consilium & dictum, quod in omni

uentu est magis securum & firmum. Nam de decem vix vnus vel duo illesi redeunt, qui inter cognatos & notos diu versantur. Saepetiam aliis deteriores & vaniores fiunt, qui a bono proposito resilientes in seculo remanent, & gratiam dei abiicientes non erubescunt iterare mala quae prius contempserunt. Alia tentatio est quando laicus vult esse clericus, & idcirco humilem statum relinquit, & a sancta congregatione recedit, ut agnitis literis magnus dominus fiat, & nescit miser quam male decipitur, qui humilitate & obediencia relicta tendit ad alia. Hic ex modica scientia cito inflatur, & tarde bonus clericus erit, qui proprio motu ductus pro vilibus literis virtutes perdit, & boni nominis famam denigrat, utinam totus secularis non fiat. Tertia tentatio est quando clericus & literatus anhelat ad sacros ordines & praelaturam aut aliquam dignitatem sub aliqua specie sanctitatis, ut possit aliis magis prodesse, & melius docere ac frequentius praedicare. Iste licet piam intentionem videatur habere, intus tamen graui superbia laborat, dum per se ascendere festinat ut aliis maior appareat. Et quia humilem subiectionem non diligit, & contemptum sui inuite sustinet, per preces & cautelas amicorum querit promotionis suffragium, non attendens animae suae periculum. Heu quam malam inueniet conscientiam post modicam & breuem gloriae captationem, quam difficulter assequitur, multoque facilius omni honore priuari potest. Qui ab his tribus liberari desiderat, deum quotidie orget, ut eum a superbia & vana gloria custodiat, & in humili subiectione & perfecta obedientia conseruet. Nam superbia facit hominem intus caecum & insipidum, & foris garrulum ac praesumptuosum, sui ipsius nescium, & de aliis habere contemptum. Et quod deterius est, super alios querere dominium, apertum satis est perditionis signum, & multorum malorum inductiuum. Cum quidam frater cum domino Florentio loqueretur in camera eius, ait illi inter caetera. Studeatis vos dare ad humilitatem, tunc potestis proficere, & gratiam dei promereri.

De emissionem fratrum ad fructificandum
in diuersis locis. Cap. 27.

Ardentissimus amator Christi dominus Florentius, cui Christus viuere erat & philipp. 4. mori lucrum, desiderans fructum facere in tempore suo, maximam operam dedit multis prodesse ad aeternae salutis regnum, suadens huic miserum & caducum spernere mundum. Misit ergo plures personas ad diuersa monasteria & ad nouas domos pro aliorum conuersione extruendas. Ex quibus aliqui in Vvindheshem, aliqui

liqui in monte sanctae Agnetis, aliqui in Northorn, aliqui in Gelriam, aliqui in Hollandiam perrexerunt. Quidam etiam monasteriorum priores, nonnulli rectores congregationum & monialium confessores effecti sunt. Ex quibus aliqui adhuc superstites sunt, qui deuotissimum & deo dilectum magistrum & dominum Florentium pridem in carne viuentem cognouerunt, & indubitabile testimonium magnae sanctitatis eius perhibere possunt. Sed & sacer ordo Carthusiensis, necnon Cisterciensis, sanctique Benedicti, viros habet mihi non ignotos, qui virum Florentium & fratres sanctae congregationis eius cum Dauentria frequentarent, videre & audire meruerunt, & me verum dicere comprobauerunt. Fuerunt eodem tempore quo claruit & floruit in Dauentria insignis sacerdos dei Florentius, plures deuoti sacerdotes in dioecesi Traiectensi, qui populum fidelem sermonibus sacris instruxerunt, & religiosos conuentus siue fratrum siue sororum strenue gubernare nouerant. Hi omnes debita cum reuerentia domino Florentio humiliter se submittebant, & angelicum virum super arduis causis libentissime consulentes, eius potius discretionis & prudentiae quam sibi ipsius credere maluerunt. Videbant enim in ipso praeteris gratiam diuini consilij celsius efflorere, qui tanquam liliam conuallium aqua sapientiae perfusus, in medio turbarum candorem suae puritatis conseruauit, & bonae opinionis odorem longe lateque resperfit. Erat itaque tunc temporis in Traiecto dominus Vverboldus famularum praedicator & confessor sororum sanctae Ceciliae, ferens amator sanctae scripturae, & magnus amicus reuerendi patris domini Florentij, optime visus & auditus a tota communitate plebis. Apud Amerfordiam fuit dominus Vvilhelmus Henrici, qui incepit congregationem clericorum qui postea facti sunt canonici regulares. In Svvolles fuerunt dominus Hericus Goude egregius praedicator, pecuniarum contempor, humilis confessor beguinarum, necnon dominus Gerardus Kalker deuotorum clericorum rector, & optimus virtutum informator. In partibus Hollandiae claruerunt valde notabiles & eruditi in lege domini presbyteri, verbo & actione conspicui, quorum aliqui cotubernales magistri Gerardi fuerunt, atque Florentio cordialissime praedilecti, qui suis in locis fructum non paruum domino retulerunt in conuersione hominum, & aedificatione conuentuum deuotorum. In Harle fuit dominus Hugo aurifaber dictus cum presbyteris suis. In Amsterdamo dominus Gisebertus Dou, duorum monasteriorum fundator, ac multarum sororum inclytus gubernator. In Medenblich dominus

Paulus totus deo deuotus & probus. Horum etiam meminit magister Gerardus in epistolis suis, & per hos prima deuotio in Hollandia coepit & profecit. Fuit enim uero in partibus Gelriae in Doesbrouch dominus Dericus Gruter multarum sororum laudabilis pater, antiquus magistri Gerardi discipulus, qui multa mihi bona de eo narrauit. Longum est per singulos nominare deuotos patres qui a tempore magistri Gerardi coeperunt, & contemporanei domini Florentij fuerunt, qui nos vanitates seculi contemnere, & humiliter ac continenter viuere docuerunt, omnibusque sequacibus suis clara exempla deuotae conuersationis per patientiam & obedientiam reliquerunt.

De felici transitu eius ex hoc mundo, & ecclesiastica sepultura. Cap. 28.

Benignissimus Iesus omnium fidelium conditor & redemptor, aeternaeque vitae fidelissimus promissor ac redditor copiosus, qui dicit, Omnis qui reliquerit patrem & matrem & caetera terrena propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit: ad remunerandum fidelem famulum suum pium Florentium multis adornatum virtutibus, ac diuersis probatum pressuris & laqueis, de huius ergastulo corporis educere dignatus est, & in regnum suum caeleste laetantibus angelis transferre. Fundatis igitur eius consilio & auxilio quam plurimis deuotis congregationibus & monasteriis, atque humili grege domus suae secundum beneplacitum Christi in pace & charitate fraterna ordinate instructo & sollicito custodito, iam ad supernae patriae ciues & Christi gloriam intuendam medullitus suspirabat, & ardentem anhelabat, per omnia confidens in Christo Iesu quem super omnia amabat. Petiuit ergo sibi corpus domini cum sincera deuotione ministrari, quod & plena fide & digna ueneratione intuens & adorans ait, O mi dilecte domine deus ignosce mihi, quod totiens te tam indigne tractaui & sumpsi. Ad haec uerba multi compuncti fleuerunt. Quidam etiam ex canonicis ista audiens valde ingemuit dicens: Quid ergo ego miser peccator dicam, si tantus uir talia de se sentit & dicit? Vir autem deo plenus & Christi gratia munitus totum se in diuino beneplacito obtulit, & quando loqui aliquid boni potuit, saluberrime consolationis uerba dilectis filiis & fratribus suis eruclauit. Inter alia digne memoranda, fraternae charitatis unitatem commendauit dicens: Quicumque in una domo habitant, unum sentiant, & unum propositum in domino teneant, & semper ad conformitatem morum sine omni singularitate cum simplici obediencia

tia sui superioris tendant. Ibi est pax, ibi spiritualis profectus, & optima dispositio domus, ubi oēs in feruore spiritus nituntur esse vnam, & humilitate Christi se omnibus conformare. Manete in humilitate simplicitate vestra, & Christus manebit vobiscum. Post sacram exhortationem negrex domini inter populares fluctus constitutus sine rectore maneret quasi debito gubernaculo destitutus, praefecit vniuersae congregationi suae vñ de presbyteris suis, dominum Amilium virum deuotum, sapientem & eruditum, zelum dei & animarum salutem incūctanter habentem, vt ad eum singuli recurrerent, & ipsi ex animo obedirent. His itaq; atq; aliis quiete dispositis, crescebat iam infirmitate corporis, ad extrema peruenit vitae praesentis. Cum ergo dominicę annunciationis sanctissima solennitas instaret, deuotissimus vicarius Christi Florentius intimus amator beatissimę semper virginis Marię piissimę matris Iesu Christi in profecto eiusdem gloriosę genitricis dei, post horam cōpletorij pulsato ad laudē beatę virginis Aue Maria solito more, finito iam die finē vitę fecit in terris, orantibus fratribus circa eum cum gemitu & mœnore. Nec mirū. Vis etenim intentū amoris cogebat eos flere charissimū patrem omnium donatorū lumen & speculū, omniumq; tribulorum solamen ex hac terporali luce subtrahit. Sed pia fides amantium recogitans optimi sacerdotis sobrietatem ac vitę modestiam, cōsolabatur spe glorię cęlestis ipsi non negandę per Iesum Christū quę toto corde dilexit, cui vsque ad mortē plena fidei deuotione seruiendo, perseveranter adhæsit. Transit autem ex hoc mundo dilectus deo & hominibus sacerdos magister Florentius anno dominicę incarnationis millesimo quadringentesimo tempore Bonifacij papę noni, & anno ætatis suę vt existimo quinquagesimo, aut nō multo senior. Vixit vero post obitum venerabilis magistri Gerardi in bona ac sancta conuersatione annis fere sedecim, quibus magnum fructū fecit in populo dei in Dauentria & in tota diocesi Tractensis. De cuius laudabili vita sit laus & gloria Christo in secula, qui tam præclari luminis sidere decorauit tempora nostra. Sequenti igitur die cōgregatis canonicis cum clericis corpusculū eius lōga maceratione castigatum ad ecclesiā sancti Leuini à canonicis & presbyteris est processionaliter allatum, & exequiarum solēniis perolutis ante altare eius in honore sancti Pauli consecratum cum magna reuerentia sepelitur. Ipse autem electus sacerdos dei sicut verus humilis seruus Christi, optauerat cum fratribus suis ante eum defunctis in cœ-

meterio sepeliri, & nihil amplius honoris sibi exhiberi. Sed reuerendus dominus Rambertus decanus Dauentriensis hoc penitus recusauit, quin potius rectissime decreuit, vt in ecclesia & loco celebri honorifice conderetur, qui eiusdem ecclesię exitit sacerdos egregius virtutibus & scientia illustratus.

De quadam visione facta post obitū eius, & de magna gloria ipsius. Cap. 29.

F Vit in ciuitate Gorichem vir quidam fidelis bonę vitę, & famę laudabilis Ioannes Hermanni nomine, cuius vxor Iutta vocabatur, qui pariter secundum mandata dei viuentes, complures alios ad dei seruitium traxerunt. Frequenter sacris diebus de deo in domo sua loquebatur, hospitaliatē multis deuotis ad se venientibus libenter exhibentes. Erant autem ambo valde familiares domino Florentio, à quo sanctę conuersationis formam habentes, etiam proximis suis vitę exempla præbuerunt. Post obitum igitur domini Florētij supradictus Ioannes in breui ex hoc seculo migravit. Euenit itaque quadam die vt Iutta deo deuotissima in camera sua orationi incumberet. Quā consummata surrexit aperiens ostium ad exeundum de camera sua. Quod cum aperiret, repente audiuit fenestrā camerę post se aperiri. Respicens ergo vidit quendam lumine splendoris circumamictum & aspectu amabilissimum eandem fenestram intrantem, viro suo faciē tenus similem. Cui illa ait: Es tu ibi Ioannes dilecte coniunx? Cui ille, Ego sum. Sed ne modo voces me coniungem tuum. Cui illa, Et quomodo est tecum? Ille respondit: Ego saluatus sum, & gaudiis cęlestibus & præsentia dei fruor. Cui illa: Et quomodo est cum domino Florentio patre nostro? Respondit ille: Dominus Florentius est in valde magna gloria, & omnia eius incepta recta & bona fuerunt. Et adiecit. Mane in hac domo, & non mutes locum, quia cito morieris. Et hæc rectori fororum Aleydę Thomę reuelato. Et tandem hæc visio disparuit. Post hæc ista Iutta ita feruido ad deum corde dies suos licet perpaucos peregit, vt omnia temporalia tanquam despecta stercora ei videretur. Ex quo solo signo euidenter apparet, quod supradicta visio non fuit delusio vana, sed reuelatio cęlestis à deo facta. Cum quæret quidam de magna gloria domini Florentij in cælo, responsum est: Propter tres maxime virtutes. Primo propter eximiam charitatem quam habuit ad deum, omnia bona sua finaliter ad eum referendo, & dei honorem & beneplacitū in oibus quærendo. Secūdo propter zelū animarū quę ad proximos suos habuit, salutē omnium desiderando, & ad seruitiū dei

dei eos alacriter trahēdo. Tertio propter magnam humilitatem suam, & contemptum sui ipsius, semper parua & vilia de seipso sentiendo. Et hæc tria fatis lucide & distincte in vita eius superius descripta apparent, & à multis fidelibus non ignorantur.

FINIS.

Incipit epistola eiusdem ad quendam regulem in Vyndeshem.

Charissime quare me sic vexas? nonne michi sufficiunt miserię meę? Tamen tædio victus, & importunitate tua compulsus, cogor tibi scribere quę lōge à me distant. Primo vt ita importune corā deo pulses pro omnibus tuis sine intermissione, & cōfestim aperiet tibi longe clarius q̄ aliquis hominū totius vitę tibi possit scribere, si permaneris perseverās quærendo, pulsando, petendo. Item suadeo tibi vt ante omnia humilies te sub omnibus, & sufficit tibi corde verbis & operibus. Cogita indefinenter secundum beatum Bernardum ad fratres de monte dei, vbique solem lucere nisi in conscientia tua, vbique serenum esse nisi apud te. Et hoc fit per assiduam assuefactionem, inspiciendo propriam vilitatem corporis & animę, non respiciendo defectus aliorum, aut excusando. Maximē quādo corripis aliquem, tunc caue tibi ab intrane te eleues. Beatus Hieronymus super Marcum dicit. Cæcus à domino illuminatus vidit homines tanquā arbores ambulātes: sic dicit q̄ peccator existimabit oēs homines sup se. sic & tu vide oēs fratres tanquā arbores corā te. In operibus tuis fac viliora & abiecta, sed interim vilitatem tuam cogita, aut de morte, aut de pœna aut iudicio, vel quicquid potest te deprimere aut accendere ad amorem dei & proximi: & in huiusmodi cogitationibus exerce te ad amorē dei & proximi, vel ad extirpandū vitia, vel acquirendas virtutes. Item secundū Bernardum ad fratres de monte dei: Cōpara diē præsentem semel in die diei præteritę, vt apprehendere possis quod proficis in virtutibus aut deficis. Disce semel aut bis in die tibi præesse, & vitam tuā ordinare, mores componere, & teipsum accusare & condēnare, nec impunitum dimittere. Consulo tibi vt habeas circa te Speculum monachorum, aut Speculum Bernardi, secundum quod omnes actus tuos potes ordinare, quem librum etiā ita discas exterius, q̄ in omnibus operibus tuis leuiter occurrat quomodo te debeas habere, aut in quo te male habuisti. Item omnes actus tuos præueni præmeditatione & oratione breui, quomodo te deceat habere in eodē

opere, & hoc erit tibi leue quando prompta consuetudine scis libellum exterius. Item mane & post prandium statue ante oculos tuos tuas malas cōsuetudines, & vitia tua principaliora, & virtutes ad quas niteris, & sic intra recenter bellum cum hostibus tuis; cum carne, mundo, & diabolo, nil hæsitans, quia plures sunt nobiscum, quā contra nos. Et sic implebis illud Bernardi, Mane præteritę noctis fac à teipso exactionem: & venturę diei tibi statue cautionem, quomodo per totā diem te vis habere. Item Bernardus. Singulis horis describe tua singula exercitia, cui spiritualia, spiritualia: cui corporalia, corporalia: vt in vesperis quando de singulis factis tuis tenes capitulum, si quid imperfectū fuerit, suo modo, suo loco aut tempore non abeat impunitum vel irrecompensatum. Quære commune bonū, & cor semper sursum habe. Ora pro me frater, nunquam sic feci. Vale. Ante prandium cogitabis de passione domini. Post prandium de morte, de iudicio, de pœnis inferni. Post cœnam de vitiis & peccatis.

Quædam notabilia verba domini Florentij presbyteri.

Ante omnia cognosce vitia tua & passionem tuam. Semper sis vigilans circa tērationem & motus passionum. Si sentis eas, & statim reijcis, nō nocēt, si moraris, malum est. si delectaris & moraris in eis, pei⁹ est. Ad quę sita humiliter responde. Fuge mulieres, & caue inspicerē. Malum exemplum est secularibus, oculos non custodire. Dic peccatum tuū cum verecundia & tristitia, & magno proposito dimittēdi, coram deo & presbytero tuo. Dic culpam tuam singulariter, sic feci, & hoc feci. Nota bene in quo stat culpa tua, & hoc expone simplicibus verbis. Nō debes malum alicuius dicere, nisi possit ipsi vel alteri prodesse. Accusa alium cum cōpassione, sicut cū infirmo fratre. Tūc cōscientia est bona, & ratio tua recta, quando nihil agis nisi secundū sacram scripturam, & intelligis eam sicut sancti intellexerunt, & nō credas capiti proprio. Bonum esset homini spirituali quod temporalia sua in aliquo tempore depurato tractaret, & post ad spiritualia rediret quasi omnium oblitus. Existimo quod motus & cogitationes quę incidunt in corda nostra, non sunt in potestate nostra, sed tamen nostrum est aliquid boni in corde nostro plantare, legendo, orando, ruminando, donec alij motus illiciti ab his victi succumbant, & per gratiam dei cessent. Sunt aliqui tantę superbicę, quod vel oportet eos alios regere, vel omnino deficere, & ad mundū reuerti, quia nec sciunt se æquare aliis, nec subesse. Sæpe moue-

tur totum corpus secundum passionem quæ regnat in homine, ipso tamen non confidente. Quidam per medium annum nec bene potuit dormire nec comedere, & non potuit causam inuenire, sed postmodum inuenit causam, quæ fuit tristitia, ita latet passiones in nobis. Debiles non iudicabunt facta superiorum, quia sæpe falluntur. Nil tene secretum vel in rebus vel in conscientia, quin reueles. Raro loquere cum seculari, quin confortes eum secundum statum suum ad bonum. Fuge seculares magnates & coniuantes. Si facis opus humile & vile in præsentia hominum, noli ridere. si rides, superbis, quasi hoc opus ad te non pertineat. Disce intelligere quod oras, & sic expellentur vagæ cogitationes. Altus cantus cõturbat caput, & sensum & deuotionem extinguit. In orationibus potius desiderare debes gratiam & misericordiam domini, quàm magna præmia. Maria reputabat se indignâ salutatione angelica, & repleta spiritu sancto ascendit cito ad montana, & seruiebat Elizabeth. Si quis haberet loqui magno regi, conciliaret sibi speciales apud regem. sic de Maria agendum est, quæ maxime specialis est deo. Omnia fierent homini dulcia, si se bene exerceret in passione dominica. Sine intermissione deberemus cor nostrum erigere ad cælum, & ad sacram scripturam recurrere, & sæpius suspirare, quod tam carnales sumus & pigri ad bona æterna quærenda. Ex nimia festinantia perditur deuotio. Caue ergo importunitatē, & omnia fac cum attentâ consideratione, & non ex consuetudine. Quando aliquid contrarium corpori tuo iniungitur tibi, cogita quod corpus non est tuum, sed eius in cuius obedientiam te dedisti. Quantum homo omnia bona sua siue corporis siue animæ cõmunia fecerit, tantum omnia bona aliorum erunt ipsi cõmunia. Dilige omnes conuersos æqualiter in deo, tam absentes quàm tecum existētes. Fuge actionem cui appendet honor, vel de qua vane gloriari potes, si posset per alium æque bene fieri. Quod in alio loco & per aliū potest bene fieri, dilige & exalta plus quàm si per te fuisset factū. Noli inuidere quod alius te sanctior sit, vel maiorē habeat famam: sed dona dei ama in illo, & tua erunt. Nil sic extinguit carnalia vitia, sicut feruens studium. Assuesce & coge te in camera manere, & in libro legere, donec sit tibi dulce, & graue exire, & cum gaudio intrare. Fuge ad cellā sicut ad amicam: quia securus es in ea. Quando cunq; homo loqueretur cum hominibus, deberet niti vt imprimeret eis humilia. Scientia secularis est valde allestina: caueat ergo homo ne nimis afficiatur ad illā, sed per illam quasi per

Luc. 7.

medium studeat transire ad deum, nec satis sit in medio stare. Deuotus & venerabilis pater Florētius dixit sæpe ad socios suos & fratres: Quàm bene vobis est, & quæ secure statis, quod potestis sic viuere sub obedientia. Et si antea sciuisset, pro nulla re mundi incepisset alios regere, nisi ipse prius sub obedientia fuisset. Et nisi infirmitas corporis impediret, adhuc mallet esse sub strenuo aliquo magistro, qui eius voluntatē plene frangeret. Item si esset sub obedientia, nunquā vellet esse perplexus. Nam quis deberet ponere onus suum super dorsum alterius in quo dubitaret. Merito deberet se homo sub omnibus conuersis humiliare, quantumcunq; etiam nouis: quia nec sic quātam gratiam ipsis dederit deus. Nunquā potest aliquis venire ad veram humilitatem, nisi contemnatur ab aliis, & in nullo curetur. Melius esset conculcari pedibus, quàm laudibus aliorum consentire. Cum aliquis fratrum petit consiliū: debes ei humiliter dicere quod legisti. Semper est melius sequi videre aliorū quàm propriū: nisi homo sciret aliquid melius sibi reuelatum propter humilitatem eius qui ab eo interrogauit, & nunquā sibi illud ascribat. Si homo habuerit multas phantasias: tunc debet vocaliter orare. Omnia exercitia & studia sua debet homo dirigere vt passionēs & defectus suos superet: quia alioqui parū proficit. In labore communi sta in continua custodia, cauendo multa verba: & cogita de studio tuo quæ legisti. Non est morbus tam grauis, à quo verus obediens non curatur. Si homo pure se resignasset, nõ deberet plus sibi confidere vel desperare, quàm superior sibi diceret. Sæpe debet se homo resignare in die deo & superiori suo, & genua cordis pro venia flectere, & intellectualiter obedire. Miror quæ qui sub obedientia est, habet dubia, & nõ stat contentus. Quando aliquid boni facis: caute respice vt fiat vitæ propter deum, & non cõcupiscas aliud nisi honorē dei, & ædificationē proximī. Inter fratres potes cogitare, O si possem me taliter habere, quod nullus per me scandalizaretur. Semper debes niti quærere cõmunia, quia si quærere incipis te in minimis, cito probaberis ad maiora. Quicquid est pro cõmuni bono, sollicitè custodire debemus, sicut sacra vasa altaris. Libri sacre scripturæ custodiendi sunt tanquam verissimus thesaurus ecclesiæ. In scriptura non solum quærere debemus nos, scilicet vt bene scribamus, sed etiā vtilitatem communis boni, vt libri sint correcti & bene cõpunctuati & distincti, quia nos non libenter studemus ex malis & incorrectis libris. Væ illi qui in communitate existens quærunt quod suū est, vel dicit aliquid esse suū.

Væ

Væ homini qui in communitate murmurat de aliquo, & dissentit cõmunitati, vel quacunque modo eam perturbat. Tunc vere in vnum habitamus, si vnum volumus, vnum sapiamus, & vnius moris sumus in domino. In omni opere suo & moribus suis studeat se quilibet cõmunitati cõformare, in legendo, cantando, comedendo, ieiunando, & nõ sit singularis. Nihil tam pacificum reddit hominem, quàm quod nihil ex se præsumat facere, sed totum cum cõsilio bonorum, & semper credat salubrius esse quod cõsulant. Stude humiliter implere quod tibi iubetur, quia si vis discernere, vix verus obediens eris. Quantum potest stude deuotioni, attēte orando. Diffolutio est deuotioni cõtraria, sicut aqua igni. Quauis pauper es in virtutibus & debilis, nõ debes tamen te deicere, sed magis humiliare, & cogitare, Quia non habeo magna, volo istud paruum deo offerre quod habeo, sicut Maria obtulit par turturum, & non agnum. Ille vere est frater & amicus alterius, qui odit vitia eius, & iuuat ipsum ea vincere. Semper debes niti te occupare aliquibus bonis, & omnino non attendere ad phantasias. Periculosum est multum sæpe loqui vel conuersari cū hominibus secularibus potestati habētibus siue dignitatem, vt sunt scabini, presbyteri, canonici, & alij diuites. Ratio est, quia ex natura timens illos sæpe homo applaudit eis, & assentit verbis eorū. Caueas de multiloquio, maxime apud seculares, quia raro loquitur homo, quin postea pœniteat de aliquo verbo incauto. Etiam abstineas à risu & cachinno, quia qualē ipsi viderint hominem ab extra, talem ipsum iudicant ab intra, quauis tamen talis nõ sit. Parum prodest multum studere, nisi quis studeat vitam suam emendare, & cum omni diligentia ad bonos mores ordinare. Nam diabolus multa scit de scripturis, & tamen nihil ei prodest. Si quis mane tardus & piger fuerit, non debet desperare, quoniam deus potest illi dare gratiam deuotionis, quando sibi placuerit. Ante laborem, breuem orationculā præmitte. Seruus Christi breuiter & submissa voce loqui debet, & cauere loqui vbi non debet. Et si necessitas cogit, eat ad locū secretiorem sibi permissum, & videat vtrū expediat quod loquitur. Sæpe niti debes vt ædifices audientes verbis tuis, & trahas eos magis ad seruitiū Christi, quoniam nihil plus placet deo, quàm laborare pro aiabus cõuertendis. Et nihil inuoriosius deo facere possumus, quàm aliquē nostro malo exemplo scandalizare, vel à seruitio dei laxare, quia hoc peius est, quàm Christū cū Iudæis carnaliter crucifixisse. Præ omnibus actibus bonis debes niti pro puritate cordis, &

bonas meditationes assumere, quia ex his surgit charitas, oratio, deuotio, & oēs aliæ virtutes firmantur. Nūquam sis ociosus, sed sancta præcipue occupatione implicatus, dirigendo affectiones tuas & omnes operationes ad deū. Melius est modicum spiritus, quàm multa scientia sine deuotione. Nam pulchrorum verborū valde leuis est emptio, sed operum bonorum difficilis inuentio. Quicquid fecerit homo, si non senserit se inde humiliorem, nihil sciat se lucratum. Quando aliquid boni facis, fac simpliciter & pure, ad honorem dei, & non quæras te ipsum aliquo modo. Ex improuidencia verborum veniunt perturbationes, scandala & oblocutiones. Vide ergo quid facis, quare facis, & quomodo facis. Non est leue, in quo offenditur deus, & scandalizatur proximus. Ante initium operis propone qualiter te velis habere, nec leuiter hoc frangas. Festina ad cellam, & recuperabis deuotionem perditam. Quando duo vel plures colloquantur, quibus respiciat quod non ad inutilia sermo procedat. Et si contigerit, debes hoc alteri absque omni verecundia dicere charitatiue & humiliter: Frater, non expedit nobis plus loqui, eamus ad cellam, & faciamus aliquid melius. Seruus dei quantumcunque potest debet niti quod cor suum auerrat à creaturis & concupiscentiis terrenis. Et quanto plus in illo profecerit, tanto plus crescit appetitus ad amorē dei. Desiderans proficere studeat sibi vim facere, hoc est nitatur vitia sua vincere, vt qui prius desiderauit sublimia, iam desideret humilia, & sic de aliis vitiis vincendis. Bonus obediens nunquam debet paruipendere mādaturum, quantumcunque leue videatur. Tunc diabolus in veritate fugit à nobis, quādo perspexerit nos humiles & vniuersos, quia ipse est pater superbiæ & discordiæ. Nõ debemus attendere proximum nostrum vt pulchrum vel diuitem, sed sicut sanguine Christi redemptum. Seruus dei multum niti debet pro pace & concordia habenda cum fratribus suis, quia angeli nihil plus diligunt & libentius vident in nobis, quàm quod sumus inuicem pacifici & concordēs. Quicquid boni seruus Christi facit, nunquam sit securus, sed timeat semper de seipso, ne forte reprobis inueniatur coram domino nostro Iesu Christo. Et præ omnibus debet niti vt omnes homines reputet sanctiores & meliores se. Deuotio non est aliud nisi desiderium animæ ad deū. Quantumcunq; parū cõsuetudinis nostræ fuerit, si quis tamē humiliter studuerit facere, totum reputabitur pro obedientia. Quod si neglexerit & nõ curauerit, timeo quod grauitè punietur. Optans in humilitate proficere, sæpe debet si-

z iij

bi dura & despecta proponere, & semetipsum arguere, iudicare & condēnare, & secretis cogitationibus suam vilitatem cōsiderare, vt adueniente humiliaatione sciat patienter contēptum pati. Cum sentis inuidiam vel suspicionem aut vanam gloriam, responde tibi ad intra & dic: Prō pudor, quōd tu adhuc tam miser & tam debiles es, quōd ex aliorum profectu deficis, & deterior efficeris. Sicque intus temetipsum humilia & confunde, & fugiet diaboli tentatio à te, qui solet talia ingerere. Magno labore oportet nos contra carnalia pugnare, si volumus ea vincere. Raro vel nūquam comedimus, quin diabolus infidietur nobis. Igitur semper vigilemus & oremus, quia aduersarius nunquam dormitat, sed vndique nos impugnat.

Incipit prologus libri de discipulis domini Florentij.



Via deo donante de venerabilibus patribus ac illustribus viris magistro Gerardo & domino Florēcio quedam virtutū opera secūdam tenuitatē ingenij mei impolito sermone descripsi, restat nunc consequēter prout memoriā occurrit, de eorum discipulis aliqua assignare, quā simpliciū fratrum vitam & mores valeant humiliter infor mare. Hi etenim seculi pōpam & carnis molliem viriliter calcātes, Christum sectati sunt per arctam viam quā ducit ad vitam, vt non immerito celi luminaribus cōparentur. Nam maximam multitudinem fidelium virtutibus suis illustrarunt, quam ad bene agēdum dum adhuc viuerent exhortari nō cessarunt. Ideoque pia eorum in Christo conuersatio nō est penitus silēda, sed ad instructionem paruulorum pandenda sunt facta eorum veneranda.

NOVITIVS.

Rogo te obnixē, vt de tam præclaris viris saltē paucas deuotionis scintillas in lucem proferas, quibus accendi valeam ad virtutis amorem, quatenus ex auditu modernorum nouæ conuersationis statum arripiam. Nam plerique poetarum gesta scripsere gentiliū, pro qualicunq; vtilitate legentium: quanto magis ad consolationem religiosorū recitare debes exempla seruorum dei qui mūdum triumpharunt, vt boni in melius semper proficiant, & pigri de corporis lectulo citius suscitentur?

SENIOR.

Si me digneris audire: dicam quod nō parum te edificet in præsentī. Eos tibi proponam, qui non tantum virtutis nomen, sed cum bono nomine vitam tenuerunt virtuti-

bus clarā. Sed iam prō dolor, aliqui sunt qui primo seruore derelicto, euagationes diligunt, vaniloquiis delectantur, propriam sapientiam primis patrum institutionibus præponūt, & ad sua desideria explēda callidis argumentis pro sacris legibus vtuntur. Quorum stultam præsumptionem omnimode caueas, & probatorū patrum humiles mores habitumq; attendas, qui in diebus nostris sub disciplina reuerēdi patris domini Florentij Dauentriæ emicuerunt. Det igitur nūc gratiam proferēdi ea quæ ædificationis sunt, quatinus præfens hic sermo sic simplices & humiles fratres erudiat, vt Christum sequi in religione cupientes, omnem seculi curam perfecte abiiciant, & tales in seruo deuotionis & sanctæ simplicitatis subiectione esse studeant, quales isti deuoti virtutum viri omni studio prædicandi extiterunt.

Incipiunt capitula.

- De prima congregatione clericorum in Dauentria. Cap.i.
- De domino Ioanne Gronde. Cap.ii.
- De domino Ioanne Brinckerinck. Cap.iii.
- De domino Luberto Berneri. Cap.iiii.
- Scriptū domini Amilij de felici obitu ei?. C.v.
- Collecta quædam ex deuotis exercitiis domini Luberti. Cap.vi.
- De domino Henrico Brune. Cap.vii.
- De domino Gerardo Sutphanienfi. Cap.viii.
- De domino Amilio de Buren. Cap.ix.
- Exhortatio eius de mutua charitate seruanda. Cap.x.
- De domino Iacobo Vianensi. Cap.xi.
- De Ioanne Kessel humili coco. Cap.xii.
- De deuotis exercitiis eius. Cap.xiii.
- De Arnolde Scoenhoutæ deuoto clerico. Cap.xiiii.

De prima congregatione clericorum in Dauentria. Cap.i.



Bonorum probitas (vt ratio dicat) laudem dignā ubiq; meretur. Nā qui in vita sua laudabiliter vixerunt, post mortem quoq; obliuioni tradi non debent. Siquidem ad solatium viuorum, actus iustorū recensendi sunt, & ad exemplum cæteris fidelibus proponēdi. Vnde iam præcipue eos cōmendare oportet, qui in domo reuerēdi patris Florēti à principio dom⁹ illius deo humiliter ac deuote seruire studuerunt, & cū magno seruore spiritus vsque ad finē vitæ in sancta obediētia cōstantissime permanserunt. Nō tamen oīm intēdo scribere

scribere virtutes, quod nullaten⁹ possibile est, sed de pluribus pauca mihi nota libet memorare. Cum igitur studij causa in annis adulescentiæ Dauentriā peruenissem, quæ suū iter pergendi ad regulares in Vvndesem. Ibi que inuentis fratribus canonicis regularibus cum germano meo, hioratu illius inductus sum adire summę reuerentiæ virum magistrū Florentium Dauentriensis ecclesiæ vicarium, sacerdotemq; deuotum, cuius fama dulcissima ad partes superiores iam ascenderat, & in amorem sui mentem meam traxerat, quē frequens turba scholarium in diuinis rebus agētem cōmendare solebat. Visu enim & auditu iustus erat, atq; omniū oculis gratus, vt potēte verus dei cultor, & sanctæ matris ecclesiæ deuotissimus venerator. Venientem ergo ad præsentiam patris reuerēdi, mox pietate motus, aliquantisper me secum in domo tenuit, & ad scholas instituit, datis in super libris quibus me egere putauit. Demum hospitium cū quadā honesta & deuota matrona gratis impetrauit, quæ mihi & aliis multis clericis sapi⁹ bene fecit. Adiuctus itaque tam deuoto viro & fratribus eius, quotidie deuotam eorum cōuersationem attendi & inspexi, & gauisus sum ac delectatus in bonis moribus eorum, & in verbis gratiæ quæ de ore humilium procedebāt, quia nunquam prius tales homines, tam deuotos & seruētes in charitate dei & proximi me vidisse memini, qui inter seculares viuentes, de seculari vita nihil habebant, nihilq; de terrenis negociis curare videbantur. Nam domi quiete manentes, libris scribendis operā sollicitē dabant, sacris lectionibus & deuotis meditationibus frequenter insisterēs, ad iaculatas orationes laboris tempore pro solamine recurrēbant. Mane etiam dictis matutinis horis ecclesiam visitabant, & inter missarum celebrationem, primitias oris sui, & cordis suspiria deo libantes, puras manus & oculos mentis corpore prostrati leuabant ad cælum, precibus & lamentis deum sibi per hostiam salutarem reconciliari quærentes. Huius eximie cōgregationis primus institutor & spiritalis rector extitit dominus ac magister Florētius virtutibus ornatus, & diuina sapientia & intelligentia in agnitione Christi refertus, sacre apostolicæ vitæ cum suis presbyteris & clericis formam humiliter imitādo. Isti ergo cor vnū & animam vnam in deo habentes, singuli quæ sua erant in cōmune cōferebant, & simplicē victum ac vestitū accipientes, de castino cogitare vitabant. Sponte nanq; se deo dicantes oēs rectori suo aut eius vicario obedire satagebant, & sanctā obedientiam pro summa regula tenentes, totis viribus se ipsos vincere, &

2. Pet. 2.

Oratio sanctis viris post laborē loco est solaminis.

passionibus resistere, ac motus propriæ voluntatis frangere nitēbātur, rogantes in super feruētē, vt pro defectibus & negligentis suis feruētē corripere. Idcirco gratia magna & vera deuotio erat in eis, & multos ædificabant verbis & exemplis, atque patienter derisiones secularium ferentes, plures etiam ad seculi cōtemptū perducebant. Et qui antea illos despecterant, vitam eorum sine honore tanquā stultitiam existimantes, postea ad deum cōuersi, & deuotionis gratiā experti, veros dei seruos & amicos palam illos conscientia perurgente fatebantur. Multi ergo viri ac mulieres, mundana felicitate cōtemptra conuersi sunt ad dominū, & cōsiliis dilecti patris domini Florentij innitentes, præcepta dominica seruare, & misericordiæ opera christiana deuotione in pauperes exercere studuerunt. Adiuuabāt autem eum omnes fratres sui, verbum vitæ retinentes, qui tanquam luminaria cæli in medio turbarū lucebant mundo senescenti. Quidam etiam sacerdotes sciētia diuinæ legis illustrati, strenue in ecclesia prædicabant, quorum ex prædicatione fideles populi in actibus piis exercendis & sermonibus sacris audiendis salubriter sunt instructi.

De domino Ioanne Gronde. Cap. 2.
Fuit tūc tēporis in Dauentria sacerdos deuotus dominus Ioannes de Grōde dictus de Oetmēshem ex Tyvenchia natus. Hic fama celebris & sermone facundus, aliquo tempore in Hollādiæ partib⁹ honestissime cōuersatus est, q̄ castitatis titulo inter sacerdotes insigniter effulsit, simplici altaris beneficio sobrie cōtentus. Hunc venerabilis magister Gerardus magnus ad se accersiri fecit, ita scribēs ad sacerdotes qui ī Amsterdāno domino deuote tunc seruiebant, quib⁹ speciali charitatis vinculo vnitus erat. Ait nanque, Noscatis q̄ villa Dauentriensis mirabiliter bono presbytero pro adiutorio spiritualium in cōfessione indiget, quia nullū talem ad votum nostrum habemus. Quapropter vos rogo, si non fuerit notabile impedimentum sanctæ ecclesiæ in Amsterdāno, nostrum prædilectum Ioānem de Gronde à loco vestro remoueri, nobis sine dubio proficiuus erit. Et status ipsi erit multum conueniens, qui tantum ad hoc ordinatur, vt subueniat veraciter cōuersis ad dominum, quod est opus piissimum. Et libētissime & cum gaudio eum acceptabimus. Veniens igitur Dauentriam ad magistrum Gerardum, & benigne receptus, in antiqua domo domini Florēti cum primis fratribus illius sanctæ congregationis humiliter & deuote cum communi iocietate vixit, & seruens spiritu, summo mane fratres ad orationem exci-

rare consuevit dicens: Surgite, vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Permanit autem in eadem domo vsque ad obitum magistri Gerardi, post cuius felicem trāsitum fuit apud sorores in camera magistri Gerardi. Prædicauit autem verbum dei frequēter in ecclesia Dauentriensi voce solenni, cuius prædicationi dominus Florentius quandoq; reuerenter affuit, audiens intente ac desideranter diuini sermonis dulcedinem ex ore prædicantis. Erat enim vox eius sonora, aures hominum penetrans, & corda cōpungens. Hic etiam interdum svvillas venit, ad confortandum deuotos fratres & sorores. Et quodam tempore ibidē in quadagesima pluries prædicauit, in super passionē domini in die parasceues vltra sex horas deuotissime prædicando exposuit, modico tamen interuallo in medio sermonis pro viriū reparatione populis indulto. Cūque charitatis intuitu moras illic faceret, quorundam deuotorū confessiones audiuit, dans remedia salutaria poenitentibus, & suades permanere in proposito sancto. Nam multus in ea populis ad seruendum deo inuentus est, & vsque ad tēpora nostra feliciter ampliat. Tā diligenter deuotus prædicator quærebatur & libēter audiebatur, vt hospitio receptus verbum salutis ad prandium sedens petentibus nō negaret, sed inter epulas corporis, animarum medicinam præstabat corde cōtritissimis super delictis sibi cōfessis. In hoc siquidē opere Christum imitabatur, qui inter cibos mēsa, poenitentia beatissimæ Mariæ Magdalene clementer suscepit, & Simonem de poenitēte male sentientem, prudēti ratione per pietatis opera sibi exhibita redarguit, & bene instruit. Accessit etiam interdū ad fratres in mortem sanctæ Agnetis, eorum confessiones audiendo, qui adhuc pauperes erant, & sine sacerdote. Et ait, Non sit vobis graue humilem deum sequi, nam paucis laboribus potestis regnum dei promereri. Post hæc redire festinauit ad habitationis suæ locum, nolēs diu à dilectis fratribus domini Florentij separari, cum quibus viuere vnicum ipsi solatiū fuit, & qui ipsum cordialissime diligebant. Simplex erat in vestitu, & sobrius in conuictu, non blādiens secularibus propter quæstum, sed sicut verus euangelicus prædicator lucrum quærebat animarum, & augmentum spiritualis profectus in domibus deuotorū. Cum ergo domino fideliter ministrasset, & dies vocationis eius iam instaret, vt pro laboribus suis æternā mercedem reciperet, coepit grauitate infirmari. Et existimans se non diu victurum, fecit se ad domum domini Florentij deportari, desiderans finem dierum suorum in medio fratrum

Luc. 10.

consummare, quorum orationibus & meritis se confidebat in extremo maxime iuuari, & ab inimico insidiante fidelissime defendi. Quod & factum est deo miserante. Nam domino Florentio cum fratribus suis præsentem, confortatus est in misericordia altissimi, & ad iusionem patris dilecti vltimum verbum suū terminauit in nomine domini. Sicque agonē suum domino cōmendans, spiritū vitæ summo mane circa horam quartam in crastino sancti Ioannis ante portam Latinam exhalauit. Anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, mensis Maii die septima. Sepultus est autem in ecclesia beatæ Mariæ virginis ad latus venerabilis magistri Gerardi in vno sepulchro, vbi pariter requiescunt in pace. Et hoc apte satis, vt quomodo dilexerūt se in vita, ita & in morte non sint abinuicem separati, in vna ecclesia sub vnus petre signaculo clausi, expectantes aduentū domini nostri Iesu Christi, ab ipso iterum resuscitandi.

De domino Ioanne Brinckerinck.

Cap. 3.

Hic athletæ dei successit dominus Ioannes Brinckerinck, quondam magistri Gerardi discipulus prædilectus, de Surphania natus. Hic veniente magistro Gerardo & prædicante in diuersis locis cum ipso sæpe perrexit, comes itineris eius, quemadmodum Lucas cum Paulo. Vnde multa bona frequenter ab eo audiuit & didicit, factus deuotus imitator operum eius, ac testis idoneus sanctitatis eius, intrans & exiens cum eo, horas legendo, ac alia pietatis obsequia sedulo exhibendo. Post cuius mortem feliciter celebratam sub obedientia reuerendi patris domini Florētij, deuote & humiliter vixit, non segnis amulator bonarum informationum quas olim magistro Gerardo prædicante situbundo pectore hausit. Dei autem consilio ad sacerdotiū promotus est, mansitque cum fratribus in congregatione multum laborās in ædificatione primæ domus domini Florentij, donec defuncto domino Ioanne de Gronde, ad regimen sororum poneretur. Qui sicut vir strenuus & zelator castitatis, in omni disciplina creditam sibi domum gubernauit, propriis non parcēs laboribus, sapius supra vires fatigatus pro animabus lucrands. Ipse etiam interdum verbum dei prædicauit in ecclesia, acriter obiurgando peccata, & virtutes commendando vt decuit excellenter. Bina vice audiuit eum prædicantem in die parasceues passionem domini satis compuncte & prolixè. Primum thema eius fuit, Proprio filio suo non percipit deus. Secundum vero ex psalmo sumpsit: Quid retribuam domino pro omnibus quæ

quæ retribuit mihi? Libenter à deuotis audiebatur, sed seculares quidam susurrabant contra eum, quia vitia eorum vbi oportuit arguebat. Sed tamen propter hos non terrebatur, quia amabat veritatem dicere, & pro iustitia agonizare, eligens deo potius obedire & bonis prodesse, quàm prauis consentire. Quadam igitur die in circuncisione domini valde eleganter & dulciter de nomine Iesu prædicauit, benedictum & dulce nomen Iesu super omnia nomina in cælo & in terra exaltando. Tandem ad arguendum quosdam seculares & stolidos homines sermo eius descendit, eo quod pro dolor plures minus reuerenter immodice iocanter sanctum & inuolabile nomen Iesu nominant, & clamauit dicens, Sunt quidam qui audito dulci & benedicto nomine Iesu ioculiter & despectiue loquuntur, Ay Iesus deus beguinarum. O miseri & insensati quid dicitis? Quis est ergo deus vester? Est tunc diabolus deus vester, quia dicitis, Iesus deus beguinarum. Hoc est magnum scandalum vobis. Illis autem hoc sanctum nomen magnum honor est & gaudium singulare, quia frequenter nominant Iesum, summe venerantur Iesum, & ante omnia & super omnia nomina sanctorum diligunt & adorant Iesum dei filium, quem vos derideris & despicitis, quia fratres & beguina Iesum libenter nominant, & deuote laudant, & in nomine Iesu inuicem se salutant. Vx vobis qui diabolum frequentius in ore habetis quàm Iesum, eò quod nimis humilis & despectus Iesus vobis esse videtur. Hæc dicens lætificabat amatores Iesu, & confundebat derisores eius prout digni erant. Cūque numerus ancillarum dei coepisset augeri, dominus Ioannes spem iactans in adiutorium altissimi, fecit ampliora ædificia ad habitandum, vt plures animas saluaret, quæ de huius mundi naufragio ad Christum confugerant. Demum extra ciuitatem versus Aquilonem monasterium sanctimonialium non sine grandi labore construxit, in quo de domo magistri Gerardi sorores aliquas assumēs, fecit illas sacris literis imbui, & habitu regularium sub perpetua clausura inuestiri. Has strenue cum his quæ in ciuitate manebant, per viginti sex annos domino iuuante rexit vsque ad vitæ terminum, nonnullis tamen ad alia loca pro nouis domibus inchoandis ab ipso transmissis. Nam primo sedecim tantum sorores in communi viuentes reperit, sed domino multiplicatē numerum in diebus eius, post obitum centum quinquaginta reliquit.

Sed quàm humiliter ac timorate inter tanta bona de seipso senserit, restantur verba quæ vni familiari socio aliquādo dixit. Cum enim

pariter per viam transirent, & de futura vita loquerentur, hæc ait: Ecce frater si angelus domini ad me nunc veniret & diceret, Inclina te Ioannes, & permitte caput tuum amputari, & eris in purgatorio, ego libēter hoc subirem, vt de salute mea certus essem, & sic in gratia mori possem. Alia vice in prædicatione sua hæc dixit: O quàm magnus & altus est status sacerdotalis, cuius dignitatem vix aliquis mortalis digne exequi valet. Ego si tā facile possem tunicam sacerdotalem deponere sicut induere, statim eam hic exuerem. Aduertant hæc qui de sacris ordinibus gloriantur & intumescunt, nec quantis debitis obligantur attendunt, & discant de seipsis humiliter sentire, & in timore dei corda sua deprimere, quia tāto erit quisque securior apud deum in futuro, quanto nunc humilior in semetipso. Ecce iste seruus dei multos labores fecit in vita sua, passus est contumelias & deractiones ab æmulis, sed per patientiam vicit omnes. Et dans deo gloriam, opus bonum quod incepit, fideliter consummauit, & tanto deo plus placuit, quanto humilior de se sensit, & plures secum ad cælibem vitam traxit. Igitur postquam in vinea domini quam dextera dei plantauit, diu satis vbertimque laborasset, venit dies ad vesperam, in qua laboris sui premium reciperet, & ab omni opere temporali cessare deberet, iuxta verbum domini dicitis: Voca operarios, & redde illis mercedem suā. Et ecce magna vi febrium correptus infirmatur, & existimans se iam migraturum, denunciat priori de Vyndesem ægritudinis suæ molestiam, & dierum suorum finem aduenisse. Quo veniente exponit ei desiderij sui intentum, commendans eidem sicut fidei commissario curam sanctimonialium, quatenus de idoneo rectore eis prouideret, ne feruor disciplinæ nouiter introductus, per negligentiam aut insolentiam deperiret. Cum ergo festiuitas dominicæ annunciationis illuxisset, sequenti die fidelis seruus Christi Ioannes ad cælestem patriam anhelans, septimo Calendas Aprilis animam deo reddidit, cui totis viribus in corpore positus studuit à iuuentute sua famulari: Anno domini millesimo quadringentesimo decimonono, residēte in sede Traiectensi venerabili domino Federico de Blanckenhem nobili episcopo omnium deuotorum patrono pio & glorioso. Sepultus est autē in monasterio sanctimonialium ordinis regularium in Dyepenuene ante summum altare in medio chori quod ipse primus incepit, & ad honorem beatæ virginis & sanctæ Agnetis consecrari fecit.

Ordo sacerdotialis, quæ-

NOVITIUS.

GRatanter capio quod dicis. Felix Dauentria, quæ talibus sacerdotibus exitit adorata. Sed iter inceptum iam prosequere, & quæ nondum audiui, nolui abscondere mihi.

SENIOR.

EXigit feruida petitio tua, ut adhuc quædam incognita tibi describam. Sed mens propriis grauata malis quid digne dicere ualeat de virtutibus perfectorum? Quia tamen pietatis causa id facere cepi, consequentia patienter aduerte. Breuiter transibo, ne tædium generet lectori sermo prolixus. Nec quæras, in uerbis ornatum, sed ædificationem morum in humili conuersatione deuotorum.

De domino Luberto Berneri.
Cap. 4.

INter illa primitiua deuotorum luminaria refulsit Dauentriæ magnæ humilitatis & summæ obedientiæ sacerdos quidam nomine Lubertus filius Berneri Ioannis de Syvolis oriundus. Cuius feruidam in Christo conuersationem plures mecum nouerunt fratres in Vyndesem, in monte sanctæ Agnetis, & in fonte beatæ Mariæ prope Arnem, ex quibus multi adhuc superstites sunt, quidam autem in domino dormierunt. Quid autem dicam pauperculus de tam egregio viro, cui testimonium perhibet tam religiosam multitudo? Sed & ipsi seculares uiri consulares & scabini, necnon eius temporis canonici & vicarij Dauentrienses; dominum Lubertum cognouerunt magnarum virtutum fuisse virum, quod ex multis humilibus actibus eius probari potest, de quibus exempli gratia hic aliquos inseram, tanquam suaue olentes ramusculos de bona arbore natos. Hic igitur iuuenili ætate pollens, & artis grammaticæ Rudimenta transcendens cum coætaneis sociis ciuibus suis profectus est ad studium Pragense, ibique breui tempore baccalaureus factus Syvolas rediit ab amicis suis lætissime receptus. Nec diu postea deuotorum fratrum affabilitate tractus cælesti inspiratione ad emendationem emolitur, inuitisque parentibus & amicis clanculo recessit Christo seruire proponens, & studium seculare in spirituale exercitium felicius commutauit. Venitque Dauentriam ad magistrum Florentium vitæ sanctitate potissime tunc florentem, a quo paterne susceptus, docetur perfecte renunciare pompis & curis seculi, & humilem vitam Christi imitari. Qui roto mentis feruore iugo obedientiæ se

subdidit, & disciplinam nouæ vitæ alacriter arripuit, & semetipsum quotidie hostiam uiam domino offerens, ad summam perfectionem per propriæ voluntatis fractionem cito ascendit. Sed pater eius Bernerus potens scabinus Syvolensis indigne satis tulit, quod filius suus Florentij discipulus est effectus, & ad tam humilem statum se conuertisset. Misit ergo nuncios plures, qui eum a proposito sancto reducerent, existimans ipsum nimis errare, quod parentes & seculi diuitias insipienter reliquisset. Sed Lubertus animo constans stabat intrepidus, eligens magis sequi consilium Christi, quam facere voluntatem patris sui terreni, quia deus maior homine est, qui se super omnia præcipit amari dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Interea accidit ut pater eius infirmaretur, & erat languor fortissimus, ut nec loqui quidem posset. Nunciatum est ergo Luberto, quatinus ad patrem cito ueniret si eum uiuentem videre cuperet, utpote qui in extrema necessitate constitutus, consilium salutis per ipsum deo propitio esset habiturus. Tunc ille filialiter condolens patri ægrotanti, memor dominici præcepti, sed immemor iniuriæ sibi prius illatæ, accessit festinus domum paternam, propter animæ eius salutem. Visitat iam securus infirmum, quem dudum fugiebat persequentem: ac blande eum alloquitur, quem pertulerat aduersantem. Videns autem pater filium suum dilectum, exhilaratur nimis ad eius conspectum. Et quod mirum est dictum, incipit loqui præ gaudio, qui antea obmutuit oris priuatus officio. Mox obsecrat ab eo veniam, ut sibi clementer ignoscat, quod ei in uia dei aliquando resistebat. Ille charitatis uisceribus affluens, libenter cuncta remittit. Pacato igitur patre cum filio, saniori iam pater uisitur consilio, & nolens filium bonis fraudari paternis, omnia illi dari præcipit, quæ hæreditario iure ad ipsum deuoluuntur. Hæc uiuens ordinat, quatinus deum post mortem propitium inueniat, & filij sui precibus fideliter adiuuetur. Post paucos dies pater obiit, & Lubertus memor beneficiorum patris deuotas pro eo preces cum multis lachrymis fudit. Receptusque deinceps portionem suam non ad cupiditatem propriam, sed cuncta in manu domini Florentij in pios usus fratrum tradidit dispensanda. At ille non ad priuata commoda sibi credita retinuit, sed ad ædificationem domus suæ & solutionem expensarum exposuit. Hæc est domus domini Florentij titulo nominis eius insignis, quæ fauētibus ciuitatis scabinis, pro congregatione clericorum deuotorum fundata est, Anno domini

domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo. Eodem anno Lubertus cum socio suo Henrico Brune viro deuoto presbyter est ordinatus. Qui ambo tanquam gemelli fratres lacte sanctæ deuotionis in domo illa enutriti, & magnis uirtutibus ornati, sacerdotali honore digni censebantur, uiri secundum seculum genere clari, secundum deum deuotione præcipui, humiles, sobrij, casti, benigni, alacres, feruidi, amabiles, tractabiles, simplices, & obediētes. Sed iam de domino Luberto presbytero facta aliqua exempla quæ uidi, & a fratribus sæpe audiui, dicere conabor. Quadam nanque vice sedebat in camera sua scribendo, misitque dominus Florentius pro eo ut ad se ueniret. Statim ut hoc audiuit, pennam de manu sua posuit, & de sede surrexit. Erat autem in vltima riga lateris, & forte tria vel quatuor uerba adhuc scribenda restabant. Dixit ergo ad eum frater qui missus fuit pro eo: Perscribe illam rigam seu lineam, & tunc latus erit finitum, adhuc tempestiue uenies. Ad hæc sicut uerus obediens respondit: Non plus, sed oportet obedire. Ecce nouus Marcus cum eodem præmiandus in cælo, de quo in uitis patrum legitur, quod uocatus ab abbate inceptam litteram non compleuit. Facto ergo negotio Lubertus ad explendum opus suum rediit, repletus fructu obedientiæ cum gaudio bonæ conscientiæ. Tunc frater ille domino Florentio ex ordine hæc omnia recitauit. Audiens autem dominus Florentius tam promptam Luberti obedientiam, respondit ita eundem commendando: Luberte Luberte quam bene nosti lucrum tuum & animæ profectum? Tamen diligens erat in scribendo, ut cum ei aliquis loqueretur, ipse nihilominus scribebat, & quod utile fuit respondebat. Alio tempore iuuenis quidam scholaris scripturus literas ad parentes, de consilio eius composuit eas in camera eius me præsentem. Superuenit dominus Florentius, & ait: Quid facitis? Respondit reuerenter: Socius meus scribit literas ad parentes. Tunc dulcissimus pater ait. Scribe, ut scribaris in vitam æternam. Et iuuenis ille postea factus est deuotus religiosus. Et ego non sum oblitus uerborum domini mei Florentij quæ locutus est in camera Luberti, quia bonus homo de bono thesauro semper profert bona. Ad hoc enim studebat dominus Florentius, ut ædificationis uerbum proferret: ad hoc conabatur Lubertus discipulus eius, ne uerbum ex ore magistri negligeret, sed festinanter impleret. Quidam deuotus licentiam petiit a domino Florentio uisitandi amicos & cognatos. Concessit ille, ne contristaret importune petentem. Postea reuersus, & multa peri-

cula expertus in uia, accessit ad Lubertum Christi famulum dicens: Miror quod dominus Florentius tam facile mihi licentiam dedit repatriandi, cum tot pericula homini occurrant in mundo. Respondit ei Lubertus: Si dominus Florentius cognouisset te tam fortem, & posuisses totam uoluntatem tuam in beneplacito eius, bene aliter dixisset tibi. Sed ille condescendit desiderio tuo & inclinationi ex pietate, ne per te peiora attentares. Unde culpa est ex parte tua, non de consensu ipsius. Tunc ille: Bonum est quod hoc scio. Alias melius prouidebo, ut faciam sicut dicitur mihi, utens eius consilio qui me regere habet. Fate igitur facit, qui contra superioris beneplacitum propriam inclinationem sequitur, sicut iam probatum est in isto, & multorum experientia idem testatur.

NOVITIUS.

Libenter hæc audio de uirtute sanctæ obedientiæ. Utinam præsentis exemplo instructus decætero caueam abundare in sensu proprio, sed semper me inclinem ad obediendum prælato meo. Sed adhuc uelim audire de humilitate huius deuoti uiri, quia nisi humilis fuisset, tam cito non obediuisset.

SENIOR.

Dignum est ut de hoc aliqua tibi dicam. Nam in pia causa exaudire petentem, ædificationis est & non parui meriti apud omnipotentem. Humilis fuit iste felicitis memoriæ dominus Lubertus, humilis corde, humilis habitu, humilis actione, humilis sermone, ut sequentia declarabunt. Solebat nanque aliorum uirtutes alius commendare, & seipsum omnibus uiliorem reputare, & cum pauperibus & simplicibus libentius quam cum diuitibus loqui. Unde quidam clericus ad eum ueniens rogauit, ut aliqua bona pro emendatione sibi diceret. Qui respondit: Bone frater, quid ego piger & inutilis homo tibi dicerem? Vade ad illum fratrem, & ipse te melius informabit. Ego sum sicut uas urinale foetidum, quod nunquam ad purum potest lauari, sed semper de se foetorem emittit. Audiens hæc frater ille multum ædificatus abscessit, & sociis suis dixit, Quam humilis homo est dominus Lubertus? Duo clerici inter se de domino Luberto loquebantur, quorum vnus ait, Videtur mihi quod dominus Lubertus nimis austerum uultum præterendit: libenter ipsi quandoque loquerer, sed non audeo. Respondit alius: Si placet, dicam ipsi, & forte emendabit se. Venit ergo ad eum, & dixit: Domine libenter dicerem tibi modicum. Qui respondit: Bene potes. Dixit ergo, Quidam offenduntur in te, quod tam mature incedis, & auster eos

inspicis. Ideo non audent ad te venire, & tecum loqui. Sis magis affabilis, & dulcior in verbis tuis, ut libere accedant ad te. Tunc respondit humilis dominus Lubertus: Ego libentissime me emendabo per dei gratiam, grates tibi quod me admonuisti. Ex illa hora dominus Lubertus quasi in alterum virum mutatus est, vultusque eius hilarior apparuit erga aduentantes, debita tamen honestate seruata. Quodam tempore congregatis fratribus, dominus Florentius interrogauit de quadam materia ex scripturis sanctis. Multis ergo tacentibus, dominus Lubertus quia senior erat, loqui cepit. Dominus Florentius volens eum coram aliis humiliare & probare, ait illi seriose: Luberte existimas quod talia nescimus, quanuis non sumus baccalaurii & magistri? Mox ille humiliter respondit, Mea praesumptio. Habebat autem hanc consuetudinem, quando de aliqua re parua corripiebatur, ut se non excusaret, sed magis se reum fateretur, dicens: Mea culpa, aut mea negligentia, aut mea inaduertentia, aut mea leuitas, aut mea obtusitas aut pigritia, vel aliud consimile verbum quod humilitatem sonaret, & fratres edificaret. Cum legeret ad mensam, quandoque scienter turbauit, ut a correctore mensae corrigeretur, & dissimulauit se interdum audire, ut eum amplius emendaret, desiderans confundi & hebes reputari, quasi non sciret melius legere. Sed dominus Gerardus Surphanæ, qui erat corrector errorum in mensa, perpendens quia non simpliciter de ignorantia errabat, sed ex virtute humilitatis, cessauit eum iterum emendare. Habebat autem vocem virilem & tubalem, multumque decenter legebat. Frater quidam quaesuit a domino Florentio dicens: Quare me non ita reprehendis & exercitas sicut dominum Lubertum, & Ioannem Kessel cocum nostrum? Nonne esset etiam mihi bonum, ut me aliquoties exercitares & argueres? Respondit pius pater discretionis virtute plenus: Si te tam fortem ad omnia cognoscerem, bene similiter te probarem. Sed isti tales sunt, ut ex increpationibus magis proficiant, nec inde murmurant, sed humiliores & feruētiores ex hoc fiunt: Gaudent enim se despici, & praeter aliis reprehendi. Solebat autem dilectus pater istos frequenter coram fratribus in praesentia eorum arguere, quia licet eos duriter corripere, propter exemplum ceteris praestandum, inique tamen eos diligebat, sicut specialiter in obitu eorum profusis lachrymis ostendebat. Huic denique domino Luberto sicut viro virtuoso & prudenti veraciter sapiebant virtutes, & maximè horrore erant passionibus &

Fortium est fortiter reprehendi.

concupiscentiæ carnales. Nam quod contrarium sibi erat, illud vincere conabatur, & alios consimiliter ad certandum contra vitia fortiter incitabat. Quadam igitur vice cum quibusdam fratribus deuote & feruenter de passionibus vincendis loquebatur, & vsque ad mediam fere noctem collatio mutua extendebatur, atque in dei amore & emendatione vitæ corda eorum ita sunt accensa, ut seipos obliuiscerentur, non sentientes somni vaporem, sed omnem expellentes torporem, in nouam quandam deuotionem ex ignito colloquio verbi dei euigilabant, experimentaliter probantes in semetipsis illum versiculum psalmistæ esse completum: Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Ex hac sancta collatione valde feruebāt ipse & qui cum eo ad spirituale profectum erant inuitati, ut postea ad commilitones fratres suos Lubertus iucundo ore diceret & affectuose repereret, quando quando volumus nos iterum ignire?

N O V I T I V S.

Dum ista narras, in admirationem me ducis. O utinam semper talia audirē, quæ me salubriter compungerent & accenderent, & nullum vaniloquium interueniret, quod conscientiam meam macularet. Sed ad vitandum scurrilia verba, profer vterius humilis sacerdotis exempla. Fateor enim me ex deuota collatione ista non modicam lætitiā recipere.

S E N I O R.

Saluator noster Iesus Christus dicit: Qui ex Deo est, verba dei audit. Et quia tu libenter de seruis dei bona audis & legis, spero quod hoc sit de gratia diuina, quam cum magna sollicitudine cultore debes, & ad humilitatem te semper inclinare, quæ in domino Luberto arctius erat radicata. Quodam igitur tempore stabat circa coquinam molendo sinapium, & superuenerunt quidam amici eius Syvollenses, visitare eum cupientes. Intuens autem eos, admonitus est eos alloqui, ne forte offenderetur eius allocutione oprabili defraudati, quia erant viri honesti, & consules nominati. Tunc humilis Lubertus sicut erat linteo præcinctus, accessit ad eos, & salutauit familiariter amicos, non erubescens seruili habitu coram amicis apparere, sed deo gestiens magis humili in officio placere. Post breue colloquium vale dicto amicis, rediit ad opus iniunctum, amici vero recedentes de humilitate eius plurimum sunt edificati. Cum esset aliquando Syvollis, quidam amicorum eius ibant cum eo bene vestiti, ille autem sicut simplex frater ibat longa toga innocenter indutus.

indutus. Hoc quidam videntes dicebant de eo admirando, Ecce quomodo transit agnus inter lupos. Et erat aperta comparatio, quia ingens distantia vtriusque vitæ. Semel in ætate dabatur ipsi capitium simplex griseū, pallidum, & antiquum. Frater autem Amilius multum ipsi familiaris & dilectus volens eum probare, dixit ei: Luberte quale capitium habes modo? Satis male stat tibi. nam sic pender in collo tuo, quasi esses pulmone percussus. Tunc ille lætus respondit. Frater mi quid dicitis? Ecce & palpa quam bonus pannus est iste, & desine vituperare, quod non sum dignus portare. Audiens hæc Amilius edificatus est in verbis eius. Rursum quoque Amilius hæc mihi de eo recitauit dicens. Ille dominus Lubertus ita humilis est, & mortificatus in propria voluntate, ut etiam paruo puero se subderet, & minimo fratri in domo ita libenter obediret, sicut domino Florentio, si eum dominus Florentius poneret ad regendam hanc domum. Erat quippe vilis & abiectus in oculis suis, & ideo meliora sensit de aliis, & præcipue de eis qui seruiebant fratribus in coquina. Et dicebat, Ille Ioannes Kessel & socius eius multum præcedunt nos in virtutibus, ipsi adhuc efficiuntur superiores nostri. Nam confusionem nobis faciunt propter teporem nostrum, & ipsi operantur cum magno feruore. Videntur esse serui nostri, sed reuera domini sunt & magistri in via dei. Hæc autem ex cordis humilitate proferebat, quibus se ipsum & alios optime informabat.

Sciebat etiam competenter bene scribere, & libenter scripsit, vitans ocium, & diligenter operi manuum instans, & alios inducens ad scribendum. Rogante autem quodam iuvene ut exemplar ei scriberet, benigne annuit, & fecit. Et ait. Bene addisces scribere, longos enim & molles digitos habes. Et deo cooperante verum prophetauit. Scripsit autem in rotunda scriptura hæc verba pro exemplari & bono memoriali: Tollite iugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue. Ista verba intime sapiebant ipsi, & ideo omnis philosophorum dictis, ad humilitatem Christi hortabatur, quæ ducit ad veram sapientiam & æternam beatitudinem promerendam. Igitur postquam humilis & deuotus sacerdos dominus Lubertus de sylua cognominatus, multis virtutibus clarus, ex hoc seculo esset migraturus, instanter petiit a fratribus ut sui recordarentur post mortem in orationibus suis, præcipue tamen tempore scripture in cellis, legendo in priuato quodamque orationem pro defunctis. Cum ergo pla-

ga mortalitatis Dauentriæ & in circumiacentibus locis grauius regnaret, plerisque etiam deuotos de hac vita subtraxit, sed æternæ luci (ut pie credendum est) in supernis coniunxit, contigit etiam dominum Lubertum eadem peste comprehendi. Et ecce in mense Iulio tribus diebus ante festum beatæ Mariæ Magdalene cœpit ægrotare, & lecto decumbere, dicens se non diu hic permanurum. Laboratum est e contrario multis precibus, & quaesitum remedium a deo & ab intelligentibus chirurgicis, quia vita eius erat oprabilis cunctis. Sed illius præualere desideriorum preces ad audientiam supernorum ciuium præuolantes. Dixit ergo ei vnus de fratribus: Adhuc non separabimur tam cito, sed in camera domini Florentij tenebimus collationes nostras. Tunc ille. Non hic amplius, sed in supernis cum sanctis. Cupiebat enim dissolui, & esse cum Christo. Igitur in die beatæ Mariæ Magdalene fecit coram se cantari sequentiā, Laus tibi Christe. Qua cantata ait: Quam deuota & feruida verba sunt ista. Et repetiuit intra se hunc versum ruminando, Quidnam haberet ægra si non accepisset, si non medicus adesset? Multi deuoti qui aderant hæc audientes, lachrymati sunt. Ille vero lætus in domino consolabatur mœrentes. Frater Amilius qui ei sollicitè ministravit, multa edificabilia ex ore eius audiens, diligenter omnia conseruabat, quæ post obitum eius per epistolam fratribus absentibus per ordinem scribens digna fide exposuit, quam etiam pro memoriali his inferere placet, in qua plenius felix obitus eius & finis vitæ cognoscetur. Cum igitur octo ferme diebus ægrotasset, nec reconuallisset, tandem multis doloribus fatigatus ad extrema peruenit, & diuina consolatione repletus, in crastino sancti Iacobi apostoli coram fratribus qui exitum eius deuotis precibus tuebantur, lætus ac feliciter obdormiuit in domino: Anno dominicæ incarnationis M. CCC. nonagesimo octauo, septimo Calendæ Augusti, tempore Bonifacij papæ noni. Cuius corpus in cœmeterio sancti Leuini circa Ioannem Kessel deuotum Christi famulum collegam eius in australi parte ecclesiæ reuerenter est sepultum, vbi & complures alij fratres per successum temporis cōsepulti requiescunt in pace.

Scriptum prædilecti domini Amilij de felici obitu domini Luberti.

Cap. 5.

In nomine domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem Millefimo trecentesimo nonagesimo octauo, quartodecimo calendæ Augusti, dominus Lubertus vanden busche, id

est, de busco aut fylua, humilis presbyter, & homo magni feruoris morbo pestilentiali correptus, per duos vel tres primos dies somniando & dormiendo quasi sine sensibus (sicut huius morbi moris est) versabatur in lectulo, in quibus diebus ad tantam venit debilitatem, ut morti videretur proximus. Post hoc tamē confortatus videbatur disponi ad cōualefcētiā ab his qui aderant, sed ipse per omnia habuit se quasi certissime se sciret moriturum, aliquos confortans, aliquibus valedicens. Etiam complures dictauit literas ad amicos suos familiares presbyteros & religiosos huc illuc ad diuersa loca, ut sibi ad purgatorium & loca poenarum transeunti, missis, vigiliis, & orationibus subuenirent. Deinde desiderauit cōuocari fratres nostros domesticos, dicēs quōd videretur sibi vtile & congruum, ut cum quibus tot annis conuersatus fuisset, pacificatus discederet, & veniam ac indulgentiam peteret. Quibus conuocatis, stans apud eos innixus baculo quo sustentabatur, ita exorsus est: Ego tot annis fui in domo domini Florentij, & parum me emendauit, & non ita in virtutibus profeci, sicut propofui quando eō veni. Tunc enim fuit omnis intentio mea & propofitum, quōd vellem me dare ad omnem humiliationem, subiectionem, abiectionem, charitatem, & ceteras virtutes, & in omnibus me subiicere domino Florentio, & omnibus fratribus: quod non ita feci, sicut iam moriturus me fecisse gauderem. Sed fui vobis saepe scandalum & offensio, superbia mea, & aliis complurimis vitiis, quae tunc ex humilitate proferbat. Deinde humillime quantumcunque debilis prostratus in terra, cum magna humilitate & lachrymis ab omnibus veniam postulabat. O quis tam duri cordis, qui lachrymas continere potuisset, quando tantum virum, patrem & fratrem cordialissimum cerneret tam humiliter cum lachrymis prostratum in terra? Deinde eleuatus a terra, & innixus baculo, coepit iterum loqui ad fratres, & exhortari eos ut fideliter & cordialiter serua- rent vnionem & charitatem ad inuicem, & ut semper niterentur se subiicere, & in obedientia charitatis sibi inuicem acquiescere, & ut quilibet niteretur esse minimus & seruilis aliis. Etiam ut fideliter fratres se inuicem niterentur custodire, charitativè admonendo, & fraternaliter corripiendo de vitiis & inordinatis moribus, & non blandiri vel applaudere sibi inuicem in vitiis & negligentis, & sic veniret ad veram vnionem & charitatem per extirpationem vitiorum. Addens, si sic simul māferitis, & ita feceritis, a nullo habebitis timere, & eritis tāquam murus inexpugnabilis. Alio-

quin cito res peribunt, & omnia nullius reputationis erunt, sed tantum vanitas & friuola. Post hoc humiliter rogabat fratres ut fideliter orarent pro se, & memores essent sui in orationibus suis sicut in eis confideret, & specialiter in illis orationibus quibus quotidie inter laborem manuum se exercitant, & sic valedicens fratribus dimisit eos. Deinde altero die dictauit vnam epistolam mittendam domino Florentio, & aliis fratribus tunc absentibus, quae sequitur in haec verba.

Incipit epistola deuoti & humilis domini Luberti ad dominum Florentium.

Salutem & omne bonum. Charissime pater, de infirmitate mea Amilius dilectus noster credo vobis scripsit, hoc tamen addo quōd a sexta feria qua obruebar pene vsque ad tertiam feriam sine sensibus dormiens, nesciui quomodo huc illucque in lecto me verterem. Sed nūc cum dominus propter bonitatem suam ingeniolum meum modicum reilluminauit, non potui pacifice ex hac miseria transire, nisi vobis saltem semel & nunquam amplius in hac vita dolorem meum & necessitates infinitas mihi praecipue imminentes obuolutus pedibus vestris filialiter aperirem. Iam enim terribili dei iudicio coram angelis eius & aduocatis nostris praecipuis praesentandus sum, cum maxima verecundia peccatorum illorum, de quorum remediis vos me sapissime instruxistis. Sed heu tunc non cogitavi quōd mihi tam graua & terribilia forent, sicut vos ea ponderastis. Et quia domine Florenti manus vestrae propriae in dei iudicio nescio contradicere super passionibus meis quas mihi scripsistis, licet tamen multis & importunis precibus meis ad hoc quodammodo coegi, & eandem schedulam Amilio dilecto nostro vobis praesentandam commisi, ut misericordius ex illis & aliis videatis quid iam patiar in loco horroris & immani poenarum, & ut precibus vestris mihi maxime necessariis occurratis. Praedilectissime pater, si apud vos praesens essem, flebilibus oculis vos rogarem, ut mihi praecipue de inobedientia & aliis offensionibus (ut inde non terribilius damnarer) paternaliter & sincere velitis indulgere, sicut non dubito quōd libenter indulgetis. Nunc loquar ad vos dilectissimi fratres, qui vita vestra & conuersatione me tepidum & negligentem totiens ad emendationem reuocastis, dulcissimis vestris admonitionibus me totiens de passionibus meis admonuistis, sed heu miser ego (ut scitis) me non emendauit quantum potui & debui, nec exempla vestra nec verba poterat duritiam cordis mei

mei compungere, sicut expediebat mihi, nesciens tamen nec prauidens quōd talis qualis sum ex hac vita ad loca horribilium peccatorum, vbi serpentes sunt mordentes, leones feroces, lupi rapaces, & infinita monstra daemoniorum, subito essem deducendus. Gratias tamen omnibus vobis pro vestris exhortatoriis & bonis exemplis, si quas possim, nunquam reddere negligam, sed non sufficio, quia quantumcunque in hac vita profeci, hoc adiutorio dei & vestro profeci, nec mihi ascribo. Nunc etiam de omnibus negligentis meis humiliter me pedibus vestris prosternens, corde & ore coram deo & vobis me accuso, & veniam de singulis peto. Rogo etiam vos quatinus obitus mei diem illis quibus vobis visum fuerit expedire, quod tamen fati facietis, denunciari facere velitis, & pro me diuinum officium, vigiliis, & alia quae vobis videntur, fieri faciatis. Valet, valet, & in aeternum valet, quos amplius in hac vita non sum visurus. Dictata haec epistola in vigilia sancti Iacobi apostoli, refedit ad perlegendum eam, si forte aliquid placuisset apponere vel deponere. Tunc subito inuasi eum tantus horror & tanta debilitas, ut omnibus viribus destitueretur, & sic ab his qui aderant, reclinatus & reductus est in lectum. Et statim post hoc coepit magnis doloribus & angustiis agitari, ita ut instatissime cum lugubri alta & lamentabili voce clamaret, & peteret ut conuocarentur fratres domus nostrae, & alij deuoti extra domum nostram, ut orationibus suis sibi succurrerent. Quibus conuocatis incepit mirabiliter tremere pectore, & omni corpore vehementer palpitare & conuulsari, pallefcere, sudare, versis oculis horribiliter videre, ore ac dentibus fremens ac stridens dabat rugitus anxios, & voces lugubres. Interea deuotis vndique concurrentibus, & cum lachrymis pro eo instanter orantibus, respiciens ad eos & ipse aliquantulum incepit lachrymari. Tunc innuit mihi Amilio qui semper ipsi aderam, ut cereum sibi in manu quasi statim morituro positum remouerem, & ut cum eo legeremus septem psalmos, quia adhuc non esset moriturus. Incepit ergo legens mecum vnum versum, aliis dicentibus reliquum, & sic quasi vsque ad finem magno feruore & deuotione continuabat. Quibus finitis dixit: Maneamus omnes in sine apud sanctam Mariam, & sic incepit, Salue regina, cum collectis. Quam antiphonam saepius cum magno affectu & deuotione repetiuit, dicens collectam, & demans saepius verba secundum affectum & deuotionem suam. Et cum sibi successiue vis loquendi subtraheretur, saepissime eandem an-

tiphonam incepit, ut eam alij prosequerentur. Quo fati diu continuato, dixit mihi Amilio quōd ego dicerem fratribus quōd orarent pro eo sub silentio in compunctione cordis. Post hoc diu iacuit sine loquela, & (ut extra apparuit) in magnis poenis & angustiis. Deuotus vero & fratres nostri per totam diem apud eum orantes perseuerabant, de hora in horam mortem eius expectando. Postquam diu sic iacuisse, vocauit me dicens: Amili frater nūc mihi virtus loquendi restituta est. Dicas ergo fratribus nostris & omnibus deuotis, ut quis eorum pro me legere incipiat psalterium, & quōd in principio & in fine cuiuslibet psalmi flexis genibus orent vnum Ave Maria. Post hoc dixit mihi: Dicas fratribus quōd ego non curo multitudinem psalmorum, sed quod aliquando expectent modicum intra psalmos, meditantes, & in compunctione cordis pro me dominum orantes, ne pra multitudine psalmorum obruantur in intellectu. Postquam hoc eis dixissem, dixit mihi, ut omnibus congregationibus demandarem, ut orarent pro eo septem psalmos, horas de domina, horas sancti spiritus, & si quid aliud sciret, perseuerantes secum in orationibus, sic expectando mortem suam. Quo facto subiunxit dicens ad me: Frater timeo fratres & sorores grauare, sed cogit me necessitas, quia omnino non confido in me, sed valde multum in orationibus deuotorum hominum: Quid videtur vobis? Tunc consolabar eum, ut esset bene contentus, eō quōd libentissime facerent. Deinde ab hora vesperarum vel circiter vsque ad octauam horam iacuit sine loquela in magnis ardoribus. Octaua hora coepit de nouo loqui, & efficiebatur totus tranquillus. Post hoc vocauit me ad se, & dixit mihi quomodo per diem fuisset secum. Primo quōd habuisset multas & mirabiles tentationes. Et quōd venisset ad eum quidam malignus spiritus in specie fratris nostri Ioannis Ketel, qui multis modis nitebatur eum decipere, & quōd iste spiritus valde multa & mirabilia dixit ipsi de gloria caelesti, de diuersis subtilibus & altis materiis, de quibus multa vera & conformia scripturis, sed multa intermiscuit falsa, & quōd multa mirabilia dixisset sibi quae non sciret exprimere, quia modus loquendi fuit spiritualis, & quōd spiritus ille videbatur cōiunctus spiritui suo, ut ipse loqueretur sibi, & spiritus suus responderet ei. Deinde dixit: Iste spiritus fuit valde contrarium, quōd aliquando alloquebar vos. Quando volui vos alloqui, tunc dixit mihi, Non loquaris carni, non loquaris carni. Etiam fuit ipsi valde contrarium, quōd ego feci fieri tam multas oratio-

Vera imago rationis maligni spiritus sub mortem hominis.

nes à deuotis, & quòd tantum in eis confidebam. Et quando ego petii à vobis quòd legerentur psalteria, ipse dixit mihi ad intra, stercus stercus, vt quid cõfidis in istis psalmis, Maria, Gregorio, Hieronymo, & similibus? Tu deberes in deo confidere. Deus irascitur tibi quòd tantum confidis in istis rebus, & non in se solo. Sed quia pusillanimis & timidus es, & non fecisti ex malitia, ipse indulget tibi, sed noli amplius talia facere. Ego Ketel sic non feci, tamen sine purgatorio veni ad regnum cælorum. Me vero requirente quomodo hoc esset, ille subiunxit duas causas. Vna erat quòd omnibus bonis & diuitiis temporalibus pure propter deum & salutem animæ suæ renunciaffet, & se ad talem humilem statum, puta officium coquinæ, dedisset, & quòd nunquam poenituisse eum renunciaffe. Secunda causa erat, quòd cum magno affectu & desiderio sic perseuerauerit in coquina, sine vilo desiderio redeundi ad pristina. Et quòd habuit firmum propositum & magnum affectum in tali humili statu & abiecto officio (vt posset omnibus seruire) vsque ad mortem permanendi, & quòd in tali statu & proposito obiisset. Tunc dixit mihi dominus Lubertus: Frater scio quòd ista quæ iste nequam spiritus narravit de vero & dilecto fratre nostro Ioanne Ketel, vera sunt, sed vtrum sine purgatorio venit ad regnum cælorum, nescio. Et subiunxit. Iste nequam spiritus etiam dixit mihi, quòd ego sine purgatorio venirem ad regnum cælorum. Me vero inquirente causam, respondit: Tu coram deo martyr es, eò quòd pro fratribus & sororibus tuis posuisti animam tuam, quia ex affectu & charitate elegisti apud eos manere in tali periculo mortis. Tunc dixit ad me humilis dominus Lubertus: Vtrum sine purgatorio veniam ad regnum cælorum nescio, sed hoc negare non possum, quin ex charitate & affectu mansi apud fratres. Sed tantum est quòd omnino multis verbis nitebatur me inducere, vt considerem in propriis meritis & virtutibus. Ego tamen semper timidus nunquam confisus sum in meipso, nec adhuc confido. Sed omnis confidentia & spes mea est in misericordia dei, in precibus & meritis gloriosæ virginis Mariæ & aliorum sanctorum, & orationibus deuotorum hominũ. Ergo placet mihi & gaudeo quòd multi boni psalmi & orationes lecti sunt. Aliquando priuauit me omnibus sensibus præter solum auditum, & illum similiter conabatur auferre, sed non potuit. Item dominus Lubertus dixit mihi de pluribus aliis mirabilibus quæ diabolus dixerat ei, quorum plura erant hæretica & contra fidem, ad quæ nitebatur eum tra-

here, sed multa intermiscuit vera. Et sic scio quòd fuit malignus spiritus qui conabatur me decipere, quoniam plura falsa & mendacia semper miscuit. Apparet igitur mihi quòd valde vtile & necessarium sit homini morienti, vt habeat hominem intelligentem apud se sicut sunt fratres nostri, vsque in exitum. Hæc in vigilia sancti Iacobi apostoli post octauam horam de vespere narrauit mihi. Post hæc totus debilis in magna tranquillitate & pace cordis vsque ad mortem perdurabat. Valde enim ardentem cupiebat dissolui, & esse cum Christo, habens firmam fiduciam, & spem de aduentu domini nostri Iesu Christi, gloriosæ virginis Mariæ, & aliorum sanctorum. Et in tali ardenti desiderio cum magno feruore orans, suspirans, ruminansque deuotos psalmos, specialiter psalmum Beati immaculati, vsque in crastinum sancti Iacobi perdurabat, sæpius inquirens quàm propinquus esset morti, & an adhuc haberet omnia signa mortis, an breuis anhelitus esset verum signum mortis, & huiusmodi. Et in nullo eum melius consolari potuimus, quàm vt mortem propinquam adesse diceremus. Aliquando cum magna fiducia quasi exclamando, O quando veniet dominus Iesus & sancta Maria cum angelis sanctis absolueret me? & huiusmodi. Spero quòd non diu expectabunt. O si velent cito venire, ò si velent facere finem. Spero quòd non diu hic durabo, & huiusmodi. Et sæpiissime inuocabat sanctam Mariam, Hieronymum, & Gregorium, quos specialiter dilexerat, & alios sanctos vt orarent pro eo, & adessent & succurrerent ipsi in hora mortis. Etiam petiit vt aliquando breuiter alloqueremur eum excitando ad inuocationem sanctorum & orationem, & alioquin orarem pro eo in silentio suspiriis & gemitibus, in compunctione cordis ad dominum secum suam mortem expectantes. Sic in tanto feruore, in tanta deuotione, in tam ardenti desiderio dissoluendi, & in tam affectuosa ac fiduciali expectatione aduentus domini nostri Iesu Christi, gloriosæ virginis Mariæ, sanctorum angelorum & aliorum sanctorum, peruenit ad horam extremam: nec (vt videtur) fraudatus est à desiderio suo. Iam enim in membris omnibus præmortuus erat & totus frigidus, sola vita in lingua & pectore videbatur palpitate, & vix aliquod membrorum videbatur posse mouere. Et ecce subito sine cuiusquam sustentatione seipsum proprio motu erigens, complois eleuatisque manibus, oculis sursum versus parietem defixis, illuc reuerentissime cum omni deuotione inclinavit. Et viribus quibus potuit, raucam & fra-

ctam

ctã vocẽ recolligens exclamauit, In gloria, in bonitate tua, in misericordia tua suscipe suscipe. In gloria, in gloria, in bonitate in bonitate, in misericordia suscipe suscipe suscipe. Et dũ sic erectus sedens hæc sæpius iteraret, tandem reclinatus ad lectum, bina vice eisdem motibus & gestibus eadem replicans se iterum erexit. Qui vltima vice reclinatus videbatur iacere in magno stupore & admiratione. Ego vero inquirens alloquebar eum dicens: Luberte frater quid est? quomodo est tecum? Ipse autem quasi cum magna admiratione respondit: Mira, mira, mirabilia mirabilia, magna mirabilia vidi, quando me erexit. Quo dicto statim subiunxit: Vocate fratres, vocate fratres. Quibus cõuocatis, statim modicũ agonizandum expirauit, & feliciter in domino obdormiuit, plenus virtutibus & bonis operibus, de quo benedictus sit deus in secula. Amen.

Ex epistola domini Florentii de commendatione eius.

Q Vis non dolet de morte dilecti fratris Luberti, qui eum nouit? quis non fletet si quis eum dilexit? Quis non de domo nostra plangeret & lamentaretur, si diligenter respiciat quantam ruinam, quantum casum domui nostræ mors eius minatur? quantum humilitatis exemplum, quantum feruoris ad communia spectaculum per mortem eis ablatum sit? Quis remansit, qui vt ipse ad omnia deuotionis præcipue & contemptus exercitia feruet? Quis nostrum vt Lubertus communia promouet? Quem vt ipsum pro domo nostra comedit zelus dei? Quis nostrum remansit, qui sibi tam vilis in oculis propriis, tam parũ sapiens, tam parum idoneus sibi videatur? Horum omnium exemplum in eius morte ablatum est. Hinc merito pie dolet qui domum nostram diligit. Hinc lachrymatur qui profectum nostrũ in spiritualibus affectat. Hinc nos quantum dilectum fratrem Lubertum dileximus, tantum dolemus. Quanto corda nostra ipsi erant vnita, tanto amarius sentiunt eius separationem. Vere erat nobis cum dulcissimo fratre Luberto cor vnum & anima vna in domino. Pensate igitur ex vnione cordium dolore separationis. Quæ mensura tristitiæ, ex amoris quantitate perpendite. Verum si breuiter & clare mensuram tristitiarum & dolorum nostrorum scire cupitis, qui vtiq; tantus & tam grauis est, vt vix duas rigas vel tres in literis vestris potuimus legere, vix tres rigas rescribere potuimus, quin effluerent lachrymæ copiosæ, & scribere & le-

gere prohiberent. si inquam huius tristitiæ & miseræ mensuram scire cupitis, perfecte propria corda vestra inspiciate, qui nobiscum similiter dilexistis Lubertum.

Collecta quædam ex deuotis exercitiis domini Luberti.
Cap. 6.

T Vm erit laborare pro vitiis tuis extirpandis, & pro virtutibus acquirendis. Sed nisi pure ex corde te ipsum resignaueris, & illi vltius commiseris, generat tibi magis præsumptionem, & faciet te durum & perplexum, & anxium & pusillanimum. Labora ergo cum verecundia & quiete & timore, sed resigna & committe deo vt faciat sicut voluerit, & noli tristari vel deiici, si nescis propositum tuum exequi. forte sic est voluntas dei, vt non confidas propriæ virtuti. In oratione nihil intende nisi deo & psalmodiæ, quasi in conspectu dei. Et committe voluntati eius libere ex toto, & abiice leuiori modo quo poteris persuasas & vanas cogitationes, & ad hoc tende, quasi tu solus coram deo & beata virgine & omnibus sanctis stares, & ostende eis necessitatem & vulnera animæ tuæ. Noli attendere fratres in oratione, in colloquio, vel vbiunque, nec etiam quoscunque, quia valde alienaris à te ipso, & dissoluit virtutem mentis, facit te suspiciosum & amarum, obscurat intellectum, generat dei obliuionem, & applausum hominum, obnubilat intellectum, turbat conscientiam. Habeas cor pacificum, & à phantasmatibus rerum & à peccatis auersum, & ad deum conuersum. Tene faciem cõmunem cum cæteris sine nimia auferitate aut serenitatis ostentatione, & apud te ipsum semper intus maneat. Et in quocunque opere auersus fueris ab ista forma, nitere reformare te, & sic semper tranquillo animo perficies voluntatem dei, & custodies te à vitiis, & semper hilaris perseuerabis. Caue omni modo in omnibus vehementiam, sed omnia deliberrato animo facito absque ostentatione. Nunquam debes alicui aliquid dure dicere, vel opprobriose increpare, aut deridere increpando. Obscra & mone vt charitas poscit, & quacunque turbidi animi es, patienter & quiete suffer illa quæ sunt tibi contraria & passioni tuæ, & pro tunc nihil moue contra hoc vel de illo ad quod importune agitaris. Porius expecta donec gratia dei & serenitas mētis redierit. Fuge interim ad camerã & ad orationem tãquã infirmus & obsessus, & cogita, In patientia vestra possidebitis animas vestras. Elige ad tem-

LUC. 21.

A

pus solitudinem, & laborare manibus, & patienter orare, & facere sine importunitate. Semper aliquid de deo aut sacra scriptura ruminare, quod ad amorem vel timorem dei, aut ad horrorem vitiorum te inflamet. In omni actione temporalis non nimis stricte attendere exteriora & ornatum, sed intendere voluntati dei solum, & ipsi totum committere: cor & oculos auertere ab hominibus, ad intra semper manere, exteriora obliuisci: ad caelestia oratione, suspiriis, lectione, compunctione tendere, & mentem ad praedicta frequenter excuere: ostentationem & praesumptionem fugere, abiicere imagines hominum de corde. In hoc omnis virtus, omnis profectus, exequi voluntatem dei, & ipsi placere. Ad hoc tende, vt intentio tua sit ad deum & secundum deum, & abiice passiones animae. Hoc habe pro regula infallibili: Quicquid placet domino Florentio & fratribus, hoc vult deus vt facias, quia inhabitantur a deo, & ipsi nihil quaerunt nisi eius voluntatem. Omnia fac cu consilio domini Florentii: & quando abest, eodem modo per omnia quasi ex deo fac cu consilio domini Gerardi, quia longe sapientior, humilior, cautior, & spiritualior, & abstractior te est, & facit magis secundum voluntatem dei, quam tu. Cauenda est multum occasio vitiorum. Et saepe in quiete videris tibi aliquid esse, sed effusus in exterioribus rebus apparet quid in te latuit. ex hoc potes multum te humiliare. Longa locutio hominem a se rapit, & ducit in ignorantiam, praemeditationem aufert, inordinata profert. Nec cessarium est ergo homini multa dicere volenti, frequens meditatio & interpolatio siue pausatio, scilicet vtrum secundum beneplacitum dei loquatur, an non, an declinet ad instantiam & applausum hominum & ad vanam gloriam. Necessitatem, pietatem, & vtilitatem, attende in verbis, & maxime voluntatem dei. Nullo modo licet loqui burdosa, vel alios verbis ad hoc incitare. Nunquam improuise ex capite tuo derisorie alicui coram aliis aliquem defectum dicere, quia signum est superbiae & praesumptionis, & malum exemplum aliis. Disce parum & paucis verbis loqui, & cum praemeditatione, & expecta alium in verbis, & time audire vnde laedaris. Discute verba etiam cuiuscunque, an sint vera, an detractoria. Firmiter propone per gratiam dei de malo nullius hominis dicere, nec libenter audire, nisi pia vtilitate: & tunc maxime caue ne seducaris. Assuesce ad nullam rem mundi neque temporalem neque spiritualem cor importune effundere, sed semper cum timore vitiorum tuorum mediocriter abstrahere, cum

discretionem & pedetentim incedere, ad horam te mutare, & nunquam in toto a te recedere, sed in verbo dei cor tenere suspensum, & reflexum contra vitia tua in communi, tamen specialiter magis contra hoc quod tunc magis times. Et sic per gratiam dei cum bono moderamine & matura deliberatione coram oculis dei loqui & facere quicquid putas deo placere. In comestione caue aueritatem & subitam comestionem, sed retrahere potius appetitum, vt caeca & turbata concupiscentia tua illuminetur compunctione & aueritate lectionis: & cum quiete mastica aliquid de lectione, aut de illa particula, Homo quidam fecit coenam magnam. Quando cum-
 que ex comestione turbatus es in capite vel grauatus, tunc fuge ad cameram, vel loquens cum hominibus magis caute conare ad custodiam. tutius est fugere & orare. Beatus homo qui semper est pauidus. Et veraciter sci-
 to, quando declinas a timore ad securitatem, declinas a deo, & caperis a daemonibus, & a passionibus tuis. Tamen sic debes timere, vt eo magis de deo confidas. Et quanto videris tibi infirmior, tanto te faciet fortioerem. Praestat ergo aliis magis credere, & in te ipso trepidare. Propter deum discite ab aliis virtutes & mores, & time vanam gloriam tuam. Christus tibi didicit, tibi tacuit. Discite intus manere, & inter fratres & alios homines communiter & socialiter te habere, & extolle eos. Cogita virtutes eorum, & vitia tua. Semper de aliquo cum quo es, virtutem aliquam cogita, & vitium tuum, ad humiliandum te ad intra ex vitiis interioribus deo & angelis & tibi notis. Accede ad studium sicut ad cibum capiendum animam, vt lectione refecta discat in illis anima occupari qua legit, & obliuisci temporalia, & refrenari a vitiis. Non multum simul est tibi vtile studere sine masticatione & oratione, sed parum, & masticare illud cum oratione & desiderio, & sic mittere in ventrem animam, & in mores & in virtutes, vt anima his quasi nutrimento sustentetur. Sicut enim corpus cibo, sic anima virtutibus reficitur. Nunquam debes aliqua studere qua non reficiunt animam; quia fructus studii est fortitudo animae, & propter virtutes acquirendas. Studere propter scire, & propter docere alios, aut propter quodcunque aliud quam dictum est, non nutrit animam, sed facit eam insanam, sicut superflui humores corpus, & generat vanam gloriam; elatum corpus, & generat vanam gloriam, elatum corpus, in compositos mores, vanas cogitationes, instabilitatem mentis, dei obliuionem & contemptum, applausum hominum, turbatam conscientiam, tenebrosam intellectum, & magis

gis exinanit & debilitat animam quam reficit. Igitur moderate studere & bene masticare magis reficit animam quam inconsiderate multa absque masticatione. Sequitur ergo quod anima mortua est qua verba dei indefinenter non digerit in mores & in virtutes, vel consumit seipsam, & fit putrida diuersarum concupiscentiarum malarum humoribus, & consumitur a daemonibus, sicut corpus a vermibus. In pulsu horologii quasi in medio inimicorum versatus & in te deficiens, clama ad deum, & ora, Ne derelinquas me domine deus meus, ne discefferis a me. Aliquando ad beatam virginem, Ave Maria. Cogitate a deo respici, & opera tua ab angelis ipsi praesentari, quid bonificasti, quantum proficisti, & quid mali commisisti. Cum audis campanam, cogita: Surgite mortui, venite ad iudicium. Semper nitere sequi voluntatem aliorum in illis qua non sunt peccata vel contra deum, & tuam voluntatem & consilium semper abiicere. Omnia contraria & tibi dura cum labore & dolore capere, & nulli ad extra importune cum impatientia respondere. Elige magis misereri, & in hoc potius excedere, quam in duritia. Quando interrogas praesulum & rectorem tuum, cogita quod dominus in eis habitans loquitur per eos, & dicit suam voluntatem, & quam periculosum est tibi eius dispositioni per eos resistere. Multoties cogita de peccatis quotidianis, ex qua radice procedant. Timor immoderatus vel nimia praesumptio quotidie te impediunt. Declinare ad diuitias, ad delicias, ad honorationem & applausum hominum, ad curiositatem, ad delectationes terrenorum, ad propriam voluntatem & proprium videre, & fugere vel non curare humilia, ad huiusmodi declinare, est regredi ad vitia, & auerti a Christo, & maxime ab regula patris spiritualis, quia haec est verissima via ad virtutes, resistere vitiis, & humiliter obedire praesulis.

De domino Henrico Brune. Cap. 7.

Magna deuotionis & sanctae simplicitatis virum, necnon angelicae puritatis sacerdotem praeterire non debeo, sed ipsius primordiali socio atque praecordialisimo compresbytero domino Luberto coniungere placet, & aliquid in eius laudem proferre. Ipse est dominus Henricus Brune, sodalis domini Luberti, deo dilectus, & hominibus acceptus, omnibus benignus, nulli onerosus. Hic in Hollandia natus, cuius

fuit Leydensis ciuitatis, ex honestis parentibus & consanguineis. Sed nihili aestimans saeculi diuitias, & honores, amicorum vitauit aspectus, quaesuit dominum in tempore iuuentutis, & vsque ad senium adhaerit illi corde perfecto. Mansit autem in obedientia in domo domini Florentii cum omni humilitate & mansuetudine multa, audiens confessiones deuotorum, & celebrans missas suas cum magna deuotione & reuerentia, sine cura temporalium rerum viuens in tranquillitate & simplicitate cordis, atque inter fratres conuersans sine querela, testimonium bonum habens in tota Dauentria, notus apud religiosos in pluribus locis, sicut verus Israelita absque dolo & nequitia, tanquam columba sine felle, praeditus singulari innocentia vitae. Oculi eius semper ad dominum, & vbicumque solus esse potuit, ab oratione & deuota meditatione non cessauit. Sedebat aliquando in hyeme iuxta focum manus suas calefaciendo, sed faciem conuertit ad parietem, secreto interim orans, & silentium bene seruans. Quod cum viderem, multum edificatus fui, & eo amplius eum dilexi. Nunquam ego indecens verbum ab eo percepi, nec super eo conqueri audiui, nisi quod missam suam caeteris tractius celebrare consuevit. Quo tamen facto plures saeculares ad deuotionem missae suae traxit, & facili ei indulgentia dabatur, quia inuite a dilecto Iesu separabatur. Accidit autem vt vir quidam fidelis occulta impugnatione diaboli tentaretur in fide, qui etiam de sacramento altaris coepit quodammodo dubitare de veritate corporis Christi. Is ergo cum staret ad audiendam missam huius deuoti sacerdotis, saepe ingemuit, dolens de praua immisione spiritus maligni, orauitque dominum, vt sui in hac vacillatione dignaretur misereri. Sed misericors deus qui animarum saluti variis ac miris modis occurrere solet, praefatum virum noua & insolita visione instruxit, atque in fide sua uiter confortauit. Vidit nanque inter manus sacerdotis sibi apparere non speciem panis, sed formam speciosi pueri praefiliis hominum: & nimium stupens ac tremens gratias egit, & deum benedixit. Sacerdos vero de his nihil sciens, officium missae solito more cum benedictione coepleuit. Non enim propter eum qui fide & gratia plenus erat, haec ostensa sunt, sed propter infirmum in fide roborandum. Et quia sermo de venerabili sacramento incidit, adhuc referam cosimile factum de quodam sacerdote in paribus Frisiae, sed minus laudabilis vite. Siquidem bone memoriae fratre nostro Alardo narrante cognoui, quod erat cum eo quidam presbyter

Miraculosa tria pro confirmatione fidei Eucharistiae.

parua scientia, & fama non clara. Iste cum ecclesiam intraret vt diuina celebraret, honesta quaedam matrona qua eius imperitiam cognouit, coepit intra se de eo suspecte cogitare ac murmurando dicere: Quid tu imperite vis facere, & quomodo tu indigne poteris ta magnum sacramentum conficere? Hac ea cogitante, presbyter coepit celebrare, & diuina mysteria tractare & consecrare. Factum est autem dum venerabile sacramentum ritu ecclesiastico consecratum eleuaretur, & omnis populus hoc flexis genibus fideliter adoraret, matrona suprascripta vidit in eleuatione apertis oculis figuram hominis Christi, nimium stupida & perplexa. Finita itaque missa hanc visionem alteri sacerdoti secreta exposuit, & quid mali de celebrante antea cogitauerit, humiliter confessa est. Qui diligenter gesta rei ordinem & visionem examinans, matronam respondit: Hoc deus pro tua salute fieri permisit, ne decetero male de sacerdotibus cogites, nec de vera consecratione dubites, licet male fama sint, & indigna vita. Illa haec audiens firmam fidem tenuit, & deo iudicium de sacerdotibus eius commisit. Sed non te pigeat aliud iterum miraculum de hoc summae uenerationis sacramento audire. Eo nanque tempore quo monasterium montis sanctae Agnetis illic moraturus intraui, quidam deuotus clericus mecum diu in eodem loco habitans pro quadam causa ad vicinum monasterium perrexit. Cumque in itinere esset, iunxit se illi quidam secularis, cum eo focaliter vadens, ac familiariter colloquens. Factum est autem dum pariter ambularent, & de deo conferrent, ait ille secularis clerico secum comitanti: Dicam tibi amice dilecte quid mihi in vita mea breuiter accidit. Longo fui tempore quod intras ecclesiam nunquam potui sacramentum altaris in manibus sacerdotis videre. Existimans autem quia nimis remote tunc starem, & praecaligine oculorum non possem bene videre, accessi propius quantum ausus fui & licuit, sed nihil penitus profuit mihi, nihilque inter manus sacerdotis conspexi. At istud etiam ultra annum mihi euenit, & qua de causa, non satis perpendi. Tandem in me reuersus & multum perplexus ad sacerdotem me contuli, & cuncta ei in confessione denudaui. Ille benigne me audiens, & caute secreta perquirens, inuenit me stare in odio cuiusdam proximi mei, cui pro nulla re volui offensam qua me offenderat, dimittere. Animaduertens bonus & discretus confessor culpam malitiae meae, increpando & admonendo perdocuit me, asserens periculose valde fore in tali duritia stare: nec posse aliquando veniam promereri, nisi

ex corde dimitterem offensas omnes: atque idcirco mihi istud accidere, quia non essem dignus diuinum sacramentum oculis malignis intueri. Auditis his sacris monitis acquieui consilio sacerdotis, & toto corde compunctus remisi ex integro iniurias, nolens me ipsum decetero vindicare, quatinus possem deo reconciliari, & gratiam perditam recuperare. Tunc demum sacerdos me absoluit, & imposita poenitentia abire permisit. His gestis statim ad ecclesiam intraui, & missam audiui. deo mihi propitio facto sacrum corpus Christi in manibus sacerdotis oculis meis clarissime vidi, & gratias agens, deum in mirabilibus operibus suis benedixi. Sed ad propositum redeundum, & de felici fine dilecti domini Henrici aliquid iam tractandum. Nam cuius vita virtutibus ornata extitit, eius quoque exitus felicem transitum ex hoc mundo meruit habere. Inter alias virtutes homo iste pius & deuotus, suo superiori humiliter erat subiectus, dans exemplum bonum presbyteris & clericis, ne se eleuent propter sacerdotalem gradum supra iuniores. Celebrauit aliquotiens in festis apud leprosos de licentia domini Florentii, vbi eidem tunc ministravi. Quadam vice cum fratribus perrexit pro indulgentiis in Arnhem, & interrogatus est in via pro quanto indulgentias suas daret. Qui ait: Libenter darem indulgentias meas pro hac gratia, vt quotiescunque alicui aliqua bona dicerem, quod ille statim conuerteretur, & vitam suam emendaret. Quod audientes fratres mirabiliter edificati sunt de ta bono responso ex magno animarum zelo in corde pio & puro. Igitur anno domini M. CCCC. XXIX. cu pestilentia regnaret Sutphania, vbi tunc fratres domini Florentii a Dauentria profugum cum multis aliis deuotis morabantur, dominus Henricus ipsa peste infirmatus est, & ad extrema peruenit, praemium laboris sui a domino confidenter expectans. Qui fere a tempore magistri Gerardi stetit in domo domini Florentii per annos circiter XLIII. sacerdotio functus, diuinitus viuens ultra omnes qui cum eo in primo seruore inceperunt. Sed & per omne tempus suum laborauit in opere scripturae: quem multotiens vidi vasa coquinae lauantem, & alia humilia opera facientem. Pene nihil sciuit, nec voluit loqui, nisi de deo, & de salute animarum. Et quod exercuit in vita, continuauit vsque ad mortem. Nam omnes horas suas legit vsque quo tradidit spiritum. Nec lectionem sacrae scripturae intermisit in infirmitate sua, consolationem quaerens potius in sermonibus dei, quam in confabulatione hominum. Migravit

Migravit autem ab hoc seculo piissimus sacerdos anno domini suprascripto in crastino sancti Bartholomei apostoli circa. xi. horam diei ipso die sancti Gregorii episcopi. Traiectus. Sepultus est autem in coemeterio sancte Vvalburgae virginis apud collegium canonicorum in Sutphania.

De domino Gerardo Sutphaniensi.

Cap. 8.

Libet iam deuoti & eruditi viri domini Gerardi de Sutphania virtutes breuiter indagare, & pro bono memoriali vitae eius exempla atque scripta futurae generationi imitanda proponere, qui inter primos fratres & diuinae legis zelatores meruit praestantissimus nominari. Et licet breui vixerit tempore, gratissima tamen nobis reliquit doctrinae monumenta. Erat enim studiosus valde in scripturis sanctis, trahens etiam ex aeditis sententias doctorum varias aromatatum species, contra vitiorum morbos ad sanandum animarum languores, sicut praecipue patet in duobus libellis ab eo editis, quorum vnus incipit Homo quidam, & alius Beatus vir, intitulatur. Ab infantia nanque & puerilibus annis ad discendum inclinatus fuit, ingenio habilis, & ad artes auidus liberales, refugiens ex animo negocia secularia, & quaecunque poterant studium sapientiae impedire. Cumque adoleuisset bonae indolis iuuenis, perrexit ad extraneas scholas melius imbuendus, ibique toto conamine satagebat bene frequentare, mane diluculo surgere, & ad audiendam lectionem tempestiue properare. Omne tempus ad studendum breue ipsi videbatur, semper ex ore magistri aliquid vberiori scientia capere cupienti, quod armariolo pectoris sui tenaciter inferebat. In tantum animus eius flagrabat in scientia proficere, vt vehementer tristaretur quando in scholis non legebatur a magistris. Proinde quandoque fiebat quod diebus celebribus lectio non fiebat, male contentus quod dies sine fructu lectionis transiret. Longe nanque distabat ingenua mens eius a segnitie obtusorum, & euagatione lasciuorum, qui per plateas currentes lusus delectantur infans, exhorrentes scholas, & ecclesiam raro visitantes. Hic vero pensabat ad quid venisset, & cur scholae institutae essent, ideo acriter studio incubuit: & tam sapienter profecit, vt de scholastico discipulo aeternae sapientiae discipulus postmodum fieri mereretur. Nam deo disponente tandem ad studium Dauentriense accessit, ibique inuentis deuotis fratribus, domino Florentio firmiter adhaesit, & sufficienter iam edoctus fragilem mundi statum pro Christi amore & propria salute dereliquit. Coepit itaque

conuersus diligenter emendationi insistere, & in spirituali seruire profectu, ac mentem suam ab omnium temporalium rerum implicatione segregare, & tanquam bonus eremitaris cellam diligere, & ad interna exercitia se dare, tempus suum studendo & scribendo expendere, ita vt multi stuperent, quia raro visus est egredi, & solatium foris non captaret. Habuit autem pro solatio maximo libros sanctos, & pro spatiamto campi, quaesuit sacra palatia caeli. Transiens vero ad ecclesiam, quasi sine aduertentia hominum pertrasiuit. Cumque interrogaretur an non impediretur a transeuntibus secularibus, respondit: Cogito quod grex porcorum illac transir. Quid ad me de statura hominum? Sedes in camera sua ita intentus erat operi suo, scribendo, legendo, orando, quod saepe de tota die non aperuit fenestram, nec foras respiceret, licet aura satis ferena fuisset. Dixit ergo ei quidam ex fratribus: Cur non aperis fenestram tuam? Tu sedes hic quasi in cauca clausus, bonum esset quod aliquam respirationem caperes. Respondit homo deditus studio disciplinae: Si possem vacare, & scirem tantum praecogitare, forte bonum esset quod hoc facerem. Quaesitum est ab eo quid cogitaret quando ad prandium pulsatum esset. Qui ait: Sicut ad vnum, sic ad reliquum opus vado. Pene nihil curabat iste quid comederet, vel quando hora refectionis esset. Et cum necessitas ad comedendum vingeret, magis ad auditionem sacrae lectionis quam ad reficiendum corpus festinauit. Fuit praeterea incurius sui corporis, maiorem curam gerens de viribus animae reparandis. Et nisi dominus Florentius pro eius necessitatibus sollicitus fuisset, cito seipsum destruxisset, & defecisset. Hinc accidit quod occultum morbum quem medici fistulam vocant, diu patienter portauit, nolens aliquos secum occupari, nec pro se expensas fieri, sed dolores in corpore pro animae remedio pati. Verum vbi dominus Florentius hoc percepit, medicum aduocauit, qui curam eius gereret, donec sanaretur. Erat autem armarius & custos librorum, magnam diligentiam habens pro libris colligendis & scribendis. Et multis clericis extraneis sacros codices concessit, vt haberent in domibus suis & in scholis lectiones sacras, ad vitandum fabulas ociosas & vagos circuitus in festis, quibus praecipue admonentur clerici intendere diuini. Et dicebat, Isti libri plus praedicant & docent, quam nos dicere possimus. Nam libri sacri sunt animarum nostrarum lumina & solatia, atque vera medicamina vitae, quibus non minus in hac peregrinatione carere possumus, quam ecclesiae sacramentis.

Diligebat autem sacrae theologiae libros super omnes diuitias mundi, & plus gaudebat de bono codice bene scripto, quam de prandio lauto, & optimi saporis vino. Sciebat enim quod non erunt sapientes, qui delicatis ferculis & potibus delectantur. Qui vero studiis sacris dediti sunt, replebuntur sapientia, & celestibus secretis merentur admitti. Igitur libros in maxima reuerentia habuit, desiderantissime in eis legit, & sub diligenti custodia eos seruauit. Plures etiam clerici ad eum pro diuersis casibus & dubiis soluendis veniebant, & libenter collationes eius audiebant, quia erat vir eloquens & doctus, & in multis exercitationibus probatus, sciens quid unicuique deberet respondere. Frequenter dominus Florentius ipsum aduocauit pro negociis domus disponendis, & praecipue cum eo tractabat de his quae iuris peritiam requirebant, & spirituales causas expetere videbantur. Vnde si quid graue & arduum occurrisset, hoc declarationi & examini magistrorum ubi oportuit reseruauit, audiens reuerenter doctiores, & sequens incunctanter sanctorum auctoritates, dicta sua testimoniis sacris patenter affirmans. Quapropter a sapientibus & literatis viris pro ingenio ipsi collato mirifice laudabatur, sed ipse pro nihilo duxit hominum laudes. Non enim eloquentiae studuit esse sectator, sed bonae conscientiae obseruator. Itaque ad intelligentiam scripturarum non tam longa exercitatio studij eum iuuat, quam spiritus sancti informatio, qui intellectum dat paruulis, & mysteria sua reuelat mentibus puris. Ad quam sane puritatem consequendam omne exercitium suum direxit, incutiens timorem dei nouiter conuersis, increpans torpentes, & ad mortificationem vitiorum exhortans in virtutibus proficere cupientes. Si, inquit, negligimus certare contra vitia, praevalebunt passiones, & incidemus laqueos diaboli, qui semper insidiatur profectui nostro. Idcirco laborandum est cum omni diligentia ut viriliter repugnemus, quia corona aeternae gloriae vincitibus est promissa. Postquam ergo illuminatus iste sacerdos humiliter & deuote inter fratres cum multa gratia conuersatus est, & cum plures libros perlegisset, ante finem vitae suae quasi nouiter conuersus Speculum monachorum & Profectus religiosorum iterum legere coepit, in quibus spiritum deuotionis studuit recolligere, & ad primitiuium feruorem se innouare. Nec diu superuixit tali proficiendi zelo accensus, sed memor domini Luberti defuncti quem plurimum dilexit, & in cuius obitu lachrymas multas fudit, ipsum in breui subsecutus

est. Nam missus cum fratre Amilio ad abbatem in Dickeninghe doctorem decretorum, cum quo saepius tractare de casibus iuris consuevit, reuertens de via Vvynselem venit, ibique pernoctando, infirmatus est usque ad mortem. Cui Amilius inquit, Videtur mihi quod mori properas. Ad quem ille: Hoc etiam videtur mihi. Itaque crescente aegritudine, in nocte sanctae Barbarae virginis, quasi somno leui sopitus spiritum vitae exhalauit, Anno domini M. CCC. nonagesimo octauo, aetatis suae tricessimoprimo. Cuius corpus a priore & fratribus digno cum honore in transitu ante fores ecclesiae est sepultum. Audiens autem dominus Florentius obitum dilecti domini Gerardi, contristatus est valde, & fleuit ipse & omnes fratres eius cum eo fletu magno, charitate nimia compellente, quia sublatus est ab eis frater charissimus, qui erat columna domus, & altera manus in negociis pertractandis. Sed benedictus deus, qui talem virum nobis habere concessit.

De domino Amilio de Buren.
Cap. 9.

NVnc dilecti & deo digni sacerdotis domini Amilii habenda est memoria, & huic chartulae inferenda. Hic quidem successor reuerendi patris domini Florentii in regimine domus extitit secundus, ab ipso familiariter dilectus, & multis virtutum gemmulis insignitus. Fuit namque de paribus Gelriae in confinio domini de Buren oriundus, & inter suos progenitores de numero curialium curialis aestimatus. Cumque studij causa se Dauentriam applicuisset, ubi studium particulare tunc satis viguit, tanta diligentia in scholasticis artibus profecit, ut in breui inter primarios vnus de doctioribus fieret, & magistro propter ingenij subtilitatem charius placeret. Dei autem munere factum est, ut tale ingenium in seculari vita non periret, nec mundi honores per scientiam ambiret, sed omnia tamquam stercorea refutaret. Praeuentus ergo caelesti gratia, & ab altissimo inspiratus, accessit domum domini Florentii, & attractus est pietate sermonum eius subdens se consilio spiritus sancti per os reuerendi patris loquentis, qui ei monita dabat sapientiae salutaris. Igitur postpositis scholis, & amicis carnalibus derelictis, factus est humilis frater & Christi discipulus, atque suo exemplo multis profuit ad renunciantem saeculo, & feruientem Christo. Tradidit autem semetipsum ad humillima quaeque opera facienda, non parcens corpori propter animae suae salutem, nil proprii comodi quaerens in praesenti.

Sed

ritate seruanda. Cap. 10.

Sed in virtute sanctae obedientiae graues etiam labores subiit pinendo, braxado, & alia quaelibet sibi commissa hilariter & fideliter exequendo. Mirabantur multi quod in corpore non grandi potuit tam laboriosa exercere, quae utique in saeculo non didicit, nec prius facere consuevit, & vix aliquis fortior pro temporali lucro perfecisset. Sed amor Christi & fraterna charitas valens ad omnia, bonae voluntati vires ministrabat, ut meritum eius amplius cresceret, quo omnibus feruentius laborabat. Qui in tantum deo & fratribus placuit, ut post dormitionem domini Luberti & Gerardi, statim sacerdos ordinaretur domino Florentio adhuc viuente. Cumque primam missam suam celebrare deberet, dominus Florentius superpellitico indutus affuit, donec officium suum ad honorem dei perfecte deuotique compleret. Celebrauit autem ante summam missam super altare sancti Pauli pertinens ad vicariam domini Florentii, factis secreta sine concursu populi. Hic itaque pietate praecipuus, & in omni commisso vere fidelis, cunctisque in necessitate positus consolatiuus amicus, tempore pestilentiali curam gessit infirmorum, paratus cum fratribus suis aut viuere aut mori ex obedientia & charitate aeterna. Nam Ioanni Ketel coco domus & domino Luberto astitit intrepidus, usque in finem vitae ministrando eis, & aliis multis simili morbo detentis. Ipse quoque post multa obsequia fratribus impensa aegrotare coepit, sed deo miserante ad consolationem fratrum reconualuit, ne tristitiam super tristitia haberent. Ab eius ore multa bona de virtutibus fratrum audiui, quae in huius operis libro ubi opportunitas requirebat, conscripsi, quauis relatorem nominatum non expressi.

Venit aliquando ad fratres in motem sanctae Agnetis, & loquens aliquibus sibi notis, hortabatur eos permanere in sancto proposito ordinis, ad proficiendum in virtutibus. De cuius bonis moribus & gratiosis verbis valde aedificatus fuit, quia serena facie & oculis ante se fixis stetit sicut agnus mansuetus, astantium facies non attendens. Igitur post felicem domini Florentii obitum, qui ipsum ad gubernationem domus deputauit, expleris in bono regimine quatuor annis & mensibus quasi tribus, obdormiuit in domino, in profecto Barnabae Apostoli, anno domini millesimo quadringentesimo quarto. Qui sepultus est iuxta dominum Lubertum in coemeterio sancti Leuini ad australem partem ecclesiae, non longe a vestibulo sacerdotum.

Exhortatio domini Amilii de mutua cha-

FRatres charissimi hucusque semper in vnione perseuerauimus in charitate mutua, sed iam (ut videtur) recessurus sum a vobis. Propterea cordialiter affecto, ut vnionem quam hucusque feruenter tenuistis, de qua Christo sit laus & gloria, firmiter perseueranterque seruetis. Et illi cui cura domus committitur, per omnia sicut Christo, & sicut mihi hucusque fecistis, charitatiue obediat, personam eius non respiciendo, sed Christum in eo. Ideo nolite cogitare illa esse mala vel irrationabilia, vel saluti vestrae contraria, quae vobis praecipit, quia non ipse, sed dominus per eum praecipit, ideo propter Christum & sicut Christo ipsi obediat. Ideoque vobis ab ipso praecipit, tanquam sint de caelo edita, complere festinate; quia dominus non semper vult per seipsum, vel per miracula vel per angelos vobis voluntatem suam manifestare, sed ita disposuit, ut per hominem voluntatem suam nosceremus, & homini nobis talia consulenti vel praecipienti sicut sibi obediremus. Ideoque quaecunque officia vel praecipit charitatiue vobis ab ipso imposta libenti & hilari animo impleatis, non cogitando vobis illa esse infructuosa, vel deuotionis vel etiam salutis impeditiua, quia mille deuotiones respectu humilitatis & subiectionis quam homo hilariter exhibet, nihil sunt. Ideo si etiam viderentur irrationabilia, & magna inde impedimenta futura & facta, nihil tamen vos iudicetis, sed semper humiliter in subiectione nihil iudicando perseueretis: Christum (sicut saepe dixi) & non personam in homine considerantes, quia non propter personam illi subiicimini, sed propter deum, propter aeternam salutem, & profectum vestrum, propter regnum caelorum hoc agitis. Ideo quod coepistis perficite, nihil patrem vestrum iudicando, sed eum summe venerando, & in omnibus illi humiliter & hilariter obtemperando: non cogitando vos esse tam senes, tam expertos, tam doctos, tam sapientes quam sit ipse, quia non propter eum vos ei subiicimini, sed propter Christum, & vestri humiliationem, & securitatem, ut ad ipsum quasi ad patrem semper refugium & consilium habeatis. Quid enim vobis & mihi fratres, nisi quia propter deum obedistis mihi? Et quid mihi & domino Florentio & magistro Gerardo si cum eo fuisset, nisi propter regnum caelorum ei obedistis? Quilibet ergo cogitare debet quomodo possit se humiliare & subiicere, & studeat esse contentus quodcumque officium sibi iniungatur, siue paruum siue magnum, & non sit sibi sapiens, sed hoc putet sibi melius,

A iiij

Stimulus
accerrimus
ad am-
plectendam
obedi-
entiam.

quod fuerit ei ordinatum. Et si aliquis vellet habere exceptiones de aliquo officio, dicens in omnibus se velle acquiescere, sed ad hoc vel ad illud officium non esset deducendus, ego mallem eum expellere de domo, quam tale privilegium ipsi dare. Nam alio tempore quando eius propria voluntas aliud vellent, etiam in illo deberet esse rebellis. Sed non cogitet nisi Christum in quo velit acquiescere. Fratres simus tanquam membra inuicem, & sustineamus nos mutuo. Quod si noluerimus facere, cito peribunt res nostrae. Nitamur inuicem tenere charitatem & unionem, & quis nitatur conculcari quodammodo sub pedibus alterius, & sic nulla aduersitas poterit nocere. Nihil aliud scio quod dicam vobis, nisi quod dominus dixit discipulis suis iam ascensus, ut diligatis inuicem, sicut Christus dilexit vos, & oretis pro me. Ego si venero apud dominum, faciam quod potero. Et quia saepe male me habui, & vos scandalizavi, peto ut mihi ignoscatis, quia fui negligens, & multis aliis vitiis implicatus. quae omnia coram vobis paratus essem confiteri, nisi timerem quod aliqui vestrum scandalizarentur. His dictis, deposuit capitium suum, petens veniam a fratribus de culpis suis compuncte & valde humiliter, & coepit flere. Quo viso fratres flexerunt genua, & fleuerunt omnes fortiter & amare. Haec verba domini Amilii nouissima pro aedificatione mutuae charitatis & pacis sunt dicta.

Aduer-
refracta-
rios, &
min^o ob-
sequen-
teis.

Vox me-
morabi-
lis dece-
dentis
vita.

De domino Iacobo de Viana.
Cap. II.

STrenuus ac maturus moribus dominus Iacobus de Viana, magnam gratiam humilitatis, compunctionis & internitatis habuit, saepe suspirans & lachrymans pro quotidianis defectibus suis, districte examinans semetipsum. Etiam illud in se redarguit quod alius in ipso commendabat, metuens rigidum superni iudicis examen in omni quod agebat, qui non solum apertas negligentias sed occultas conscientiae maculas iudicabit. Longe a corde eius altum sapere de seipso, aut velle reputari pro bono, cui omnibus subesse, & minoribus sicut maioribus obsequi complacerebat. Erat autem egregius scriptor inter scriptores, diligens ad scripturam, & librorum custodiam. Quidam iuuenis petiit ab eo informari in spiritali exercitio, qui statim ex humilitate pigrum se fatebatur & miserum, & quod nondum virtutis initium perfecte attigisset, coepitque quosdam iuniores fratres commendare, quam feruentes & intelligentes ef-

ferent. Alia vice idem iuuenis multum contristatus retulit ei angustiam cordis sui, desiderans consolationis verbum audire. Qui benigne eum consolans, hortabatur ad patientiam, & ut gratiam domini humiliter expectaret, quia pius dominus contritis corde solet adesse, sicut Psalmista dicit: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae iustificauerunt animam meam. Qua consolatione suscepta, saepius tam dulcium verborum postmodum recordabatur cum aliquid triste illi occurreret, quia cum humana consolatio deficit, ad diuinam recurrendum est, & cogitandum quoniam magni sancti & electi viri etiam grauitates & desolationes quandoque habuerunt. Hic igitur cum esset laudabilis vita, & cuperet in infimo gradu & in simplici clericali statu manere, propter virtutes tamen suas & insigne humilitatis donum de beneplacito dei & consilio domini Florentii ac fratrum eius promotus est ad sacerdotium. Quod ei tamen valde graue fuit, ita ut acriter fletet cum hoc percipisset quod ordinari deberet. Fatebatur enim se esse nimis indignum ad talem statum, reputans eos grauiter peccasse qui hoc consilium dedissent, eo quod in idoneum promouere decreuissent. Sed quanto plus se deprimebat, tanto amplius deo & fratribus placebat, & eo libentius dominus Florentius ipsum promouebat. Eo siquidem tempore apud deuotos sacerdotum rarum erat & pretiosum. Nam nisi iustus & compulsus pro communitate, nemo hoc acceptare audebat, quia omnes altiorum statum fugiebant, & in humiliori loco & officio minori manere eligebant. Vnde dominus Florentius qui erat gemma sacerdotum, fertur aliquando dixisse, Si non es sacerdos, nec curam aliorum haberem, tunc possem me perfecte emendare, quia locus superior plures occasiones turbationum habet, a quibus magis liber est bonus subditus, sine cura exteriorum viuens. Quodam tempore dominus Iacobus volens cogitare de defectibus suis, ascendit secrete solarium domus, & grauius suspirans, culpas suas in tabula scripsit, ne obliuioni traderetur quod confitendum existimauit. Et cum a quodam interrogaretur de statu domus, ait: Si quis nobiscum habitare desiderat, oportet quod se humiliet, & omnibus minor se faciat, & talis paradysum hinc habet, & optime contentatur. Solebat dominus Florentius interdum ipsum corripere, & ad moderatam compunctionis grauitatem reuocare, ne nimio rigore meta discretionis excederet. At ille patienter ferens correptionem, multum se humiliavit, quia minus discrete procederet.

Feruidus

Psalm. 99.

Sacerdo-
tij inau-
guratio
olim qua
fuit viri
piis for-
midata.

Subie-
ctionis
conditio
quam si
cura.

Feruidus namque spiritus eius proprias supergressus est vires, sed pia eius intentio eum excusabat, quia deum finaliter querebat. Incidit autem post haec in corporalem aegritudinem, & deficientibus paulatim viribus, ante patrem suum dominum Florentium in bona confessione vitam finiuit, Anno domini millesimo quadringentesimo, in crastino sancti Gregorij papae, quem speciali deuotione dilexit. Sepultus est autem cum fratribus suis in coemeterio maioris ecclesiae apud sanctum Leuinum.

De Ioanne Cacabo vulgo Ketel, hu-
mili coco. Cap. 12.

ERat quidam humilis seruus Christi in domo domini Florentij Ioannes ketel nomine, coquinae officio deputatus, qui despectis omnibus mundanis, elegit viam sanctae paupertatis in terris, ut aeternas diuitias cum sanctis possideret in caelis. Nam per opera misericordiae & charitatis meruit ingressum perennis felicitatis. Hic dudum optime mihi notus cum Dauentriae frequentarem, tam humilem se exhibuit moribus & exemplis, ut contemptum mundi plus factis praedicaret quam verbis. Nec tamen fuit inanis eius sermo, cum de deo loqueretur, quia omnem excellentiam temporalium auditoribus suis persuasit esse sperendam, nec vllum laborem pro Christi amore abhorrendum. Sed quis digne huius viri loquetur virtutes? Attamen pauca dicere charitas exposulat, ne margarita in agro dominico abscondita diutius lateat, sed pro aedificatione plurimorum ad lucem veniat. Huius natalis ciuitas fuit Duseborch in comitatu de Marcka, non longe a Vvesalia iuxta Rheni fluminis decursum: cuius mater Christina filium subsecuta diem extremum Dauentriae clausit in domo fororum. Hic itaque primo negociator extitit in partibus Fladriae & Hollandiae, mansionem statuens cum mercatoribus marinis in Dordraco, saepius tamen habuit inspirationem bonam ad seruiendum deo, sed nesciebat qualiter inciperet, aut qua via ad hoc tenderet. Cumque seculi rebus aliquandiu prospere vsus fuisset, tandem meliori consilio inspiratus cogitauit mundi fallaciam & grauem eius seruitutem abiicere, ac velle sacerdotio fungi, ut deo honestius in hoc statu seruiret. Hac igitur occasione postposuit seculi nundinas, & audita fama deuotorum clericorum in Dauentria, venit illuc cum quibusdam boni propositi viris inuisere scholas. Et apprehensa aliquanta notitia in grammatica pro intellectu sacrae scripturae, cum vidisset sanctam conuersationem domini Flo-

rentii ac fratrum eius, in alterum mutatus est virum, & ad seculi renunciationem accenditur cum multis. Reliquit regulas Alexandri & Donati, & intrauit scholam caelestis exercitii, ut disceret voluntatem dei in domo domini Florentii, vbi plures congregati Christo seruebant in humilitate fundati, & in charitate diuina firmati. Petiuit ergo magna instantia ad seruiendum fratribus in coquina, ut quandiu hic viueret, gratum deo obsequium in humili statu exhiberet. Post multas itaque preces admissus est ad probationem, & depositis vestibus secularibus indutus est habitu veterano & thestro lineo, coquinae foribus apto. Plus autem in tali integumento delectatus est, quam si stola sacerdotali fuisset amictus. Et factus est exemplum humilitatis & abiectionis omnibus qui in domo erant, tradens se perfectae mortificationi pro amore crucifixi. Exiit autem fama bonae conuersationis eius ad aures extraneorum, & mirabantur multi magnates, quod diues quondam ille mercator nunc effectus est pauperculus cocus, & humilis frater. Nam qui prius proposuerat per scientiam ascendere ad ecclesiastici ordinis dignitatem, postea omni culmine honoris & cuiuscumque dignitatis fastu relicto, nouissimum quaesuit locum, Christum imitando, qui humiliavit semetipsum formam serui accipiens discipulis suis ministrando. Praeparauerat autem sibi quaedam preciosa ornamenta sacerdotalia cum adhuc esset secularis, quae aureis imaginibus intexta erant, tam pulchra, ut cathedralis episcopus vel abbas regalis potuisset ea cum honore deferre. Sed spiritu dei salubriter informatus omnia ista postposuit & abiecit, & vendens aliis casulam cum cappa serica, ipse pannis vilibus, nigra tunica & grisea toga inuestitus est ad seruiendum in coquina. Maximas igitur gratias deo referebat, quod se ad huiusmodi ministerium vocasset, nec cum multis in seculo perire permisisset. Dixit ergo aliquando cum magna iucunditate cordis ad fratres: Nonne magnus sacerdos factus sum & praelatus, qui omni die bis communico fratres? significans in hac parabola, quod tam mane quam vespere prandium eis praeparabat, & Christum in singulis fratribus reficiebat. Saepe namque inuentus est flexis genibus orare circa ignem, & cum ollam manu congereret, ore deuote psallebat. Fecit de coquina oratorium, sciens vbi que esse deum, & de igne materiali excitauit spiritualem feruorem. Quae in ecclesia audiebat cantari, haec postea inter opera sua dulciter ruminabat. Sicque deum mente gerens, foris praeticauit coquendo, intus vero vacabat caelestia meditando, nullum

Oeconomo-
mus ve-
lur qui-
dam sa-
cerdos.

tempus infructuose ducendo, nec interna exercitia sua negligendo. Cibos fratrum tempestiue & sollicitè studuit parare, qui magister cocorum fuit, nil tamen superfluitatis introduxit, sed meliora aliis tribuens, viliora ipse fumebat. Tres sanctos speciali deuotione sibi prælegit, sanctum scilicet Alexium, qui in domo paterna diu in peregrino habitu latuit, & multa despectiua à propria familia patienter sustinuit. Item sanctum Franciscum paupertatis amatorem, qui nihil terreni in hoc mundo possidere voluit. Item sanctam Elizabeth viduam, quæ misericordiæ visceribus affluens omnia pauperibus distribuit, & omnes mundi diuitias atque honores tanquam stercore despexit. Semel loquebatur cū focio suo de sancta paupertate, & cum tanto feruore verba eius sonabant, quòd ex gestu corporis & alteratione vultus, totus videbatur interius inflammatus. Quodam die sacro cū quidam clerici venissent ad eum de schola, cœpit eis dicere aliqua bona, & inter cætera hæc ait: Bene inuenimus in euangelio scriptum: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, sed nullibi legimus, Beati magistrum artium. At illi obstupescens de nouitate verborum, cum multa reuerentia eius verba sumpserunt. Quibus etiam declarabat sententiam suam, quia sine humilitate scientia non prodest, sed paupertate spiritus, id est humilitate regnum dei veraciter obtinetur. Nam & humilitas nunc inuenit gratiam apud deum, & vitam æternam in futuro. Erat autem valde pius & misericors erga pauperes alendos, & præcipue qui deo seruire cupiebant. Et cum quidam diceret quòd per plateas mendicando parum acquirerent, satis mirabatur, quòd multi diuites tam tenaces essent, nec pauperibus largiter darent, qui sine magno detrimento sui possent opera misericordiæ exercere, & maxima præmia à deo recipere. Volens igitur probare quod pauperes dixerant, exiit die quadam sero iam factò in specie pauperis medicare panem cum focio sibi deputato. Et clamabat ante fores dicens, Detis cuidam pauperi peregrino aliquid propter deum, qui libenter esset in Hierusalem. Non signauit Hierusalè terrenam quæ occidit Christum & prophetas, sed cælestem patriam quam inhabitant ciues sanctorum & angeli dei, ad quam suspirauit pauper iste peregrinus Ioannes, corpore interim elongatus à cælesti Hierusalem, mente vero quotidie tendens ad illam. Audiens hanc vocem clericus quidam intraneus surrexit cito aperire ianuam, vt sciret quis esset iste peregrinus. Et currens post eum, quæsiuit dicens: Quis es tu qui taliter petis? At ille

cupiens latere tacuit, sed victus precibus ait: Ego sum. Tunc ex voce ipsum cognoscens respondit: Es tu Ioannes Ketel? Mendicæ nunc panem? Vnde venit istud? Dixit ergo Ioannes: Taceas, ne facias inde plura verba. Est bona & pia causa. Clericus vero rediens in domum narrauit domesticis suis dicens, Mirum mirum quod vidi. Ioannes ketel cocus domini Florentij ostiatim quærit panem. At illi signo crucis se signantes obstupuerunt dicentes, Quid iam præterdit ille bonus homo? Et hæc inter se conferentes ædificati sunt exemplo Ioannis, & quibusdam secretè recitauerunt quæ gesta sunt. Sed Ioannes domum reuertens elemosynarum fragmenta cum magno gaudio portauit in coquinam, & ostendit domino Florentio & fratribus benedictionem sancti panis quem pro deo rogauit. Gaius est autem dominus Florentius de deuotione humilis cocici sui, & ait: Ioannes da nobis partem elemosynæ tuæ. Qui respondit: Libenter dabo vobis inde comedere, sed volo iterum pauperibus de nostris panibus prouidere, quia pauperes non debent sua perdere, sed etiam ampliora recipere. Tunc datum est fratribus aliquid de elemosynis illis in prandio, & Ioannes accepit integros panes ex promptuario ad dandum pauperibus pro deo, sicut ipsi commissum erat, & facta est læticia magna in domo illa. Quodam tempore exiit mane haurire aquam de flumine iuxta portam piscium. Intràs autem in nauem cuiusdam piscatoris vt aquam mundam hauriret, superuenit piscator & ait, Quid hic habes agere? Exeas cito de nauicula. Tunc ille ferens patienter verba increpantis omnia haurire aquam, ne hominem offenderet. Videns autem vir ille quòd esset bonus frater, & nihil dicens recederet, misericordia motus est & ait, Venias huc ad me, & des mihi vasculum tuum. Et hausta aqua reddidit ei dicens, Eas nunc in pace. Qui regratiàs benefactori suo, reportauit aquam in hydria orans deuote in via, sicut semper facere cõsuevit quando pro negocio aliquo exibat. Sciens dominus Florentius ipsum esse virum virtutis, & ad tolerandum aduersa fortiter animatum, sæpius eum de negligentia redarguit, culpam ipsi imponens vbi culpabilis non fuit, volens in hoc patientiam eius probare, & aliis ad exemplum monstrare. Cum igitur quidam pulsarent ad fenestram coquinæ, & alij ante ianuam, festinauit Ioannes respondere singulis pro necessitatibus opportunis. Et illo huc illuc discurrente pulsauit dominus Florentius manu sua super mensam, vt illi aliquid apportaret, quasi necessitatem haberet. Quo parum tardante propter occupationes, dixit pius pater seriose ad

ad cocum suum probandum, Quandiu sedebone hic te expectando? Ad hæc bonus cocus mansuete respondit: Assum charissime, & portabo quod placet. Ignoscas quæso tarditati meæ. Dixit etiam interdum sic ad eum, Quomodo sapit istud sic? nescis melius coquere? Forte fratres possunt murmurare, quòd debet male coctos cibos tuos comedere. Ille vero patienter increpationem audiens, & negligentem se confitens, libenter, inquit, me emendabo. Cui dominus Florentius: Sæpe hoc dicis, sed parum proficis. Alia quoque vice transeunte domino Florentio per coquinam, venit post eum Ioannes, & flexis genibus traxit fimbriam vestimenti eius veniam petens. Ad quem respiciens ait: Quid est modo? Tunc ille. Ego fudi aliquid ex amphora in cellarium. Cui rursus durus respondit: Sic sic destruis res nostras, vnam frangendo, & alteram fundendo. Et statim auerfa facie clausit ostium coquinæ, dimittens cocum in genibus procumbentem. Qui omnia humiliter sustinens surrexit de terra, nihil conquestus inde quasi iniuriam passus, sed sine hæsitacione optime sensit de patre sancto, qui eum increpauit pro vtilitate sua. His & aliis multis modis probauit eum frequenter dominus Florentius, quem specialiter vtique dilexit, & corde veneratus est propter fidelitatem eius, & paupertatis amorè, de qua sæpius loquebatur cū eo in coquina. Et quanuis magnæ literaturæ non esset, habuit tamè ingenium bonum ad intelligendum scripturas, sciens caute discernere inter vitia & virtutes, & efficacia remedia dare tribulatis & tentatis. Libenter legit in sacro codice tempore sibi vacante à labore, non vt doctior fieret ex scientia instanti, sed feruentior in charitate ad opus redderetur. Diligentius aduertit ad lectiones in mensa, colligens ex paucis verbis multa: & quòd illi denegauit altitudo Latini sermonis, suppleuit virtus obedientiæ, & frequens meditatio beneficiorum dei. Vnde desideranter studuit in vita domini nostri Iesu Christi, trahens ex eo totius vitæ suæ regulam, & propter eius amorem amplexatus est infimum statum, & viliores cibos, atque vestem pauperiorem. Cum legisset aliquando librum Ioannis Climaci de perfecta abrenunciatione seculi, & mortificatione propriæ voluntatis, protulit exinde sententias spiritus plenas, vt docti viri de hoc mirarentur, quòd tam bonum intellectum illius libri haberet. Ante paucos dies obitus sui, requisitus est vt diceret si quid emendatione dignum in domo sciret, quia fratres libenter se emendare vellent. Tunc respondit fidelis amator pauperum dicens, In tribus operam emendationem nostram. Primo vt par-

cus comederemus, & pauperibus amplius daretur. Secundo vt meliora ornamenta venderetur, & precium pauperibus largiretur. Tercio quia multos libros habemus, vt aliqui venderetur necessariis retentis, & pauperibus melius subueniretur. His dictis dominus Florentius cõgaudens deuotioni & miserationi eius dixit, Ioannes, valde bonum est quod dicis. Tempore infirmitatis eius venerunt quidam pauperes clerici, vt eum visirarent. Quos ille intuens oculis misericordiæ ait, O dilecti pauperes mei, iam decetero non potero vobis aliquid dare. Comendo vos deo, vt vobis prouideat in bono. Inter plura humilia exercitia hoc in vfu habuit, vt omni sabbato in memoriam mortis suæ longum linteolum seu kedellum portaret, & in eo coquere tunc consuevit, petens & desiderans in eodè post mortem sepeliri. Quod & factum est. Nam Mathias de Machlinia, qui focius eius erat, fecit vestem illam lauari, vt in ea sepeliretur sicut desiderauit. Igitur multis bonis virtutum fructibus repletus seruus dei Ioannes cocus ex hac vita iam migraturus, cœpit infra octauam Pentecostes apostemate tactus infirmari, & ad sequentem vitæ transitum se disponere. Cui hoc etiam ad magnum meritum creuit, quòd antequam infirmaretur, curam pauperum clericorum & infirmorum ex obedientia & charitate de nouo susceperat, cupiens eos visirare, & necessaria sollicitè eis ministrare. Sed præuentus est infirmitate, & dulcedine visitationis Christi mirifice consolatus. Nam dominus Amilius qui ipsi in infirmitate fideliter assistit, & continue ministravit, quadam die de summo mane ad eum visitandum accessit, & quærens si aliquid veller, de licentia eius ecclesiã intrauit missam auditorus. Quæ finita rediit ad infirmum. Cui Ioannes: Placet mecum diuidere missam in charitate quæ audisti? Respondit Amilius: Libenter tecum totum diuido & tribuo in charitate dilectæ frater. Ad quem Ioannes: Frater mi, dominus noster Iesus Christus interim me visirare dignatus est. Tunc Amilius hoc audiens dixit: Quò abiit quæso? Qui respondit: Statim quando aperuisti ianuam, disparuit. Gaius est ergo Amilius, & gratias agens dominum benedixit. Et hæc mihi postmodum enarrauit. Tentauit etiam satanas seruum dei decipere & terrere, ita dicens ad eum: Recipe bursam tuam fœtide mercator. Existimas tu quòd pecunia tua possis emere regnum cælorum? Humilis autè Ioannes intelligens hostis malitiam, intra se tacite dixit: Nò de me præsumo, sed de misericordia dei, & in meritis sanctorum. Sicque inimicus totaliter confu-

sus abscessit, & Ioannes diuinæ misericordiæ
 fiducialiter se comisit. Denotus igitur famu-
 lus Christi ad orationem intentius se conuer-
 tit, & inter alia psalmodiæ cantica, hæc verba
 Psal. 145 ruminavit: Dominus soluit compeditos, do-
 minus illuminat cæcos. Amilius vero sedens
 ad lectulum eius aurem apposuit, vt de ore a-
 gonizantis aliquid amplius audiret pro bono
 memoriali, sed præuocitate infirmæ vocis in-
 telligere non valuit. Tandem diu agonizan-
 do, & contra vim mortis desudans, inter de-
 uotas fratrum præces qui conuenerant, spiritum
 vitæ exhalauit beato sine in seruitio Christi
 consummato, Anno domini millesimo tre-
 cenesimo nonagesimo octauo, sabbato qua-
 tuor temporum post Pentecosten, die Petro-
 nillæ virginis. Cuius corpusculum reconditum
 est in cœmeterio apud sanctum Leuinum,
 vbi & plures fratres post eum defuncti in pa-
 ce Christi requiescunt, per Christum in no-
 uissimo die cum fidelibus cunctis resuscitan-
 di. Sit laus & gloria Christo de tā deuoto viro
 & humili coco, qui breui annorū curriculo
 & labore exiguo sortitus est (vt pie credimus)
 maxima præmia in cælo: de quo venerabi-
 lis pater dominus Ioannes Huesden prior in
 Wyndesem dignum testimonium reddidit
 dicens, Vtinam cum tali viro & in tali statu
 mori mihi contigisset.

Incipit deuotum exercitium eiusdem
 fratris Ioannis. Cap. 13.

Quid retribuā tibi deus æterne, pro om-
 nibus quæ retribuisti mihi? O dilecte
 Ioannes miserere tui ipsius, & pensa cum ma-
 gna diligentiā & omnibus viribus tuis præter-
 itam vitam tuam, quid fuisti in seculo, quid ad-
 huc es, & quid promeruisti. Cogita inæstima-
 bilem bonitatem dilecti domini nostri Iesu
 Christi, quam tibi vltra tam multos homines
 exhibuit, pensa quā grauiter vltra alios te iu-
 dicabit, si te non emendaueris. Sta in timore,
 & cogita quod ille qui tā benigne tibi peper-
 cit, forsità diutius parcere nolit. Pone in cor-
 de tuo quod hodie vel vt longissime cras sis
 moriturus, & quorsum perges? Væ mihi deus
 æterne, quod fugiam à facie iræ tuæ, quia pec-
 cata mea existunt super arenam maris? Verū-
 tamen scio verissime, quod nihil ita tibi dis-
 plicet sicut desperare, & quod non vis mortē
 peccatoris, sed poenitentiam. Dic ergo ad eum
 in gemitu cordis tui: Aspice in me miserum
 peccatorem immensa pietas dei, cōuertere ad
 me iniquum hominem patens misericordia.
 Ecce ego desolatus venio ad omnipotentem,
 vulneratus curro ad medicum. Serua solitam

pietatem tuam, qui tam diu gladium vindi-
 cæ suspēdisti. Dele numerum iniquitatum mea-
 rum, multitudine miserationū tuarum. Mul-
 ta alia potes etiā cogitare de misericordia dei,
 sicut de Dauid, de sancto Petro & sancto Pau-
 lo, de Maria Magdalena, & de publicanis & a-
 liis multis peccatoribus, prout manifeste in
 tota vita Christi patet, quā misericors extitit
 erga poenitentes qui ad eum accesserunt:
 in quibus non ponderauit quā multū pec-
 cauerunt, sed quantum amauerunt. Quapro-
 pter si ad istam dilectionem debeam peruenire,
 tūc summe mihi necessarium est quod respi-
 ciam fragilitatem meam, & quod in veritate
 sentiam, quod ex me ipso nihil boni possum,
 atque incessanter præ oculis habeam magni-
 tudinem dei & fidelitatem eius, & me ipsius
 paruitatem & infidelitatem ad ipsum, in qui-
 bus multa consideranda sunt. Nam si rectē
 hæc attendo, perducent me ad subiectionem
 omnium hominum, & ad me ipsius cōtemp-
 tum, ita vt etiam desiderem contemni. Sed
 istud oportet veraciter sedula cogitatione ex-
 erceri, sapius inuocando dominū, à quo vtiq;
 venire oportebit. Si igitur ad istam humili-
 tatem & ad hanc dilectionem debeam perue-
 nire, necessarium est mihi vt habeam quoti-
 dianum exercitiū & regulam quæ me ad ista
 perducant. Itaque secundum dicta sanctorū
 necessarium mihi est præterita peccata mea
 aspicere, & ea ante oculos semper habere, &
 multum niti ea ponderare. Et istud valde sup-
 primer me & humiliabit, & defectus fratrum
 meorum ac aliorum hominum non magni-
 pendam, nec leuiter iudicabō, sed cum com-
 passione ad meliora traham. Et hoc expedit
 mihi vt pro isto labore, & caueam aliorum
 facta vel verba curiose inuestigare: & vtiq;
 fugiam detractionē, & si audiero quid, nitar
 excusare, & seorsum ponere & abiicere. Mul-
 tum etiam me iuuabit quod cōsiderem virtu-
 tes fratrum meorum, de quibus existimo qd ma-
 ior pars nunquam mortale comisit: & econ-
 trario recēseam magnitudinem peccatorum
 meorum, atque ita inueniam qd non sum di-
 gnus inter eos conuersari, nec ipsis seruire, sed
 habeam eos in reuerentiā, & sperem quod per
 bona opera eorum & orationes perueniā ad
 vitam æternam. Est etiam mihi necessarium
 quod omni tēpore præ oculis habeā dei præ-
 sentiam, & quotidie nitar ab intra aliquid bo-
 ni cogitare in opere meo, & singulariter sequi
 cupiam illud dignissimū speculum vitam do-
 mini nostri Iesu Christi, eius humilitatē, eius
 pietatem, eius patientiā, eius despectionem &
 paupertatem, & specialiter eius charitatem: &
 multū nitar vnūquēque hominum sicut dei
 imaginem

imaginē aspicere, & omnia opera mea sic tra-
 ham quasi Christo faciam, & istud multū al-
 leuiabit opus meum, & beneuolum me singu-
 lis præbebit. Conabor etiam vt orationem
 meam attente & sine festinantia legam, & fre-
 quēter in labore & opere meo genua mea fle-
 ctam, & modicum breuiter cum attentione
 orem. Omni mane tertia hora audiens cam-
 panam surgere debes absque mora, & statim
 aliquid boni cogitare cum gratiarum actione
 de misericordia dei & de tua miseria, & quod
 deus ibidē præsens sit, & angeli & sancti: & ad-
 uerte quid legis, & ad quem loqueris. Flecte
 genua vel sede honeste sine acedia & reclina-
 tione ad vnum vel alterum latus, & ita semper
 ages dū oras. Finitis matutinis vel primis lege
 sacrā scripturam: & si sopore deprimeris, mo-
 dicū ex studio tuo scribe. Quinta hora signa-
 ta, pertracta si aliquid agere habes in coquina.
 si nihil tibi agendum putas, claude coquinam,
 & liga libros: aut si aliquid aliud tibi comis-
 sum est, hoc age, donec tempus sit intradi co-
 quinam. Dum compulatur ad missam, incipe
 legere tertiam flexis genibus in domo vsque
 ad psalmos, & lege consequenter in via eundo
 ad ecclesiam quod restat. In ecclesia sedes
 recte super genua tua per totam missam in a-
 liquo angulo, & cogita de vita & passione di-
 lecti domini nostri Iesu Christi secundum cō-
 suetudinem tuam. Finita missa incipe sextam
 legere in ecclesia vsq; ad psalmos, deinde re-
 liqua eundo per viam. Cum de ecclesia reuer-
 sus fueris in coquinam, ora pro modicum,
 & propone in corde tuo qualiter te velis ha-
 bere per diem, & in quibus punctis tibi neces-
 sarium est te emendare, & ad hoc fortiter co-
 nare, habēdo præ oculis, vt prædictū est, illud
 diuinum speculum vitæ & morum dilecti do-
 mini nostri Iesu Christi, & quod ipsi ministros
 & nō hominibus. Inter laborem & opus tuū
 debes sæpe breuiter orare flexis genibus cum
 attentione, & specialiter ad signum campanæ,
 & quādo in ecclesia pulsatur ad eleuationem
 sacri corporis domini nostri Iesu Christi. Co-
 gte te sapius aliquid boni cogitare inter labo-
 rem tuū, videlicet de beneficiis dei, de regno
 cælorum, de iudicio, de morte, & quando ali-
 quis pulsatur ante coquinam, vt des responsum
 bonum. Et si habes tempus, stude parū in ex-
 cerpto tuo. Quemcunque de fratribus in do-
 mo aut extra domum videris, illum aspice tā-
 quam Christum, & præcipue illos qui curam
 domus gerūt. Et si aliquid à te desiderant, hoc
 læta facie citius age. Antequā incipias come-
 dere, lege Benedicite: & aliquid boni inter præ-
 dium studeas legere vel meditari: & caueas ne
 nimis festinanter edas, & à delicato cibo vel

potu: nec sis diutius quā fratres in mensa, &
 cito surge cū aliquis inter prandiū pulsatur qui
 mēse ministrat. Facto prandio, debes lectori
 de calido cibo prouidere, & sicut fratres ha-
 buerunt. Et interim lege gratias, & residua ci-
 baria repone, & vasa coquinæ singula ad loca
 sua quātocitius vales. Cū veneris ad cameram
 prædio cōpleto, statim lege nonam, ac deinde
 fac opera & labora vsq; ad secundum pulsum
 vesperarum apud fratres minores, nisi aliquid
 aliud habueris agendum in domo vel foris, &
 tūc lege vesperas tuas. Et si amplius de tēpore
 habes, cogita vel stude aliquid boni, vsque dū
 quarta hora signata sit, & tūc intrabis coqui-
 nam parando fratribus cœnam. Cœna autē
 facta pertractabis de crastino die, quid tūc in-
 firmi & fratres comedere debeant. Et cum res
 in coquina dispositæ fuerint, tunc vade ad ca-
 meram, & lege complerorium tuum, & postea
 potes studere, & aliquid boni agere donec oc-
 tava hora signetur. Post octauam horam de-
 bes scribere defectus tuos, & cogitare aliquid
 boni de materia sancta, & orare aliquid cum
 inuocatione sanctorum, & cum istis ire dor-
 mitū circa horam nonam, & niti cum sanctis
 meditationibus obdormire. Et dum experre-
 ctus fueris, cogita statim de materia deuota,
 cum quibus iterum dormire queas. Ante om-
 nia ista debeo præponere obedientiam, ita
 vt quicquid retores domus iusserint, vel ali-
 ter consuluerint quā ego concepi, statim in
 illis me relinquere volo, & cito facere quod
 ipsi desiderant, & niti nullam rem nec vllum
 opus cū inordinato amore possidere, & sic fa-
 cilius me relinquam. Debeo etiam niti vt ha-
 beam eos in reuerentiā & honore qui sunt cu-
 stodes & procuratores domus, & multū præ-
 cauere ne vllā duram cogitationē neq; suspi-
 cionem super eos acquiram, sed pie & simpli-
 citer facere quod volūt, sine iudicando & per-
 scrutando quare hoc vel illud mandent: & ha-
 bere vtiq; præ oculis meam simplicitatē, &
 quod nō sum sapiens, & eorum sapientiā ma-
 gnā reputare. Et vtiq; ante oculos tenere qd
 me ipsum eis resignauī i loco dei, & me ipsius
 nō sum, ad quod tamen me ipsum ex voto nō
 obligauī, sed ex libera mera voluntate & pro-
 posito, quia spero qd mihi salubre sit taliter sta-
 re, & non facere secundum meum videre &
 velle. Et idcirco volo cogitare meum propter
 quid, & multū eos rogare vt velint me depri-
 mēre. Insuper debeo niti vt in omnibus ope-
 ribus meis ac verbis & cogitationibus deum
 plus timeam quā homines, vt quicquid fa-
 cio, hoc pure sit ad honorē dei, & ad ipsi soli
 placendum. Et in quacunque re excedo, vt in
 illa deum plus formidē offendere, quā ho-

mines. Et utiq; me custodiam à iactantia & appetitu ostentationis & laudis coram hominibus. Sed & multum nitar ad silendū, quod me notabiliter iuuabit ad multa. Et quod loquar cum prouidētia, & interdum legam vnū Aue Maria antequam loquar vel respondeam, nec res magis dicam q̄ sint, & caueam dissolutionem & multa verba & sonora, specialiter in coquina, & alios de istis studeam admonere, qui horum quicquam fecerint. Et multū niti esse solus vbicunq; possum, & introrsum armatus, & quod utique nunquam sum ociosus, & caueam detractionem loqui vel audire. In officio tibi cōmissio eris diligens ad custodiendum res bene exterius, & in hoc sis obediens atq; vnicuique benignus appareas, specialiter cibos infirmorū procurando, & maxime domini Florentij, qui pene quotidie debilis est & infirmus. Ut omnibus hospitib⁹ sim beneuolus recipiendo eos tanquam Christum, sed non multum cum eis loquendo, & ut respiciā bene ad pauperes, & in his tantum agam quantum mihi est cōmissum pro posse meo, ita ut habeam eos in reuerentia, & exhibeam eis benignitatem: & res mihi cōmissas bene custodiam. Quādo foras exeo pro negocio, ut tūc nitar oculos meos bene custodire, & aliquid boni legere vel cogitare in platea, & quanto citius possum domum reuertendo. Saep̄ etiā nitar reuelare tentationes meas, & ad minus inter octo dies vni de defectibus meis cōqueri, & remediū inde accipere, & niti me semper reum dare, & contra nullum arguere. Et si aliquid frango vel negligo, pro illo volo libenter veniam petere. Volo etiā caueere à multa prægustatione cibi sine necessitate, & à potatione extra tempus prandij sine licentia superiorum, & ut non faciam aliquid post tergū eorum, quod non auderem facere in eorum præsentia. Multum etiam debeo niti omnia despectiua & humilia opera facere, & Mathiā & Ioannem fratres nostros inde releuare vbicunq; possum, & habere eos in reuerentia, & ostendere me beneuolū ad eos, & promptum ad omne humile opus coadiuuandum. Cauebo me quod non percipiatur à me querimonia de vestibus, de cibis, aut his similibus, sed potius nitar sentire quod non sum dignus istis quibus indigeo. Debeo etiam niti studere libris qui me ad ista adiuuent, & totum studium meum ad ista trahere, & niti morate me habere in eundo, stando, sedendo, & in cōsimilibus. Est etiam mihi vtile ut magna repute exercitia domus istius super omnes alias domos, & ut habeam magnum affectum in opere meo in coquina, & magnum propositū in hoc statu mori, & pro nulla re mihi ad-

uentura ab isto velle separari, salua semper obedientia. Et ut in hoc magnam habeam fiduciam ad amātissimum dominum nostrum quod omnia peccata mea velit cū isto indulgere mihi, & de omni opere quantumcunque paruo speciale prēmium largiri. Et licet multa alia bona opera sint, quæ maiora & sanctiora sunt, quod tamen propterea non discedam ab opere meo, sed firmiter maneam super hoc, & confidam quod mihi nullum opus salubrius nec vtilius est, quā hoc ad quod me dominus vocauit. Insuper volo omni die post octauam horam me examinare in omni huiusmodi modo, & videre in quo amplius excesi, & spero fortiter proponere de cetero in hoc me utique emendare.

Explicit exercitium & propositum humilis & deuoti hominis Ioannis ketel quōdam coci in domo domini Florentij.

De Arnolde Schoenhouiæ, id est bellæ curiæ, deuoto clerico. Cap. 14.

Cvm Dauentriensis ecclesia reuerēdi patris domini Florētij floreret præsentia, & multi de diuersis partibus scholares Dauentriam intraret propter doctrinæ studium, venit illuc quidam de finibus Hollandiæ bonæ naturæ iuuenis, expers malitiæ secularis, Arnoldus nomine, filius Vyronis viri fidelis & honesti ciuis Schoenhouiæ ciuitatis. Hic igitur dum adhuc in domo parentum esset, & scholas cum sodalibus pueris frequentaret, nō est secutus itinera ludentium in plateis, sed solitus erat mane ecclesiam intrare, & ibidem ad singula altaria orationes & vota sua deo offerre, tradens cor suum diluculo ad dominum qui fecit illum. Hæc autem primordia tam deuota pueritiæ, fuerūt quædam indicia amplioris, gratiæ promerendæ in virili ætate. Nā deo ipsum protegente, à cōtagione carnis permāsit immunis. Ingressus ergo (vt dixi) oppidum Dauentriense magistro Ioanne de arbore tunc regēte, præsentaui se obtutibus domini Florentij ad habendū hospitium in domibus deuotorū clericorum, quorum nō parua multitudo in diuersis domibus sub cura & disciplina deuotissimi patris vivebat, sacris dominicis obediēdo cōsiliis ac præceptis, & nihilominus scholasticis libris insudando temporibus certis. Cernens itaque dominus Florentius Arnoldum ad feruendum deo feruenter affectatum, atque à seculo totaliter auersum, concessit ei mansionem in antiqua domo sua, vbi plures clerici numero fere viginti in communi burfa stabant, vnam communem mensam & sumptū habentes, & in magna deuotione

deuotione domino famulātes. Inter quos tres erant laici, vnus procurator qui necessaria emebat, alius coquina præfuit, tertius vestes faciebat. Ex illa domo postea quidam ad ordinem canonicorū regularium transferūt, quidam ad sacerdotale gradū peruenerūt, fructū alibi facientes de bonis exēplis quæ Dauētriæ didicerunt & viderunt. Eodē tempore adiuuante domino Florentio & cōsulente, domū illam inhabitare cœpi, & fere per annū in congregatione illa cum Arnolde permāsi, simul vna camerula vnoq; lecto ambo cōtenti. Ibi quippe didici scribere, & sacra scripturam legere, & quæ ad mores spectant, deuotōsq; tractatus audire. Ad seculi quoque cōtemptum fortius animabar maxime dulci cōuersatione fratrū, & pia admonitione Arnoldi quotidie adiuuus & instructus. Quicquid tunc scribendo lucrari potui, in sumpt⁹ cōmunes tradidi, & quod mihi defuit, larga pietas dilecti domini mei Florentij pro me persoluit, & paterne in omnibus subuenit. Multa igitur deuotionis signa in Arnolde notaui, quia multū exēplaris & deuotus fuit tam in domo quā in scholis, nulli molestus nec amarus, sed omnibus gratus & benignus. Omni mane hora quarta campana signacula dāte, statim euigilans alacriter furrexit, & flexis genib⁹ ante lectulū breuiter orauit, primitias oris sui domino feruēde libans. Deinde celeriter se vestiendo ad locum orationis pro matutinis beatæ Mariæ virginis & sanctæ crucis legendis tempestiue processit, non faciens moram aliis, sed cūctos præuenire satagebat. Ad missam iturus festinauit esse cū primis, flectēs humiliter genua circa altaria audiendo officium missæ cum supplici reuerentia, nec cessans ab oratione & meditatione sacra, donec missarum solennia essent rite finita. Amabat autē locum secretum à turbis remotum, ne impediretur in orando: & tanto feruentius tunc orabat, quo secretius existeret. Fugiebat hominum aspectus, ne in aliquo notaretur esse deuotus. Cauebat quoque ne vox sua audiretur foris, quia in priuata oratione soli deo volebat esse apertus. Sed tamē nō semper ita latere potuit quin ardēs lampas vel inuita foras crepitaret. Accidit ergo aliquotiens me ipsi assidente latenter, vt eo orante caute aduerterem quid ageret, atq; per illius feruorem ad precandū accensus fui, optans talem deuotionis gratiam quandoq; sentire, qualē ille fere quotidie videbatur habere. Nec mirū si deuotus in orando fuit, qui sollicitus custos cordis & oris extitit quacūque transisset. Nam & ex magna deuotionis dulcedine, sonus iubilationis in eius gutture audiebatur, quasi cibum suauissimum

de gustasset, iuxta illud psalmistæ verbū, Ex-^{Psal. 149} ultationes dei in gutture eorū. Sedēs in scholis cum pueris nō aduertit clamores pueriles, sed legēte magistro scribebat lecta in papyro, postea repetens ea per se vel cum socio, fabulas vanas deuitans. Nō se fudit ad externa, sed lectione firmata modicum legit in pagina sacra, sepe tacite orans, aut intime suspirans, deū in studio suo præcipue quærēs. Si quid notabile inuenisset, hoc assidenti socio charitatiue ostēdit, vel ad legendum tradidit, sicq; verbis sacris & bonis alloquiis multos à scurrilitatibus & risibus abstraxit. Festiuis diebus cōplures frequentantes, cuiuscunq; ætatis vel artis fuissent, secum ad domū domini Florentij pro audienda collatione duxit, gaudens & sperans de cōuersione aliquorum. Et deo inspirante nō est fraudatus à desiderio suo, quia vidit fructum laborū suorum in emendatione morum secularium iuuenum & seniorū. Sermo eius & exhortatio nō de altis materiis nec de extraneis rebus, sed de vera cōuersione ad deum & correctione vitæ secularis extitit. Et plus in bona simplicitate oris deuoti, q̄ in subtilitate sermonis Latini profecit. Postquam ergo cōpetenter literatus videbatur, reliquit scholastica, & cōtulit se plenissime ad spiritalia studia, domum parētes, ac patriam suam obliuiscens pro vita æterna, promptissime se subiiciens iugo obedientiæ, & clericorū disciplinæ, secundū laudabiles consuetudines domus antiquæ, à deuotissimo patre domino Florentio primitus ordinatas. Nō magno opere laborauit pro multa scientia habenda, sed pro bona cōscientia & puritate cordis seruanda, sciens mundos corde beatos esse, & deo gratissime placere. Cœpit autem instare & feruenter rogare, vt in domo domini Florentij posset habitare cunctis diebus vitæ suæ, non affectans alium statum in toto mundo, quā ralem vitam cum tam deuotis & deo dignis fratribus ducere, sub strenuo magisterio & obediētia patris summe venerandi. Adhuc enim vivebant in carne quos supra memorauī dilecti domini Florētij discipuli & alumni deuotissimi, dominus Lubertus, dominus Héricus, domin⁹ Gerardus, domin⁹ Amilius, dominus Iacobus, & Ioannes ketel, cum aliis primitiuis fratribus in domo illa plātatis, Christi amore feruētibus, & proximis suæ lucis exempla monstrantibus, quorum humili cōsortio & syncretitati vitæ charissimus frater Arnoldus sitiebat copulari, foelicem se existimans si cum his Florentigenis cælibem vitam in terra agentibus mereretur toto tempore mortalitatis suæ conuersari. Illo igitur persistente in præce, distulit dominus Florentius desiderium eius ex-

audire, vt probaretur melius, ita dicens ad eum: Discas bene scribere, & tunc spes erit de te. Quo audito tota diligentia nitebatur scribendi artem addiscere, saepe vadens ad quendam bonum scriptorem, & petens ab eo plenius informari. Et dixit mihi: O si scirem bene scribere, vt possim citius cum domino Florentio habitare. Spero quod bene per gratiam dei vellem passionem eius vincere, si tantummodo scribere scirem. Et cum haec audissem, miratus sum probitatem eius & feruorem, quia omni conamine satagebat agere quae dominus Florentius dixerat. Et ego versa vice cogitavi mecum dicens: Bene vellem addiscere scribere, si scirem me bene emendare. Verum ipse gratiam dei specialem habuit, quae eum ad omne opus bonum instruxit, vt nil ei graue ad obediendum videretur. Quam gratiam exercitiis deuotis enutrire, & orationibus sedulis feruare conabatur, ne in vacuum gratiam dei recepisse argueretur. Igitur antequam in codice legeret, vel scribere inciperet, breuiter orauit, mentem suam eleuans ad deum. similiter & in fine operis sui fecit, gratias agendo. Exiens domum vel rediens ad cameram coram imagine Christi genua flexit, & orans atque inclinans ad opus suum accessit. Ad singulas horas cum campana signaret, Ave Maria, vel quid simile legit. Cum adhuc scholas frequentaret, si ianuam ecclesiae apertam vidisset, quantum tempus permisit, libenter ante vel post exitum scholae ecclesiam intrauit, vel ad minus versus ecclesiam inclinauit. Consuetudines bonas a senioribus impositas sollicitè obseruabat, nil quamlibet minimum scienter praetermittens. Admonitiones de qualibet re parua sibi intimatas gratanter accepit, studiose emendare curauit. Omne verbum a superiore suo aut eius vicario dictum, ita humiliter accepit, quasi ex ore dei vel alicuius sancti audisset. Sed nec discutere vel diiudicare audebat, aliter interpretando quam dictum erat. Idcirco magnam pacem intus habuit, & tam deo quam hominibus charus fuit, & quasi semper laetus in domino ad omnia iussa sponte paratus. Ante festiuitates Christi & sanctorum cum magna intentione ad sacram communionem se studuit praeparare, & dicebat: iam magnum festum instat, praeparemus nos deuote ad suscipiendum dominum. Item hodie est festum istius sancti, imploremus feruenter eius suffragium.

Loquente quodam iuvene cum domino Florentio de vitio vanae gloriae, & remedia postulante, superuenit Arnoldus transiens ante illos. Quem videns dominus Florentius ait iu-

ueni, Quid dicis de isto fratre? Habet ipse etiam vanam gloriam? Respondit iuuenis: Existimo quod non. Cui dominus Florentius: Bene credo sic esse vt dicis. Postquam ergo fere per annum affectus Arnoldi protractus esset, & sufficienter probatus, & tamen constans permaneret, & longanimitè expectaret fraternitatem sibi concedi, acquiescens dominus Florentius petitionibus eius assumpsit eum dans ei locum inter fratres: quod ei erat latissimum, & de eo maximas gratias deo referebat. Tunc quasi de nouo conuersus & in perfectiorem statum vocatus esset, ita feruenter & humiliter conuersari studuit, vt fieret omnibus exemplum virtutis & summae subiectionis, nil laxans a deuotione pristina & consuetudine bona ab antiquioribus domus illius fratribus sibi tradita. Toto corde apprehendit disciplinam, quotidianis renouationibus se exercendo ad virtutes, secundum illud apostoli, Renouamini autem spiritu mentis vestrae. Excusit a se torporem alacer ad vigilandum & orandum, multum diligens ad scribendum, & negligentes bono zelo indutus pie & charitatiue admonendo. Praeter voluntatem rectoris sui non videbatur alia voluntas in eo viuere, illius facta & dicta magnificando, & tanquam caelitus emissa humiliter ea amplectendo. Et sic non solum in iuuentute sua, sed vsque ad vltimum vitam, tanquam innocens puer permanit obediens & subiectus. In vestitu quoque, in sermone & moribus suis humilitatem & verecundiam exhibuit, trahens semper ad meliorem partem si quid insolens vidisset, aut defectuosum percepisset. In summo locum quarebat non fictè, sed ex animo. Et sicut aliqui grauantur in humiliationibus, sic ipse grauabatur in supportatione humiliationis. Iucundus erat inter fratres sine dissolutione, tamen nec multum loquax, sed ori suo custodiam ponens, & quae aedificationis erant, in medium proferens, multo libentius audiens quam docens. In labore erat fidelis & feruens, & grauabatur si non semper adiuuaret fratres in braxatura, de nocte surgendo. Ante horam scribendi, pennas suas parare solebat, vt eo expeditius scriberet, & commune bonum promoveret. Sic nitebatur facta sua ordinare, ne per eum fratres grauarentur, sed potius aliquid utilitatis eis importaret. Studebat ergo quantum potuit, ne fratrum labores comederet, ideoque communia & exteriora opera libenter faciebat. Et quod minus lucrari poterat scribendo, gaudebat suppleri per patrem suum carnalem, qui aliquam sum-

mam

pecuniarum fratribus annuatim mittere consuevit. Post obitum parentum suorum, haereditatem ad se deuolutam libenter ad communem usum fratrum dedisset, sed morte praeventus impeditus fuit. Cum enim proposuisset ad Hollandiam pergere pro dispositione haereditatis suae, venit Sutphaniam ad fratres suos qui ibidem tunc morabantur, & paucis diebus illic peractis coepit post festum Philippi & Iacobi infirmari, & sic dilata est itineratio eius ad patriam, ne forte alibi a consortio fratrum elongatus consummaretur. Sentiens ergo magis ac magis se infirmari, tamen non multum lecto decubuit: nam ipso die sancti Vyronis episcopi, qui fuit penultimus dies vitae eius, lectulum suum ipse sibi strauit, & in crastino Vyronis, scilicet in die sancti Gengulsi martyris circa horam vespersarum dispositis rebus suis, communicatus est sacro corpore Christi, & etiam inunctus. Sero autem facto cum valde debilem se sentiret, desiderauit fratres ad se pariter conuenire, quibus deuote se commendauit, vt fideliter pro eo orarent, & cuidam deuotae virgini in Schiedam, nomine Lydevvy obitum suum denunciarent, quam aliquando in partibus Hollandiae visitauit, de qua multa miranda ex longa eius patientia referuntur, quae promiserat se oraturam pro eo. His dictis iacuit compos mentis suae vsque ad decimam horam die discedente. Veniens autem ad extremam horam, nullam tristitiam ostendit, sed dixit se paratum esse: & tunc praesentibus fratribus & orantibus tradidit spiritum hora supra dicta, sine magna, vt videbatur, poena: quia cum deuotis fratribus ab adolescentia sua conuersatus erat cum bona conscientia, tanquam verus dei cultor, & deuotus Christi amator, in humili statu clericali per annos triginta & vnum in congregatione fratrum perseverando. Defunctus est autem dulcis & amabilis frater Anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo, mensis Maij die nono in ciuitate Sutphaniae terrae Gelresis, & in coemeterio beatae Mariae virginis sepultus ad australem partem ecclesiae.

NOVITIVS.

Cum istorum virorum vitam audio, cogor vitam meam despiciere, quia in istis conspicio quam longe adhuc a veris virtutibus disto. Attamen mihi proficere spero quod haec te narrante percepi, nam intendo me cordialiter emendare.

SENIOR.


Idcirco ista tibi breuiter dixi, vt ad spiritualem feruorem te studeas dare, & in humilibus exercitiis gaudeas conuersari. Nec vnquam ad aliquam dignitatem vel honoris officium anheles, sed ad omnimodam subiectionem & vitiorum extirpationem labores, vt deo amplius placere possis, qui humilibus semper dat specialem deuotionis gratiam, & post praesentis vitae laborem bene exercitatis gloriam sempiternam.

Amen.

Finiant vitae discipulorum
Gerardi & Florentii.

Incipit Alphabetum Monachi in schola domini nostri Iesu Christi studere volentis, compositum a venerabili patre Thoma Maloleo a Campis.

Oratio vt dirigatur in viis domini.



Las tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas doce me. Obsecro te deus meus, doce me vias bonae vitae, pro salute animae meae. Monstra mihi vias mandatorum tuorum, vt curram eas. Doce me semitas consiliorum tuorum, vt ambulè in via immaculata. Aufer caecitatem meam: ne sit no fatis monstrasse, infunde gratiam spiritus tui, qui deducet me in viam rectam.

DEVS.

Intellectu tibi dabo, & instruaui te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Lectio I.

Ma nesciri, & pro nihilo reputari, hoc enim tibi salubrius est & vtilius si vis ad vitam ingredi, quam a multis hominibus laudari.

Lect. II.

Beneuolus esto omnibus, no solum bonis, sed etiam malis, & nulli onerosus.

Lect. III.

Vitodi cor tuum ab euagatione, Ostuum ab ociosa locutione, Et caeteros sensus tuos sub rigore disciplinae.

Lect. IIII.

B

Alphabetum

Dilige silentium & solitudinē, & inuenies quietem magnam, & conscientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequenter est strepitus, & magna distractio cordis.

Leet. V.

ELige paupertatem & simplicitatem, Et in paucis esto contentus, Et non facile murmurabis.

Leet. VI.

FVge quantum potes homines & seculi rumores, quia non potes satis esse deo & hominibus, æternis & transitoriis.

Leet. VII.

GRatias age semper deo, corde & ore, Qualitercunque tibi succedit, in graamine & dolore. Nam deus omnia dispensat provide in mundo, vero & recto iudicio ab æterno.

Leet. VIII.

Humilia te in omnibus & sub omnibus, & mereberis gratiam ab omnibus: Eris quoque deo acceptus, & hominibus dilectus: Et diabolus fugiet à te citius propter humilitatis virtutem sibi valde contrariam.

Leet. IX.

IN omni opere bono habeas intentionem puram ad placendum deo, qui inspector est cordis, & diligit iustos & puros.

Leet. X.

Karissimos existima amicos & patronos qui te premunt & vituperant. Si enim recte sapias & consideras, lucrum inde acquires. Nam profunt tibi in bono, quicumque obsunt in malo.

Leet. XI.

Labore & dolore cum gemitu & fletu acquiritur regnum, & honoribus acquisitis perditur paradus.

Leet. XII.

Magnam donum dei est pauperem esse in mundo propter Christum, & infi-

rum lubenter tenere locum. Magna superbia est altum petere gradum. Ad alta semper diabolus suadet, honores ambire, fugere despectionem, ut cadat ascensor eius retrorsum, quum ad breue tempus dominatus fuerit pauperum. Minima dona existima magna, & eris dignus accipere maiora.

Leet. XIII.

Neminem spernas. Nulli noceas. Afflicto omni condoleas, egeno subuenias. Et nunquam te extollas.

Leet. XIII.

Omne tempus in deo expendas. Nihil enim preciosius tempore, in quo promereri potes regnum dei in perpetuum. Omnibus quoque te amabilem, benignum, & affabilem, sine dissolutione exhibeas. Omnia bona ad laudem dei referas, & sine consilio & deliberatione nihil facias.

Leet. XV.

Primum semper disquire in opere tuo vtrum deo placeat, an displiceat. Nec timore, nec amore age contra conscientiam tuam. In dubiis ad scripturam sanctam & obedientiam prelati tui recurre: nec tibi ipsi nimis confide. Prius disce tacere quam loqui, Potiusque velis instrui quam docere. Tutius est enim velle latere quam apparere.

Leet. XVI.

Quæcunque ad te non pertinent, de illis ne iudices: nec te illis intromittas, ut pacem semper habeas. Qui communia sectatur, & singularia vitat, magis diligetur, & citius ad bonum finem perueniet. Qui tempestiue facit quod debet, is postea lætior erit.

Leet. XVII.

Reuertere cito ad interiora cordis tui, & claude ostia oris tui, ne vagari incipias per varia desideria mundi consilio diaboli. Nocent enim multa audita, tentant pulchra visa, turbant illata vituperia.

Rece-

Monachi.

Recede ergo ab iracundo, indocto, dissoluto. Et mane in silentio cum deo.

Leet. XVIII.

Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, prouidus in verbis, honestus in moribus, maturus in consilio, fortis in aduersis, humilis in prosperis, gratus pro beneficiis, hilaris in despectibus, patiens in doloribus, discretus in omnibus agendis.

Leet. XIX.

Time deum offendere etiam in minimis negligentiis & defectibus. Noli presumere in bonis, nec desperare in aduersis. Timor dei facit recedere à peccato, & sollicitat in bono opere, ut bonum bene fiat. Totum deo committe, & quod tibi est graue fiet cito portabile. Pax tua sit in patientia multa. Leuis est omnis tribulatio pro vita æterna.

Leet. XX.

Vende deo omnia comoda tua, & dabit tibi meliora, adueniente gratia in vna hora. Nemo liberior eo qui se & sua omnia deo dedit, & Christum amando emit, qui mundum in cruce redemit.

Leet. XXI.

Xps sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, locutio tua. Ipse sit desiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua, & merces tua. Si aliud quæris quam pure deum, damnum patieris, laborabis, & requiem non inuenies.

Leet. XXII.

Ymnos & psalmos deo canere opus est monachorum omniumque clericorum: Quibus congaudent chori angelorum, Laudantes deum iugiter in regno cælorum. Seruire carni, mors aique, cibis vermiculorum. Nidus demoniorum, viraque pecorum. Fomes morborum, corruptio corporum. Inquinatio morum, perditio bonorum. Acquisitio multorum malorum & dolorum. Seruire deo, beatitudo est animæ. Sanitas corporis, prudentia spiritus. Cælestis vita curiæ. Hymnos dulces deo canit, qui in tribulatione sua deum semper laudat. Initium & finis omnis boni religiosi, est deum corde amare, ore laudare: & fratrem suum exemplo ædificare.

Leet. XXIII.

Zachæe frater descende charissime, de altitudine secularis scientiæ. Veni, & disce in schola dei viam humilitatis, mansuetudinis & patientiæ. Per quam possis, Christo docente, peruenire securus ad æternam beatitudinem gloriæ.

Amen.

Canti. de laud. virg. 194

Conclusio opusculi.

Scribe nouelle monache Alphabetum istud in corde tuo quasi in libro vitæ, & per singulos dies chartulam tuam inspice, & ad bonos mores assuesce. Pauca sunt verba, sed magna habent mysteria, & perfectorum opera, ornant exterius, & quietant interius. A contemptu mundi, & sui ipsius abnegatione incipit vita boni religiosi, & proficit usque ad contemplationem dei.

Benedictio.

Beatissimus discipulus ille qui sequitur Christum per iter asperum, tradens ei omne velle suum & nolle, portans cotidie pro Christo crucem suam, ut habeat gloriam magnam, & vitam æternam. Quam nobis omnibus deus concedat, qui trinus & vnus uiuit & regnat. Amen.

Canticum de laudibus virginum.



Ma Iesum cum Agnete,
Magdalenam lauda late,
In hymnis & canticis:
Agatham sanctam venerare,
Luciam passam imitare,

Quantum digne sufficis.
Barbaram ora cum Balbina.
Ceciliam ora cum Christina,
Toris ex precordiis.
Catharinam cum Sabina
Margaretam cum Martina
Lauda magnis gaudiis.
Iulianam cum Iustina,
Cuneram cum Euphrosyna
Iubila in organis.
Dorotheam cum Eugenia
Petronillam cum Euphemia
Honora in tympanis.
Sophiam cum Eulalia,
Gertrudem cum Pelagia
Exalta lætis vocibus.
Priscam, Dariam, cum Helena,
Apolloniam cum Serena,
Magnifica honoribus:
Scholasticam cum Susanna,
Teclam, Claram, cum Ioana,
Lætifica cæli præmiis.
Vrsulam cum sodalibus
Cordulam cum æqualibus
Adorna rosas & liliis.
Omnes sanctæ virgines cum coniugibus,
Omnes sanctæ viduæ non sine continentibus,
Orate deum pro nostris excessibus.
Sit laus deo, honor, & gloria
De virginum magna victoria

B ij

Et dulcis hymnus sanctis eius omnibus.
Qui nos sua gratia, ad se ducat cum læticia
Sanctorum suorum meritis
Post huius vite picula in æterna tabernacula
Laxis peccatorum debitis.
Amen amē dicāt omnia, cælestia terrestria,
Angeli cū hominibus, & creaturis omnibus.
Deo semper gratias.

Canticum de gaudiis cælestibus, & no-
uem choris angelorum.

Qualis, quantaque læticia,
Resonat in cælesti patria:
Vbi Iesus gaudet cum Maria
Læto vultu, dulci melodia?
Astant Angelorum chori,
Laudes cantant creatori.
Regem cernunt in decore,
Clamant corde, laudant ore,
Tympanizant, citharizant,
Volant alis, stant in scalis,
Sonant nolis, fulgent stolis,
Coram summa trinitate.
Clamant sanctus, sanctus, sanctus,
Fugit dolor, cessat planctus,
In superna ciuitate.
Concors vox est omnium, deū collaudantium:
Feruēt amor mentium clare contuentium
Beatam trinitatem in vna deitate,
Quam adorant Seraphim feruenti in amore:
Venerantur Cherubim ingenti sub honore:
Mirantur nimis Throni de tanta maiestate.
Dominaciones hos sequuntur,
Summo bono plenē perfruuntur,
Quibus Principatus coniunguntur.
Lætabunda semper charitate
Potestates cum Virtutibus,
Micant signis, tonant nutibus.
Malos arcent, bonis parcent
Admiranda semper pietate.
Archangeli cum Angelis
Alte iubilant in cælis.
Vigilant, custodiunt: visitant, erudiunt:
Pufillos cum maioribus.
Preces deo afferunt, dona eius referunt.
Defendunt humiles, confortant debiles,
Exultant cum cantoribus.
Hos ergo honorare nos decet & amare
Synceris mentibus, votis feruentibus
Lingua, doctrina, moribus.
O quam præclara regio, & quæ decora legio,
Ex angelis & hominibus.
O gloriosa ciuitas, in qua summa tranquillitas
Lux & pax in cunctis finibus.
Ciues huius ciuitatis,
Veste nitent castitatis:

Legem tenent charitatis:
Firmum pactum vnitatis.
Non laborant, nil ignorant:
Non tentantur, nec vexantur:
Semper sani, semper læti:
Cunctis bonis sunt repleti.
O quam beata societas
Vbi regnat deus trinitas,
Abundat vbi pietas,
Cunctos illustrat veritas?
Laudē ergo dicite, omnes sancti simul psallite
Qui vos per suam gratiam
Ad tantam duxit gloriam:
Benedictus deus. Amen.

Hymnus ad Angelos & sanctos in cælo.

Ciuēs cæli atredite, & angeli percipite:
In hac valle miseriæ exulati succurrite.
Vos in pereni gaudio, & ego in exilio:
Pescare quod gemens dico, an mirū sit quod lugeo.
In terris diu viuere, & Christū nodū cernere,
Graue nimis est anime languenti eius amore.
Hinc spōsa in meridie spōsum requirit anxie:
Quæ mystica sub spē oclusū colit vera fide.
Fides spes & charitas, clamāt, Iesu quod pperas?
Raboni vbi habitas? cur ire longe simulas?
De mea nunc absentia noli flere o anima:
Ibi fige suspiria, quod te præcedo, in patria.
Consoletur exilium, gratiæ stillicidium:
Fratrū quoque subsidiū, ac luctus tui præmium.
Ad patrē sursum trāseō, vt in misso paraclito
Exultes & in filio, quandiu es in seculo.

Canticum de virtute patientiæ.

Aduersa mūdi tolera, pro Christi noie:
Plus nocēt sepe pspira cū leui flame.
Cū a malis molestaris, nihil pdis, sed lucraris.
Patiendo promeraris, multa bona cōsequeris.
Nam deum honorificas, & angelos lætificas:
Coronā tuam duplicas, & proximos ædificas.
Labor quidem parvus est, atque breuis vita:
Merces autem grandis est, quies infinita.
Totiens dei martyr efficeris,
Quotiens pro eo poenam pateris.
Patiendo fit hō melior, auroque fit pulchrior.
Vita tota clarior, laude quoque dignior.
Gradu status altior, a vitiis purgator,
Virtutibus perfectior, Iesu Christo acceptior,
Sanctis quoque similior, hostibus suis fortior.
Amicis amabilior, & deo suo charior.

F I N I S .

Hæc sunt opera venerabilis Thomæ
Malleoli à Campis.

Sequuntur

Sequuntur pauca additicia, quæ & quod addi-
ticia sunt, seorsum duximus imprimenda: & quod
superiori editione continebantur, nolimus
supprimere, ne quid audis lector in nostra
hac editione desideraret.

Incipit tractatus de Meditatione cordis,
Magistri Ioannis Gerson Cancellarij acade-
miæ Parisiensis celeberrimi.

Caput I.

Psal. 18.

Meditatio cordis mei in cō-
spectu tuo semper. Felix
certe qui cum propheta
poteat ex sententia dicere
verbum istud deo. Sed vi-
deam⁹ in primis quid sit
meditatio cordis, nō pro-

Medita-
tio quid.

carnali solo sed spirituali corde. Est autē me-
ditatio, vehemēs cordis applicatio ad aliquid
inuestigandum & inueniendum. Et hæc ap-
plicatio fortis habet difficultatem, quæ quan-
doque maior est, quādoque minor. Quod vt
intelligatur, præsupponatur ex creditis, & ab
experientia, cor nostrum cōditum esse, & tres
habere species oculorum, mētales oculos, ra-
tionales oculos, & oculos sensuales. Et ex illis
est vtrobique vnus oculus in cognitione, alius
in affectione. Fundatur hæc distinctio in alte-
ra, qua dicimus hominem habere portionem
seu faciem rationis duplicem, quarū superior
vertitur ad leges æternas, altera ad tēporales.
Neutra tamē in actu suo dependet ab orga-
no corporeo. Sub istis est ratio demersa cor-
pori, quæ sensualitas appellatur. Primus ocu-
lorū vocatur ab aliis oculus mentis, alter ocu-
lus rationis, tertius oculus carnis.

Cap. II.

Ferat ab initio bene conditæ rationalis
naturæ talis ordo, ordinisq; tranquillitas,
quod ad nutum & merum imperium sensua-
litas rationi inferiori, & inferior ratio superio-
ri seruiabat, & erat ab inferioribus ad superna
pronus & facilis ascensus, faciente hoc leuita-
te originalis iustitiæ subleuantis sursum cor-
da, quemadmodum naturaliter ignis sua leui-
tate sursum fertur. At vero postquā aduersus
dominum supremū ingrata proditio deme-
ruit auferri iustitiam hanc originalem, subin-
troiit pondus grauissimū cōcomitans pecca-
tum, quod miseram & captiuam animam tra-
here nō cessat ad infima, tanquam circūligata
sit funibus, catenis & compedibus vincēta in
mēdicitate & ferro. Sicq; mirabili, immo mi-
serabili confusione facta est ordinis prioris
peruersio, quod in homine sicmerso tenebris
& carcere cæco, conturbatus est in ira triplex

Psal. 106.

vtinque; oculus, per imperfectionē in sensuali-
tate, per obnubilationem in inferiori rationis
perfectione, & per quandam excecationem
in superiori rationis portione.

Cap. III.

Habemus ecce causam primam difficulta-
tis quā in meditatione sentimus, quā in
habendis semper ad dominum oculis experi-
mur. Facit hoc poenalis illa grauedo deorsum
iugiter impellens, quemadmodum videre est
sensibiliter in aquæ ductu, quæ tota facilitate
desinit ad ima. Continetur autem vel sursum
leuatur non nisi cum violentia, nō aliter cor
ad infima pronum leuiter effluit hac illacque
veluti sine retinaculo vel labore, quoniam fa-
cilis descensus Auerni, ait poeta: Sed reuo-
care gradum, superasque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Cap. IIII.

Perscrutemur consequenter ex prædictis
naturam seu proprietatem meditationis:
quoniam ex hoc ipso, quā necessaria nobis
ad deum tendentibus existat, videbimus. Di-
ximus autem & reperimus quod meditatio est
vehemens applicatio vel attentio animi ad
aliquid inuestigandum vel inueniendū fru-
ctuose. Addimus fructuose, ne meditatio ver-
gat aut in superstitionem, aut in curiositatem,
aut in melancholicam stoliditatem. Dicamus
ergo cōplentes, quod meditatio est vehemens
& salubris animi applicatio ad aliquid inue-
stigandum, vel experimentaliter cognoscen-
dum. Ponimus hoc vltimū propter naturam
ipsius affectionis, quæ diuersa fortitur nomi-
na propotionaliter ad conditionem cog-
nitionis. Non potest aliter affectio cognosci
experimentaliter ab eo qui per eam afficitur.
Quam experimentalem affectionis cog-
nitionem non potest eam habens in alterum ver-
bis quibuslibet infundere nisi similiter affe-
ctus sit alter ille: quoniam solus nouit (prout
in Apocalypū scribitur) qui accipit. Propter
ea vocatur manna absconditum. Exemplis est
perspicuum in illo qui nouit dulcedinē mel-
lis solūm per doctrinam, sicut medicus sanus
infirmi dolorē. Hæc autem dulcedo a
gustante, hic dolor ab egrotante aliter & lon-
ge plenius cognoscuntur.

Cap. V.

Perpendamus ex his quā profundē seri-
serit propheta naturam meditationis dū
ait: In meditatioe mea exardescet ignis. Vtrū-
que enim cōplexus est, lumen in intellectu, &
ardorē in affectu. Quā vero sit difficile vt
ignis deuotionis spiritualis exardescat statu
B iij

Ex quā
ta felici-
tate in
quātam
decidi-
mus mi-
seriam.

Difficul-
tas i me-
ditando
vnde.

Virgil. 6
Aeneid.

Apoc. 2.

Psal. 8.

ignē de- uotionis exarde- scere fla- tu medi- tationis, quā dif- ficile. meditationis, fiet notum cōsiderantibus ignē naturalem, dum quæritur à lignis aquosis, vi- ridibus, luto resperſis, elici. Suffia quantū po- tes, iterum atque iterum multo conatu refuf- fla, emerget plurimus ab initio fumus, ab ini- tio conturbans oculos. Vix emicabit ſcintil- la, quæ mox euaneſcet. Diſperges forſitan ira- tus congeſta prius ligna, ſi non in longani- mitate perſtiteris. Quam longanimitatem ap- pellamus, hic meditationem, aut meditationi coniungendam.

Cap. V I.

Meminimus nos aliquas ſcripſiſſe do- ctrinas vel induſtrias nedum Latino, ſed & Gallico ſermone, ſuper habenda medi- tatione tali: licet fortaſſis vteremur aliis ter- minis in tractatulo de myſtica theologia par- te ſecunda, quæ praxim eius docet, & quæ in altero rurſum de mendicitate ſpiritali cōpila- to. Denique tanta reperitur difficultas, tanta pro diuerſitate hominum varietas in practi- cando doctrinam veræ ſanctæque medi- tationis, quòd vtrum ſilere, an aliquid ſcribere conſultius ſit: videor egomet mihi ipſi incer- tus, & quandoque ſub dubio fluctuans.

Cap. V II.

Cvm enim recogito, quòd abſque medi- tationis exercitio nullus ſecluſo dei mi- raculo ſpeciali ad perfectionem contempla- tionis dirigitur aut peruenit: vix vllus ad re- ſtiſſimam chriſtianæ religionis normam ſe componit: audeo zelo, ar deoque ſtudium ſan- ctæ meditationis ſuadere. At dum totiens ex- pertus pericula, ſedulus recogito difficultatē & arduum perueniendi quò trahere medi- ratio nititur: ego quaſi torpens & ſtupidus efficior. Quæſierit aliquis quo pacto ſic ve- nit, quod nimium frequenter expertum eſt, ſtudium meditationis conuerti dilabique in morbum melancholicæ paſſionis propter im- moderationem, vel propter ſuperbiam dari in reprobum ſenſum diabolicæ illuſionis.

Studium meditationis nonnū- quā pror- ſus aber- rat à ſco- po.

Cap. V III.

MAnuducamus exēplis id quod dicimus. Scimus vinum in iucūditatem & homi- nis ſalutem conditum eſſe. Sic enim ſcriptura, ſic ratio loquitur. Videmus tamen ex abuſu potantium, præſertim dum febrium dyſcracia laborant, quod porus vini alioquin ſalubris gene- rat vel ægritudinis augmentum, vel maniam

Iudiciū. 9 Eccli. 40

& furorem: aut quandoque mortem. Nos au- tem filios omnes Adæ, quis ægrotos, quis fe- bricitantes eſſe peſſimis animæ febribus ne- gauerit, quibus vertuntur in nauſeam & ama- ritudinem optima diuinorum eloquiorū ver- ba, quibus in ſel cōuertitur ſuauiſſimus diuini verbi panis? Heu miſeros nos: heu quàm ex in- tima cōſideratione talis miſeriæ conclama- uit apoſtolus: Infelix ego homo, quis me libe- rabit de corpore mortis huius? Subiūgit: Gra- tia dei per Ieſum Chriſtum.

Cap. IX.

Quid agimus ergo? Quid abimus præci- pites per abrupta vitiorum? Ibi mūs ne- poſt deſideria cordis noſtri, & in adinuetio- nibus noſtris peſſimis deſperatiſſime lege, ſine freno, ſine ordine? nunquid ſufficient nobis cogitationes inſtabiles, ſordidæ, fluxæ, ſom- nioque ſimillimæ: quæ non conſolationem, vel ædificationē allaturæ ſunt, ſed deſolatio- nem, mœſtitiā & ruinam oblectantibus ſe in eiſdem? Reſpōdebimus nequaquam id fie- ri debere, ſi aſſit diſcretio moderatrix in om- nibus: quam non ſecurius habere poſt diu- nam gratiam poterimus, quàm per ſedulum & ſecurum alterius experti, noſque diligentis & agnoſcentis conſilium.

Cap. X.

Clamat Ariſtoteles voce experientiæ lo- quens, quòd ars & virtus ſunt circa diffi- cilia: vt ars pingendi, ars ſcribendi, ars citha- rizando: virtus caſtitaſis: virtus fortitudinis: virtus ſobrietatis. Hoc vero ſic intelligen- dum eſt, quòd ab initio virtus & ars multas in acquiſitione ſui patiuntur difficultates: dum vero fuerint conquiſitæ, facilia ſunt eis omnia. Pingit faciliſter pictor exercitatus in arte: ſic de ſcriptore: ſic de citharizante vi- demus: ita vt dixerit idem Ariſtoteles, quòd ars perfecta non deliberat, tam illi facilis eſt actus eius.

Cap. XI.

VTamur iſta comparatione dum de me- ditatione loquimur. Attendamus quòd in trahendo paſſim lineas picturæ vel ſcri- pturæ difficultas nulla eſt, ſicut nec in diſcur- ſione digitorū per citharæ chordas. Inueni- mus ſimiliter in cogitatione. Nō enim diffi- culter aut laborioſe nunc hoc, nūc illud prout occurrerit cogitatur: ſed quod nullus inde reſul- tet. effectus, vides ſic in pingente, ſic ſcribente, &

Rom. 7.

Medi- tatio artis inſtitutio ni con- paratur.

& ſic citharizante, ita neque prouſus in ſic cogitante, immo cum ſe talibus cogitationibus vagis oblectauerit, vt dicit Seneca, triſtis re- manebit. Porro laborioſe, ſtudioſe, & attentif- ſimè, cum mira tarditate pingendo, ſcriben- do, & citharizando, ſit quandoque vt bene & celeriter iſta ſiant.

Caput XII.

Quorſum iſta? Nimirum vt oſtēdamus quemadmodum de cogitatione nulla vnquam proficiet, aut emerget in meditatio- nem, quanto minus in contemplationem? Ex meditatione verò quæ ſummam habet diffi- cultatem, ſi bona fide ſimplici & diſcreta dili- genter exerceatur, perueniemus ad hanc per- fectionem, quòd abſq; vlla difficultate fiet apud nos fruſtuofè, quod ſummo meditatio- nis ſtudio cōquirere voluimus. Ira deniq; trāſ- ibit meditatio in cōtemplationē. Non enim differt cōtemplatio à meditatione, niſi pe- nes facile & difficile, quoniam vtrouique eſt fructus. aliter in cognitione.

Medita- tio, vbi inueni- rit, con- templa- tio eſt.

Caput XIII.

Deſcribitur autem cōtemplatio quòd eſt liber & expeditus mētis inſuitus in res p- ſpicendas vſquequaque diſfuſus. Et hoc quo- ad cōtemplationem quæ reſpicit intellectu. Porro quo ad cōtemplationem quæ cōſiſtit in affectu & in praxi, deſcribit eā Hugo, quòd eſt per ſubleuatæ mentis iubilum, mors quæ- dam carnalium deſideriorum. Hoc eſt guſtare quàm ſuauiſ eſt dominus, quem viſum ſe- quitur alia longe cognitio, quàm fuerit intel- lectualis ſolū viſio, vel quædam auditio per fidem aut per ſcripturam.

Contem- platio. quid.

Caput XIII.

MEditabitur ecce aliquis gemēs & ſuſpi- rans vt columba, dicit cum propheta, Meditatus ſum nocte cum corde meo, exerci- tabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Facit hoc anxie, difficulter, laborioſe, recogitando nunc omnes annos ſuos in amaritudine anime ſuæ, nunc iudicia dei quæ ſunt abyſſus multa in cę- lo ſurſum, & in abyſſis deorſum, & ita de reli- quis circa quæ verſatur meditantis attentio vehemēs, vt ea quæ meditatur vel cogitat, lym- pidius vel firmitus in affectum ſuum trahat. Ef- ficiet tandem vt hæc omnia tāta facilitate re- cogitet & ſapiat, quàm facilis eſt ipſa cogita- tio. Docent nos exempla prædicta ſi dubita- mus. Non enim plus laboris habent ſcriptor & cithariſta bene agendo quod optimè didi-

Eccl. 38. 1. 76.

erint, quàm vagus & vanus aliquis ab initio diſcurrēs ſine arte & ordine per lineas pictu- ræ, vel ſcripturæ, aut per citharæ chordas.

Caput XV.

Addendum eſt ad præmiſſa nihilominus quòd vix eſt aliquis ita perfectus i arte ſua quin aſidue poſſit ad aliqua vel cognoscenda vel agēda proficere, qualiſa neceſſe eſt vt nō ha- beat ſine labore. multo magis hoc verū eſt in ipſa de qua loquimur meditatione, quæ nouos veritatis aut deuotionis fœtus iugiter parere ſtudet, ſed non de eſt parturitionis dolor pro- pter illud maledictum ſpiritualiter intellectu: In dolore paries filios. Non meminit tamen preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt ipſis nouus cognitionis & affectionis ſanctæ fœtus in animi ſui mundum.

Gene. 3. Ioan. 16

Caput XVI.

Evenit autem ab initio frequentius, vt dū aliquis nondum purgatus à vitiis, ſata- git meditari vt columba, meditatur quaſi ve- tus ſimia dolos, odia. Meditatur ſicut canis ra- bioſa ſilentia rodens, iuxta verbū ſatyrici. Me- ditatur quaſi ſordida ſus, dum fœdiſſimas in animo verſat reuerſatque cogitationes. Quid porro de blaſphemæ ſpiritu, quàm abomina- bilis, quàm horridus? Nonnunquam reſurgit territas meditantem, loquens aduerſus deum, ſanctos ſanctæque ingenia quæ nec ſari li- cet. Iaciūtur infidelitatis iacula, barathrū de- ſperationis aperitur, experimentum quoque manifeſtat quàm rectè iuſſerit ſapiēs, Fili ac- cedens ad ſeruitutem dei, præpara animā tuā ad tentationem. Sequitur præſidium certifi- mū, Sta in timore. Beatus enim vir qui ſem- per eſt pavidus.

Prou. 28 Eccl. 1.

Caput XVII.

Pavidus verò ſemper, quomodo beatus? quæret aliquis. Dum timor additur timo- ri, ſcrupul? ſcrupulis, puſillanimitas puſilla- nimitati, præſertim cū non adest aſidue con- ſiliator, dux & præmoſtrator itineris arcti & recti. Si vero talis, qui rarus eſt, inuentus forte fuerit cum ocio nouum meditantem inſtrū- di quantum libuerit, felix quidē erit ipſe no- uus tyro, ſi tamen protinus abſque vlla trepi- datione paratus eſt credere conſilio. Sed o- quotiens bonie Ieſu, quotiens hæſitabit, & idē repetet iterum, iterumque quaſi falli reformi- dandū quæret idem? Denique non vterur erga dantem ſibi conſilium doctrina Iacobi, quæ

B iij

^{Jacob. 1.} est, vt postulet in fide nihil hæsitans. Scripsi quædam super huiusmodi scrupulis in tractatulo de preparatione ad Missam, aliqua similiter de cautelis contra spiritum blasphemie durissimum, aduersus quem remedium optimum est contemnere nec curare, quin potius irridere, nec super his sollicitè cõfiteri nisi forsitan in principio pro cautela ad habendum consilium. De scrupulis vero teneatur hæc regula, quòd aduersus eos agendum est, si ita prudens aliquis & expertus consiliator dictauerit, mandauerit aut iusserit: nec aget in hoc contra conscientiam suam demeritoriè, dum illam ad consilium sapientiorum per rationis libertatem ab animo suo mutat & disponit, quanuis assiduè sensualitatis remurmuratio forte sentiat. Alioquin nunquam fiet in pace deo locus cordis. Rursus aduertendū quòd quia dicente Aristotele omnis nostra cognitio venit à sensu, ideo necesse est omnem intelligentem phantasmata speculari, sic originatur meditatio nostri cordis à sensibilibus quæ figurata sunt, quæ colorata, & ceteris accidentibus temporis & loci circūuoluta. Hinc sunt meditationes conscriptæ, hinc imagines pictæ vel sculptæ, hinc generaliter fit illud psalmistæ: Meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar. Quæ utique facta, opera sunt corporalia. Nihilominus debet assurgere meditans & vltra progredi, veluti per scalam quandam ex visibilibus ad inuisibilia, sicut dicit apostolus, Quoniam inuisibilia dei, ex his quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Propterea docens nos à corporalibus ad spiritalia migrare, dicebat: Et si Christum secundum carnem cognouimus, nunc tamen secundum carnem non cognoscimus.

Caput XVIII.

^{In fidiæ duplices meditaturis parat.} **A**duertendum verò quòd meditaturis duplices inter cæteras tenduntur insidiæ, Vna dum petunt consilium super occurrentibus scrupulis in meditatione sua, præsertim mulier à viro. Altera, dum sunt in actu meditationis. Fit in primo casu crebrius & leuius quàm à multis credi potest, agglutinatio quædam animorum, velata pallio sanctæ deuotæque dilectionis, quæ primò confabulationibus sub typo quærendi consilii quæritur, dehinc animaveluti confricata calefcit, & sensum igne cæco carnalis amoris carpitur & vritur, nec intelligitur primò, donec tandem ad risus leues, ad faceros blandosque gestus peruenit. Auertat deus à suis id quod reliquum

^{Galat. 1.} filemus. Timeo, inquit apostolus, ne dum spiritu cœperitis, carne consummemini. Scripsi iam pluries talia consequenter ad Augustinum, nominatim in tractatulo de probatione spirituum. Incurrunt aliud periculum meditantés, dum solis phantasiis, dum solis imaginibus corporeis se tradunt, & toto corde vehementer incumbunt. Fit proinde quòd meditans dum transire fatagit in contemplationem, collabatur ad melancholiã seu phantasticam læsionem, ita tandem vt imagines iterum versatas in imaginatiua virtute pro rebus ipsis exterioribus accipiat. Et sicut euenit in somniantibus, dum dormiunt, non aliter istis in vigilia contingit, quorum verba & opera nullam inter se connexionem, nullum ordinem seruant, vbi neque est principium neque finis: vbi, sicut vulgo dicitur, neque est caput, neque cauda, sed de gallo fit saltus ad cygnum, ita vt vigilantes somniant videntur. De qualibus dicunt vulgares, Ilz resuunt, ou ilz sont en resuerie. Porrò timent non timenda, sperant non speranda. Nunc gaudia dissoluuntur, nunc subito moerore tabescunt. Quales egent amplius fomento Hippocratis, quàm monitione sapientis.

Finis optimi tractatus M. Ioannis Gerson de meditatione cordis.

Sequitur tractatulus non minus vtilis de meditatione & ad memoriam reductione mortis, incerti, sed nõ poenitèdi authoris.

De morte propria Caput I.

DE morte tua ita poteris formare meditationes. Primò, vt horam mortis semper suspectã habeas, cogita quòd improviso mors veniet, quia sicut fur veniet, quando minime sperabis, quando minime cogitabis, quando minime disposuisti, quando adhuc diutius te viuere sperabis & cogitasti. Habe te nõnquam perinde ac si statim esses moriturus, & melius senties quæ sequuntur. Cogita itaq; qualiter mortem præcedit grauissima infirmitas, cum tales infirmitates non sint nisi præcones eius. Vide ergo grauitatem huius infirmitatis, cogita errorem naturalis inclinationis appetentis permanere. Cogita itaque cum iam homo se senserit à mudo transiturum, siue medicis hoc dicentibus, siue per seipsum senserit, qualis tunc erit clamor conscientie, qualis recessus in eo qui se non disposuit. Tunc enim ipsa

ipsa peccata ad memoriam confluent. Et cogita quantum de singulis peccatis tuis & passionibus cruciaberis, quoniam illa non vicisti. Cogita si in tali articulo mortis non conditrus à peccatis sis, quanto desiderio desiderares vnã horam sanitatis vel annum pro emendatione. Cogita homo, cum ad illam horam veneris, & hinc transibis, ac tempus præteritum comparaueris ad æternitatẽ ad quam transibis, quàm breuis tibi videbitur tota vita tua. Apparebit enim tibi breue somniũ, & ita erit tibi totum tempus tuum, & tota vita tua, ac si per medium spatii parui, puta dimidiæ leuce, perrepsisses. Cogita quantus erit dolor cum videbis quòd propter tam paruam delectationem illa sempiterna gaudia amisisti. Cogita quàm amara erit separatio ab iis quæ vitiõse dilexisti, puta ab honore tuo, quia hic in alto statu totis viribus honorẽ quæsiuisti, vel voluptates tuas, & sic de consimilibus. Considera dispositionem morientis, quomodo totum corpus nigrescit & rigescit, & oculi corabescunt. Cogita quomodo dæmones sunt ibi præparati ad escam, tanquam leones rugientes, expectantes animam. Deinde considera quomodo anima in egressu suo cum inceperit considerare regionem ignotam, & quot dæmones eam expectant, quàm inuite exit, & quàm libetẽ rediret ad corpus suum, sed non potest, quia clausæ sunt fenestæ sensuum, & aditus vitales. Cogita ergo transire ad cæternas inimicorum, cogita quomodo tunc singuli spiritus vitiõrum ad eam occurrent, quærentes sua in ipsa, videlicet spiritus superbie, superbie, spiritus luxurie, luxurie, & sic quæ sua sunt singuli. Vltimò aduertendum quomodo anima egressa de corpore statim statuetur ante tribunal iudicis, expectatura sententiã quæ in æternum non reuocabitur, & quocunq; legauerit, ibi manebit. Scriptum enim est, In quocunq; loco lignũ ceciderit, ibi erit. Deinde cogita quomodo tandem corpus tuum tradetur sepultura, & perpetuè obliuioni. Hopes fuit hic, & obiit, & memoria ei? recessit de terra. Poteris autem modum hunc ex contrario assumere de morte iustorum. Nam illi videntes se de hoc mundo migraturos, gaudent in testimoniis conscientie, exultant quòd liberantur de istis miseris: & quia hic non fuerunt ligati concupiscentiis, non dolent hinc exire.

De poenis infernalibus Caput II.

^{Gehennæ ppetuæ lætitiæ.} **I**maginare ipsum infernum secundum quasdam similitudines à sanctis super hoc posita.

Aspice igitur chãos horribilissimum, locum subterraneum, puteũ profundissimum, & totum ignitum. Imaginare ciuitatem horribilem & magnam, ac penitus tenebrosam, obscurissimis & terribilissimis flammis succensam, clamantibus, vulantibus & plangentibus vniuersis, singultibus inexplicabilibus: & similibus poteris explicare. Cogita de poenarum acerbitate. Dicitur enim ille ignis ad ignem nostrum tanto maioris esse caloris, quanto nofter ignis ad ignem depictum. Et ita cogita de frigore & foetore. Huius poenalitatis acerbitas patet ex stridore dentium, ex gemitu, placentu, & blasphemia dei, & sic de aliis. Cogita de poenarum multiplicitate. Nam ibi est ignis inextinguibilis & obscurissimus, frigus intolerabile, foetor horribilis, tenebræ palpabiles. Ibi enim erunt peccata vindictæ exercitia in omni sensu, in visu per horribiles visus & aspectus dæmoniorum, in auditu per lamentabiles gemitus & clamores, in olfactu per foetores sulphureos & alios intolerabiles, in gustu per plumbi & picis infusionem, in tactu per immensum ignis ardorem, & vermium morsum. Cogita etiã de execrabili societate & crudelitatem tortorum, sine omni misericordia in torquendo non fatigatorum, qui nec ad misericordiam commouetur. Insultabunt enim dicentes, Vbi nunc gloria? vbi nunc altus status? vbi nunc est superbia? Cogita quomodo ibi per membra quibus quis peccauit, per eadem & punietur, ita quòd in omnibus membris ibi poenam sentiet & sustinebit. Cogita etiam de poena interiori, videlicet de interiori mortu conscientie, cuius vermis non extinguetur: & de gloria eorum qui non moriuntur. Quis potest cogitare sufficienter quantum doceat quòd illam poenam modicis doloribus & breui tempore non euaserunt? Item passiones maximæ in eis regnabunt. Erunt enim maximè iracundi & inuidi, & erunt ita furiosi sicut canes rabidi. Item recordabuntur priores delectationes ad augmentum poenæ. vnde ibi lamentabuntur dicentes: Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranfierunt omnia illa. Cogita de duratione poenarum, quòd scilicet nunquã sint finem habituræ, non post mille millia annorum, immo non post tot annos quòt possent in mille millibus annis numerari, quia vbi nulla redemptio, ibi nullus finis.

De extremo iudicio seu examine. Cap. III.

^{Sap. 5.} **A**tende quantus tunc erit terror. Ipsa enim tuba angelica mirabilis, terrenda signa, fulgura, coruscationes, percutient corda

hominum, & pauere faciēt. Cogita si potes magnitudinem iræ iusti iudicis venientis contra eos qui eum offenderunt, & quātum mali terrebuntur. Imaginare quomodo & quām amara fiet ibi diuisio. Ponentur enim iusti humiles & mites ad dexteram, superbi & inuidi ad sinistram, in æternum amodo non coniungendi. Tunc erunt duo, quorum vnus assumetur, & alius relinquetur. Cogita quid horrois & timoris, quid admirationis erit superbis & elatis huius mundi, cum se à deo abiectos, & viles pauperes & desperatos, quos infanos putabant, ad dexterā Christi in gloria videbūt assistentes. Tunc enim poenitentiam intra se agentes dicent: Ecce hi sunt quos aliquādo habuimus in derisum, & similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo cōputati sunt inter filios dei. Et tunc iusti stabunt in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Cogita quomodo omnium operum & cogitationū fiet reditio. Hierusalem enim scrutabitur in lucernis, id est, qui apparent velut sancti, inuestigabuntur ibi, & quicquid occultum in eis fuerit, ad lumen veniet. Testes enim erunt qui ostendent eis omnia quæ fecerunt, vbi & quando. Item proprium scelus & totus mundus dabūt testimonium contra peccatores. Cogita quomodo Christus exhibebit ibi passionis suæ insignia, & quomodo per illa exprobrabit nobis ea quæ contempnimus. Cogita de illo tonitruo horribili, & irreuocabili sententia, Ite maledicti in ignem æternum. Cogita de dulcissima inuitatione iustorum ad sempiternā cenam per illam benedictam vocem, Venite benedicti patris mei &c. Cogita quām magna sunt opera misericordiæ & pietatis, cum ea solum Christus ad iudicium suum adducere videatur. Cogita quod iusti ibunt in vitam æternam, iniusti autem in supplicium sempiternum, & hæc duo loca semper diuisa manebunt.

Mat. 24.

Sap. 5.

Soph. 1.

Mat. 25.

De gaudiis supercælestibus. Caput III.

Imaginare locum illum per imaginarias similitudines à sanctis pro nostra capacitate inuentas. Est enim ciuitas ex auro mundissimo gemmisque preciosissimis mirabiliter cōstructa, singulæ portæ ex singulis margaritis. Est campus speciosissimus omnium florū pulchritudine decoratus. Ibi ætatis amoenitas, ibi odorū suauitas. Cogita quātū potes, quātū erit gaudiū ex visione sanctissimæ trinitatis, in qua relucet exemplar omnis pulchritudi-

nis, omnis bonitatis, omnis suauitatis, quam videndo, omnia scienda scies: & quicquid voveris, in ea habebis: in cuius etiā visione beatificaberis. Cogita humanitatē Christi, quomodo qui hic fuit propter nos pauper & vilis & homo, ibi sublimis erit deus & homo. Cogita de gaudiis quæ habebis ibi de societate gloriosissimæ virginis Mariæ, & omnium sanctorum, apostolorum, martyrum, confessorū & virginum, & quod de cuiuslibet gaudio gaudebis. Et tu cogita de dotibus quas ibi corpus tuum recipiet, quæ sunt, immortalitas, impassibilitas, summa agilitas & maxima speciositas. Cogita de dotibus animæ quibus ipsa splendebit, quæ sunt plenitudo scientiæ, iustitiæ, & lætitiæ. Cogita ex his dotibus quām multa alia consequeris, videlicet securitatem qua non timebis. Non enim timebis à tentatione inimici. Inde tibi summa libertas, inde sanitas, inde voluptas, inde amicicia, inde honor, inde concordia. Et breuiter habebis ibi quicquid volueris: & quicquid voveris nō habere, non habebis, dicit Anselmus.

Sequitur amplius de meditatione mortis: & primū de inopinata acceleratione eius conuestio.

Caput V.

Quacunque impugnatione aut tēratione impugnaris, vel pigritia torpescis, & opus diuinū tibi desipit, & à te negligitur, vnū hoc remediū efficacissimū tibi scribo. Sedeas igitur in secreto cellæ tuæ, & recollige ad te sensum tuū, & memor esto diei mortis, quasi nūc videres corporis tui mortificationem. Cogita cladem horribilem breuiter super te venturam: suscipe dolorem, & te omnino existima esse in puncto mortis, ita quod nullo modo effugere possis. forsitan enim hodie sic erit. Et caue ne dicere habeas, sicut quidam in articulo mortis positus dicebat: Heu circūdederūt me dolores mortis, torrentes iniquitatis conturbauerūt me, dolores inferni circūdederūt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Heu me deus æterne, ad quid in hunc mundum natus sum? quare natus ex vtero non statim perii? Heu, principium vitæ meæ fuit cum fletu infantili & labore, nūc autem finis exitus mei est cū dolore miserabili & mœrore. O mors quām amara est memoria tui homini peccatori? Sed amarior est præsentia tua. O quām tardē credidissim, quod tā cito (& nūc) mori debuissim? Sed heu, mors terribilis iam repente quasi ex insidiis erumpens, irruisti super me, comprehendisti me, atq; tuis funibus circūligasti me, & in vinculis ferreis tecū tra-

Mal. 17.

Iob. 5.

Eccle. 41.

Iob. 14.

Iob. 7.

his, sicut trahi solet damnatus ad supplicium mortis. Nunc cum dolore conplossis manibus emitto terribilem rugitum, mortis imperium cupiens effugere, sed non est locus fugiendi. Circūspicio ad omnem plagam terræ, & non est vnde veniat auxilium mihi. Vocem audio mortis horribilem, festinantis, intonatæ, & dicentis, Filius es mortis. Nec opes, nec honores, nec ratio, nec scientia, nec sapiētia, nec discretio, nec amici, nec cognati, nec aliud quid te valet liberare de manu mea. Surge, exi foras. Numerus mensū qui apud deū prefixus est, nunc omnino finiendus est. fixū est, mutari non potest: decretum est, impleri oportet. O mi deus, & oportet me mori nūc: non potest hæc sententia reuocari? debeo tam cito de hoc mundo nunquam reuersurus recedere: O mortis immensa crudelitas, o inexcogitata calamitas. Satis est (inquit mors) Verba nihil tibi conferent, nec suspiria, nec lamenta, nec ploratus, nec vlulatus, quin confestim tradaris meo imperio, vbi experieris talia, quæ oculus tuus non vidit, nec auris tua percipere fategit, nec cor tuum cogitare curauit. Satis habuisti de tempore in quo potuisti te præparare, & cogitare necessitatem & angustiam huius horæ. Cælum quiescet, sol obtenebrescet, antequam possis effugere iam instantem angustiam. Heu mala mors, indispositum præuenis me, & ad terram incognitam sic me perpetuò traducere vis. Propter hoc ploro, nunc exiturus, & nescio quò iturus, & perpetuò māsurus. O mi deus, veraciter nunc cognosco quia ventus fuit vita mea, nec aspiciet me in hac vita visus hominis amplius, & non reuertetur oculus meus vt videat bona huius mūdi in perpetuum relinquenda.

Timoris amissi deploratio. Caput VI.

Sed quid hæc amplius lamentandū & plorandum & plangendum est damnum temporis mei, & dierum præteritorum, qui inutiliter & sine omni fructu transferunt. Heu me qualiter vixi. Erraui à via veritatis, & iustitiæ lumen nō illuxit mihi. Lassatus in via iniquitatis & perditionis, ambulauit vias difficiles & infructuosas, viā autem domini dereliqui infelicissimus. Heu mihi, quid profuit superbia? quid diuitiarū & voluptatū cōcupiscētia? quid alienarū rerū rapina? quid vana gloria? Trāsierūt omnia ista tāquā vmbra præteriēs, & tāquā nūcicus præcurrans, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cū pertrāserit, non est vestigium inuenire: aut tanquam auis, quæ tranfluat in acre, cuius nullum in-

uenitur vestigium itineris illius, sed tantūm sonitus auditur alarum, verberans leuem ventū: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus enim aer in se continuò reclusus est, vt transitus illius ignoretur. sic & ego continuò natus desii esse, & nullum virtutis signū in me monstrare valui. In iniquitate autē propria consumor. Nunc vita mea, spes mea, tanquam lanugo quæ à vento tollitur, tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est, & tāquam memoria hospitis vnus diei præterētis. Et ideo sermo meus nunc in amaritudine est, & verba mea dolore sunt plena. Factum est mœstum cor meum, contenebrati sunt oculi mei. Quis mihi det vt sim iuxta dies præteritos, quando stola fortitudinis & sanitatis & decoris indutus eram, & plurimos annos post me expectabam, vt providere possim nouissima mala quæ irruerūt super me in hac hora? Heu me miserum, tunc non curabam temporis preciositatem immensam, cuius nec vnā horam vel momentum, si darem totum mundum, impetrare possem. Tempus meū est exclusum, nec aliud inueniam in æternum. Heu quomodo data flatibus nauis, & freno concupiscentiæ laxato, dies preciosissimos in vanitate consumpsi, & negligendo male deduxi? Nunc autem sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo, sic captus sum in tempore malo. Tempus olim longum expectabam, nunc omni priuandus sum. Tempus mihi datum ad poenitentiam peragendam, dilapsū est, & à nullo homine reuocari potest. Non fuit hora tam breuis, in qua spiritalia lucra, suo valore omnia mala excedentia, comparare non potuissim.

Eccle. 9.

Temporis inutiliter expensis lamentatio. Caput VII.

Heu heu miserum, non est mirandum si nunc stillat oculus meus præ dolore & mœrore, & palpebræ meæ fluunt aquis, quia tempus mœrendi & flendi statim auferendum est, & quod præterit negligenter expensum, nullatenus reuocari potest. O mi deus, quare neglexi? quare tardauit? Cur tot gratiosos dies, longissimas & vanissimas locutionibus, ociosis operibus, inanibus cogitationibus, in somno & ebrietatibus expēdi? Quare me ipsum intantum neglexi? O cordis mei gemitus inenarrabiles, quām vanissime expendi tempus meum? Scire volui astrorum cursus, cælorum motus, rerum etiam naturalium causas, herbarum vires, hominum mores, entium rationes, & alia multa curiosissime & vanissime di-

scere studui, tempus in illis consumpsi, & felix, multa scivi, & meipsum ignoravi. Heu me quare studui vanitati, & quare hunc passum periculosissimum & difficillimum necessario transeundum & providendum non didici? Quare in tota vita mea non didici scire bene vivere, & bene mori? Nunc autem hunc transitum velut rem insolitam, mihi mirabiliter reformido: & certe mille anni erant necessarii ad providendum & praediscendum punctum in quo si errare contingerit, nil praecedentia aut subsequenta proficiunt. Et quoniam si, licet difficile sit, etiam in hoc transitu me non errare contingeret, possem aliquatenus consolari, sed vix de mille euaditvnis, quin barathrum lubricum patiar. O o infelix, si lapsus fuero, in perpetuum ibi ero. O ego stultus, & meipsum defertor & perditor. Quare per totam vitam meam non didici scientiam bene moriendi, & ab hoc periculo euadere, cuius ignorantia & carentia in periculis expositum me cruciat? Vellem scire, sed tarde doleo me nescire, propter hoc ergo magis ac magis angustiatur spiritus meus. Eia vos qui adestis, qui miseriam meam videtis, qui flore iuuentutis adhuc gaudetis, & qui adhuc tempus ad merendum & poenitentiam habetis, respicite miseriam meam, considerate angustias meas, & in periculo meo vestrum damnum & periculum futurum praecaveate. Forem iuuentutis vestrae cum deo expendite, & in adolescentia vestra iugum ipsius portate. Tempus sacris occupationibus & orationibus implete, vigilate, & orate, ne similia cito patiamini. Hei iuventa iuventus nunquam recuperabilis, qualiter tepidius qualiter te neglexi? Verba increpationis iuventa mea lascivius odit, corrigentibus acqrescere noluit, admonentibus aurem minime inclinavit: detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum. Ah ah mi deus, nunc in profundum laqueum mortis cecidi. Tempus ad peragendam poenitentiam & emendandam vitam tam inutiliter expendi, & ipso in superbia & risu abusus sum: & nunc quidem me o infelicem, locus non est, dum angustiae me premunt undique, & de quocunque alio dolore vel damno cogitare non permittunt. Cor meum scinditur, vena rumpuntur, ossa disunguntur, timore & terrore mortis prostratus sum, vinculis illius ligatus, anxietatibus nimis mens mea premitur. Migrare timeo, retrocedere non valeo: poenitentiam facere vellē, sed non possum pro dolore mortis. Quid agere debeam, penitus ignoro. In peccatis multis irretitus modum euadendi non video. Timor & hebetudo mentis alienauerunt sensum a me, Quomodo perdix sub unguibus accipitris mox disperenda comprimitur, & pro-

angustia mortis exanimis redditur, sic omnis sensus a me recessit, omnis scientia a me evanuit, tanquam pulvis quem proicit ventus a facie terrae. Nil aliud cogito, nisi solum si quomodo euadere possim mortis discrimina, cuius tamen via possibilis non apparet. Mors me premit, dolor me concutit, conscientia me remordet & reprehendit: undique circumdatus sum priuatis inimicis. Siccine separata me a mara mors?

De serae poenitentiae incertitudine, & dolore non prius actae.

Caput VII.

O Felix poenitentia, & matura conuersio, quia secura. Qui autem tarde, sicut ego infelix per omnia, ad poenitentiam se conuertit, de salute sua dubius & incertus erit, quia nescit vtrum verē an fictē poeniteat, timore, an amore, an assistentium favore. Vix vix mihi, qui tam diu vitam meam corrigere & corrumpere distuli, qui tam diu salutem meam tardavi. O o longa nimis protractio emendationis meae. O o qualiter tantum tardasti? Propositum tuum fuit bonum, sed sine executione: voluntas recta sine operatione, & promissa bona sine redditione, haec me miserum perdidit, deperit. Incitatus ad bonum dicebam, cras, cras, sine paululum: statim, modo, modo: sed modo non habebat modum, statim non habebat terminum. O cras, cras, quam longam restem mihi fecisti? In barathrum mortis me procrastinando protraxisti: decepisti me, & deceptus sum. Nonne super hoc miserime affligitur cor meum, & sauciatur anima mea? Et o miser, si timor & umbra sic me deterret, vt penē exanimis iaceam, quid faciam cum statim ante te fueris? & districtissimi iudicis tribunal exhibitus, sententiam prope mortis expectabo? Et nunc omnes dies mei transferunt tanquam filum quod a texente telam succiditur: perditum sunt, & irreuocabiliter abierunt. Proinde nescio an vquam vnam diem vel horam expendi in dei mei creatoris & redemptoris voluntate. Hoc est vnde vulnerantur omnia interiora mea, & contremiscunt omnia ossa mea. Ah ah deus aeternae, quam confusus & verecundus coram te & sanctis tuis ad iudicandum stabo, cum reuelabuntur abscondita cordis mei, & machinationes pessime. Cogar de omnibus commissis & omisis reddere rationem, nec erit palliandi locus aut potestas, nec fugiendi aliqua opportunitas. Domine mi, quid ad haec dicam, aut quid faciam? vnde veniet auxilium mihi? In proximo est tribulatio, vt de hoc mundo recedam, in quo tamen diu vivere putabam.

putabam. Attendite ad me nunc quaeo diligenter amici & proximi mei. Ecce in hac hora magis gauderem de breui orationcula, puta de saluatione angelica deuote pro me dicta, quam saper infinita millia auri & argenti.

Exhortatio ad virtutem ante diem mortis cum amara recordatione illius neglectae.

Caput VIII.

O Mortales miseri, sicut ego, forsitan hodie morituri, bona facite, faciem domini in psalmis & confessionibus praevenerite, peccata plorate, opera meritoria multiplicare, prophetas & alios praedicatores audite, & sic modo in mundo vivite, quod in hac tristis hora & anxia doleo & me pudet non fecisse. Nunc vellem ieiunasse assidue, vitia deplorasse, & orasse: & nunc dispono, si mortem euaderem, me vitam angelicam perducturum. Sed vere iuste ego nunc quando volo, prius oportet, qui quando potui, vti nolui data mihi facultate. O deus, quot horas & tempora non reditura perdidisti? quot momenta, quot vana facta & inutilia pertraxisti, & tam multa preciosa neglexisti? Non necessariis me implicavi, necessaria autem praetermissi. Aliorum adiutorio plusquam necesse fuit, vel quam mihi forsitan expediebat, intendebam, & meipsum negligebam. Aliorum animas lucrabar, detrimentum meae patiebar. Audite audite omnes qui meis interestis miseris, quia vt videtis, tempus mihi deficit, nec reuertetur in hora huius necessitatis meae. Accessi ad amicos meos, reperi me dicentes, Ne forte nobis & tibi non sufficiat. O deus piissime, misericordiarum pater, respice ad me desolatum: & qui nihil in me reperis quod remuneres, miserere, saltem afflicto, quem in afflictione vides, omni auxilio destitutum. Heu quanta bona in tanto tempore facere potuissem ac congregare, & turpiter neglexi? O deus meus, quam etiam minima opera satisfactoria mihi nunc essent grata & valentia? Cupio saturari de micis quae cadunt de mensa dominorum meorum, & nemo mihi donat. Et id quod thesaurizare & acquirere toto tempore meo potui, oportet me nunc cum dolore & pudore nimio deserere, & mendicare. Putas ne magis mihi miserebuntur alieni, quam egomet mihi? Propter hoc quia de eis diffido, mecum est & triste cor meum, quia defecit auxiliator. Sane enim ridiculose petuntur auxi-

lia in angustia, quae non fuerunt ab aliquo in pace quaesita: sed vanius petuntur, cum ab offenso iudice postulantur. Deum in pace mea & prosperitate vitae meae plurimum offendi, quomodo igitur, aut qua facie, vel qua fiducia auxilium postulabo ab eo? O vos omnes compatimini mihi, & miseremini mei: & quandiu vires suppetunt, & tempus iuuat & dies, congregate in horrea thesauros caelestes, & facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis vna dierum, recipiant vos in aeterna tabernacula, & non relinquimini vacui, sicut in hac hora vobis aliquando superuentura, me vacuum & bonis operibus priuatum videtis.

Spem in homine posuisse dolet, & ne ponamus dehortatur.

Capitulum IX.

O Fallax turba amicorum, deceptrix cura medicorum. omnia bona mihi promittebant, salutem meam praedicabant, dicentes mihi: Nihil omnino tibi timendum est, nullum periculum est. confiteri adhuc non curas, infirmitas haec non est nisi humorum disordinatio quadam, quiesce, dormi, omnem sollicitudinem & curam depone, & cito haec infirmitas pertransibit. O amici falsi, inimici veri animae meae, & deceptores salutis meae, vestris promissionibus inharendo, & iacula mortis non praecauendo deceptus sum. tuus miser ego. sic ex improviso fallitur omnis homo. Respexi vsquequaque vt viderem corpus proprium, fortitudinem solitae iuuentutis, & ecce correptum & desiccatum est corpus tanquam foenum, & pulchritudo tanquam flos foeni exaruit, & cecidit omnis spes, & cogitatio mea. In die enim mortis peribunt omnes cogitationes eorum. Quod abierunt omnia in quibus sperabam? vbi est iuuentutis lasciviae dissolutio? prosperitatis & sanitatis arridens promissio. Dicebat mihi, sanus es, iuuenis. & ecce nunc vita scinditur, & dum adhuc ordiret, & haec & alia vana cogitatione disponderem, ex insperato tela mea, vita mea, tota spes mea sic scinditur & secatur. Et dignum quidem est vt praeveneretur morte, qui mortem noluit praevenerire. Heu me, appropinquat hora dissolutionis meae. Visum perdo, anhelitu deficior, motu prius, sensu euacuor. Recedere compellor, amplius tardare non possum. O infelix nunc sinem verbis impono, ulterius plangere non valeo. Ecce nunc venit hora, quae me auferet de terra. Ecce prope ad inuisibilia, reliquo temporalia: festino ad

Mat. 25.

Mat. 13.

Pal. 143.

æterna, coram omnipotenti iudice responsurus, & sententiam dubiam & ignoram mihi suscepturus. Ideo timendo & mihi ipsi compatiendo, inter hæc amara quasi torrètes lachrymarum effundo. Sed quid proficit nunc flere, & verba amarissima exaggerare? Coclusum est, mutari non potest. Heu me nunc video, nunc experior, quòd amplius nil valeo, & mors mihi appropinquet.

Mortis aduentantis indicia, & morientis extrema cohortatio.

Caput X.

O Vos amantissimi mei, vobis & huic infelici vitæ, vale perpetuum dico. En, manus incipiunt rigescere, pedes frigesce, vngues nigrescere, facies pallefcere, visus obumbrari, oculi profundari, intuitus reuerfari, incipio horribilis per omnia fieri. Ah me miserum, puncturæ mortis circundant me, & cor meum pene suffocarunt. O cordis angustia, & pressuræ mortiferæ. En, pulsus incipit titubare, anhelitus deficere. Lucem mudi amplius non video. quæ quidem omnia attendentes amici mei & fratres mei clamitant: Eia frater, spem habe in domino, nunc recurre ad dominum. Heu me, mille anni erant necessarii ad disponendum vt tam longam viam arripere, & hanc terribilem horam securus expectarem. Qualis enim in hoc puncto exiero, talis presentabor iudicio extremo, & ero in statu sempiterno. O quam beatus es pater Arseni, qui semper hanc horam ante oculos habuisti? Heu me, vbi putas in hac nocte deget pauper spiritus meus? aut quis suscipiet miseram animam meam? Vbi hospitabitur vel pernoctabit? aut quos socios habebit? vel qui erunt qui eam suscipiant in illa regione ignora, & ei occurrent? O quam desolata erit anima mea? O quam derelicta & abiecta supra vniuersas animas? Et quis est qui ei fideliter affit, & qui eam efficaciter iuuare possit aut velit? Non enim ad aliquem sanctorum conuerfi me, vt ipse in hac hora pro me peroraret, & mihi familiaris adesset. Domine deus misericors, tu noster dux, tu via, tu hospes, tu ostium, tu sis refugium in hac hora, & miserere animæ meæ, vt miseratio Abrahamæ eam in sinu suo colloquet. Iam enim amplius hic stare non possum. Iam video super me cateruam demorum horribilium ouantium, & irruere volentium in miseram animam meam, & vt prædam discerpere eam nitentium. O mi deus, quam terribilis est aspectus eorum, qui non præstolatur aliud, nisi spiritum meum desolatam, quem creasti, in proximo exituum, si forte

cis torquendus in fortem relinquatur? Nunc appropinquas iudex mi districte, & iam rationem redditurus de omnibus vsq; ad minimam cogitationem tibi assistere debeo. O strictissime iudex, quam multum ponderas in iudicando ea quæ homines modica reputant, faciliter operando? Nunc igitur valete fratres socii & amici charissimi, quia hinc iam exiturus oculum mentis ad purgationem ad quam deducendus sum dirigo, vbi video dolorem, miseriam, & afflictionem multam, & ibi recludendus sum vsque dum reddam minimum quadratam. Valete: bene viuere & bene mori in domino discite, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, & oremus pro inuicem, vt saluemur cum eo, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Finis meditationis huius.

Incipit speculum peccatoris De nouissimis prouidentis.

Caput I.



QUONIAM fratres charissimi in via huius seculi fugientes sumus, omneque dies nostri sicut umbra prætereunt, necesse est corde sollicito memorari sapienter quòd nostra fragilitas, nostra mortalis infirmitas, toties nos cogit obliuisci, quòdque omnipotens dominus nostrum sua gratia volens profectum, per beatum Moysen tribuit consiliu dicens in Deuterono. tricesimo secundo capite, Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Eia fratres mei charissimi, ecce feliciter poterimus euadere mortis periculum, si diligenter studeamus sequi diuinum consilium, quod est mortis remedium, salutis antidotum, peccatoris speculum, cum nobis in sinuat dicens, Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. O salutifera redemptoris nostri sententia, ex qua nobis est instructio sapientiæ, admonitio continentia, speculum prouidentia, exaltatio poenitentia, & acquisitio diuinæ gratia. O admiranda bonitas nostri creatoris, o ineffabilis charitas nostri redemptoris, o prædicanda benignitas nostri Saluatoris. Nos serui nequam sumus, serui negligentes, serui inutiles, qui nostris exigentibus demeritis mortem meruimus potius quam vitam, & ecce pius author vitæ, ipse dator venia, ipse largitor gratia, nos inuitat ad salutem dicens, Vtinam saperent & intelligerent, &c. Quis enim nisi periturus homo

homo hæc audiens, ista considerans, non vehementissime gratuletur, & vltra quæ fari possit exultet, in gaudio spiritus, in vtero suo, quòd ipsi omnipotenti deo, ipsi regi seculorum, ipsi angelorum domino, ipsi creatori omnium creaturarum, cura est de nobis infimis, & miseris ac mortalibus? Cura ergo quam maxima nobis inesse debet, quatinus præ omnibus & super omnia facris eius præceptis obediamus, & ea deuote diligamus, & studiosè adimpleamus. Vt nobis in perpetuum, quoniam, teste apostolo, miserabiliores omnibus hominibus erimus aut deteriores, si hæc non fecerimus. Vere ad exequenda nobis mandata eius ociosi & inanes existimus, nisi in primis & ante omnia odio habeamus quæ ipsi domino displicere cognouerimus, & illa fideli corde diligamus, quæ tremenda eius maiestati placere credimus. Proinde die noctuque exorandus est ipse clemens & misericors deus & dominus, vt nobis largiatur auxilium, qui suum tam salutare præstat consilium, dicens, Vtinam saperent & intelligerent &c.

Quot bona pariat nouissimorum prouidentia.

Caput II.

O Fratres charissimi, intelligite quæso quæ legitis. Consideratio enim huius sententia, destructio est superbia, extinctio inuidia, medela malitia, effugatio luxuria, euacuatio vanitatis & iactantia, constructio disciplina, perfectio sanctimoniam, præparatio salutis æternæ. Ait ergo: Vtinam saperent & intelligerent &c. Heu heu quam paucorum est ista virtus? Pauci sunt qui salutarem hanc nostri saluatoris sapiant sententiam. Pauci sunt quibus est ante oculos propria fragilitatis cognitio, corruptibilis carnis corruptio, peccatorum recordatio, instantis mortis meditatio, fetentis gehennæ putei consideratio. Ecce quam vtile speculum peccatoris. Reuera bone frater si te sapius in huiusmodi speculo prospexeris, eris absque dubio Sansone fortior, Dauide sanctior, Salomone sapientior. Illi enim in hoc speculo se sapius considerare neglexerunt, ideo carnis suæ desideria cæcati corruerunt. Igitur si tanti viri, in tam horribilem lapsi sunt culpam, quibus tanta affuit fortitudo & sapientia, quanta cautela, quantoque studio nobis est vigilandum, quibus inest tanta debilitas, tantaque imperitia? Porro tres viri isti ideo leguntur in sancta ecclesia, vt sint fidelibus non ad exemplum ruina, sed ad spe-

Salomone acta quare legatur in ecclesia.

culum cautelæ, quatinus nullus nostrum in sua confidat fortitudine, nullus præsumat de sua sapientia, immo semper timidi, semper reatus nostri conscii, semper de nostra salute sumus solliciti, nunquam nostræ corruptionis & nostræ mortalitatis obliui. Qui vero huiusmodi verba negligenter audiunt, non sapiunt nec intelligunt, nec nouissima prouident, & sic in mortem & in damnationem vadunt. Vt igitur mens nostra circa prudentia studium euigilet, dominica hortatur sententia dicens: Vtinam saperent & intelligerent, & cetera. Hanc admonitionem salutiferam oculo rationis consideres charissime, non in transitu; immo cum studio & deliberatione sapissime reuoluendo, quia sicut thus non redolet nisi ponatur in igne, ita nulla sacræ scripturæ sapit sententia, nisi cocta sit in corde. Ergo diligere hæc verba, & eorum sententiam in corde tuo imprime, Vtinam saperent & intelligerent, &c.

De scientia, intelligentia & prudentia in verbis domini per Moysen prolatis inclusis.

Caput III.

Ecce hic frater charissime tria tibi in hoc proponuntur, scilicet scientia, intelligentia, & prudentia. Vult igitur dominus vt scias vitam presentem fugitiuam, periculosam, breuem, miseris tabescentem, vniuersæ vanitati subiectam, peccatorum sordibus pollutam, cupiditate corruptam, in breui perituram: quatinus quanto infelicior mundus iste esse conspicitur, tanto facilius pro amore cælestis patriæ contemnatur.

Vult itaque dominus vt fragilem conditionem tuam intelligas sic meditando, videlicet quod nudus egressus es de vtero matris tuæ, nudus reuertaris illuc: & quod terra es, & in terram ibis. In huius vitæ miseriam nudus intraisti & luges, dies tuos in dolore & ærumna pertransisti, cum luctu & labore hinc exiturus es. Intelligas igitur qualiter sit ingressus tuus febilis, progressus tuus debilis, & egressus tuus horribilis. Intellige ergo quantum sis in hac valle miseria exul & ægrotus, virtutibus pauper & modicus, labilis & infirmus, ac in proximo moriturus.

Frater felix eris si hæc intelligas, & in corde tuo quasi in libro scribas, & hanc vnam quam tibi trado regulam seruare studeas: Vine deo gratus, toti mundo tumulatus: Crimine mundatus, semper transire paratus. O quam fe-

lix & beatus vir, cuius anima circa huiusmodi studium euigilat: quàm prudenter sapit & intelligit, ac nouissima prouidet? Charissime tu ergo fac similiter. Legisti iam in hoc Speculo peccatoris, quid sane sapias, quid intelligas, restat vt nouissima prouideas. Ora ergo cum propheta, & dic: Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum qualis est, vt sciam quid desit mihi. O vtilis oratio, o felix contemplatio, o necessaria postulatio. Non siquidem tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate, præcise deposcas, sed quòd sis aduena. & peregrinus in huius mundi ærumnosæ peregrinationis exilio, homo infirmus, & exigui temporis, intelligas & cognoscas. Ergo vti nã sapere, scilicet præterita peccata quãtũ sint amara. Vnde Hieremias, Vide quàm amarum est & malum tẽ dereliquisse deum tuum. Malum est in culpa, amarum in pœna. Et intelligerent, scilicet præsentia quantum sint vana. Vnde Ecclesiastes primo, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et nouissima prouiderent, scilicet æternitatem gloriæ quantum ad bonos, & æternitatem mortis quantum ad malos. Vt sibi prouiderent contra sterilitatem futuram, sicut Ioseph Genesis quadragesimo primo, & Ecclesiastici septimo, In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Reuera charissime frater, si præsentis vitæ tuæ breuitatem attendas, & quid tibi deest in agenda, deo digna pœnitentia, id est disciplina præceptorum eius obseruanda, & sanctitate coram ipso perficienda, sapere & intelligeres, & mortis telum ante oculos tuos prospiceres: proculdubio mox sine mora speretis popis, postpositis mundi curis, despectis carnis illecebris, proiectis voluptatibus, contemptis deliciis, in tui custodia vigilares, ac nouissima prudenter prouideres. Sapientis enim est non tantum cuiuslibet rei principium prospicere, quineriam finem exitumque prouidere, vt ait Tullius: Rerum exitus prudẽtia metitur. Denique felix esse comprobatur, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, vt postmodum supplicii effugiat periculum.

De prouidentia nouissimorum, præsertim in articulo mortis euenturorum, habenda.

Caput IIII.

Dicis ergo mihi. Paratus sum præ omnibus acquiescere diuino cõsilio, vt sapiam & intelligam, ac nouissima prouideam: sed quæ sunt mea nouissima? Illa vtique de quibus spiritus sanctus tibi per Salomonem loquitur,

vt superius est iã dictum, In omnibus memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Non melius poterit luxuriosa caro domari, quàm, qualis erit mortua, præmeditari: & si tales meditationes habueris, felicem te dicet omnes generatiões. Melius nihil est quàm mentis ditatio. Quàm optime mens tua datur, quando cõtra cuncta aduersantia prouidentia scientia illustratur. Legitur enim in poeta, quòd centum lumina in capite Argus habebat: quod ita potest intelligi fictum, quoniam intra mentis suæ circumspectionem prudentiam possidebat. Igitur si eam tãto studio possidebat paganus, multo fortius puriorem prouidentia oculum debet habere populus vel clericus Christianus. Esto ergo alter Argus, immo illo cautiior, illo studiosior, illo prudentior, vt sapias & intelligas, ac nouissima prouideas.

Hæc enim sunt nouissima, quæ prouidere sollicite summa prudentia est, vtique illa hora terribilis in qua misera anima tua ex hoc corpufculo corruptibili est timens egressura. Crede mihi, tu qui legis hæc, ad huiusmodi rei tremendas considerationes maluisse debueras possidere prouidentiam, quàm totius mundi dominationem. Vtinam saperes quæ dei sunt, & intelligeres quæ mundi sunt, & prouideres quæ inferni sunt: profecto deum timeres, superbiam non appeteres, mundum contemneres, & infernum horereres. In illa nimis metuenda extrema hora tua quis amicorum, quis parentum tuorum veniens cum gladiis & armis poterit auxilium ferre? Non enim erit tunc qui consoletur te ex omnibus charis tuis. Respicias forsitan ad auxilium, & ad iudicium hominum, sed refugium tantummodo erit apud deum. Cogites igitur tecum charissime, quo timore timendus, quo amore diligendus, quo honore venerandus sit ipse dominus IESVS CHRISTVS, dominus noster, qui salutis præsidium solus præstare potest post mortem. Reduc sæpissime & sæpius charissime ad memoriam, illam extremam exitus tui diem, & antequam misera anima tua ex carcere carnis exeat, prouideas quòd vadat. Istiusmodi enim consideratio contritionem concipit: contritio compunctionem parit: compunctio contemplationem suæ pium & humilem affectum in deum: pium videlicet ex fiducia adiutorii diuinæ bonitatis & clementiæ: humilem ex consideratione propriæ fragilitatis & miseriæ.

De morientiu tabefactione, & scientiæ mundanæ vanitate.

Caput

Caput V.

Hæc lector attende. Quid enim est in omni scientia quod hominem prouocet facilius ad custodiam sui, & ad omnem iniustitiam expellendam, ad sanitatem in timore dei perficiendam, quàm suæ corruptionis consideratio? suæ mortalitatis certa cognitio? postremò tremendæ mortis suæ recordatio? Etenim tunc homo fit non homo. Homo quando ægrotescit, paulatim ægritudo crefcit, peccator expauescit, contremiscit, caput constupescit, sensus euanescit, virtus exarescit, vultus pallefcit, facies nigrescit, oculus tenebrefcit, auris surdefcit, natus putrescit, lingua stæcescit, os obmutescit, corpus tabescit, caro marcescit: tunc carnis pulchritudo, fœtor efficitur & putredo, tunc homo soluitur in cinerem, & vertitur in vermem. Ecce satis horribile spectaculum, sed est nimis vtile speculum, quoniam nulla artis medicina, nullaque doctrina sic superat superbiam, nec sic vincit malitiam, nec sic extinguit libidinem, nec sic calcit mundi vanitatẽ, sicut huiusmodi horredæ mortis recordatio. Ergo vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Et quid in hoc mundo tantum vilefcit quantum homo, cuius corpus cum fit exanime, non permittitur esse intra domum triduo præ fœtore? sed vt vile sterces foras proicitur, in profundo terræ absconditur, putredini traditur, vermibus inescam datur, cadaver efficitur. Erubescat ergo superbus & infelix peccator, & timeat, elatione cæcatus, ira inflatus, impatientiæ vitio fœdatus, cui plus placet ars Aristotelis, quàm scientia de apostolis: plus codex Platonis, quàm diuinus liber legis: quem nulla lectio lætificat, nulla scientia ædificat, cui nullus sermo sapit, nisi fuerit grammaticè cõfectus, dialecticè imaginatus, rhetoricè purpuratus. Stultus es quæ hæc ignoras, & erras, quoniam qui talia agunt, & in talibus dies suos cõsumunt, peccatum sibi generant, & mortem parant, quia ex simili studio similem concipiunt scientiam, hoc est follia colligunt, & non fructus, id est verba, non virtutes. Verba enim in ventum proferunt, & aerem verbis verberant, verborum sonant, iactantiam ostendunt, de quibus per Psalmistam dicitur: Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Sicut enim ebrius nescit quid agit, aut quò vadit, eò quòd seipsum ignorat, ita insipientes clerici seculares inhærendo huius mundi scientiæ, se conturbant, libros deuorant, sententias multi-

plicant, sed quid agant, penitus ignorant, quia ad quàm miserum finem tendant, miseri non attendunt. O vtinam tales viri saperent & intelligerent &c.

De disciplina & scientiaveritatis apprehendendis, ne pereamus de via iusta.

Caput VI.

Si enim fugientis vitæ suæ breuitatem perspicerent, si damna dierum suorum ante oculos conuerterent, si quàm tremende iudici non solum de mortiferis operibus, immo de omni verbo oïoso quàm districte responsuri sunt, præuiderent, mox terrore perterriti, mox diuino amore percussis, vana huius mundi studia relinquerent, & de studio vanitatis venirent ad studium veritatis, & de studio stultitiæ venirent ad studium sapientiæ, hoc est de studio curiositatis ad studium humilitatis, de schola luxuriæ & prauitatis ad scholam munditiæ & sanctitatis seu castitatis, de vita iniquitatis ad vitam bonitatis seu sanctitatis, hoc est de vita fornicationis ad vitam beatæ religionis, id est de domo conuersationis mundanæ ad domum sanctæ discipline. Vnde ipse benedictus spiritus sanctus per prophetam peccatoribus præcepit dicens in psalmo: Apprehendite disciplinam, nequando irascatur dominus, & pereatis de via iusta. O quàm terribilis est hæc sententia, & nimis metuenda iis qui disciplinam non apprehenderunt? Ex hac spiritus sancti sententia patet quòd peribunt. hinc est quòd dominus per Moysen ait: Omnis anima quæ afflicta nõ fuerit, peribit de populo suo. Noranda sunt attentius verba ista. Anima, inquit, peribit quæ non fuerit afflicta, subaudi, per disciplinam, per morum correctionem, per conscientie purificationem: & dicebat, die hac, id est in præsentem tempore gratiæ, id est die huius vitæ, quoniam qui non suscipit modo tempus pœnitentiæ, post mortem non inueniet locum indulgentiæ. Quapropter timesce tu peccator, tu caro superba, tu vile cadaver, quem adhuc uiuentem vermes cotidie corroduunt, qui de tuo corruptibili corpufculo generantur. Contremisce superbiam, proice vanitatem, fuge luxuriam, apprehende disciplinam, ne pereas. Vide in hoc speculo quid es, quid eris, cuius conceptio, tabes menstrua: origo, luctus: putredo, finis. Vtinam saperent & intelligerent. Ecce frater te conuenio verbo. Quicquid agunt alii, sis memor ipsetui. Vilefcit mundus tibi.

plusquam tu mundo. Habens igitur tantæ calamitatis miseriam, cõsiderans attentius & cū propheta ingemiscens dicit, Iniquitatem meam annuncio, & cogitabo pro peccato meo, Quoniam in flagella paratus sum, & dolor meus contra me est semper. Et iterum dic cum apostolo qui febilem humanæ conditionis statum deplorat dicens, Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hæc salutifera apostoli sententia prudentem lectorem exigit. Adhuc in corpore apostolus vixit, qui tamen corpus mortuum nominavit: quia qui sapiens est, iam mortem ante oculos considerat, iam se mortuum reputat, cum se moriturum pro certo sciat.

De exitu animæ e corpore ergastulo in loca cruciatuum, deque demonum in eam insultu.

Caput VII.

AT tede ergo in illa terribili hora de qua loquor, misera peccatoris anima, quæ de mundo exitura es, quò exitura & itura es. Ad erunt mox ministri maligni illi maledicti diaboli, illi spiritus horribiles, & pessimi leones rugientes, vt rapiant prædam, scilicet tuam peccatricem animam miseram. Tunc subito horribilia patebunt loca pœnarum, chaos & caligo tenebrarum, horror miseriæ & tribulationis, terror & tremor angustia & confusio, terror horrendæ visionis, tremor tremendæ mansionis, vbi locus flentium, vbi stridor dentium, vbi morsus vermium, vbi clamor dolentium, vbi luctus gemetium, vbi est vox clamantium peccatorum dicentium, Væ, væ, væ nobis filiis Eue. Cumque hæc & his similia, immo millies plusquam dici potest peiora, de corpore egressura misera anima immo miserima, audierit, viderit, & senserit, qualis timor & quæ seui magnus terror & tremor erit in ea? Quæ lingua potest dicere, quis liber exponere? Quid tunc proderit scientiæ instantia, seculi pompa, mundi vanitas, terrenæ dignitatis cupiditas? Nunquid poterunt luxuriæ appetitus, cibus exquisitus, potus delicatus, vestis curiositas, calciamenti speciositas, carnis mollicies, ventris ingluuies, ciborum superfluitas, crapulæ ebrietas, domorum constructio, præbendarum acquisitio, diuitiarum aggregatio, omnia ista miseram animam hominis eripere de ore horrendi & horribilis leonis, & de maledicti fauce draconis? Hanc vtinam lectionem legat aliquis, & sapiat, & sanè intelligat, & in corde suo retineat, implicatus amore mundi & carnis, inebriatus & cæcatus, cui plus placet luxuriosi cadaueris venenosa volu-

ptas, quàm animæ suæ sanitas, qui plus studet circa Marcã quàm circa Marcum: cui etiam plus est de mundo quàm de Christo: cui plus de lege bouina, quàm de lege diuina. Legat igitur lectionem istam insipiens iste qui huiusmodi est, & speculetur in hoc speculo peccatoris speciem suam, consideret diligenter vnde veniat, & quid sit, & quò vadat. Perpendat in præmissis per quam semitam vehementer me-tuedam, per quod iter tenebrosum, per quas horrendas manus, misera eius anima trãstura est. O stulte peccator, quia ista considerare nescis siue præmeditari, quia ista præuidere negligis, ideo sapius inuadit te superbia, exagitat ira, excruciat malitia, vulnerat inuidia, inflammat luxuria, fatigat pigritia, ligat auaritia. Quoniam horrenda imminet tibi tormẽta prudenter non respicis, idcirco contumax, iniurius, obstinatus sæpe efficeris, piger & acediosus ad opus diuinum accedis, & illud negligenter agis & desidiosus. Quare? quia non præuides quò vadis. Vtinam ergo sapiens & intelligeres &c.

De iudice Christo tremendo, & dæmonum aspectu plurimum exhorrendo.

Caput VIII.

TRemedus est illius aspectus, vt dicit Leo papa, cui peruium est omne solidum, aptum omne secretum: cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, mens sine voce loquitur. Si ille serpens diabolus venenosus Satanus ausus fuit impetum facere in animam sanctissimam beatissimi Martini, qui erat gemma sacerdotum, quæ felicem animam presentibus angelis euntem in cælum curabat impedire, quomodo timendum est tibi peccatori, & trementer præmeditandum quàm horribiliter occurret animæ tuæ ille animarum hostis amarissimus? Eia frater charissime, præcogita, & nunquam à corde tuo recedat, quantum illa beatissimavirgo perpetua mater domini nostri Iesu Christi animæ suæ prouidebat, quæ vt legimus, filium suum exorauit vt maligni spiritus in suo trãitu nõ adessent. O si tanta & tam sancta & tam deo chara, immo charissima anima, visionem nephandorum spirituum dubitabat, quid faciet anima peccatrix? Quomodo stare poterit ad horrendum aspectum tremendi vultus eius, ad intolerabilem foetorem oris eius, ad flamas sulphureas oculorum eius? Certus esto quòd timor huius horrendæ bestiæ, omne genus tormetorum superat, plusquam in mundo hoc cogitari queat. Quod propheta pauidus expauescens ad orationem cõfugit dicens, Exaudi deus orationem

tionem meam cū deprecor, à timore inimici eripe aiam meam. Nõ dicit, à potestate, sed à timore. Quare ad insinuandum quàm magna sit pœna, quàm horribilis, & intolerabilis sit terror ipsius inimici. Heu heu frater mi, si talis & tantus tremor est animæ peccatrici ex solo Satanæ visu, quanta cõfusio, quãt us horror, quãta afflictio, quantave lamentatio erit eius tactus? O stulti filij hominum & vani, vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendaciam? Qui enim diligit vanitatem, odit animam suam, & odibiles sunt deo impius & impietas eius. Vnde psalmista: Nunquid qui oderunt te domine oderam, &c. Perfecit odio oderam illos. Altissimus omni odio odit peccatores, & miseretur pœnitentibus. Et quare tam horrendam tamque horribilem non circumpicis miseriam? Quare non proicitis superbiam? Quare non extinguitis auaritiam? Quare nõ contemnitis luxuriam? Quare mores vestros nõ corrigitis? Quare mandatum dei salutiferum eius cõsiliium negligenter auditis? Quare nõ sapitis & intelligitis, ac nouissima prouidetis?

De eo quod dominus dicit: Ego quoque in interitu vestro ridebo, quàm sit tremendum. Cap. IX.

Hinc est quòd dominus vos peccatores terribiliter alloquitur: Ego inquit in interitu vestro ridebo, & subfannabo cum vobis quod timebatis aduenerit. O quàm timenda est hæc dominica sententia? Vtinam lector saperet in palato cordis, & quòd eius veneranda sanctissimaque natura simplex, huiusmodi passiones siue iniurias non admittit. Cur ergo ab omnipotente deo peccatoribus dicitur: Ego in interitu vestro ridebo? Attede qui interrogas, quomodo tibi dicta debeat exponi sententia. Ego, inquit, in interitu vestro ridebo, id est, cum finis vester venerit, vos derisione dignos clamabo, & cum irruerit super vos illa repentina calamitas, subfannabo, id est cum mors amara vos momorderit, æterna subfannatione dignos vos damnabo. Audi tu peccator sententiam terribilem, quam si tu intelligeres, sine dubio expauesceres. Sed scripturas sacras negligenter legis, actus vitæ tuæ, mala quæ facis, peccata quæ committis, facta, dicta, & opera tua mala non sapienter respicis, velox ad mensam, tardus ad ecclesiã, potens ad potandum, sed æger ad psallendum,

peruigil ad fabulas, somnolentus ad vigiliã, paratus ad loquendum, sed tardus & mutus ad psalmodiandum, prõptus ad iram & detractiones, piger vero ad orationes. Inuidiã amator, Christi pauperum persecutor, festucam in alio oculo respiciens, sed trabem in oculo tuo non videns. Aliorum facta contemnens, sed tua non considerans nec deserens: ceteros reprehendis, te ipsum non corrigis: alios vituperas, & te ipsum collaudas: malitiã inuentor, disciplinã destrutor: amicus vitiorum, & hosti virtutum. Hæc sunt quæ hominem excæcant, & à deo separant. Hæc sunt quæ monachum faciunt dæmoniacum, conuersum faciunt peruersum, clericum hæreticũ, christianum antichristum. qui enim Christianus non est, antichristus est. Non est christianus, qui vita & moribus Christo est contrarius. Heu heu, vir insipiens non cognosceret, & stultus non intelligeret hæc. Et ideo sicut dicit idem propheta: Simul insipiens & stultus peribunt.

De differentia inter insipientem & stultum. Cap. X.

Sed quæ distantia est inter insipientem & stultum? Omnis stultus est insipiens, insipiens enim dicitur quasi non sapiens. Multi autem inveniuntur qui sapientes non sunt, & tamen stulti non sunt. Multi iusti non sunt, & tamen iniqui non sunt. Vis ergo noscere quis sit insipiens, & quis stultus? Insipiens est & qui se à gaudiis paradisi peregrinum esse non considerat, & qui se exulem in hoc exilio non attendit. Stultus est qui licet ista cognouerit, liberari tamẽ à mundi miseria per pœnitentiã meritum non intendit. Itẽ insipiens est qui non credit futura supplicia reproborum esse perpetua, & gaudia iustorum æterna. Stultus autem qui licet ista crediderit, tamen vt mortem perpetuam euaderet, & gloriam æternam caste viuendo, pieque conuersando acquireret, non intendit. Iusto ergo dei iudicio simul insipiens & stultus peribunt: quod tamen nõ fieret si saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Ecce frater mi, iam legisti, iam vidisti in hoc Speculo peccatoris, quid sapias, quid intelligas, quæ nouissima prouideas. Superest igitur vt diligenter discas, & in corde tuo firmes, vt sane sapias, recte intelligas, & vt nouissima tua prudenter prouideas, vt per hæc æternã damnationem euadas, & cum domino Iesu Christo vitam æternam possideas: quod nobis concedat, qui sine fine viuit & regnat. Amen.

Explicit Speculum peccatoris.

De Contemptu mundi per memoriam mortis summorum virorū, carmina ex Thesauro spirituali emendatius deprompta.



Aefar vbi, & Priamus, Troumque acerrimus Hector?
Et pius Aeneas? vbi nunc facū-
dus Vlyffes?
Et gemini Atridæ? Romanæ
vbi conditor vrbs

Romulus? & totum quāuis deuicerit orbem,
Augustus? tantoq; potens vbi robore Sanfon?
Dic vbi Sylla ferox, vbi Martis fulmen Achilles,
Formosaq; Paris facie, princepsq; Latini
Tullius eloquij? Sacrarum vbi gloria legum
Bartholus? & fuluo Craffus ditiffimus auro?
Nūc Salomonis vbi sapientia? nunc vbi clari
Scipio, Pompeius, Marius, Macedoq; triumphis?
Nunc vbi Pieridum splendor, vatumq; magister
Virgilius? Xerxēſve opibus populisq; superbus?

Francorū & reges, Martellus, Carolus ingens,
Carolus octauus, Burgundio Carolus, atq;
Ductores alij populis & Marte superbi?
Omnes p̄cipiti mors mēſſuit improba falce,
Et tulit in cineres, nullius territa mole.
Cūrnā igitur fallas & inaneis diligis auras?
Cur te letifera mundus dulcedine ludit?
Nonne vides noſtræ quā paruula tempora vitæ?
Et miſera in quantis verſetur vita periclis?
Eia age letiferas iam mundi deſpue pōpas,
Pelle theoninæ triſtiſſima crimina linguæ,
Linque venenatæ mortalia gaudia carnis,
Sperne voluptatem, factumq; atque oia frange.
Reſpue ſerpentis virus, diroſq; ſufurros,
Conſilia & luxus quicunq; in tartara trūdunt.
Sis memor ipſe tui fati iamiam properantis:
Nec pro te paſſi capiant te obliuia Chriſti.
Effuge terribiles Erebi ſine fine dolores,
Perpetuam quærens cæli in regione ſalutem.

F I N I S.

INDEX

Index.

INDEX OMNIVM

quæ memorabilia viſa ſunt in ſermonibus & tractatibus, quos operibus Thoma Capenſis adiecit.
A autem priorum charta paginā indicat, B poſteriore.



Abbas multorum fratrum non poteſt
quin moleſtus ſit nonnullis 27 b.
Abbas quis creari debeat 43 a.
Abnegatio propriæ voluntatis neceſſaria p̄gredi cupiētibus 78 b.
Abnegatio ſui inter inonita euangelica 81 b.

Abſtinentia mira ab omni cibo humano per viginti annos 32 a b.
Abſtinentia multum addit meriti 31 b.
Abſtinentiæ partes tres 77 b.
Actio gratiarum ob beneficia 68 a.
Adhortatio ad militiam ſpiritualem 3 b.
Adhortatio ad ſtudium & lectionem ſacrarum literarum 8 b.
Adhortatio ad amorem quietis 13 a.
Adhortatio ad ſenes & iuuenes 23 a.
Adhortatio ad meditantiam domini paſſionē 35 a.
Admonitio verè maſcula 44 a.
Affectibus ſeptē debem⁹ cōtinuè ferri in deū 76 b.
Agimus nihil neq; iuſtius neq; vtilius, quā quum deum diligimus 48 a.
Aduerſus irriſores bonorum operum 23 b.
Amābis deum, ſi repetes apud te, quantum pro te fecit & paſſus eſt 49 b.
Amor dei igni ſimilis 11 a.
Amor rectū facilius retinetur, quā recipiatur amiffus ibidem
Amor dei, ocioſum hominem eſſe nō ſinit 13 b.
Amor meus crucifixus eſt, vox. d. Ignatij 18 a.
Amor dei docet omnia 48 b.
Amor nihil aliud, q̄ dulcis ebrietas animi 49 a.
Amor dei ſpiritualib⁹ exercitiis vires colligit ibid.
Amore Chriſti nihil fortius 18 a.
Amoris diuini energia 48 b.
Amoris diuini exercitium neceſſarium p̄gredi cupiētibus 79 a.
Angelus homini quid præſtat 62 b.
Arma aduerſus hoſtes lōgè validiſſima, fides, charitas, humilitas, amor 3 a.
Aſcenſionis gradus nouem? 62 b.

C
in Capitulo duo neceſſaria fratribus 26 b.
in Capitulo quomodo ſe gerat monachus 68 b.
Capitulum locus expiatorius 26 b.
Caro caſtigetur 21 b.
Caſtitas præcipuè donum dei 45 a.
Caſtitas cum primis monachos decet 44 b.
Caſtitatem amas, ama & ieiunium 45 a.
Caſtitiſſima laus 44 b.
Caſtus quis 45 a.
Charitas 53 a.
Charitas fraternā monachorum 46 b.
Charitas vera nihil quod corrumpi queat, moratur 47 a.
Charitas vnum deum reſpicit 47 b.
Charitas hominis in deum 48 a.
Charitas meta eſt & finis totius vitæ regularis 58 b.

Charitas fraternā, p̄gredi cupiētibus neceſſaria 78 a b.
Charitatis vires 46 b.
Charitatis præſentis argumenta 53 b.
Cautela & circunſpectio in omnibus operibus habenda 69 b.
Chriſti imitatio neceſſaria p̄gredi cupiētibus 78 b.
Chriſtiani oēs martyriū debemus Chriſto 40 a.
Chriſtus, dux 3 a.
Chriſtus in ſcripturis ſacris noſcitur 9 a.
Chriſtus vnicū & ſingulare patiētē exemplū 37 a.
Chriſtus ſe viam dixit, vt eum ſequamur 41 a.
Ciborum penuria & vilitas multum facit ad temperantiæ & ſobrietatis virtutem 31 b.
Cibū minus quā mentē expendit dominus 31 a.
Cogitationes ex ſenſibus oriuntur 18 a.
Cogitationes malæ, naſcentes opprimendæ 19 b.
Cogitationum cuſtodia & origo 18 a.
Cognitio duplex homini neceſſaria ad ſalutē 10 a.
Colloquia inutilia pomis acerbis ſimilia 69 b.
Cōciliū Cōſtantiēſe reformari cœnobii aſſociuit 55 a.
Confefſio qualis ſit 30 a.
Confefſio, vt perfectā ſit, quid habeat 70 a.
Compunctio gratiæ quo ſtudio retinetur 65 a.
Conſcientia excutienda ante ſomnum 68 b.
Conſcientiæ ſerenitas 49 b.
Conſortium malorum fugiendum 22 b.
Conſuetudo mala duriffimum telum 19 b.
Conſuetudo malā quā grāue malū 19 b. & 63 b.
Cōteſtatio Io. Chryſoſtomi i initio tētationis 8 b.
Contritio quid, & quænam germana 30 a.
Continentia & caſtitas vera 44 b.
Cor hominis, mola eſt perpetuo mota 18 a.
Cor euacuetur amore creaturarum 78 a.
Corpus quomodo dirigatur 72 a.
Crucis ſignum quoties in via occurrit, gratiæ agantur 25 b.
Crucis ſignum quantæ virtutis 68 a.
Crucis Chriſti brachia quatuor 77 b.
Crux monachorum quæ. 22 a.

D
Deferri, nobis multum prodeſt, ſi Chriſtum amamus, ſiue iuſtē ſiue iniuſtē 27 b.
Deliciæ ſeruorum dei, quæ. 32 b.
Deuotiōis ſenſus quare viris piis ſubtrahitur 64 b.
Deus variis modis tentat & ſeruat homines 21 a.
Deus nobis toto animo amandus ob multa 62 a.
Deus nos quantum poteſt & debet, diligit 62 b.
Diſcretio 54 a.
Diuitiæ & cenſus ingens, cœnobiorū labes 14 a.
Diuorum in ordine d. Benedicti catalogus 56 b.
In eos qui Diuorum hiſtorias pro ludo & irreuenter habent 62 a.
Dolor magis timetur, quā voluptas diligat 50 b.
Dormiſſe ſeptem ad ſummum horas, ſatis. 36 a.

E
Eccleſiæ ſanctioes ſecundum euāgelium proximæ ſunt autoritatis 8 a.
Errare fatius quā contendere 74 a.
Error in conſcientia, vnde 50 a.
Euāgelij ſemper potior cura ac ratio habeatur, quā eorū quæ ſecūdū illud cōſtituta ſunt. 80 b.
Euāgelium, fundamentum omnium regularum eccleſiaſticarum 7 b.
Eunuchi qui felices 21 b.

Index

Exercitia spiritualia in solitudine & silentio quinque	13 a.	Impedimenta nouem in via dei	78 a.
Exercitia septē hominis seipsum agnoscentis.	77 a.	Impietatis progressus	26 a.
F			
Familiaritas cum quouis hominū vitanda	69 b.	In ingratos redemptori	35 a.
Felicitatis æternæ effigies	61 a.	In impatientes, sed iactabundos	37 b.
Ferendū leuiter, quū ob peccata deferimur	68 b.	In instabiles monachos	43 b.
Fidei præstantia	7 a.	In secus omnino se gerentes in cœnobiis, quā de causa illucierint & uouerint	38 b.
Fides saluans, quæ	6 b.	Infirmittatis ratio quomodo habenda	69 b.
Fides prima & origo omnium virtutum	52 b.	Institutum rectio ris vitæ	30 a.
Fides christiana, vna saluat	60 a.	Ioannes Baptista princeps monachorum	13 a.
extra Fidem Christi non est salus	28 a.	Ioannis Tritemij ardor ergo literas	10 a.
Fortitudo Christiana quid	54 a.	Iudicet christianus vel oia candidè, vel nihil	68 b.
Fridericus Bauarus Spanhemense monasterium repurgauit.	38 b.	Iudicij supremi imago semper i oculis habēda	60 b.
G			
Gehennæ inferorum forma	61 a. & 197 a.	Iudicium alterius vitandum	68 b.
Gestus exterior quis esse debeat	69 a.	Iustitia muniatur miles christianus, & q̄ ea fit.	7 b.
Gratia dei quibus de causis subtrahitur	64 a.	Iustitia monachorum quæ	ibidem
Gratia amissa quomodo recipitur	65 b.	Iustitia velut epitome quādā omniū virtutū	53 b.
Gratiæ spūalis cognitio quomodo habetur	63 a.	Iustitiæ siue charitatis gradus.	ibidem.
Gratiam dei à suggestionē diaboli discernendi ars	63 b.	L	
Gratiarum actio, quoties signum crucis occurret in via	25 b.	Labor monachorum manualis	14 a.
Gula quomodo frenanda.	72 a.	Lachrymarū fons ē diuersis venis scaturit	63 b.
H			
Hominis interioris & cordis puritas quomodo seruetur	67 a.	Lectiois modus	67 b.
Hominis vtriusq; in mēsa quæ ratio habēda	73 b.	Libidini qui sese semel permiserunt, non temere compunguntur	45 b.
Homo ad virtutem natus	61 b.	Libidinis æstus quomodo extinguas	ibidē
Homo nihil de se gloriatur	81 b.	Libido vincenda non pugna sed fuga	45 a. b.
Humilitas parendi nihil non obtinet	17 b.	Librorum scriptio opus monachis aptum	14 b.
Humilitas omnium virtutum neruus	25 a.	Librorū excudendorū ars Moguntia inuēta.	ibi.
Humilitas summa & præcipua virtus monachorum	40 a.	Lingua nostra, fornax est quotidiana	69 b.
Humilitas vera non quid adsit, sed quid desit sibi considerat	40 b.	Locutionū genera tria d. Benedictus dānat	19 a.
Humilitas vera quum faciat maxima, de se sentit humillima	ibidem	Loquendum modo.	69 a. b.
Humilitas passionis Christi, summa humilitatis nostræ occasio	41 a.	M	
Humilitas vbi sapientia	ibidem	Mali nihil in cælo, boni nihil in mundo habent	38 a.
Humilitas quā necessaria potissimum monacho	41 b.	Mala tolerata magis purgant, quā acta	21 a.
Humilitas obedientiæ mater	42 a.	Meditandus quomodo Iesus	68 a.
Humilitas & obedientia alæ duæ, quibus itur in cælum	42 b.	Meditatio mortis quā plena bonæ frugis	50 b.
Humilitas quanta virtus	53 b.	Meditatio sui quā necessaria	68 a.
Humilitas vna satanam profligat	63 a.	Mens illi vacet, quem oras	36 a.
Humilitas velut pyxis quædam, vel penus virtutum	64 a.	Mens in omni actione erigatur in deum	67 b.
Humilitas progredi volentibus necessaria	78 a.	Mentis puritas & eleuatio in deum, necessaria progredi cupientibus	78 b.
ad Humilitatem quæ res prouocent	40 b.	Miles christianus semper sibi timeat	6 a.
Humilitatis maxima commendatio	ibidem	Militia spiritualis monachorum describitur	3 a.
Humilitatis pugna cum superbia	41 b.	Militiæ spiritualis profectus	4 b.
Humilitatis veræ indicia quæ	56 b.	Misæ quomodo aduendæ	67 b.
Humilis obedientia & charitas, duo hæc nisi adsint, nihil prodest.	63 b.	Monachi etymon	3 a.
I			
Ieiunia quæ tandem salutaria	32 b.	Monachi bis dederunt nomina imperatori Christo	3 b.
Ieiunium in sacris literis cōmendatissimū	30 b.	Monachi scedifragi, nō monachi, sed irrisores	4 a.
Ieiunium monachorum quod optimū	ibidem	Monachi sacris ordinibus inaugurati, sanctitatem ampliorem debent.	5 a.
Ieiunium quadragesimale monachorum	33 a.	Monachi inutiles increpantur	5 b.
Ieiunium vicennale cuiusdā Nicolai Heluetij	32 a.	Monachi omnino aut felices aut infelices	11 b.
		Monachi Spanhemenses quā frugaliter victitarint olim	31 a.
		Monachi tota vita, quadragesimæ vita est	33 a.
		Monachi, seculi fabula	37 a.
		Monachi cuiusdam mansuetissima patientia	37 a.
		Monachi felices, bonum nacti abbatem	43 a.
		Monachis quā caute viuendum	52 b.
		Monacho bono nihil felicius	6 a.
		Monacho nihil sit neque amicitie neq; commercij cum secularibus	25 b.
		Monacho in primis vitandum ocium	33 b.
		Monachorum	

Alphabeticus.

Monacho viam salutis aggresso necessaria	59 a.	Ociositas vitetur	67 b.
Monachorum partes	3 a.	Ociosum verbum, quod	19 a.
Monachorum antiquorum ardor in labore manuum	14 b.	Ocium monacho in primis fugiendum	12 a.
Monachorum tot sunt in seculo iudices, quot spectatores	24 b.	Orandum sine intermissione	15 b.
aduersus Monachorum luxum	31 b.	Orandum quid & quomodo	16 b.
Monachorum præfecti quatenus præsentent sese humiles	57 a.	Orandum per virtutem crucis Christi	17 b.
Monachus quomodo imitetur Christum, saluberrima admonitio	5 a.	Oratiū vnanimis ad exauditionē necessaria	36 a.
in Monachos sacrarū literarū studiū reiciētes	9 b.	Orandi modus	67 b.
in Monachos seculariter viuētes	11 b.	Orare sine intermissione, est præcipuè monachorum	15 b.
in Monachos voluptarios	29 a.	Oratio potissimum est cordis	15 b.
Monachus sacras literas discat	10 b.	Oratio puræ mentis quā efficax	16 b.
Monach' ne differat tepori irrepēti occurrere	12 a.	Oratio non minus potens quā breuis aduersus omnem tentationem	17 a.
Monachus olim nemo sine labore manuum	14 a.	Oratio cum gratiarum actione post preces canonicas	13 b.
Monachus ceu animal mundum, semper sancti quidpiam ruminet	15 a.	Oratio quoties libido mentē pulsauerit	46 a.
Monachus exēplo secularium excitetur	ibidē	Oratio & lectio semper alternent	67 b. & 73 b.
Monachus semper orare spiritu tenetur	16 a.	Orationis alæ duæ	16 a.
Monachus peregrē missus quī se regat	24 b.	Orationis fructum duo impediunt	16 b.
Monachus, animo nūquam extra cœnobiū sit	ibi.	Orationis vbique maior ratio, quā lectiois habenda	67 b.
Monachus syncerus semper monachus, id est solus	24 b.	P	
Monachus auro similis	25 a.	Paradisus in synceris monasteriis	13 b.
Monachus scommatibus & dieteris secularium non moueatur	ibidem	Passionis dominicæ memoria quotidie facienda cum gratiarum actione	55 b.
Monachus probus nihil celat abbatem suum	26 a.	Pastoris & abbatis munus	4 b.
Monachus quotidie se melior fiat	29 b.	Patientia & mansuetudo	37 a.
Monachus præfecto suo per omnia morē gerat	34 a.	Patientiæ gradus tres	39 b.
Monachus saltem semel per diē reminiscatur passionis domini	34 b.	Paternæ sollicitudinis imago	23 a.
Monachus p̄fessionis suæ nūquā imemor sit	43 a.	Patrum antiquorum sanctitas refrixit, atque adeo perit in filiis	55 a.
Monachus diuturnus martyr	43 b.	Paupertas suadetur	70 b.
Monachus angelum d ei referat	54 b.	Paupertatis euangelicæ radices tres	77 b.
Monachus & si necessitate obediat, immensum tamen fructum refert	66 a.	Pauperē beatum non inopia, sed patientia & contemptus facit	4 a.
Monachus contendat ad perfectionem	67 a.	Pacis encomion	8 a.
Monastica vitæ puritas diuitias peperit, casidē excludit	14 a.	Pax euangelica quæ, & quomodo possideatur	8 a.
Monastica vitæ ordinatio quæ bona	54 b.	Peccata quotidie expiuntur	26 a.
Mortis meditatio frequens q̄ salubris	11 a. & 70 a.	Peccata publica abbati, priuata & occulta cōfessionario aperiantur	26 b.
Mortis præparatio continua sit	50 b.	Peccatum auertit à nobis gratia Dei	8 b.
Moritur quis securus	51 a.	Peccatum quemadmodum fugiendum	60 a.
Munditia cordis quid	70 b.	Peccati fugam quænam suadeant	ibid. b.
ad Munditiā cordis parandā quæ necessaria	ibidē	Perfectio citius attingitur auxiliō institutoris idonei, quā proprio conatu	72 a.
Mundus hic quædam fornax est iustis	20 b.	Perfectiones quindecim ne cessariq; spirituales	77 a.
Mundus quibus crucifixus.	67 a.	Perfectionis gradus	79 a.
N			
Natura contenta paucis	32 b.	Perseuerantia colophon omnium virtutum	54 a.
Necessaria nescire, turpe: non discere, turpius: contemnere, turpissimum	10 a.	Plebis peccata inutilem pastorem merentur	43 b.
Necessitas multiplex	66 b.	Pœnitentiā magis in patientia q̄ actione cōsistit	27 a.
Nicolai cuiusdam Heluetij mira abstinentia	32 a.	Pœnitentiā vera monachorum, quæ	28 b.
Nicolaus Cusanus vir doctiss.	55 a.	Pœnitentiā se nemo dicat non egere	29 b.
O			
Obedientia monachorum	42 a.	Pœnitentiæ veræ quatuor necessaria	30 a.
Obedientia nihil maius aut acceptius deo potest offerri	42 b.	Prædicandi modus	74 b.
Obedientia, monachi armatura	43 a.	Præfectus qualis esse debeat	34 a.
Obedientia & munditia cordis suadentur	70 b.	Pælatus circūspecti s. sit	27 a.
Obedientia seruanda	72 a.	Propositum sanctum quotidie renouetur	10 b.
Obedientiæ precium	42 b.	Proximo quales esse debemus	77 a.
Obsequendum omnibus quoad licet	67 b.	Prudentia christiana quid	53 b.
		Pugilibus christianis imitandi palæstritæ carnales	6 b.
		Purgatorium desiderare an liceat	28 a.
		Puillanimitas in conscientia vnde oritur.	50 a.

Quam ingens profectus ex perfecta sui cognitione 71 b.
 Quomodo omnibus peccatoribus vilior te & peiorem possis certo credere. ibidem.

Rationes & stimuli ad conandum semper & conscendendum ad altiora 78 b.
 Refectio quomodo sumenda 69 a.
 Regule discipulorum Christi 80 a.
 Regula incipientium, infirmorum & imperfectorum ibidem b.
 Regula perfectiorum 81 a.
 Regule monachorum vnde introducta 80 a.
 Regula vnam prescripsit omnibus dñs Iesus ibi.
 Remedia aduersus omnes tentationes ex consideratione futuri seculi 68 a.
 Remedia ad omnes euentus 69 b.
 Remedia aduersus aliquot tetationes spuales 74 b.
 Remedia optima aduersus diaboli laqueos 76 b.
 Repletio, fama perniciosior 31 a.
 Reuelationes & visiones nullo modo ambiende 74 b.
 Rifu & tristitia quando vtetur monachus 69 a.
 Rifu monacho omnino interdictus 19 a.
 Remedium aduersus vagationes animi 67 b.
 Remedium aduersus inconstantiam propositi boni. 70 a.

Sanctificare ieiunium quid 30 b.
 Satietas in victu semper vitanda 31 b.
 Satisfactio 30 a.
 Scala graduum ad perfectionem 79 a.
 Scurrilitas quid 19 a.
 Segnitias pestis monacho omniu nocetissima 36 b.
 Sensus mortificentur 78 a.
 Sermo index pectoris 22 b.
 Seruo Christi Christus vnus sufficit 4 a.
 Scriptura diuina quibus pateant 9 b.
 Singularitas fugienda 67 a.
 Sobrietas & abstinentia quod viriliter feruentur 73 a.
 Solitudinis & quietis amor 12 b.
 Solitudo vnde inducta 12 b.
 Somni & vigiliae quae ratio sit habenda 73 a.
 Somnus & vigilia monachorum 35 b.
 Somnus non minus obest quam cibus ibid.

aduersus Spem vitae longioris 51 b.
 Spes vitae longioris multos fallit 12 b.
 Spes quid 53 a.
 Spiritum dei habe, & omnia assequeris 17 a.
 Superbia & tumor animi quomodo retudat 67 a.
 Superbus quidam monachus faede lapsus 37 b.

Taciturnitas suadetur 70 b.
 Temperantia 54 a.
 Temporalibus quomodo & quatenus vacandū 77 a.
 Tentationi venienti occurrendum, idq; quō 50 b.
 Tentationibus quomodo resistendum 21 b.
 Tentationis certamen quotidianum 20 a.
 Tepiditas letalis monacho 11 b.
 Tepidus vim sibi inferat 11 b.
 Timendum semper 68 b.
 Timor spem non destituit 53 a.
 Tria in primis fugienda 77 b.
 Tria maxime amplectenda ibi.
 Tria nunquam non meditata ibi.
 Tritemii etiamnum adolescentis feruens erga bonas literas studium 10 a. & 52 a.

Veritas inter arma Christiani 7 a.
 Veritas monachis necessaria ibidem b.
 Veritas contraria vanitati 7 b.
 Verbum dei gladius spiritus 8 b.
 Via ducenti ad caelum quatuor necessaria 58 b.
 Vigilantia quos fructus adferat 36 b.
 Vir bonus nunquam solus 13 b.
 Virtutum quaedam series ac gradus ad regnum caelorum 52 b.
 Vita bona, bona oratio 17 b.
 Vita multorum etiam monachorum quam disideat à Christo 20 a.
 Via ardua, quae ducit ad vitam 58 b.
 Vixit satis diu, qui vixit bene 51 a.
 Vocatio nostri quantum beneficium 62 b.
 Voluntatis diuinae indoctus, inexcusabilis 10 a.
 Votum saluberrimum 49 a.
 Vox ad deuotionem facit. 67 b.

Indicis in addita ad opera Thomae Campensis, Finis.

VENE.

VENERABILI IN

Christo ac religiosissimo Patri Dionysio

DELESTRIO, COENOBI CAELESTINORUM nuper in Esclimontiani castri pomario adificati, Priori meritisissimo, Venerabilibus item patribus, Nicolao Gehenalto, Claudio Hennatio, Ioanni Calderonio, Francisco Audigerio, Petro Bergerio, Rolando Lafileo, Iuliano Lafileo, Nicolao Viuiano, omnibus è Marcusiaco monasterio illuc superiore mense ad cultus diuini munia euocatis, Frater Gabriel Putherbens salutem ac felicitatem in domino IESU.



Quod felix faustum fortunatumque sit, gaudeo Pater multis mihi nominibus obseruande, quod tandem Deo bene propitio, ac vberimè suppeditante omnia, munificentissima pietate reuerendi in Christo Patris ac domini, domini Stephani Poncherij Baionae Episcopi, in Esclimontiano illius praedio, castissimi vestri Caestinatorum instituti semina iam ieceritis, tu, caterique venerabiles Patres, è Marcusiaco primigenia vobis domo illuc ab eo decimo se-

xto Calendas mensis huius acciti. Vestrum erit posthac sic prestare vos viros sic intemeratae monastices sacris operari, sic indefesso syncerioris obseruantiae tenore ad ea quae perfecta sunt, contendere ac conari, vt neque super fennum lignum aut stipulam, neque super arenam adificasse se ille post vnquam audiat, aut exprobrare id genus quicquam queat vllum insequentium seculorum. Interea virum tantopere de vobis, de re Monastica, de Christianismo, de bonis omnibus meritum, bonorum & magnorum operu parratorem, necessitudines insuper eius & amicos omnes precibus, quod potestis, noctu diuque ex animo suffis ad dominum, iuuate, tutamini, seruate. Dignus est enim, cui hoc praestetis nam ecclesiam vobis adificauit. Pius spiritibus iam corpore solutis iusta soluite. In egenos & pauperes, quod supererit, erogate. Deum super inenarrabilibus virtutibus, donis & beneficiis eius, quibus genus nostrum ornare, dicam etiam onerare nunquam desinit, laudibus, eulogijs, hymnis, odis & canticis spiritalibus magno animo prosequimini. Ad hunc enim modum vocationi vestrae, simul & viri pietissimi votis & expectationi responderitis. Porro quod semper vestrae familiae ex animo bene volui, accipique ingenti cum gaudio consilia tanti viri de domo vobis noua inedificanda processisse, vnde non parum gloriae & laudi CHRISTI esset accessurum, animi mei latitiam aliquo xenolo testatam vobis volui. Accipite ergo charissimi in domino patres, & ea quae praecesserunt religiosissima optimi patris Thomae Campensis opera, & has Ioannis Tritemij Abbatis exhortationes & sermones, quos habuit ad Monachos puriorem amplexatos monachismum. Accipite & de disciplina monastica libellum nuper à nobis ex quatuor diui Bernardi tractatulis compositum. Diui item Vincentij ex

Prædicatorio ordine libellum de vita spirituali, miros feruoris spiritualis ignes spirantem. Addidimus ex quodam spectatissima pietatis patre impedimenta quæ sese ferè offerunt progredi volentibus ad Deum, & cum his gradus quoque quibus ascenditur ad perfectionem. In calce velut loco tragematum & bellariorum atrexiimus regulas duas discipulorum CHRISTI, quantum (sic Deus me amet) precii & momenti, sicuti vos quoque per ocium posthac facillè iudicaturi estis. Ad hæc duplicem indicem, & eundem locupletissimum, edidimus, & sicubi opus esset, in margine annotatiunculas, quæ euestigio prodant si quid scitu dignum sit. Hæc autem, qualiacunque sint, sub nominis vestri auspicio exire volui, non veluti mea (ipsa siquidem inscriptio satis indicat quorum sunt) sed veluti tum apud me ignotiora, tum vobis plurimum profutura. Qui si animum istum erga vos meum probatis, obsecro per misericordiam domini nostri IESU CHRISTI, ut nos precibus vestris apud Deum commendare dignemini. Dominus noster IESUS CHRISTUS noua semper spiritus sui accessione, corroboraret pectora vestra erga se, ac felicibus vestris cæptis aspires. Bene valete Patres, mihi, quotquot estis, ad vnum dilectissimi. Ex adibus nostris ad altas Erocas, Septimo Calendas Iulias, Anno reparata salutis supra millesimum quingentesimo quadragesimo octauo.

Episto-

EPISTOLA.



IOANNES Truemijs vocatus abbas Spanheimensis, reuerendo patri & præceptoris suo, domino Ioanni de Colenhausen, abbati monasterij sanctorum Marcellini & Petri martyrum in Selgēstat, quondam verò Spanheimensi, antecessori meo, reuerentiam & honorem.

Nescio, præceptor mihi semper venerande, sub quo sydere infortunato monasterium istud Spanheimense constet extructum, quòd abbas in eo moritur rarus, sed omnes penè tadio affecti, iam ferme ab annis septuaginta, sicut ex annalibus reperi, spontanea voluntate cesserunt. Tu etiam præcedentium exemplo, nos pauperes ante tempus quare deserueris, non penitus ignoramus, qui nostram & inopiam accusamus merito, & rebellem quorundam temeritatem. Experiò iam nunc, pro dolor, causam qua tuum impulit animum, ut Spanheimensem dimitteres abbatiam, sterilem penitus, & infructuosam, in qua tredecim à reformatione præsedisti annis, non sine animi sollicitudine continua, & laboribus infinitis. Transeo quas pertuleris fratrum iniurias plurimorum, quæ quidem super me quotidie omnia duplicantur. Librum Exhortationum mearum ad fratres, quem nuper inter furentes mundialium rerum occupationes lucubraui, ut paternitati tuæ trāsmitterem, præcepisti: qui etsi tua sit lectione indignus, nolui tamen obistere insioni parentis. Vnde precor mansuetudinem tuam, limam correctionis dignanter adhibeas, & si qua desunt, adicias, superflua rescindas, ineptaque vel tradas ignibus, vel certè componas. Vale dulcissime pater, memor nostri. Ex Spanhem, sexta die mensis Augusti, Anno Christianorum M. CCCC. LXXXV I.

AA ij

Tituli primi libri

EPISTOLA			
De militia spiritali monachorum.	Homilia i	fo.	ij
De profectu militiae spiritalis.	Homilia ij	fo.	iiij
Quae sit armatura militiae spiritalis.	Homilia iii.	fo.	vii.
De lectione & studio diuinarum scripturarū.	Homilia iiij.	fo.	viiij.
De quotidiana renouatione sancti propositi.	Homilia v.	fo.	x.
De amore quietis & solitudinis.	Homilia vi.	fo.	xii.
De labore monachorum manuali.	Homilia viij.	fo.	xiiij.
Quod sine intermissione sit orandum.	Homilia viij.	fo.	xv.
De custodia & origine cogitationum.	Homilia ix.	fo.	xviiij.
De quotidiano certamine tentationis.	Homilia x.	fo.	xx.
De fugiendo prauorum consortio.	Homilia xi.	fo.	xxi.
De monachis in viam directis.	Homilia xij.	fo.	xxiiii.
De quotidiana peccatorum expiatione.	Homilia xiiii.	fo.	xxvi.
De vera poenitentia monachorum.	Homilia xiiii.	fo.	xxviii.
De abstinentia & ieiunio monachorum.	Homilia xv.	fo.	xxx.
De quadragesimali ieiunio monachorum.	Homilia xvi.	fo.	xxxiiii.
De somno & vigilia monachorum.	Homilia xvii.	fo.	xxxv.
De patientia & mansuetudine.	Homilia xviii.	fo.	xxxvii.
De vera humilitate monachorum.	Homilia xix.	fo.	xl.
De monachorum obedientia vera.	Homilia xx.	fo.	xlj.
De continentia & vera castitate.	Homilia xxi.	fo.	xlviij.
De fraterna charitate monachorum.	Homilia xxii.	fo.	xlvi.
De charitate hominis in deum.	Homilia xxiii.	fo.	xlviij.
De serenitate conscientiae.	Homilia xxiiii.	fo.	xlx.
De ad mortem praeparatione continua.	Homilia xxv.	fo.	l.

Tituli secundi libri, qui proprie dicitur

SERMONVM.			
Epistola.		fo.	liij.
Quod caute sit monachis viuendum.	Sermo i.	ibidem.	
Quae sit ordinatio vitae monasticae bona.	Sermo ii.	fo.	liiiii.
Quae sint verae humilitatis indicia.	Sermo iii.	fo.	lvi.
De ardua via quae ducit ad vitam.	Sermo iiij.	fo.	lviii.
Quemadmodum sit fugiendum peccatum.	Sermo v.	fo.	lx.
De cognitione gratiae spiritalis.	Sermo vi.	fo.	lxxiii.
De nouem ascensionis gradibus.	Sermo vii.	fo.	lxxv.

Sermones

Sermones & Exhortationes ad Monachos

IOANNIS TRITEMII ABBATIS SPANHEI-
mensis, postea Herbipolensis: quorum sermonum duo sunt libri:
primus vocatur Homiliarum, secundus Sermonum.

IN NOMINE DOMINI NO-
stri Iesu Christi, incipit liber primus Ex-
hortationum ad monachos.

De militia spūali monachorū. Homilia. I.



Militia christia-
nae conuenit
fratres, & pra-
cipue mona-
chorū, variis
mundi huius
subiacere ca-
lumnitibus, &
sicut aurum in
fornace, cōti-
nuis exerceri

Monachorum
partes.

Monachi-
ty-
mon.

Monachi
co-
pus.

Matt. 7.

1. The. 4.

atq; probari tribulationibus. Monachorū est enim militiae christianorum communē normulam altiore modo viuendi transcendere, & non solum praecipis dominicis, sed etiam consiliis obedire. Monachorum est diuitias honores & omnes praesentis mundi voluptates pro dei amore penitus contemnere, & superatis carnalibus desideriis, soli deo iugiter vacare. Monachus namq; quasi solitarius ab unitate dicitur, qui etiam ipso nominis sui vocabulo ad contemptum seculi moneatur. Monachi proinde officium est secum in solitudine mundum & purificatum à vitis cōsistere, & Christū super omnia dulciter amare. Scopus enim monachorum ad quem regularis institutio dirigitur, Christus est, quem imitari quisquis recusat, nec monachus quidem nec christianus est. Vnde fratres mei sci re debemus, quoniam quisquis dominum & saluatorem nostrum in vera patientia & humilitate non sequitur, nihil ei prodest ad salutem quod christianus vel monachus nuncupatur. Ipse namque est qui in sacro euangelio dicit: Nō omnis qui dicit mihi Domine domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Quae autem sit dei voluntas, sanctus apostolus aperuit dicens: Haec est voluntas dei, sanctificatio vestra. Sed cū huius praecipitae nobis sanctificationis necessaria cōsummatio magna requirat in omnibus tolerantiam malorum & humilitatem, quoniam nemo sanctus viribus suis: oportet nos fratres mei continuā uocationis nostrae penes nosmetipsos habere

considerationem: vt nunquā ocio torpentes perniciosissimo, in agone militari ab hoste vincamur, qui tanquā leo rugies circuit quē-
rens incautū & languescentem animo, quem deuoret pereuntem. Milites enim sumus dei contra aduersariū triplicē pugnātes, carnem uidelicet mundum, & diabolū. Anceps bellū & nimis durum certamen, illum pati hostem quem natura dedit familiarē. Ar memus nos igitur fratres charissimi ornamentis virtutū: quoniam non facile ab aduersario vincitur, quisquis bonorum operum splendore decoratur. In primis munitamus nos fide cōstantissima sanctae ac indiuiduae trinitatis: cuius deuota & sincera mentis & oris cōfessio, cū-ctas dæmonū iniquas machinationes & fraudes procul eliminat, & maximū hostē deuincens prostermit, ac penitus eteruat. Arripiamus deinde nobis feruentissimā dei & proximi charitatē, quae dæmonibus super omnia est formidabilis, maxime si in vera humilitate christiana fuerit radicata. Non demus animae nostrae cōfidentia, quoniam beatus dicitur qui semper est pauidus: qui autem mentis est dura, corruet in malū. Ducē nostrū sequamur Christū, qui in euangelio dixit: Ego sum uia ueritas & uita, quia nemo uenit ad patrē nisi per me. Nunc ergo fratres attendite his quae in sanctis scripturis de saluatore nostro leguntur, quoniam qui dicit se in Christo hoc est uia ueritatis manere, studeat sicut ille abulauit & ipse ambulare. Oportuit autē illū primū pati opprobriū crucis & sic intrare in gloriā suā, quo moneremur & nos milites eius quauis indigni, quoniam oportet nos per multas tribulationes intrare in regnū dei. Idcirco dominus ipse rex uniuersorū nos admonuit in euangelio dicens: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suā quotidie, & sequatur me. Ecce Christus uia nobis ad uitā aeternā pponitur, qui cū esset dominus caelestiū & mūdanorū, p nobis exinaniuit semetipsum formā serui accipiēs, in qua uolūtariē nō coactus infirma nostra portauit, factus patri obediens usq; ad mortem: mortem autē crucis. Itaque si dominū totius uniuersitatis primū oportuit pati, fieri certe non potest, quin & nos imitatores eius iniquos & uilissimos peccatores oporteat multa pati, qui totum qd patimur, nostro merito iuste sustinemus. Nemo enim uenit ad gloriā supernae ci-

uitatis, nisi fuerit hic primum iustificatus à peccato. sed cum multe sint tribulationes iustorum, nequaquam iustus esse poterit, qui aduersa sustinere pro iustitia in hoc mundo recusat. Imitemur ergo fratres mei charissimi, in multa patientia & humilitate dominum & saluatorem nostrum Iesum Christum, qui homo factus pro nobis maxima voluntarie sustinuit, & in hoc mundo nunquam sine amaritudine persecutionis fuit. Ab hora enim sacratissimæ natiuitatis suæ usque ad exitum spiritus sui de corpore, semper in amaritudine presentis vitæ pro nobis patientissimus extitit, & futuræ passionis amaritudo præcognita nunquam ab eius præscientia recessit. Cum enim deus esset omnipotens homo factus pro nobis, omnia nouit, omnia sciuit, omnia præuidit, nec cum quicquam eorum quæ passurus erat latere potuit, qui ut pateretur in mundo passibilis factus, deus quod erat impassibilis permansit. Natus autem de virgine Maria sine virili commercio, ut legem consummaret, octauo mox die circumciditur, & qui nullum habuit peccatum, pro nostris reatibus vulneratur. A facie persequentis noctu puer in Aegyptum ducitur, & qui dominus erat omnium, pauper & egens in medio gentium incognitus septennio exulat. Denique cunctis vitæ suæ diebus in hoc mundo labores continuos patientissimè sustinuit, & nulla vnquam subire aduersa pro gloria patris recusauit. Omnia nanque dura & aspera voluntariè iustus & innocens pro nobis indignissimis passus est, morte nos amarissima crucis de interitu perpetuæ damnationis redemit, & in proprio sanguine nos patri misericorditer reconciliauit. Christo igitur passo pro nobis in carne, sicut princeps apostolorum præmonuit, eadem cogitatione fratres mei armemur: ut ea quæ pro nobis ille sustinuit, nos compatiens innocenti, ad memoriam sedulo reuocemus. Nam si compatimur, & conregnabimus gloriose triumphanti. Ecce Christus nos vocat quo præcessit ad gloriam, arma dat quibus ipse prius mundi principem superauit, præscripsit formam qua miles regem sequi debeat ad coronam. Ad cœli palatium Christus milites suos vocat, quos comitantibus donis virtutum pressuræ deducunt, præmiaque victores suscipiunt perpetuo regnatos. Vnde de militiam nostram fratres charissimi semper studiosissimè prosequentes, bellum vitis & concupiscentiis iugiter indicamus: ut quemadmodum caro militat aduersus spiritum, ita nos pugnemus assidue vigilantes in oratione & ieiunio contra incentorem

Psal. 31.

Luc. 2.

Matt. 2.

1. Petr. 4.

2. Tim. 2.

Adhortatio ad militiam spirituale.

Gala. 5.

vitiorum. Quamdiu enim viuimus in hoc mundo peregrinamur à domino, & quasi athletæ certamus in stadio, necessarium vitæ cursum in agone continuo peragentes. Pugnamus autem non viribus nostris, sed regis nostri miseratione suffulti, qui suis imitatoribus in sancto euangelio dixit: Sine me nihil potestis facere. Et ne pugnam militiæ nobis propositam ut impossibilem refugeremus alibi dixit: In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Et ut sciremus dominum Iesum seruulis suis in hoc mundo semper esse presentem, ita nobis in apostolis pollicetur, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Hac securitatis accepta pollicitatione o milites Christi fratres mei charissimi, cur hæsitamus? quare non fortiter stamus aduersum omnes huius insolentias mundi? Regem & protectorem nostrum pugnantibus nobis semper habemus presentem, & dimicare contra infirmum hostem, qui neminem superat nisi volentem, miseri formidamus? Accingite vos precor ad insuperabilem militiam Christi, quam estis duplici conditione professi, altera quando in fonte sacri baptismatis abrenunciantes satanæ, in verba christianæ institutionis iurastis: altera vero quando hoc indumentum monasticæ religionis solenniter induistis. Magna vos proficiendi necessitas constringit, si professionem vestram debita consideratione pensetis, quoniam ut mandata seruare debeatis euangelica, ratio nominis christiani præcipit: & ut monasticæ institutionis præcepta custodiatis, votum quod emisistis voluntariè, requirit. Non vobis iam sufficit ad salutem, ea complere præcepta, quæ christianis in communi proponuntur seruanda, nisi etiam diligentissime custodiatis instituta quæ promissistis monastica. Vouete, inquit scriptura, & reddite. Iterumque alia scriptura dicit: Si quid vouistis deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio, multoque melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. Et sanctus Augustinus quàm sit necessarium deo reddere promissa nos admonet dicens: Sunt quædam quæ etiam non vouetes domino debemus, & sunt quædam quæ nisi vouerimus, non debemus. Sed postquam ea domino promittimus, necessario reddere constringimur. At nunc fratres mei quid voueritis domino deo vestro, solerter quæso pendite, & sub qua necessitate redditionis promissorum sitis constituti, sedulo pensate. Vouistis enim deo

2. Cor. 5.

Ioan. 16.

Matt. 28.

Monachi bis affligi, bis de derunt mina in peratori Christo.

Psal. 77.

Eccles. 5.

Luc. 9.

Thre. 3.

vestro non homini obedientiam & conuersionem morum vestrorum secundum regulam sanctissimi legislatoris nostri Benedicti, & perpetuam in hoc religionis ordine stabilitatem. Obedientiam vero, quam deo promissistis, eius vicario homini debetis, quem vices Christi gerere in monasterio ex regula quam profiterini didicistis. Conuersio autem morum qualis debeat esse secundum regulam, in capite quarto de instrumentis bonorum operum prenotato plane conspiciatis, in quo totius perfectionis monasticæ summam paucis cõprehensam inuenitis. Enimvero quod faciendum circa nouitios diuus pater noster præcepit, omnes audiuitis, & in vnoquoque vestrum factum in exordio professionis suæ non ignoratis. Sic enim dicit: Suscipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum & obedientia, coram deo & sanctis eius, ut si aliquando aliter fecerit, à deo se damnandum sciat quem irridet. Considerate nunc itaque fratres sub quanta sitis necessitate cõstituti obseruantie regularis: quoniam nisi opere compleueritis quod in susceptione monachici habitus promissistis, non serui dei non amici, non monachi, sed irrisores coram omnipotenti domino eritis iudicandi. Semper ergo memores estote eorum quæ vobis regula præcipit, secundum quam instituere mores vestros promissistis, & laborate sicut veri milites Iesu Christi, assidue in timore domini vigilantes, quoniam sicut dicit scriptura, nisi vos constanter tenueritis in timore domini, cito subuertetur domus vestra. Attendite vocationem vestram, quia non ad ocium, non ad huius mundi voluptates neque ad carnis prosequendum desideria: sed potius ad laborem continuum, ad omnium deliciarum abstinentiam, & iugem carnis macerationem sub imagine crucifixi, ut portetis in cordibus vestris eius stigmata, dominus vos vocauit. Misistis iam certe manus vestras ad aratrum sanctæ agriculturæ cælestis, in qua vobis præcipitur continuo desudare labore, & non solum retro nunquam respicere, sed proficendo semper de virtute in virtutem ad supremæ culmæ perfectionis anhelare. Nihil enim aliud est monachum viuere, quam hominum declinare consortium, in solitudine soli deo per amoris feruentissimi desiderium actualiter placere. Hinc scriptura dicit: Bonum est viro cum portauerit iugum domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se supra se. Vnde si vultis esse perfecti vos qui perfectionem ex regulari insti-

tuto tenemini amare, à conuersione quam Christus docuit incipite, & qui iam pro eius amore contemnitis omnia, etiam vosmet ipsos vincere, superare & contemnere humiliter non negligatis. Seruus autem Christi nihil habet præter Christum, nihil amat, nihil curat, nihil querit nisi Christum, ut possit esse perfectus, & ei placere cuius militiam voluntariè est professus. Monachus autem qui aliquid habet præter Christum, non potest esse perfectus, quoniam verus amor non diuiditur, nec diuersis atque contrariis mens veraciter vnitur. Propterea dominus dicit: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veniens sequere me. Vos quidem amatissimi fratres iam ut confido reliquistis mundum & quicquid habuistis in mundo, nec solum res mundi omnes quas possedistis, & habere potuissetis: sed etiam desiderium omne deposuistis habendi, venistisque ad hoc diui præfulis Martini cœnobium in quo rerum temporalium paupertas est magna, & hoc solum est nobis diuitiarum loco donatum, avaritiæ causas non inuenire. Verum sicut poena martyrum non facit, sed causa, sic inopia beatum non efficit pauperem, sed voluntaria pro Christi amore in ipsa paupertate patientia. Non enim quoslibet dominus in euangelio pauperes prædicauit beatos atque regno donandos cælorum: sed pauperes spiritu prædicauit esse, ut nostis, duntaxat beatos. Contemptus nanque diuitiarum non sufficit ad salutem, nisi renunciator auri studeat etiam totis viribus per patientiam & humilitatem constanter imitari saluatorem. Facilius est enim contemnere mundum, quàm spernere & abnegare semetipsum. Attamen quicumque vult imitari filium dei, & perfectionem consequi euangelicam, oportet non solum mundi & rerum temporalium, sed sui quoque ipsius fieri contemptorem. Dicit nanque Saluator in sancto euangelio: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et ne putaremus hoc sufficere ad perfectionem: iterum de proprio contemptu protestatur apertius dicens: Si quis vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam qui autem perdidit animam suam propter me, & euangelium, saluam faciet eam. Christus factus est obediens patri usque ad mortem, quem si, ut promissistis, imitari volueritis, necessarium est fratres ut vosmet ipsos vobis abnegetis. Monachus enim

Seruus Christi vnus iustificat.

Matt. 19.

Pauperem beatum non inopia, sed patientia & contemptus facit.

Luc. 14.

Luc. 9.

Phil. 2.

esse non poterit, qui suæ voluntati propriæ nõ in toto prius renũciavit. Vos qui coram deo & sanctis eius omnibus promissistis secundum regulam monasticam vivere, propriam voluntatem non licet vobis deinceps usurpare, quoniam quod semel est deo consecratum, in humanos usus non est amplius reuocandum. Non enim vobismetipsis sed Christo regi militatis, vnde neque velle neque nolle in potestate vestra retinetis. Mortui nanque estis, vt facer Christophilus inquit, & vita vestra abscondita est cum Christo in deo. cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria: cum quo si gaudere sine fine cupitis, oportet vt nunc in tempore hoc pro eius amore strenue militetis. Nemo enim coronabitur cum Christo, nisi qui legitime certando perseverauerit vsque in finem, cum non possit vincere qui nescit perseverare.

Colof. 3.

2. Tim. 2.

De profectu militiæ spiritualis.
Homilia secunda.

Votienscunque fratres charissimi ad memoriam illius recordatio momenti venerit, quando reclamantem & renitentem me vobis indignũ constituitis abbatem, totiens amaritudine cordis mei totus in memetipso concutior, & lachrymas etiam inuitus & nolens fundere compellor. Noui enim quod meritis meis non sum vobis prelati: si autem vestris id factum sit, nescio: concedat omnipotens deus, vt demeritis non sit facta vel meis vestrisve hac ipsa de me ordinatio. Cur ita voluistis fratres? iuuenem me indoctum & nequaquam idoneum ad militiam quam profitemur, erexistis in duces, vt mihi docere simul & discere omnino iam sit necessarium, quando nec vitæ perfectio commendat doctrinam, nec ætatis consideratio necessariam pastori adhuc consequitur auctoritatem. In isto iam triennio factis experior quantis sum miseris inuolutus, dum omnium vestrum portare infirmitates solus ipse compellor, & à nemine infelix ego supportor. Quis me liberauerit de mundi huius vanitatibus, in quas reuocatus sum, qui vt omnem præsentis vitæ curam & sollicitudinem subterfugerem, monasterium intraui? Quoniam quidem vero necesse est onus portare humeris, meis impositum, vos precor fratres, sedulo manus adiutrices mihi orationum vestrarum porrigite, quatinus in medio vestrum domino largiente ita cõuersari merear, quò spiritualis militiæ conditio-

nam, quam regula nobis præcipit, non excedam. Eiusdem nanque militiæ sumus profectores, nec votum discernit officium, quo me pastorem cum omnibus professio solennis in exordio huius vitæ fecit obligatum. Vnde cum vobis loquor de spirituali militia, quam sumus deo miserante professi: intentio est mea, quantum dominus Iesus donare dignabitur, & meipsum de plerisque ignauitæ ac tepiditatis ad feruorem sanctæ nouitatis excutere, & vos omnes pro viribus ad custodiam militaris ordinis prouocare. Sumus enim fragiles & infirmi, nec diu stabiles in sancto proposito consistimus, nisi quotidianis exercitiis feruorem spiritus continue renouemus. Mei nanque ratione officij astringor vobis ea quæ ad salutem vestram vobis possunt conducere, in medium proponere: ad vos pertinet loquentem me vt pastorem animarum vestrarum patienter in omnibus audire. Quanuis enim ad docendum tantam multitudinem seniorum iuuenis non sum idoneus, quia tamen me vobis constituitis pastorem, compellor sub necessitate salutis gregem pascere quem suscepi gubernandum. Ego quod meum est libenter pro viribus & ago & agam, quandiu in hac sollicitudine curæ pastoralis vixero: senes vos iuuenis docebo, & quemadmodum illi militare debeatis in cuius arma iurastis, sine intermissione demonstrabo. Non enim me fugit horrenda legislatoris nostri, comminatio dicentis: Sciat abbas culpæ pastoris incumbere, quicquid in omnibus pater familias utilitatis minus potuerit inuenire. Et vos fratres mei concernit quod sequitur, si me prædicante & monente dei verbum contemptus oriatur. Tantum, inquit, iterum erit liber, vt si inquieto vel inobediens gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis eorum actibus vniuersa fuerit cura exhibita, pastor eorum in iudicio domini absolutus, dicat cum propheta domino: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et tunc demum inobediētibus curæ suæ ouibus, pœna sit eis præualens ipsa mors. Nullũ hic velamẽ excusationis relinquatur, subterfugendi locus non præstat sed periculum vtrarumq; partium publicè describitur. Ego nanque locũ tenens abbas, si non vobis annũciauero iustitiam dei, si peccantes vos nõ emendauero secundum regulam, officium meum negaui: & mihi totum imputabitur, quod minus in vobis sanctitatis inuenitur. Meũ est enim ratione pastoralis officij, quid

Pastoris
& abba-
tis mu-
nus.

Psal. 39.

VQ=

vobis ad salutem animarum vestrarum expediat, dicere: vestrum vero est ea quæ in nomine saluatoris pronunciauero, humiliter audire: & quantum vnusquisque præualeat, corde magno fideliter adimplere. Audistis periculum meum si non clamauero: audistis & vestrum si me vobis cõtempseritis verbum dei prædicantem. Vt autem miseratione saluatoris omnes euadamus securi: id studiose profequatur vnusquisque nostrum, quod sibi in hac militia spirituali præcipitur: summopere cauentes ne veritatis furdĩ auditores facti, domino mentiamur. Voti sedulo recordermur quod emisimus: & ordinem sanctũ quẽ profitemur, vsque ad mortem inuolabilem conseruemus. Audiamus regem nostrũ suis in euangelio militibus dicentem. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Ministri sumus regis æterni sacerdotes atque leuitæ, omnes monachi claustrales: duplicique ratione ad magnã obligati sanctitatem: quippe qui ordinem simul suscepimus clericorum: & monasticę puritatis regulam profitemur. Sequamur ergo præceptorem nostrũ cui militamus, per iter asperitatis omnium virtutũ: & armemus nos per fidem rectam: spem firmam: dei que ac proximi feruentissimam charitatem: in qua totius sanctitatis perfectio comprehenditur. Quisquis enim charitatis munimine cingitur: nunquã ab aduersario superatur. In charitate nanque veraciter Christi dulcescit militia: & eius feruor cum in corde militis ardere cõeperit, nulla metuit aduersa. Charitas enim, vt diuus Gregorius inquit, nunquam est ociosa: sed magna operatur si vera est: quod si operari renuit, perfecta charitas non fuit. Milites ergo claustrales qui vos æterno regi perpetuo seruituros spopõdistis, abiicite iam nunc opera tenebrarum: & induite charitatem dei & proximi, quæ est armatura salutis omnium fortissima: qua si quis indutus fuerit, nullos labores quantumlibet dueros, nulla huius mundi contraria formidabit. Non timebit famem: nõ sitim: non persecutiones hominũ: non opprobria: non irrisiones: non carceres: non vincula: non quęcumque dura & aduersa: sed omnis qui charitatem dei perfecte semel gustauerit, inuictus contra quęcumque mundi furentia permanebit. Dei verus amator in tribulationibus gaudet: in aduersis lætatur: in persecutionibus, propter iustitiã exultat. Regem sequitur suum in cœlis residentem: ibi mente conuersatur & animi desiderio: vbi suum regnare non dubitat saluatorem. Quicquid in mundo voluptatis & deliciarum viciam cernitur: seruo Christi

Ioan. 12.

Monachi
claustra-
lis ordi-
nis in-
augurati
sanctita-
tem am-
plio-
rem
debet,

in vera charitate feruescenti quasi vilissimũ sterus foetorem & horrorem generat, quoniam nihil terrenum, nihil transitorium, nihil caducum, sed illum cui se deuouit solum tota mentis intentione amat. Verus etenim Christi miles nihil de rebus mundi cogitat, non carnem, sed mentem curat, vt pote qui scriptum non ignorat. Nemo militans deo, implicat se negociis secularibus, vt illi placeat cui se probauit. Enimvero quicunque terreno militat imperatori, præceptis eius in cunctis semper obediunt, & statim quò iusserit ille, sine contradictione vadunt. Ducem sequuntur omnes vnũ, & quicquid ille regis nomĩne præceperit, nemo ex omni militia contradicit. Vos quoque milites regis seculorũ qui me vobis ducem eius vice ac præceptorẽ constituitis, mandatum imperatoris vestri Iesu Christi per os meum audite, & quod ille præcipit nobis in sancto euangelio, facite. Audite quid iubeat, & quemadmodum militare vos oporteat in obseruantia disciplinæ regularis cõsiderate. Qui mihi ministrat, inquit, me sequatur. Audi monache, claustralem portans militiam, attende. Dicit ad te Christus cui militas, te alloquitur cœlestis imperator, cui ad altare ministras. Si meus vis esse minister, virtutem patientiæ & humilitatis, quam ex me didicisti, oportet vt sequaris. Exemplũ enim dedi vobis, o milites mei, vt quemadmodum ego feci, & vos similiter faciatis. Charitas o monache me compulsi, vt ex virgine homo nascerer in mudo, ipsa te mei amore purum & humilem semper conseruet in claustro. Pater quod mihi præcepit opus humanę salutis, tui causa studui semper indefinẽti meditatione perficere: & tu si me diligis, sanctũ monasticę conuersationis propositum quod assumpsisti, pro peccatis tuis vsque ad mortem cura inuiolatum conseruare. Ego patri meo cœlesti semper in cunctis voluntarie vsque ad mortem crucis, amarissimam subiectus & obediens extiti: tu quoque si venire ad me volueris, abbati tuo loco mei constituto, in omnibus semper iuxta regulam humiliter obedi. Ego mandatum quod dedit mihi pater meus, nunquam in aliquo sum transgressus, & tu nisi tria principalia monasticę institutionis vota vsque ad mortem inuolata seruaueris, inter ministros meos & milites nequaquam es numerandus. Ego cum essem diues, propter salutem tuam factus sum pauper & egenus: tu vero nisi amore mei contempseris & dimiseris omnia, meus non poteris esse discipulus. In opiam, famem, sitim, frigus, & continuos in mundo labores tui causa sustinui: in quibus nisi me secundũ regulam tuam

2. Tim. 2.

Ioan. 12.

Ioan. 13.

Christũ
quomodo
imite-
tur mo-
nachus
saluber-
rima ad-
monitio

Lu. 2.1.

pro viribus patienter ac voluntarie secutus fueris, meus certe nec minister nec miles nec monachus eris. In patientia enim tua possidebis animam tuam. Ego in hoc mundo nihil concupiui, nihil habui, nihil terrenum amaui, sed pauper humilis & mansuetus incedens, me paternę voluntati perfectissime semper in omnibus susceptibile iniuriarum & verberum subieci. Tu autem o monache claustralis, qui monasticę regulę profiteris sub abbate vel priore, si iam deinceps carnis tuę concupiscentias fueris secutus, si peculium aut proprium in monasterio possideris, si preter me aliquid amaaueris, si preceptoris tui mandata contempseris, si mihi nõ perseueranter in humilitate militaueris, sciens scito quoniam non militem te habebõ, non monachum, nõ ministrum, non discipulum computabo, sed profugum, apostatam, perfidum, mendacem, irrisorem & periurum infidelem te iudicans, cum traditore meo Iuda, & recidentibus angelis in eternum sicut meruisti sine misericordia condemnabo. Quod mihi vouerunt labia tua, non amplius est tuum sed meum. si vero quod meum est tibi usurpaaueris, non monachus & seruus meus vis esse fidelis, sed fur & latro peruersus, impius & iniustus, talem quoque te cum venero nihil dubites iudicabo. Si autem in sancto proposito vsque ad mortem fideliter perseueraueris, si voluntatem quam mihi consecrasti solenniter, sub potestate vicarij mei, quem tibi constitui pastorem, inuiolatam custodieris, si obedientiam, paupertatem & castitatem cum humilitate pro amore nominis mei vsque in finem obseruaueris, si mihi soli complacere in omnibus actionibus tuis semper studueris, si me per arduum iter virtutum sine intermissione sequi curaueris, sciens indubitanter certissime scito, quoniam vt amicum ex seruo te factum charissimum, te habebõ militem mecum in regno meo coronandũ, te amabo, te diligam, te in medio sanctorum meorum in eternum constituam gloriosum. Audi me nũc serue meus: qui propter nominis mei reuerentiam & honorem te militie inscripsisti monachorum, & corde magno atque perfecto sequere vestigia pedum meorum, sicut preceptor ille tuus quondam Benedictus amicus meus te docuit, & totis conatibus imitatus fuit. Non te decipiant illecebre carnis o strenue miles: non seducant animum tuum mihi dicatum, vana & perniciosa huius commercia mundi: nunquam cedas immundi spiritus nimium dolosis suggestionibus, qui rotus in tui pernicię debacchatur, sed memento tuum in hoc seculo breuif-

simũ esse incolatum, & ante fores mortem astare, quam subterfugere nemo vnquam potuit mortalium. Semper in memoria consistant tua illa quę necessario subibis nouissima, & ex velocissimo trãitu earum voluptatum carnis quę preterierũt: & futurarũ poenarũ cogitatione, huius incolatus horrore tibi necessariũ assumito & cõtemptrũ. Quę admodũ pro me labor breuis in mundo habitus eũ paciẽtia & charitate, foelicitatẽ militib⁹ meis eternam preparat, ita carnis desideria & voluptates quę subito transeunt, animam hominis peccatoris ad inferos demergunt sine fine cruciandam. Ad me igitur sint omnia desideria tua monache qui mihi ministras & qui per arduum iter obseruatie regularis me sequeris, prebe mihi cor tuum, si foelicitatem desideras: me solum quęrito, si vitam & salutem propriam amas. Me cum amaaueris tranquillus & sanctus es, cum secutus fueris beatus es, & sine fine gloriosus. Quid fratres mei faceretis si vos contingeret hæc verba, quę diximus nos, ex ore saluatoris & regis nostri audire loquentis? Quid inquam ageretis? Credo certe magnam in cordibus vestris compunctionem futuram, si Christum personaliter audiretis loquentem. Nos autem vicẽ Christi in monasterio gerentes, loquimur sermones quos ille donauit, & non attenditis: contestamur vobis necessariam salutis palestra, & signa cõpunctionis nulla exhibetis. Quid causę fuerit vt ista dicerem, si nescitis, iam precor intelligite. Video quosdam e vobis sacras abhorre lectiones vanitatibus deditos, & nihil minus curare quã spirituales militie perfectionem, quorum deus venter est, & gloria in confusione. Existimatis ne vilissimi nebulones, qui nihil spirituale sapitis, quod Christus iterum de cælo venturus sit, vt ea vobis loquatur, quę predicatorib⁹ suis dicenda commisit? An Paulum non audiuitis dicentem, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autẽ viuuit, viuuit deo? Semel Christus in terra visus est, semel inter mortales visibilis apparuit: semel viam salutis eternę predicauit, secundo non adiiçiet. Constituit pastores & vicarios super familiã suam qui doceant ignorantẽs, quorum volens manifestare auctoritatem, in euangelio dixit, Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Eos igitur audite quos Christus vobis prefecit rectores, quibus tritici spiritualis dispensationẽ comisit, sicut in sancto euangelio dixit, Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam

Incepit ad istos monachos.

Rom. 6.

Lu. 10.

Lu. 16.

familiam

1. Theof. 5.

2. Pet. 3. 1.

Monacho bono non nihil foelici⁹.

miliam suam, vt det illis in tẽpore tritici mesuram? Beatus ille seruus: quem cum venerit dominus, inuenerit ita facientem. Exhortamur vos itaque fratres in domino Iesu, & qua possimus sedulitate rogamus, ne dies vestros in vanitate consumatis, sed considerate huius vitę nimiam breuitatem, & facite condignos poenitentię fructus, dum vobis opportunẽ cõceditur, ne si poenitere neglexeritis, tẽpus amputetur. Scitis enim quid scriptura nobis dicat diuina. Dies domini sicut fur in nocte sic veniet. Cauete precor differre bonum, quia nemo scit vestrum, quando sit moriturus: quin potius verum illud poetę lasciuĩ Nasonis attendite ira monentis. Sed propera, nec te venturas differ in horas. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Nemo vitam sibi fratres promittat longam, sed vnusquisque mortem cogitet porius instare vicina: ideoque sic viuat paratus, tanquã crastino die de corpore migratur⁹. Spes enim vitę longioris multos decepit, & à seruore sancti propositi retardã, subito ad inferos demersit. Militia igitur vestram, quã non post multum necessario finietur, ita perficite, vt non timeatis coram rege vestro, cum venerit, apparere. Memores semper estote, quia non habetis hic manentem ciuitatem, neque in hac vita mortali diu potestis consistere, sed mors cito veniet, quã vos cõpelleret emigrare. Quicumque enim verus est monachus, & miles Christi desiderat esse fidelis, omnia huius mundi oblectamenta contemnit, presentem sibi dominum suum semper cogitat, & abiectis à se impedimentis sarcinulisque omnibus, quemadmodum illi valeat complacere super omnia curat. In conquirendis vitę necessariis non debet esse sollicitus, cum hæc omnia subiectis disponat prouidentia pastoris. Omnis cura monachi sit mundum se custodire ab hoc seculo, vt liber & absolutus ab omnibus, nihil quærat nisi deum, nihil cogitet nisi Iesum pro nobis crucifixum. O felix Christi miles cui regna promittuntur cælorum, si fidelis prudens ac vigilans in dei amore vsque ad finem permanserit. Nihil certe bono monacho foelicius: cui se dei filius pollicetur in præmium. nihil etiam laboriosius: qui constitutus in agone certaminis quotidie de sua periclitatur salute. & nihil monacho fortius, qui vincit mundum simul atque diabolum. nihil quoque imbecillius eo, qui à carne propria superatur. Semper igitur tibi o monache contra occultum hostem salutis tuę vigilandum est: qui nunquam facilius vincitur, quã si procul ab introitu mentis arceatur. Vnde si contra eum victor cupis euadere, nõ

patiaris tibi machinas doli ac fraudis illius propius admoueri. Custodi sensus in primis tuos, ne mors per fenestras ingrediatur: & hostis tunc maxime caueto insidias, cum te ad tempus in tua deuotione permiserit esse securum. Admonitionis nunquam obliuiscaris viri sapientis, qui dicit, Si non in timore domini tenueris te instãter: cito subuertitur domus tua, id est conscientia. Idcirco Salomon in prouerbis dixit: Beatus homo qui semper est pauidus: qui vero mentis est durus, corruet in malum. Mox enim vt monachus de securitate præsumpserit, iam sine dubio ad interitum tendit. Oportet ergo militem Christi contra suos aduersarios semper esse paratum vt quamdiu viuuit in hoc mortali corpore, non se confidat illos perfecte superasse. Semper enim caro concupiscit aduersus spiritũ, & nequando superetur animus, quamdiu cõtingit viuere, necessarium est pugnare. Quotiescunque hostem tuum inuisibilem videris, iterum semper insurgens cum maiore fauicia tibi congregitur, vt qui fortitudine non potest obtinere victoriam, absiditate saltem inducat desperationem. Tu autẽ Christi miles fortissime caueto ne in agone huius breuissimi certaminis deficias, caue ne ante cõpletum in fine prælium, arma necessarij muniminis deponas. Dicit enim saluator: Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Nõ des requiem animę tuę quamdiu tibi fuerit concessum in hac miserabili peregrinatione morari, sed semper aliquid boni facito, ne vnquam diabolus inueniat te ociosum. Memeto semper admonitionis scripturę dicentis: Quodcunque potest manus tuã instanter operare: quia nec opus nec ratio nec sapientiã nec scientiã erunt apud inferos, quò tu properas. Nemo est enim qui semper viuat: sed omnes morimur, & sicut aquę in terram delabimur, quã amplius ad priorem statum nõ reuertetur. Tunc nõ erit amplius tempus operandi bonum ad meritum foelicitatis eternę, sed quęcunque hic nunc in tempore seminauerit homo tunc promercede recipiet. Idcirco iterum sancta dicit scriptura, Mane femina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua. Et sanctus Paulus Timotheum admonens dicit: Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo autem militans deo implicat se negociis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nam & eorum qui certant in agone, nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit. Omnis autem qui in agone contendit: ab omnibus se abstinet. In alio quoque loco idẽ Christophilus ait: Volo vos sine sollicitudine esse. Tu ergo Christi miles, qui contendis

Miles Christi nis semper sibi timeat. Hiere. 9. Ecc. 2. 7.

Prou. 2.

Mat. 10.

Eccl. 9.

2. Re. 1. 4.

Gala 6.

Eccl. 12.

2. Tim. 2.

1. Cor. 7.

Pugilib⁹
Christia
nis imitã
di pala-
strite
carnales

in agone certaminis quotidiani, vt corã deo tuo tandem in æternum appareas gloriosus, gymnosophistam imitare corruptibilem, qui decerrans in agone, pro corruptibili quidem corona ne vincatur, ab omnibus se abstinet vt nudus & liber expeditus currat. Itaque si viam dei ambulare in vera puritate desideras, si vincere hostem in agone certaminis optas, proiice abs te omnia vestimenta curarũ terrestrium, capillõsque depone omnes carnalium voluptatum. Quisquis enim capillis & vestimentis à se proiectis nudus currere dicit, nihil præter absolutum corpus, quo teneri queat ab aduersario, circumducit. Nam qui nudus currit, omni se sollicitudine spoliavit rerum circumstrepentium, & nihil aliud quàm victoriam cogitat, nec quid interim penes vxorem geratur aut filios curat. Non eum reuocat à cursu quicquam præsentium, nõ deterret agilitas sociorũ, inter multos contendit quasi solus, ad præmium festinat anhelãs quasi certus. Hunc imitare Christi miles in spiritali certamine, nudus in cruce pendente saluatorem nudum contemplare, quatinus tãto facilius aduersariũ queas prosternere, quanto minus de mundi vanitatibus te viderit habere. Nudus itaque leuis & expeditus ex omni parte dimica, nudus & absolutus ab omnibus in cælum vola. Nudus in hunc mundum venisti, nudus in terram reuersurus es. Hęc fratres mei sedulo cogitantes sic currite, vt vitam comprehendatis æternam cum omnibus sanctis. Amen.

Quæ sit armatura militiæ spiritualis.
Homilia III.



Eph. 6.

Anticum apostolum fratres charissimi hodie audiuimus ad Ephesios in epistola scribentẽ. Induite vos armaturam dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniã nõ est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum: cõtra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite armaturam dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Quæ autẽ sit armatura dei subiungit. Stante ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitiæ, & calciati pedes in præparationem euangelij pacis. In omnibus fumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeã salutis assumite, & gladiũ spiritus, quod est ver-

buth dei: per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis. Ad Thessalonicenses quoque similiter ait: Nos autem qui diei sumus, sobrij sumus, induti lorica fidei & charitatis: & galeam spem salutis. Hęc sunt arma fratres, quibus induti milites Christi sequuntur debellant aduersarium. Hęc sunt monachorum insignia virtutũ: sine quibus victoriam nemo cõsequitur vitorum. Militiæ huic manẽ, quam plerique nimis studiose sectantur mortales, instrumenta sunt, galea, scutum, thorax, gladius, pugio, lorica, baltheus, lancea, & cetera id genus multa, quibus curiosissime armanur ad bellum processuri homines: & nisi quam diligentissime in toto fuerint corpore muniti, ad præliandum certe minus iudicatur idonei. Spirituales autẽ militianostrę arma sunt fides, spes, charitas, paciẽtia, humilitas, obedientia, castitas, simul cum sanctis animæ virtutibus per diuum præceptorem nostrum Benedictum enumeratis in regula sub capite quarto, vbi de instrumentis bonorum operum pulchram facit mentionem. Et vtinã fratres mei tam essemus curiosi & diligentes pro his militiæ nostrę armis spiritalibus, quàm homines mundanos pro eorũ corruptibili armaturavidemus esse sollicitos. Nunc autem, quod nimis dolẽter dico, quoniã arma salutis quibus debellare omnes aduersarios nostros debueramus, turpiter abiicimus, quid restat aliud nisi vt hosti nostro in certamine succumbamus? Sed forsã dicitis, Si fides Christiana, sicut apostolus testatur, ad armaturam spiritalis militiæ pertinet, eam certe nunquam abiicimus. Credimus enim firmiter, quicquid nobis credendum sancta mater ecclesia proposuit, & in ea fidei professione vsque ad mortem constanter intendimus permanere. Sed esto, quid autem dicit sanctus Iacobus in epistola? Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eũ? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita fides sine operibus mortua est. Quoties igitur cunq; de fide scriptura loquitur, non vulgaris & mortua, sed bonis operibus formata, atq; diuini amoris dulcedine illustrata semper oportet intelligatur. Nemo enim saluabitur per fidem tantum, sicut Iacobus dicit in epistola, sed oportet fidei coniungere christianę opera pietatis. Vos creditis in vnum deum omnipotentem, creatorem cæli & terrę, patrem & filiũ & spiritum sanctum? Bene facitis. Et demones credunt & contremiscunt. Quid enim? Vbi

Ioan. 1.4.

Hebr. 11.

Ioan. 5.

Petr. 5.

Par. 20.

Ecl. 2.

Iaco. 2.

Fidei p-
stantia.

Vbi sunt opera, per quæ fides vestra declaratur in Christo formata? Ociosa & mortua est fides, quæ sanctis & necessariis non commendatur operibus. In Christum credimus, bene est si Christi sequamur exempla. Nam si Christum pietatis operibus non sequimur, frustra nobis de sola fide blandimur. Vos in quã creditis, & demones credunt. Cum dilectione fides est christiani, sine dilectione fides diaboli. Recte creditis, si deum ex toto corde pro viribus amatis. Si autem vere deum non diligitis, fidem ociosam & mortuam habetis. Probatio autem dilectionis, sancto Gregorio testante, exhibitio est operis. Sic enim loquitur in euangelio seruabit. Hęc ergo est fides vera, bonis & sanctis operibus secundũ Christi doctrinam ordinata. Si fide simul & opere in dominum Iesum creditis, certe scutum salutis in manibus tenetis, in quo eanctos aduersarios ipso largiente domino facile superabitis. De hac armatura scriptum est: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt reprobationem. Ioannes quoq; ait: Omne quod natum est ex deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Et princeps apostolorum Petrus ita nos commonet dicens: Fratres sobrij estote & vigilate, quoniam aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Vera fides & confidentia in dominum nostrum Iesum Christum est armatura inuincibilis atque fortissima: cui nemo vnquam aduersariorum potuit resistere, sicut in libro Paralipomenon scribitur: Dixit rex Iosaphat exercitui suo: Credite in domino deo vestro, & securi eritis. In Ecclesiastico etiã sic legimus: Qui timetis dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra. Et iterum. In opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hæc est enim conuersatio mandatorum. Qui credit deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minoratus erit. Curate nunc igitur fratres charissimi & summo studio semper elaborate vt scutum hoc fidei sanctis operibus formatę contra omnes hostium vestrorum incursum manibus portetis: quia nunquã ab aduersario vincitur, qui hoc scuto inexpugnabili munitur. Hoc diuus confirmans Augustinus de verbis domini ait: Nullæ maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior est substantia, quàm est fides catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, poenitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat,

virgines & viduas & coniugales casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, credentes in hereditate æterna cum sanctis angelis locat. Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species, & tamen quicquid est in arbore pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit: sic ex fidei humilitate quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima susceptura est, totum ex fidei fundamento procedit. Nam sicut apostolus dicit: Quicquid siue omne quod nõ est ex fide, peccatum est, quoniam sine fide impossibile est placere deo. Credere enim oportet accedentem ad deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Quanto autẽ quisque plus diligit, tanto in fide amplius proficit. Nam fides sine charitate, est sicut proiectum inutile, ac sine retinaculo scutum. O thesaurus omnibus opulentior fides, quæ formata in mente hominis mortalem immortalibus comparas, demones vincis, & regna cunctaque dura superas fortiter & aduersa. Fides est fundamentum omnium virtutum, sine qua nullum spirituale subsistit ædificium. Fides illuminatrix est mentium, & principale spiritalis militiæ instrumentum. Nam sine fidei scuto diabolus non vincitur, nec lasciuæ carnis impetus superatur. Cogitemus ergo fratres quàm necessaria sit nobis fides per charitatem formata ad salutem, sine qua in hac militia nobis certantibus neque victoria conceditur, neque cõfidentia reseruat. Fides enim est scutum in quo facillimẽ hostem salutis nostrę vincimus, si ansam diuini amoris adiungamus. Dicit nanque beatus papa Gregorius: Tũc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus adimplemus. In hac armatura fides cum sit fundamentum omnium bonorum operum, cunctas operationes nostras iure debet præcedere, vt mens ad amorem valeat peruenire. Nisi enim fides prius teneatur, nullatenus ad spiritualem amorem pertingitur. Non enim charitas fidem, sed fides præcedit charitatem, quia nemo potest diligere vel sperare, quod bonũ renuit credere. Quoniam vero iam quod etiam iubet fideliter creditis, fundamentum spiritalis ædificij super firmam petram collocastis: nunc oportet vt etiam reliqua ad perfectionem restantia sine mora faciatis. Pacem igitur & veritatem diligite, quatinus in fide Christi vt veri milites possitis omni tempore stabiles & firmissimi permanere. Nam sicut scriptura testatur, veritas magna est, & fortior præ omnibus, nec est cum ea quicquam iniquum. Qui veritatem diligit, verus Christi discipulus est, ipsumque amat Christum in euangelio dicentem:

Rom 14.

Hebr. 12.

1. Ecl. 3.

Veritas inter arma christiani

Ioan. 14. Pſal. 24.

Veritas monachis neceſſaria.

Veritas cõſtraria vanitati.

Iuſtitia munia- tur mi- les chri- ſtianus. Et quæ ca ſit.

Sap. 7.

Luc. 6.

Ego ſum via, veritas & vita. Vniuerſa quoque via domini miſericordia & veritas: à quo ſatanas per ſuperbiam cecidit, quoniam in veritate ſempiterna non permansit. Iubet ergo ſanctus Chriſtophilus Paulus milites domini in veritate ſe præcingere: in quo ſtatum perfectionis, ad quem anhelare maxime debent clauſtrales, voluit demonſtrare. Quidnã aliud eſt veritatem diligere, quàm eſſe hominem id quod eſſe iubetur: & ita viuere ad normam iuſtitia, verum & ſolidum, qualem naturæ per gratiam ſancta perfectio requirit. Hinc Firmianus Lactãtius inquit: Qui veritati ſtudet, abiciat inimicas illi & anxias voluptates, quæ animum ſibi vinciunt, & liberum eſſe nõ permittunt. Semper autem præferat vera falſis, æterna breuibus, vtilia incundis. Nihil aſpectui gratũ ſit, niſi quod iuſte, quod pie, quod religioſe fieri poſſit: nihil auditui ſuaue, niſi quod animam reddit meliorem. Milites itaque lumbos in veritate habent præcinctos, quando carnis illecebris & mundi vanitatibus pro dei amore cõtempſis, ita ſtudent pro viribus conuerſari & viuere, quatinus ſummæ veritati, quæ deus eſt, valeant in omnibus complacere. Poſt hæc miles Chriſti lorica iuſtitia iubetur induere, ſine qua nemo recte ac fruſtuofe poterit domino militare. Iuſtitia vero eſt ſeruare & diſtribuere vnicuique quod ſibi ſecundum legem vel naturam debetur. Et hæc eſt omnium virtutum præclariffima, ſine qua nulla poteſt eſſe pietas, nulla religio, nulla ſanctitas, nullaque bonorum malorumve diſcretio. Ipla enim eſt lux & ſplendor magnus, ex qua totius boni conſurgit inter mortales vis atque dominatio. Iuſtitia mater innocentia, concordia nutrix, parens amicitia, pietatis genitrix, & ſeruatrix religionis. Iuſtitia, ſicut teſtatur ſcriptura, perpetua eſt & immortalis: iniuſtitia autẽ mortis eſt acquiſitio. Quibus vero modis hanc iuſtitia lorica christianus miles debeat induere, ipſe ſaluator noſter in ſancto euãgelio denunciat dicens: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Itaque fratres mei hũc viuendi modum in monaſterio ſeruare, vt vnusquisque commilitoni ſuo faciat in omnibus quemadmodum ſibi ab aliis fieri ſecundum rectum rationis iudicium omni tẽpore deſiderat. Hoc eſt enim primum iuſtitia munus, ne cui quis noceat, deinde vt communibus vtatur ſine cuiusquam detrimento alterius: & quod noſtra vterius requirit militia, id faciat fratri quod ad ſalutẽ iuſta ratione conducit vt proprium. O quanta pace fruereſcentur mortales ſi

hortamenta ſectarentur apoſtoli, qua onera portare alterius alter præcipitur. Omnis, inquit ſcriptura, qui facit iuſtitiam, ex deo natus eſt. Hæc eſt lorica iuſtitia fratres, mandata dei cuſtodire, proximum ſuum diligere, & deum ſuper omnia feruentiſſime amare. Hoc eſt indumentum militia noſtræ fortiffimum, deo cultum & pietatem, nobis ſanctimoniam, & proximo fraternam exhibere charitatem. Omnes ſub iuſtitia trophæo Chriſto militamus. ſiquis iniuſtus fuerit, non ad Chriſti militiam, ſed potius ad dæmonum ſe pertinere conſortium oſtendit. Iuſtitia nanque virtus eſt maxima, quæ vnicuique quod ſuum eſt diſtribuit: quam niſi diligentiffime cuſtodieris, & monachi & militis vocabulum amittis. Redde igitur deo cultum & pietatem, ſuperiori tuo ſiue rectori obedientiam, ſimul & reuerentiã, quarum altera cordis, altera vero eſt operis. Neque enim ſufficit exterior obtemperare maioribus, niſi ex intimo cordis affectu ſimiliter de eis recte ſentiamus. Hæc nanque vera iuſtitia monachorum eſt fratres, qua vnusquisque iuxta præſcriptam legis normam ſine offenſione conuerſatur, tribuens vnicuique ſua propriam dignitatem, maiori ſuo reuerentiam, pari concordiam, minori diſciplinam, deo cultum & obedientiam, ſibi ſanctimoniam, inimico patientiam, pauperi miſericordiam, omnibus fraternam in domino charitatem. Ergo ſacer Chriſtophilus inquit: Debitores ſumus fratres non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Recte igitur militat deo, qui diſtribuit vnicuique quod ſuum eſt. Calciatos dehinc pedes habere iubemur in præparationem euãgelij pacis, quatinus bonum quod ipſi domino largiente cognouimus, etiam aliis hilariter cõmunicemus. Lex enim noſtra fratres, ſecundum quam domino militare iubemur, euãgelium eſt Ieſu Chriſti, ad quod omnes clauſtralium regulæ & conſtitutiones ordinantur. Nõ enim propter conſtitutiones monaſticas euãgelium, ſed propter euãgelium ſtatuta ſunt facta monachorum. Chriſtianus nanque ſaluari poteſt non monachus, ſed monachus ſaluari nõ poterit niſi fuerit chriſtianus. Pudeat quodam nimis ſuperſtitioſos & fatuos clauſtrales, qui regulas & ſtatuta ſua pluris faciunt quàm euãgelium Chriſti, qui traditiones hominũ cuſtodiant vſque ad carceres & vincula, dei autem conſtitutiones & ſanctę vniuerſalis eccleſia nõ aduertunt. His verba ſaluatoris noſtri recte conueniunt, Iudæis cata Matthaum dicens.

Gala. 6. 1. Ioan. 2.

Iuſtitia monachorum quæ.

Rom. 8.

Euãgelij ſuũ fun- damẽtuũ omnium regulãrũ monaſticarũ.

Eccleſia ſanctio- nes ſe: cõ di euãgelij p rime i uſt autorita- tis.

Par euãgelica q & quo- modo poſſide- tur.

Prou. 16.

Heb. 12.

Zach. 8.

Mar. 9.

Eia. 57.

Luc. 11.

dicentis, Quare & vos tranſgredimini mandatum dei propter traditionem veſtrã? Euãgelica nanque doctrina, omnibus totius mũdi conſtitutionibus longe eſt præferenda. Poſt euãgelium vero primum auctoritatis locũ ſtatuta obtinent eccleſie vniuerſalis: & nullę monachorum conſtitutiones aut regulę illis dignitate comparantur. Curemus ad euãgelicam viuere puritatem, & erimus in monaſtica patrum conuerſatione perfecti. Sint pedes noſtri calciati ſemper in præparationem euãgelij pacis, vt mortificemus in nobis deſideria carnis, & per amorem dei & proximi pacem habeamus cum omnibus. Nam ſine pace & concordia fraternitatis, nihil prodeſt maceratio carnis, ſancto dicente Hieronymo: Quiſquis corpus affligit, ſed cõcordiam deſerit, deum quidem laudat in tympano, ſed non laudat in choro. Hinc Salomon pacificum laudans virum dicit in prouerbis. Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Et iterum Honor inquit eſt homini qui ſeparat ſe a cõtentionibus, omnes autem ſulti miſcentur cõtumeliis. Sanctus etiam Chriſtophilus amator pacis nos admonet dicens. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit deum. Vnde & propheta Zacharias. Pacem & veritatem diligite, dicit dominus omnipotẽs. Et ſaluator noſter dicit in ſancto euãgelio ſecundũ Marcum. Habere in vobis ſal, & pacẽ habere in- ter vos. Non eſt pax impiis, dicit dominus. Is autem verẽ miles eſt Chriſti qui pacem habet cum deo, cõ proximo, & in ſemertipſo. Cum deo pacem habere homo dicitur, qui bona voluntate motus & conuerſus ad ipſum per continuũ amoris deſideriũ, contemptis tranſitoris, mentis aciem ad ſuperna dirigit, & omnia quæ dominus præcepit, diligentiſſime cuſtodit. Nato enim in carne dei filio, ſancti angeli domino gloriam cecinerunt qui ſuper omnia reſidet in excelsis, & pacem annũciauerunt hominibus bonę voluntatis. Impij autem & iniuſti homines hanc cum deo pacem habere nequeunt, quoniam ſuas à domino voluntates auerterunt. Pacem vero habet cum proximo qui nulli facit iniuriã, qui læſus non reddit vindictam, ſed malum vincens in bono, fraternã nunquam deſerit charitatem. Si contra hunc talem proximorum quiſpiam iniuſte marmurat, non ideo miles Chriſti deſerit pacem, quia forſitã alius inſtituit ſine cauſa iuſta iniuſtã marmurationẽ. Iuſtus homo, qui pacem cum deo habet, nulli cupiens nocere proximorum, recte dicitur pacificus, etiã ſi cõtra illum cõſurgat iniuſte

quicũq; perturbatus. Dicit enim vir iuſt. Cũ his qui oderunt pacẽ, erã pacificus: cũ loquebar illis, impugnabãt me gratis. Hinc ſanctus Auguſtinus loquitur. Apud veros dei cultores etiam ipſa bella pacata ſunt, quę non cupiditate aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, vt mali coercentur, & boni ſubleuentur. In ſemertipſo pacem habet qui puritate ac ſanctimonia illuſtratus, in conſcientia ſua viuunt ſine errore ſecurus, quem ſyndereſis non remordet anxia, nec iniuſta cogitatio perturbat vel iniqua. Vnde rurfus Auguſtinus, Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis. Hæc eſt quę inimicitias & ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida, nulli grauis, nulli moleſta, nulli oneroſa, neſcit extolli, neſcit inflari. Hanc qui accipit teneat, qui perdidit repetat, qui amiſit exquirat: quoniam qui in eadem inuentus nõ fuerit, à patre abdicatur, à filio exheredatur, & nihilominus à ſpiritu ſancto alienus efficitur. Ad hereditatem domini nõquam poteſt accedere, qui teſtamentũ pacis noluit obſeruare. Locus enim dei in pace eſt, diaboli autem manſio in ira & perturbatione. Omnis itaque homo qui hãc triplicem pacem in corde ſuo non habuerit, qui eam in ore non præſtiterit, nec in operibus oſtenderit, nec monachus eſt dicendus, nec Chriſtianus. Hinc dicit in euãgelio dominus, Beati pacifici, quoniã filij dei vocabũtur. Si dei vocantur filij qui pacẽ faciunt, proculdubio ſatanæ ſunt filij qui pacẽ cõfundunt. Vnde fratres mei chariſſimi habete inter vos pacẽ illã quam mundus dare nõ poteſt, quę eſt pax dei & domini noſtri Ieſu xp̄i de qua dixit Eſaias propheta. Et erit opus iuſtitia pax, & cultus iuſtitia ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum. Deus enim pacis & dilectionis eſt dominus: vnde quicunque pacem & fraternam dilectionẽ violat, quod verus dei amator non ſit manifeſtat. Sit pax Chriſti vera in cordibus veſtris, & nulla huius mundi aduerſa formidabit. Inter vos etiam ſit pax vera non fucata, quoniam Chriſtus pacem non ex ore ſed ex corde deſiderat, & affectu potius quàm labijs vult proximum ſalutari. Vnde ſi cõtritaſtauerit quiſpiam ex vobis in aliquo fratrem ſuum, ſatiſfaciat illi quam primum ante ſolis occaſum, & caute omnes ne ſol occidat ſuper iracundiam veſtram, quoniam ira inueterata generat odiũ, & ſpoliat animã omni ornatu virtutum. Ergo monache ſi peccaueris in fratre tuũ, mox age poenitentia corã eo, ac prociðes ad genua

Pſal. 119.

Pacis em com. ion.

Pſal. 75.

Matt. 5.

Eia. 57.

1. Co. 14. 2. Co. 13. 1. Theſ 5. 2. Theſ 3.

Eph. 4.

Verbum dei gladius spiritus. **veniam precare. Et gladium inquit spiritus, quod est verbum dei, per omnem orationem & obsecrationem in manibus Christi milites semper teneamus. Verbum dei quod in sanctis continetur scripturis, victoriosum est contra omnes demonum incurfiones munime, sicut saluatoris nostri monemur exemplo, qui tentatus a diabolo, tranquilla mansuetudine in faciem eius scripturarum diuinarum testimonia iaculauit dicens, Scriptum est, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore dei. Et tu monache, Christo militans, quotiescunque tentaris a diabolo, fronti mox imprimito signum sancte crucis, & dicito cum sancto Ioanne Chrysofomo in homilia quadam. Abrenuncio tibi satana cum omnibus iniquitatibus tuis, & coniungo me tibi Iesu Christo fili dei vini, quia scriptum est. Anima que peccauerit, ipsa morietur. Hic est gladius spiritus ab vtraque parte acutissimus, quem si manibus in hostem mox a principio tetationis semper vibraueris: scilicet eius machinationes & insidias deo protegente facile superabis. Dicit enim scriptura, Resiste diabolo, & fugiet a vobis. Itaque mane destrato consurgens eam mox facito quam dixi contra salutis tue aduersarium confectionem: & neque diabolus neque homo peruersus tibi nocere poterit incantatione aut maleficio, siue spaticum sit illud, siue aliud. Hoc ipsum dormiturus ad noctem facito, & quotiens aliquam in cogitatione maligni spiritus perceperis insurgere tentationem. Sicque tutus eris in omnibus viis tuis, fugietque procul a te diabolus, nec tibi audebit accedere propius, nisi tua te ignauia supplantauerit in primis, vt vel abieceris gladium, vel mortale aliquod commiseris peccatum.**

Tob. 22. Ait namque scriptura: Qui faciunt iniquitatem & peccatum, hostes sunt animae suae Salomon quoque dicit in prouerbis. Iniquitates suae capiunt impiam: & funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam: & in multitudine stultitiae suae decipietur. Idcirco fratres charissimi si habitare sub protectione omnipotentis dei secure volueritis, peccatum fugite: quia peccatum nos a domini auxilio diuidit: quemadmodum conscientiae puritas & munditia deo nos coniungit, dicente Esaias propheta, Ecce non est abbreviata manus domini vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius vt non exaudiat, sed iniquitates vestrae diuiserunt inter vos & deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret. Hieremias quoque ait: Iniquitates nostrae declinauerunt haec, & peccata no-

stra prohibuerunt bonum a nobis. Omnis enim qui mortaliter peccat, ianuam cordis sui diabolo aperit, deo claudit, nec potest in adiutorium altissimi confidere, quamdiu sine poenitentia in scelere permanserit iacere. **Explicit Homilia. III.**

Delectatione & studio diuinarum scripturarum Homilia quarta.



Cum omnis scriptura diuinitus inspirata, vt facer christophilus inquit, utilis sit ad docendum, vel ad arguendum, ad corripiendum, ad erudendum in iustitia, vt perfectus sit homo dei, ad omne opus bonum instructus: libenter debemus lectioni diuinarum scripturarum insistere, & omne studium literaturae secularis, in quo aliquando desudauimus, ad huius speculationis aciem ordinare. In scripturis namque diuinis quicquid salutaris requirit scientia, copiosissime reperitur expressum, vt quod tibi non inuenis, minime ad salutem sit necessarium. Maiestas etenim diuinarum scripturarum omnem totius mundi scientiam atque doctrinam longe procul transcendit, quam spiritus sanctus hominibus dei vt scriberetur infudit, & vt intelligatur a studiosis lectoribus, illustrationis suae gratiam impendit. Hanc fratres mei scripturam sedulo cum puritate mentis & seruoore geminae charitatis reuoluite, quoniam quisquis deum veraciter diligit, omne tempus quod inuenire potest ad ocium, in sacris lectionibus consumit. Sint vobis incitamenta precor ad salubre studium scripturarum, furiosa vt ita dixerim gesta amatorum carnalium, qui literas & eulogia suarum accipientes amatricum, legere non cessant, sepiusque & relegunt & osculantur: & quod maioris est indicium amoris, vel ad collum suspēdunt, vel ad pectus, quatinus nunquam a mente recedat eius quam cupiunt dilectae memoria. Considerate fratres carnalium in amore dementiam, & vestram circa dei amorem erubescite tepiditatem. Quis vestrum circa scripturas dei sanctas tanto cordis amore afficitur, quanto cecus amator circa literas amatorias spurcas & vanissimas vnius meretricule insanians praedilectione inflammatur? Ille propter absentis quam cupit amorem literas & munuscula crebris osculis prosequitur, apices singulos praenimio amore considerando iteratis vicibus, rimatur in omnibus que agit, semper absentem cogitat, ad eius venire conspectum anxius festinat. O si nos qui

qui monachi dicimur christiani, qui regi supremo & immortalis Christo Iesu militamus, qui deum nostrum super omnia iubemur diligere, & nihil in hoc mundo praeter ipsum precipimus amare, si inquam tanto creatorem nostrum prosequeremur amore, quanto suas amicas corruptibiles & mortales, obseruant & diligunt homines carnaliter sapientes. Deum nobis scriptura sancta quotidie lecta insinuat, eius voluntatem nobis manifestat, quid facere debeamus nos instruit: & quid cauere, praedicit. Per ipsam omnipotens nobiscum loquitur, & inuisibili nos magisterio informans consolat, sancto dicente apostolo. Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Vnde verus Christi miles & praecipue claustralis, qui deum in toto corde suo diligit, ei que soli placere concupiscit, scripturas diuinas & maxime sanctum euangelium affectuose amplectitur, & in eius lectione meditando assidue occupatur. Quicumque autem diuinarum scripturarum lectiones negligit, quod verus dei amator non sit, manifeste ostendit. Sed quid ait ipsa scriptura? Qui auertit aurem suam ne audiat legere, oratio eius erit execrabilis. Beati vero qui scrutantur testimonia domini, in toto corde exquirunt eum. Vos itaque fratres mei si dominum Iesum in toto corde vestro veraciter diligitis, si complacere illi super omnia vt veri milites desideratis, si denique ad perfectionem vitae monasticae cupitis proficere, in lectione diuinarum scripturarum debetis vos semper cum affectione feruida occupare. Quam sit utilis lectio scripturarum, beatus Hieronymus insinuat dicens. Ama scientiam scripturarum & carnis vitia non amabis. Nihil enim post deum in hac vita suauius sumitur, nihil dulcius sentitur, nihil mentem ab amore huius mundi validius separat, nihil contra omnes aduersariorum tentationes militem Christi adeo confortat, nihil monachum ad omne opus bonum in tantum disponit & confirmat, quemadmodum lectio frequens & studium ardens scripturarum. Enimuero si omnipotentis beneficentia, que humano impendit generi, per totam late scripturam legendo, ad memoriam studiosa deuotione reducimus, materiam & occasionem praestabit nobis maximam, quam in dei amore per amplius ardentem proficiamus. Tota enim series diuinarum scripturarum quid continet aliud, quam textum quendam bonorum ordinem, que deus hominibus vel iam praestitit, vel etiam se daturum repromisit? Aut quid est quod nos ad toleran-

tiam malorum adeo corroborare queat & voluntarie reddere patientes, sicut si legamus in euangelio passum innocenter pro nobis dei filium, & post eum martyrum victorias sanctorum? Sacra namque scriptura continet quae nobis ad scientiam salutarem sunt necessaria, & monet nos quid in hac peregrinatione militantes vtiliter debeamus appetere, quid etiam declinare. Hinc diuus iterum dicit Hieronymus. Nostrae diuitiae sunt in lege dei meditari die ac nocte. Praeparemus igitur nobis fortitudinem, assumamus nobis perfectum robur, vt inter errorum tenebras & confusionem noctis scientiae Christi lumen appareat, diesque & noctes lucem habeant protegentem, vt scriptura duce ad terram sanctam peruenire valeamus. Quidnam hac eruditione melius? quid suauius disciplina? Quid dulcius domino nostro Iesu Christo, qui vera est salus & dulcedo fidelium animarum? Sit autem nobis conuiuium Christus, sit lectio sacra cibus noster & potus. Quid enim potest esse vita monachi sacerdotis sine scientia scripturarum? Christum non visu non auditu non tactu sed lectione scripturarum cognoscimus, & quanto plus legendo ad veram scientiam proficimus, tanto in scripturis sanctis amplius delectamur. Quid enim dulcius, quam dei scire voluntatem, & promissionum precia non ignorare? Nam sicut Hieronymus dicit, pinguis est ager diuini sermonis, qui omnes in se habet delicias, & quicquid volueris, ex illo nascitur, sicut tradunt Iudei, quod manna in deserto quando comedebatur, secundum voluntatem & desiderium in ore saepebat comedentis. Diuinas igitur scripturas fratres mei sepius legite, per quas potestis voluntatem dei plane cognoscere, & contra insidias diaboli fortissime vos armare. Nam si iuxta apostolum Paulum, Christus dei virtus est, & dei sapientia, qui nescit scripturas, nescit dei virtutem & sapientiam, & Christum quomodo sciet? Ignorantia enim scripturarum, ignorantia est Christi: & qui nescit Christum, ad eius non pertinebit confortium, sancto dicente Christophilo, quoniam si quis ignorat, certe & ignorabitur. Quanto autem quis in studio diuinarum scripturarum magis assiduus fuerit, tanto ex earum lectione maiorem intelligentiam & dulcedinem capit. Vos autem maxime decet fratres diuinas scripturas quotidie legendo & discendo reuoluere, quibus & tempus copiosum ab occupationibus feriatum conceditur, & locus raritate occurrentium satis conueniens offertur. Idcirco vos hortor & moneo si ve-

Matt. 4.

Contestatio Chrysofomi in initio tetationis. Eze. 18.

Iaco. 4.

Tob. 22.

Pror. 5.

Esa. 59.

Peccati auerit a nobis auxilium Dei.

Hiere. 5.

2. Tim.

Adhortatio ad studium & lectionem sacrarum literarum.

Rom. 15.

Pror. 28.

Psal. 118.

Christus in scripturis sacris nescitur.

Sap. 16.

1. Co. 14.

fram salutem diligitis, vt diuinas lectiones in manibus semper habeatis, quatinus omne tempus, quod vobis post orationis cultum sine labore permittitur, ad sacre scripturæ studium expendatur. Non praterat dies vlla fratres mei, in qua monachus Christo militans non aliquid legat ex sacris voluminibus quod cum in sancto proposito faciat meliorem. **Quin** potius diui Hieronymi sequatur consiliū dicentis. Sint scripturę semper in manibus diuinę, & iugiter mente voluantur, nec tibi sufficere putes mandata dei memoria recondere, nisi studeas illa etiam operibus adimplere. Duo enim deus a nobis fratres mei requirit. Primo enim vult nos scire sanctissimam voluntatem suam, secundo vt agnitam faciamus. Scire autem eius mandata non possumus, si diuinarum scripturarum scientiam ignoremus. Neque voluntatem dei facit qui eam ignorat, neque scit qui non dicit. Dico igitur que sit dei voluntas beneplacens, vt facias: facito cognitam, vt amplius intelligas. Nemo enim dei voluntatem melius intelligit, quam ille qui cognitam ex amore facit. Itaque si doctissimus diuinarum scripturarum paraphrastes cupis euadere, non a verbis sed a sanctis operibus scientię studium discas inchoare. Tunc enim sacre lectionis vberem comprehendens scientiam, si mundum custodieris cor tuum ab omni peccato, & feruens in dei amore sanctam compunctus iugiter reuolueris scripturā. Scientia enim diuinarū scripturarū altus est mons in quo cū domino Moyses loquitur, ad que accedere victorū sordibus pollut⁹ homo prohibetur. Sic nanque in Exodo legitur. Caute ne ascendatis in montem: nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Siue iumentum fuerit siue homo, non viuet. Homo siquidem montem tangit & moritur, quotiens quis literatura seculari turgidus, in simplicitate diuinarum scripturarum scandalizatur. Bestia vero montem tangit, & lapidibus obruitur, quotiens homo carnalium furore passionum immersus, ad sacre scripturę studium non purgatus animo progreditur. Si ergo lectiones diuinarum scripturarum salubriter vultis euoluere, si ad veram scientiam legendo cupitis peruenire: omnem curate in primis & elationem superbie, & temeritatem perfidie deponere, ac deinde cubiculum cordis vestri ab omni immundicia carnalium voluptatum expurgare. Deus enim, vt ait scriptura canonica, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Nemo superbus, elatus, arrogans, & temerarius, nemo

carnalis animo, luxuriosus vel inquietus, ad studium sacre scripturę habetur idoneus, sed humilis duntaxat, mitis, mansuetus, pudicus, castus corpore, & mente tranquillus. Hinc Prosper in epigrammate dicit. Mandata dei scrutari nisi quieta mens non potest. Vt ergo religiosum exerceatur studium, abiicienda sunt iurgia malignorum. Scrutari legem possunt vt cunque quieti, si mudi a strepitu libera corda vacent. Vt mens ergo piis studiis intenta iuuetur, prelia diuinus carnea vincat amor. Nam templum domini per sacra silentia crescit, & tacite fruitur non ruitura domus. Mū datis igitur animis, & corde in dei amore compuncto, atque in vera contritione humiliato, ad studium scripturarū procedite, quia non illuminabit vos dominus nisi ab omni prius fecerit iniquitate purgatos. Nāque vt scriptura ipsa dicit, peruersę cogitationes separant a deo, probata autem virtus corripit insipientes, quoniam in maluolam animam non introibit sapiētia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: quia spiritus sanctus disciplinę effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus quę sunt sine intellectu. Ideoque orandum nobis est cum sancto David crebrius ad dominum. Cor mundum crea in me deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Nemo enim sacras dei scripturas vtiliter intelligit, qui se in toto corde suo ad dominum per potentiam non conuertit. Ideoque si vultis diuina eloquia & recte & salubriter intelligere, summo in primis curate studio, mundos vos ab omni pollutione peccati pro virib⁹ custodire. Non vos precor seducat quorundā monachorum vesana stulticia, qui suam ignorantiam trito conantur excusare proverbio dicentes. Ad quid nobis scientia scripturarum, qui predicationis nullum habemus officium? Viri sapientis amplectimur consiliū: qui dicit in libro prouerbiorū. Qui ambulat simpliciter viuere: quoniam seruus sciens voluntatem domini sui & non faciens, vapulabit plagis multis: qui autem non cognouit & commisit digna plagis, vapulabit paucis. O stulti & perditissimi petrones, qui scientiam salutare contemnit, & ignorantiam diuinarum scripturarum potius quam intelligētiam amatis: Nunquid affectata ignorantia paucioribus vos plagis reddet obnoxios? Aut propterea delinquentes eritis coram deo imnoxij, quia mandatorum dei voluntarie estis ignari? Duplici poena cruciandi eritis, altera quod scire viam mandatorum dei contemnit, altera quod sermones eius non

Quibus pateat diuinę scripturę.

Exo. 19.

Iaco. 4.

Supl.

Psal. 50.

In montibus fabricarū literarum studium recitatis.

Prou. 10. Luc. 11.

non

nō custodis. Nō est quam allegatis simplicitas, sed duplex potius impietas. Nam si iuxta prophetam beati sunt qui scrutantur testimonia domini, quis dubitet illos esse maledictos, qui nec deum exquirunt nec scripturas eius aduertunt, sed indurato magis animo contemnunt? Audite quid vobis Salomon dicit in prouerbis. Vbi non est scientia animę non est bonum, & stulticia hominis supplantat gressus eius. De vobis etiam o stultissimi te nebriones illud intelligitur sancti Hieronymi, quoniā ibi nō est ignorantia iā excusabilis vbi scitur quod sit illud quod ignoratur. Magis autē cauendum vobis ne cum illis tandem cōputemini, qui dixerunt deo, recede a nobis, viam sciētiarum tuarum nolumus. Verbum Salomonis male intelligitis, qui de ignorantia dictum simpliciter putatis. Qui ambulat simpliciter sine aliqua deceptione proximi, ambulat confidenter in custodiendo mādata dei. qui autem deprauat vias suas, non potest latere, sed manifestus erit. Hinc rursus ait, Labia iusti erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morietur. Quid miserabilius sacerdote indocto, qui etiam si predicationis non habeat officium, rationem suscepi ordinis ad scientiam obligatur scripturarū? Vult enim deus vt omnis homo sanctam eius voluntatem impleat, quam nemo facere sufficit qui ignorat. Primo itaque iubet dominus vt eius beneplacitum discas, secundo vt facias. Quomodo igitur legis ignorantiam putabitis excusabilem, per quā facti estis primę voluntatis dei transgressores? Quare putatis omnipotens deus volumina hominibus suarum tradidit scripturarū? An vt legerentur ab eis intelligerenturque, vel vt non lectę contemnerentur? Certe vt legerent eas mortalibus sunt datę scripturę mandatorum dei, postea vero vt opere completerentur. Vos autem qui dei scripturas animo deliberato vultis ignorare: quomodo voluntatē eius quam insinuant illę, potestis facere? Aut quę admodum legis factores esse poteritis, qui auditores antea non fuistis? Fieri nanque potest vt sciens voluntatem dei, aut obseruet eā, aut negligat, sed fieri non potest vt eam ignorans impleat. Enimvero facilius aliquis non faciet bonū quod nouit, quam impleat opere quod ignorat. Nemo autem facit bonum quod nescit. Dicit de ignorantibus in quodam loco sanctus Augustinus. Non omnis ignorans immanis est a culpa. Ille enim ignorans potest excusari a pena, qui quod disceret non inuenit. Illis autem ignosci non poterit, qui a quo discerent habentes, disciplinę operam nō de-

Indocti voluntas diuinę inexcusabilis

derūt. Hinc & sanctus leo papa dicit. Si in laicis videtur intolerabilis inficitia, quanto magis in his qui præsunt, nec excusatione est digna nec venia? Vnde fratres nō facit vos ignorantia diuinarum scripturarum excusatos coram deo, sed dupliciter reos, qui ne dei voluntatem oporteat vos facere, eam penitus cupitis ignorare. Homo enim diuinę voluntatis non debet esse ignarus, qui ad hoc in mundo ponitur, vt per illustrationē intellectus & puritatem affectus, visionis eius sempiternā fruitionem promereatur. Vtraque enim cognitio dei videlicet & sui, vnicuique mortalium necessaria est ad salutem, quam nusquam inueniet sine notitia scripturarum. Enimvero si cū ex cognitione sui venit in hominem timor dei, & ex notitia dei nascitur amor dei, ita prouenit ex ignorantia sui superbia, & ex neglecta dei cognitione, cum desperatione salutis cōtemptus. Nihil infelicius monacho indocto, qui studium sanctarum scripturarū vel negligit vel contemnit, quia nunquam potest in vera cordis tranquillitate apud semetipsum purus consistere, sed compellitur inquietudine propria contra monasticę cōuersionis integritatem externis mētēm & inutilibus occupare. Videmus inter vos quosdā scripturarum ignaros, instabiles, mente dyscolos & vagos, quib⁹ eo magis imputamus ignorantiam, quo minus inclinantur ad disciplinam. Turpe quidem est nescire quod scire iuberis, turpius non discere, turpissimum vero contemnere. Et sunt inter vos quidam qui scientiam salutarem nesciunt, sunt etiam qui discere negligūt, quid si addā esse & alios qui sciētia diuinarū scripturarū penitus cōtēnāt? Certe nō mētiōr, vos scitis quia verū est quod dico. Nam studiis meis nonnulli vestrū vsq; ad inuidiā grauiter aduersari sunt, aratorē se male habere prælaturam quam oratorem cauillant. Nonne & visitatores in suā trahere sententiam tentauerunt, cupientes me illorum horratu in abnegationem traducere scripturarū? vt ruricolam facerent & porcorum curatorē potius quam animarum. Sed frustra conantur diuinum impedire oraculum, quo impellente omnes mundi honores atque diuitias, quamdiu vixero, studio postponere decreui scripturarum. Abbas sum vester quādiu voluerit ille qui me vocauit, si alterum ē duobus oporteat, abbatiam malo dimittere, quam sancto scripturarum studio renunciare. Scio enim vere, nihil in hac vita homini claustrali salubrius posse contingere, quam si diuinas cōperit scripturas veraciter amare. Quisquis vestrum hanc institutionem me-

Cognitio duplex homini necessaria ad salutē

Necessaria nescire turpe, nō discere turpius cōtēnere turpissimum.

Ioannis abbatis ardor ex ga literas.

am sequi voluerit, me duce[m] itineris pariter & comitem habebit. Qui autem sequi discen- tem contempserit, docentem nihilominus au- dire compelletur vel inuitus. Hęc dixerim in eos qui terrena sapientes & caduca, timorem a se domini abiciunt, qui omnia pene igno- rantes, discere contemnunt. Ego noui peco- ris mei vultum: & singulorum inclinationes cordium vestrorum me credo non penitus ignorare. Idcirco non cessabo vos cohortari ad sancta studia scripturarum, sciens quod amator sacre lectionis nō potest carnalium operator esse vitiorum. Quanto enim monachus in perdiscendis scripturis fuerit studio- sior, tanto minus carnalium voluptatum ar- doribus inflammatur. Quauis enim, iuxta sententiam diui Hieronymi, monachus non docentis, sed plangentis potius videatur ha- bere officium, quia tamen Christi profitetur militiam: congruit, immo necessarium est, vt dei omnipotentis, in cuius verba iurauit & arma, beneplacitam nouerit voluntatem. Ve- rum sicut miles voluntatem domini sui pro- cul absentis scire non potest nisi per nuncios & epistolas, ita monachus aeterni regis prae- cepta non intelliget nisi per sacras lectiones atque sermones & euangelicas scripturas. Ia- nuam salutis nescientibus lectio scripturarū aperit, studiosum lectorem recto tramite ad dei notitiam introducit: amatorem sui facit omnia mundana contemnere, & nihil aliud quā[m] veram sapientiam amare. Nihil autem turpius quā[m] in spiritali conuersatione mo- nachū nolle proficere, & voluntate in dei sciē- ter velle ignorare. Nemo sibi de sua infirmi- tate vel ignorantia blandiatur, quoniam qui ignorat ignorabitur, & qui scientiam odit sa- lutarem, merito condemnatur. Missurus in omnem terram praedicatorum dominus prae- monuit dicens. Prudentes estote sicut serpen- tes, & simplices sicut columbe, ne vel supplan- teris ab aliquo per ignorantiam, vel iniuriam fruas alicui per fraudem. Parum nanque dis- stat in vitio, vel decipere posse, vel decipi. Ro- go vos igitur fratres charissimi vt in regulam diui patris nostri Benedicti velitis intendere, quę vos monet in plerisque locis frequentius lectionibus diuinarum scripturarum insuda- re. In scripturis enim docemur ad omnem pietatem informati, quemadmodum in hac breuissima peregrinatione huius incolatus debeamus viuere, vt domino deo nostro pos- simus super omnia placere. Monachorum nanque est mundum & omnes voluptates praesentis vitę pro dei amore contemnere, motus carnis illicitos viriliter comprimere,

Prou. 27.

Monachus sa-
cras lite-
ras discat

1. Co. 14.

Matt. 10.

orationi quoque lectioni & meditationi scri- pturarum insistere, & mentem a terrenis ad coelestia iugiter eleuare. Beat⁹ ille monachus qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra homi- num pestilentium non sedit, sed in lege domi- ni meditatur die ac nocte, discēs hic in scri- pturis dei sapientiam, cuius fructum receptu- rus est post huius peregrinationis terminum, vitam aeternam.

De quotidiana renouatione sancti pro-
positi, Homilia V.



V diuimus fratres charissi- mi lectionem nobis reci- taram de libro sancti iob, in qua humani generis de- plangit miseriam, & hu- ius calamitatem vitę, si- mul ac instabilem breuita- tem. Homo inquit natus de muliere, breui vi- uens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit ve- lut umbra, & nunquam in eodem statu perma- net. Ecce inquit breues anni transeunt, & se- mitam per quam non reuertar ambulo. Defi- ciet omnis caro simul: & homo in cinere re- uertetur. Quid inter hec fratres animaduerti- tis, quidve cogitatis? Est ne in nobis homo, qui se nesciat esse mortalem, qui cum verita- te possit dicere, non mouebor in eternum? Heu fratres mei quā[m] sumus ceci oculos tenentes apertos, quā[m] obliuiofi viatores su- mus & desides, qui nos certo certius nouimus esse mortuos, & ita in vanitate praesentis vi- tae confidimus, ac si non essemus mortales. Sed quis est homo qui viuere & non videbit mortem, eruet animam suam de manu infe- ri? Ecce ait scriptura, omnes morimur, & qua- si aqua dilabimur super terram. Idcirco me- mores estote fratres mei, quoniam mors non tardat, & breue cōputabitur omne quod prae- teriit, quia vt sanctus ait Christophilus Pau- lus, statutū est hominibus semel mori, quam legem necessitatis communem nemo poterit subterfugere. O si nunc venturę mortis ho- ram, quam vnusquisque nostrum necessario subibit in breui, quotidie ante mentis intui- tum poneremus, taliterque vitam disponere- mus & mores, quō semper inueniremur para- ti, quā[m] felix & tuta fieri posset emigratio no- stra. Nonne & rex viuorum & mortuorum ipse Christus dominus noster ad mortem nos semper volens esse paratos, in sancto euange- lio praemonuit dicens: Ideo & vos estote parati

Psal. 1.

Psal. 19.

Psal. 11.

Lu. 14.

Eccl. 7.
Frequēs
moris
medita-
tio, quā
salubris.

Prou. 23.

Prou. 4.

Psal. 67.

Psal. 29.

parati: quia qua hora non putabitis, filius hominis veniet. Quantum vero proficit ad mentis puritatem frequens meditatio mor- tis, sapiens in ecclesiastico praemonuit dicēs, In omnibus operibus tuis memorare nouis- sima tua, & in eternum non peccabis. Mortis futurę cogitatio timorem inducit: timor ve- ro mentē necessario concutit: & quasi cla- uis malleo impulsus, omnes carnis motus su- perbe ligno crucis affigit. Huius considera- tione opinionis plerique philosophorum gē- tilium, omnem viri sapientis vitam quandam meditationem mortis continuam esse dice- bant. Hinc & sanctus Hieronymus dicit. Ni- hil eque tibi proficiet ad tēperantiā omnium rerum, sicut frequens meditatio breuis vitę huius & incertę, quę sicut folium quod ven- to rapitur, defuit, & quando non timetur, in mortem cadit. Idcirco memento mortis tuę, quam nullo consilio potes euadere, & omnes mot⁹ carnis facile poteris superare. Nam qui se quotidie cogitat moriturum, praesentia de- spicit, & se, nisi desipiat penitus, ad futura prę- parabit. Scio enim & partim me fateor exper- tum, quōd mentis humane voluntas in san- cto vitę spiritalis seruore diu vniformis nō potest consistere, & propterea memoriā mor- tis vobis ante oculos placuit saepius reuoca- re, quatenus dum mens futurorum timore cō- cutitur, sancti seruator propositi quotidie reno- uetur. Animus etenim humanus colligatus pro exercitio sui ad corpus, nimium est fluxus & instabilis, & nunc ad illud rapitur, nunc ve- ro ad aliud mouetur. Propterea dicit in prou- erbiis dei sapientia per Salomonem. Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cu- stodiānt. Ac si dicat. Nisi totum amorem cor- dis tui diuinę sapientię mancipaueris, nun- quam in custodia mandatorum domini sta- bilis & confirmatus eris. Sicut enim cor pri- mum est principium motus in homine, ira maior est illius pro vitę conseruatione custo- dia, quoniam si morborum incurfu percuti- tur, vita corporis iam tota periclitatur. Vnde scriptum est, Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Cordis autem no- mine affectum intelligimus quociens ad ali- cuius rei declinat amorem: illi tantum inha-rens, vt totam implicet voluntatē. Hinc psal- mista dicit. Diuitie si affluant, nolite cor ap- ponere, id est nolite illas ex voluntatis desi- derio amare. Nihil humano corde mobilius est, quod ad singulas pene cogitationes alte- ratur, & in eodem proposito difficulter po- test consistere, nisi violenta quadam inten- tione restringatur. Quod sanctus Dauid non ignorans ad dominum dicebat. Ego autem

dixi in abundātia mea, non mouebor in ater- num. Domine in voluntate tua praestitisti de- cori meo virtutem. Auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. Idcirco fra- tres mei charissimi, si quis est vestrum qui do- mino & saluatori nostro in vera puritate cor- dis famulari desiderat, si quis monachus esse & opere simul & nomine optat, discat in pri- mis non sibi sed deo confidere, & bonum san- cte conuersationis propositum, noua semper institutione curet non solum quotidie, sed singulis quantum preualet etiam horis arque momenti renouare. Spiritualis etenim con- uersationis seruator, ad cuius operationem ex- perimentalem claustralis vitę institutio om- nis dignoscitur ordinata, diu in eodem pun- cto non potest consistere, quoniam si non semper in anteriora proficit, ad inferiora, & quod est deterius, infirmiora, necessario re- currit. Non est in palestra spiritalis exercitij aliqua stationis morosa consistencia, quoniā humani cordis proprietates est, suo motu natu- rali semper vel ad meliora proficere, vel ad id quod malum est recidiuare. Vnde si nō pro- ficis in conuersatione spiritali, necessario defici- sis. si non ad sanctiora progredieris, cer- te retrocedis. Quod nobis cum experientia perspicuum fecerit, non cesso admonere cha- ritates vestras vt desiderium vestrum in bo- na conuersatione semper ad vltiora exten- datis, ne ibi perniciosum incidatis deficiendi periculum, vbi proficiēdi non innouastis ap- petitum. Feruor autem spiritalis propositi ad dei amorem dirigitur, & non aliterq̄ in ipso conseruatur. Est enim dei amor igni nō absurde comparandus, quoniam sicut ignis substracto fomento lignorū, necessario extin- guitur, sic amor dei, si desint continuata bo- norum operum exercitia, mox euanescentes periclitatur. Hinc est illud saluatoris in euan- gelio, Ignem veni mittere super terrā, & quid volo nisi vt ardeat? O monachi felix cōscien- tia illa, in cuius pectore praeter Christi amo- rem nihil ardet, qui deū diligit super omnia, qui vanitatis studia contemnit vniuersa. Cō- siderate nūc fratres quā[m] diligentissime con- scientias vestras, & examusim pensiculate, si deum super omnia diligitis, & si ardet in vo- bis iam ignis diuini amoris, quatinus fomen- tum adhibeatis necessarium, ne quando per- vestrā repiditate sancti feruoris igniculū sen- tiatis penitus extinctū. Credite mihi fratres, quoniā experientia me docuit: ignem in vo- bis diuini feruoris ardentem faciliore exerci- tio conseruabitur, quā extinctū denuo succen- datis. Quicunq; igitur iam in se dei experitur amorē, quicunq; celestē in corde suo recepit

Sanctum
proposi-
tū quā
nō reno-
uandū.

Amor
dei, igni
similis.

Lu. 12.

Facilius
retinetur
amor re-
cti, quā
recipitur
amissus.

charitatem, summa cum sollicitudine caueat in prioris vitæ negligentias recidere, sed fomēta adhibeat, necessaria spiritualium exercitiorum, quatinus proficientem in se dei feruorem queat cōseruare. Caueat non solum peccata grandia, sed etiam negligentias paruas, & quantum poterit minimas, quoniam qui minima spernit, paulatim decidit: & qui non semper metuit periculum, spiritualis feruoris atque propositi cito sentiet detrimentum. Dicit enim scriptura, Si non instanter tueris te in timore domini, cito subuertetur domus tua. Beatus igitur homo qui semper est pauidus, qui de acceptis virtutibus non præsumit, qui certo existimat se deficere, quotiens se non inuenit singulis momentis ad altiora profecisse. Sed vereor fratres & vehemēter timeo, nisi me operum quorundam fallat æstimatorio, nonnullis in vobis ignem huius sancti necdum adesse feruoris, quippe cum vera monachorum studia parum videantur diligere, quod ex illorū conuersatione cum sit manifestū, nullus vestrū poterit ignorare. Quos monere quidem non duxi penitus superfluum, quanuis parum hætenus videar profecisse, cum non sit abbreviata manus domini, quominus queat saluare poenitentes. Confido enim in misericordia dei viuētis, quoniā propter meam in eos charitatem, & exercitia pietatis illorum qui ad puritatem regulæ in vobis ambulant, dabit eis aliquādo respicere, & studia sancti feruoris ardentius amare. Quid est fratres quod non monastice in monasterio viuitis, & professi conuersationem spiritus, secundum carnem ambulatis? An nescitis quā sit periculosum in cœnobio monachum seculariter viuere, & votum sanctæ puritatis, quod emisimus omnes, tepida conuersatione violare? Cognoscite precor, quoniam nouissima omnium claustralium extremis sunt proxima, vt boni & zelosi amatores propriæ salutis monachi, non vulgariū sed maxima sanctorum in cælo præmia recipiāt, & qui male vel tepide in religione conuersantur monastica, nō mediocri aut populari, sed grauissimo & dæmonum puniantur cruciatu. Quanto enim status in quo quis peccat fuerit altior, tanto poena delinquentis in eo erit & grauior. Ideo si quis inter vos iam viam diuini amoris cum feruore spiritus ambulare didicit, progrediatur necesse est, vt amplius quotidie pficiat, qui vero adhuc iacet in torpore mentis ignauæ, conetur quantocyus vt resurgat, quoniam licet iacētibus poena promittitur, ita non perseverantibus corona victoriæ denegatur. Cauete igitur ne mentem subuertat pernicioſa tepiditas, quæ nāmiūm

Ecclesi. 19.
Ecclesi. 27.
Prou. 28.

In monachos seculariter viuētis.

Monachi omnino aut felices aut infelices.

est periculosa claustralibus, quia molestissima est & plena miseriarum, & dolorum, ac plane inferno proxima, de cuius voragine raro cōsurgit monachus qui semel incidit. Et heu quot inueniuntur hodie claustrales pusillanimes, remissi & desides, qui sub onere spiritualis militiæ frequenter succumbunt, & raro ad verum spiritus feruorem resurgunt. Horum sane miseranda conditio, qui nomē habent quod viuunt & mortui sunt: quos ad veram compunctionem cordis nec memoria mortis potuit inducere, nec inferni recordatio proposita emollire. Huiusmodi vero monachi, posteaquam diu ita manserint in acedia torpentes, aut opprimuntur mala consuetudine & succumbunt, aut fiunt quodammodo in inferno, vt nunquam ad plenum respicient in lucē miserationum domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola est regno cælorum proxima, facitque iugum domini suaue & onus leue, perueniant. Hęc illis mala contingunt propterea quod voluntas eorum a carnalibus nōdum est purgata passionibus, nec bonum sic volunt, sicuti nouerūt, a propria concupiscentia illēti & abstracti. Amant enim perituræ consolationes carnis, quas & si interrumpunt aliquando, nunquam tamen penitus rumpūt. Inde est quod suas affectiones in deum rarissime dirigunt, & si quando compunguntur ad horam, non diu perseuerant, sed pigritia & inertia fatigantur mox animo, bonum quod inchoauerant ex tristitia & melancholia subito fastidientes. Impleri autem feruore diuini amoris non potest mens his agitata procellis, quoniam caro ad ignem posita sepiusque remota sicut nunquam bene coquitur, sic anima in acediam sepius relapsa, diuino spiritu nequaquam veraciter illustratur. Dicit enim scriptura ad dominum: Qui elongant se a te, peribunt, & perdidisti omnes qui operantur iniquitatem. Quanto nanque mens per acediam longius a feruore diuini amoris recesserit, tanto proximior inferno & desperationi, rarius & difficilior ad veram poenitentiam cōualeſcit. Quicumque igitur ex vobis fratres mei fugere de medio Babylonis desiderat, quicumque venire ad internum feruorem spiritus optat, summo semper conatu torporem mentis & acediam a se studeat repellere, & sanctum diuini amoris propositum quotidie innouare. Graue nimis est fateor prauæ consuetudini carnis resistere, & in corde veteri contra morem noua cogitare. Certe fratres nemo cum tepida voluntate de profundis inferni potest resurgere, nec malam quis consuetudinem sine magna violentia & diuturna

Tepiditas laicis monacho.

Apoca.

Psalm.

Vim ubi inferat tepiditas.

1. Cor. 12.
Matt. 23.

Ocium monacho in primis iugēdū.

Prou. 24.

Ecclesi. 9.

2. Tim. 2.

consuetudine contraria poterit superare. Nā & si nemo fiat sanctus viribus suis, sed deus est qui operatur omnia in omnibus: constat nobis tamen manifeste quoniam dei regnū vim patitur, & qui suis inferre motib⁹ carnis vim negligit, ad sanctorum domini consortiū nō pertingit. Audi nunc monache quicumq; tepidus es ad amorē dei & acediosus, audi in quā & contremisce, quoniam nisi de mala consuetudine torpētis vitæ continuo surrexeris, nisi vim tibi metipsi per consuetudinem contrariam intuleris, nisi ad feruorem diuini amoris cor tuum instanter præparaueris, nūq̄ dei faciem in gloria videbis. Radix desperationis est, acedia, & nō solum radix, sed & nutritrix eius & mater, quæ si mētem hominis dedicat semel oppresserit, omnem viam ad salutem ilico præcludit. Non enim dormiētibus regnum cælorum promittitur, non ocio & defidia torpentibus beatitudo æternitatis præparatur, sed his qui motibus carnis viriliter imperant, corona reponitur: & qui spiritu non carne viuunt, æternæ felicitatis gloria donantur. Nulla sine labore virtus acquiritur, hostis sine congressu nullus superatur. si vis coronari, vince. si vincere cupis, necesse est vt fortiter ac perseueranter præleris. Vt-que quo piger dormies, Salomon tibi clamat, quando conſurges è somno tuo? Si impiger fueris, veniet vt fons mensis tua, & egestas longe fugiet a te. Qui enim colligit in messe, fili⁹ sapiens est, & qui sterit estate, filius confusio- nis. Nam qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur ocium, replebitur egestate. Nunc tempus est operandi bonum fratres, nūc opportunitas promerendi æternam beatitudinem nobis a domino deo conceditur, quæ subito in morte amputatur. Dicit enim scriptura: Quodcunque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus nec ratio, nec sapientia nec scientia erūt apud inferos quō tu properas. Si vos delectat bonū æternæ beatitudinis quod promittitur, oportet ne labores pugnandi mentem deterreant qui proponūt. Nemo enim a domino coronabitur, nisi qui legitime certauerit: nemo perueniet ad culmen æternæ celsitudinis, nisi qui feruore spiritus illicitos motus superauerit carnis. Semper est nobis pugnam fratres contra triplicem aciem diaboli, quandiu in hac peregrinatione viuimus, quoniam nemo hic insuperabilis vsque adeo efficitur, qui non tepescens paulatim superetur. Hinc sanctus proclamatur Augustinus. Nemo securus esse debet in hac vita, quæ tota tēratio nominatur, vt qui potuit fieri ex deteriori melior, non fiat ex meliore quandoque

deterior. Vnde & Salomon in libro prouerbiorū, Desideria inquit occidunt pigrū, quoniam sicut in vnoquoque opere bono perfectionem tribuit cōstantia, ita omnis religionis & profectus animæ spiritualis interēptrix & nouerca est acedia. Nam, vt diuus inquit Hyeronimus, nihil in sancto proposito deterius est ocio, quoniam non solum non acquirit noua, sed etiā turpiter consumit prius acquisita. Sanctæ spiritualis vitæ ratio processu continuo gaudio proficit & crescit, cessatione vero torpet & deficit. Propterea fratres quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, & viuendi hoc iter ratio non de trāsactō, sed eo quod restat metienda. Ocioſitatem igitur, quæ mater & nutritrix est omnium vitiorū, in primis fugite, acediam autem non fugiendo, sed resistendo fortiter superate. Dicit autem scriptura. Multam malitiam occuit ocioſitas. In desiderijs enim vanis & perniciosus est omnis ocioſus. Semper itaque monachus, qui Christo in vera puritate mentis desiderat militare, sit in aliquo exercitio spirituali occupatus, ne ocioſi generet vitium, & inueniant pernicioſæ cogitationes quo roborentur locum. Quemadmodum rubigo consumit ferrum, & vestis a vermibus corroditur, ita mentem eneruat ocium, & virtus diu intermissa animi, paulatim defluit, ac penitus eneruatur. Ocium igitur fugite, acediam vero superate. Verum cum non possimus in vno statu diuini amoris firmiter & sine mutatione mentis persistere, necessarium nobis est ne defluamus penitus, quotidie sanctum propositum innouare, vt quotiens per negligentiam humanæ infirmitatis quantumlibet parum torpescere a spirituali feruore incipimus, totiens nosmetipsos discutientes memoria futurorum, & dominicæ passionis intuitu ad pristinum mox proficiendi propositum cōscientiam reuocemus. Hoc autem summopere nobis cauendum est, ne hunc sanctū proficiendi conatū differam⁹ in crastinum, quoniam sæpe nocuit distulisse bonum in tempus futurum, quod fieri citius potuisset. Hic sapiēs in ecclesiastico dicit, Ne tardes conuerſi ad dominū, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te Augustin⁹ quōque ait, Cur bonū differs in crastinū, dicēs, ad huc vita longa erit? Quis enim scit si longa erit? Et si bona nō est, quid p̄dest q̄ longa erit? Sine vita bona, mors dicēda est cōuersatio monachi potiusq̄ vita. Remedia igitur emendationis vitæ, nullis sunt cunctationibus differēda, ne tempus conuersionis pereat tarditate, cum iam nulla dilatio cōceditur poenitendō.

Prou. 25.

Ecclesi. 33.

Monachus ne differat repenti occurrere. Ecclesi. 5.

Qui enim penitenti indulgentiam promissit, diem castinum non spopodit. Nemo deum timens conuerti differt ad penitentiam, nec in castinum salutem prolōgat hodiernam. Omnis autem homo sciens se in mentis tepiditate constitutum, qui differt emendationem vite de die in diem, spe longioris qui decipitur, quoniam si sciret se in castino moriturum, hodie proculdubio mutaret propositum. Multos miserabiliter decepit spes vite longioris: qui dum emendationem conuersationis sue quotidie differunt, subito in mortis profundum cadunt. Quis in vobis est frater, qui non statuatur in animo suo emendationis vite assumere propositum antequam moriatur? Credo enim quod vnusquisque vestrum adhuc maiorem intendat exercere pietatem ad deum, priusquam mortis periculum incidat. Et quare tā diu expectatis? Quare de die in diem differitis? Ecce qui nunc sani viuunt, & non datis vos ad spiritualia exercitia diuini amoris, quando potestis, & dominus patienter expectat, veniet dies vnicuique vestrum extrema, & iam properat, in qua perurgente angelo mortis, auferetur a vobis potestas, cuius effectum tantundem distulistis. Vnde iterum atque iterum vos rogo fratres, & qua possum sedulitate admoneo, conuertite vos ad dominum deum nostrum in toto corde vestro dum viuunt sani & incolumes, nec differatis ulterius voluntatem, ne amittatis etiam concessam vobis potestatem. Cogitate sepiusque recogitate, quoniam non sumus ciues huius mundi, sed aduenae & peregrini, neque habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, & ad mortem quotidie nescientes etiam properamus.

De amore quietis & solitudinis
Homilia VI.

Dvo sunt intellectus ab initio creati: quod neminem vestrum scio latere fratres charissimi, angelicus videlicet & humanus. Angelicus vero quādo fuerit creatus, sancta scriptura manifeste non aperit, sed patrum sententia conditionem angelorum opus dei esse & inter opera sex dierum computauit. Sunt autem qui scribant angelos fuisse creatos longe ante mundum istam visibilem, quod sicut probare testimonio diuinarum scripturarum non possumus, ita neque temere impugnamus. Sunt enim viri graues & sancti complures, qui conditionem angelorum principio mundi lon-

ge praeulerunt. Fuit autem intellectus angelicus statim a principio in omnium scibilibum actu factus: & omnia nouit quae scire potuit, nihilque ad sui perfectionem deinceps admittit. Creatus enim a domino in sua perfectione naturali quam habere potuit, nullius ratione incrementi quo intelligeret amplius requisit. Enimvero cum sine medio sit deo cōiunctus purus intellectus natura factus est, nec more nostro exercitatione ad intelligendum indiget, cuius esse nullam admittit corruptionem. Itaque suo adherens obiecto per affectum amoris, deum, quem ceterum suae beatitudinis esse intelligit, immediate & immobiliter contemplatur & diligit, beatus est, & nullam sui alterationem pertimescit. Humanus vero intellectus quem nostri praecipue animam vocauerunt, a principio quidem in omni ignorantia creatus est, & nihil eorum nouit quae angelicus intelligit a natura. Differunt autem isti duo intellectus sicut actus & potentia, lux & tenebrae, scientia & ignorantia, habitus & priuatio, principium & finis, simplex & compositum, substantia & accidens, natura & ars, veritas & similitudo. Omnia namque scriptura testante diuina, quae angelico intellectui a natura insunt & a principio, humanus consequetur per artem in fine, sicut dominus Iesus in sancto euangelio dicit. In resurrectione mortuorum neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli dei in caelo. Ut enim mens exerceatur ad intellectum per multos labores quasi per artem, in ergastulo corporis ad breue tempus posita est, in quo si conuersa ad deum, artificium suum per amorem rite consummauerit, egrediens tandem hinc, par angelo euadit. Quod si carnis moribus consentiens, ordinem suum non custodierit, perturbata & misera ruentibus apostatis spiritibus similis de corpore in aeternam crucianda emigrabit. Cum enim mens nostra siue anima in rerum omnium ignorantia & priuatione sit creata, necesse est ut continua actione, motu, & arte in rerum notitia perueniat. Finis quippe humani intellectus equat angelico, eius potentia commutans in actum: facietque de priuatione habitum, de vacuo plenum, de imperfecto perfectum, de priuato habitum, de tenebroso lucidum, de nocturno diurnum, de lunari solaré, & de terreno caeleste. Finis iste frater mei charissimi salutis aeternae principium est: ad quem venire nemo foeliciter sufficit, qui non totis viribus ad apicem perfectionis tendit. Verum cum sit difficile in medio turbarum hunc necessariū proficiendi conatum semper infractum tenere, ubi mille peccandi prebentur occasiones, sancti patres ordinis monastici fundam-

fundatores verbo & exemplo nos docuerunt mundum fugere, & non solum animo sed etiam corpore frequentiam declinare. Ex eis qui fortiores erant animo, plures conuolauerunt ad eremum, ut eo mēte fierent propinquiores domino, quo corpore longius recesserunt a mundo. De quibus dictum Esaias propheta legimus: Exultabit solitudo & florebit quasi liliū, germinans germinabit & exultabit laetabunda & laudans. Alij vero cupientes prodesse multis, instituerunt coenobia, in quibus multitudinem collocarunt monachorum, quorum conuersatio sequebatur effectum a populis, & nihilominus sibi mutuo fieret socialis. Non enim omnibus conuenit sedere in eremo, quibus in medio fratrum magis congruit domino militare. Nam & monasteria nostra solitudinem habent suam, ut qui voluerit esse solitarius possit in medio fratrum, dum cella in qua moratur continuauerit secretum. Monachus enim secundum dominum sui interpretationem solitarius dicitur: propterea quod mente & corpore a tumultu huius mundi segregatur. Vnde sermonem hodiernum facturus ad charitates vestras, moneo vos paterna sollicitudine & rogo, ne frustra tantundem fuerim locutus, qui nihil aliud quaero nisi vestrum bonum, nihil magis cupio, quam vestrum in spirituali conuersatione profectum. Rogo inquam vos & hortor in visceribus fraternae charitatis, ut cellae quietem diligatis, tamquam salutis vestrae officinam, in qua pax est multa diligentibus deum, & magna commoditas proficiendi ad cognitionem summam veritatis intellectum. Dicit enim propheta Esaias: In silentio & spe erit fortitudo vestra. Qui non amat solitudinem cellae & quietem silentij, mentis puritatem nequaquam diligit: sed corpore vagus, nouas semper animo vanitates haurit. Hinc diuus Hieronymus ait: Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censetur? Mihi enim oppidum carcer est, solitudo paradysus. Si nos fratres eremum delectaret ac solitudo, magna locus iste propositio nostro commoditatem praestaret, ubi praeter pauperes rusticanos hospes rarus occurrit, nemo turbat quietem nostram, nemo molestat, nemo spectacula vel rumores introducit momentaneae nouitatis. Sed paucos inter vos amatores internae quietis cerno, & doleo vehementer, propterea quod optime sciam monachum non posse in spirituali conuersatione proficere, quem constat cellae quietem non amare. Qui autem nouit quantum animae conferat bonum solitudinis secretum, cellam suam diligit, nec facile

foras egreditur, semper metuens in tumultu perdere, quod magno in abdito labore congregauit. Nam ut sanctus Augustinus dicit, minus voluptatibus stimulari, qui non est ubi frequentia est voluptatum: & minus auaritia molestias patitur, qui procul ab hominibus positus diuitias non videt. Cum ergo sanctus dei spiritus mentis amet secretum, horreat autem publicum, ad vos pertinet fratres cellarum solitudinem ut omnium ergasterium virtutum diligere, & ab eius habitaculo sine causa rationabili se nunquam alienare. Monachus enim secreti amator non ociosus, qui didicit fortiter in cella consistere, multis interdum sanctis consolationibus fruitur, quibus vagus & inquietus necessario priuatur. Quae admodum piscis si diutius teneatur extra aquam, moritur, ita monachi omnis perit deuotio si crebrius extra cellam euagatur. Iohannem imitemur Baptistam, quem Chryostomus principem dicit esse monachorum, qui monachus statim ut natus est in eremo viuere, in eremo nutritur, & Christum in solitudine monachus expectauit. Nam sicut difficile est arborem iuxta viam positam fructus usque ad maturitatem seruare, sic difficile est monachum extra cellam suam crebro vagantem, & in actibus mundi occupatum, iustitiae fructus usque ad finem immaculatos custodire. Recedamus igitur de via secularis tumultus, & plantemus nos in secreto monasticae solitudinis, ut nec mundus habeat nobiscum quicquam commune, nec nos cum illo. Mens enim quae curis & sollicitudinibus mundi concutitur, raro in dei amore veraciter radicatur. Motus etenim corporis statim frequenter alterat mentis, & homo qui semper in externis mergitur, seruire diuini spiritus nunquam illustratur. Quies namque mentis ex solida consistentia corporis nascitur, & vir qui solitudinem pro dei amore diligit, fortior & sibi vnitus in sancto exercitio consistit. Quisquis igitur in vobis est frater salutis propriae studiosus amator, discat quietus in cella consistere, & quantum potest studeat se in operibus diuini amoris eum desiderio iugiter occupare. Esto autem quietus in cella non ociosus, tranquillus non somnolentus, spirituali semper exercitio deditus, non corpore animi dissolutus. Instrumenta vero spiritualium in cella exercitorum sunt quatuor, legere, scribere, orare, ac meditari: quibus vero paucis conceditur, qui post veram cordis puritatem in montem contemplationis domini eleuantur. Denique quatuor ista monachorum exercitia in solitudine cellae manentium, ita sunt moderanda, ut neque tedium gene-

Spes vitae longioris multos fallit.

Mar. i.

A dhortatio ad amorem quietis.

Esa. 30.

Solitudo vnde inducitur.

Iohannes Baptistam principem monachorum.

Exercitia spiritualia in solitudine & silentio, quae.

rent, neque mētis torporem, sed cuiq; actio-
ni tempus congruum deputetur, vt dum vi-
cissitudo mentem alleuiat, vltra vires cor-
pusculum non grauetur. Habeat igitur ho-
ram suam conuenientem studio diuinarum
lectio scripturarum, quæ cum senserit deu-
otionis adesse desiderium, mox in orationem
feruidam commutetur. Manualis autem la-
bor qui monacho commoranti sub trāquil-
litate solitudinis indicitur, vtilis est valde ne
perniciosa in mente tepiditas oriatur. Nam
lectio sanctorum scripturarum ad dei chari-
tatem monachum excitat, meditatio autem
passionis dominicæ ac beneficiorū dei men-
tem ad feruorem amoris ardētissimi inflam-
mat, oratio vero infirmum animum confir-
mat, & manualis labor temperate continua-
tus, a torpore & tædio conseruat. Cū oramus
instanter & deuote, cum deo nostro vbique
præsente loquimur: dum vero in sanctis scri-
pturis legimus, quid nobis sit appetendū aut
fugiendum, ab ipso domino edocemur. Ora-
tio si fuerit ardens in dei amore, mentem a
peccatis & vitis purificat, lectio autem in-
struit & informat, sancto dicente Isidoro.
Orationibus, inquit, mundamur, lectio-
nibus instruimur. Vtrunque bonum est, si licet:
si non licet vtrunque, melius est orare quàm
legere. Monachus ergo qui tempus suum in
cella cupit vtiliter & fructuose expendere, his
iugiter exercitiis per vices studeat mentem &
corpus occupare, quoniam animus qui tan-
tis laboribus inuigilat, nullum perueris cogi-
tationibus aditum præstat. Hinc diuus
Hieronymus monachum admonens dicit:
Semper aliquid boni facito, vt diabolus in-
ueniat te occupatum. Minus enim pulsatur
illecebris carnis, qui semper occupatus vtili-
ter, nullum admittit fastidium mentis. Enim-
vero dum cautus animæ suæ custos mona-
chus quisque ab vnus boni operis exercitio
in aliud cum desiderio feruoris sancti per vi-
cissitudinē rapitur, ad constantiā omnium virtu-
tū roboratur, & tanto minus tædium incidit,
quāto magis variari studium, & alternis cōtra
fastidiū vti consuevit. Vnde rursus Hiero-
nymus ait: Lectionem frequenter interrom-
pat oratio, & animam iugiter adhærentem
grata vicissitudo sanctæ operationis accen-
dat. Monachus qui non amat cellæ secretum:
verus Christi miles non est: quoniam nomen
monachi & habitum portat sine operibus: &
qui solitarius esse pro dei amore debuerat,
mente reuersus ad seculum, vanitatis studium
amat. Hinc diuus papa Gregorius ait: Qui
corpore remotus ab hominibus viuunt, sed tu-
multibus conuersationis humanæ, terrenorū

se desiderio cogitatione immergit, nō est so-
litaris, quāuis in solitudine commoretur.
Si vero prematur aliquis corporaliter popu-
laribus turbis: & tamē nullos seculariū cura-
rū tumultus in corde patiatur, nō est in vrbe,
etiam si in medio hoīm conuersetur. Et hoc
est quod contra Iouinianū sanctus dicit Hiero-
nymus: Sapiens, inquit, nunquam solus esse
potest. Habet enim secum omnes qui sunt
& qui fuerunt boni, & animum liberum, &
quæcunque vult profert, & transfert se quo-
cunque voluerit. Quod enim corpore non
potest, mēte complectitur, & si hominum in-
opia fuerit, loquitur cum deo. Nunquam er-
go vir bonus solus erit. Itaque consistens in
cella tua, semper ocium caueto, quoniam ni-
hil ita vires mentis eneruat omnes sicut ocium,
posteaquam ex se produxerit acediam. Si
deum ardentem amaeris, nūquam eris ocio-
sus, qui a veris Christi amor non sinit in ani-
mo nasci torporem, sed impellit semper ad
voluntatem dilecti amantem. Et sicuti qui-
dā carnaliter sapiens veraciter dixit, qui non
vult fieri desidiosus, amet, ita nos docuit ex-
perientia in amore spirituali, quia mentem
quam inhabitare cœperit, torpescere ocio &
ignauia non permittit. Semper enim ad me-
liora diuinus amor impellit, & quanto plus
ardendo profecerit, tanto sui maius incremē-
tum sumit. Huius vero ergasterium amoris
est conscientia munda, quam si monachus &
habere & conseruare mundam desiderat, ne-
cesse in primis est quod mundi vanitates &
rerum temporalium negocia contēnat. Non
enim possibile est quod geminus in vno re-
sident pectore amor, nec praualeat homo
diligere Christum, qui non vult contem-
nere mundum. Deus nanque in trinitate persona-
rum cum sit in essentia substantiæ vnus, aut
solus a nobis diligitur, aut cum socio nō ar-
matur. Vt igitur conscientia in omni purita-
te permaneat munda, vtque deum amare
mens valeat super omnia, secretum cellæ mo-
nachus diligit, & nunquam ab internæ dul-
cedinis exercitio recedat. In cella enim boni
& sapientis monachi summa tranquillitas est:
& si vspiciā est paradusis terrestris, in mona-
sterio est eorum, qui ad puritatem institutio-
nis cœnobiticæ cōuersantur. Est ibi pax, pie-
tas, bonitas, lux, virtus, honestas, est ibi gau-
dium, puritas, dulcedo, & magna vitæ tran-
quillitas, vbi monachus orator deuotus cum
domino loquitur, & futura cœlestis regni sua-
uitas a contemplatio milite prægustatur.
O cella monachorum deo veraciter seruientium
paradusis, tu certe ortulus es honestissimi-
mæ voluptatis, in quo mens deo per amorem

Vir bonus
nūquam
solus.


Amor
dei non
quā ocio-
sum
sinit esse
hominem.

Paradi-
sus in sym-
bolis
noster

con-

coniungitur, & per desiderium dulciter ele-
uatur. Monachus qui te diligit veneratur &
colit, verus Christi miles est, & domino in ple-
nitudo virtutum deseruit. Ille vero qui cel-
læ secretum abhorret & deserit salutis pro-
priæ officinam contemnit. Vos igitur fratres
mei charissimi precor vt secretum cellæ in-
cipiatis cum desiderio mentis incolere, sine
cuius amore nullus ad perfectionem virtutū
in cœnobio poterit peruenire.

De labore Monachorum manuali.
Homilia VII.



Abores manuum tuarum
quia manducabis, inquit
propheta domini, beatus
es & bene tibi erit. Si beati
cēsentur omnes qui pro-
prio manuum vicitur de
labore: nemo certe panē
manducat sine reatu & crimine ociosus. O-
mnipotens nanque deus hanc protoplasto
Adæ poenam pro mandati originalis trans-
gressione inflixit, denunciāns ei, quoniam in
sudore vultus sui cibum de terra manibus o-
peraturus esset. Cum autem in Adam pecca-
uerimus omnes, eisdē necessario poenis sub-
iicimur, quibus illum constat fuisse supposi-
tum. Manibus ille suis laborabat escam vnde
viueret, nec panē ociosus manducabat. Hinc
diuus pater noster Benedictus ocium dete-
ctans monachorum, in regula quam nobis
tradidit, inquit. Ociositas inimica est animæ,
& ideo certis temporibus occupari debent
monachi in labore manuum, certisque iterū
horis in lectione diuina. Tūc enim verē sunt
monachi, si labore manuum suarum viuunt
sicut & patres nostri fecerunt & apostoli. Vn-
de & sanctus Christophilus Paulus in episto-
la dicit: Qui non laborat, non manducet. E-
rat in primordio monastici status ista cōsue-
tudo monachorum, vt nullum sine labore
admitterent in sui consortium, nō tam pro-
pter victus necessaria, quā propter animæ
salutem, ne perniciosus cogitationibus per o-
cium daretur occasio. Non erant monachis
illo tempore census, non decimæ, non redi-
tus, non proventus vlli annuales, sed victum
& vestitum omnes in communi cōuersantes
manibus sibi procurabant, neminem debi-
ti exactione grauantes. Sancti quoque sal-
uatoris nostri apostoli cum haberent pote-
statem de prædicatione euangelij viuendi,
manibus suis laborare maluerunt, ne quem
fidelium grauasse viderentur, & vt haberent
non solum vnde ipsi viueret, sed etiam quod

Psal. 127

Genes. 3.

1. The. 3.

Nemo
oluit mo-
nachus si
ne labo-
re ma-
nuum.

1. The. 3.

indigentibus necessaria ministraret. Verum
posteaquam census monachi habere cœpe-
runt & reditus, pristina mox simplicitatis stu-
dia defecerunt, creuitque paulatim cum di-
uitiis rerum temporalium superbia, inactum
vt labores manuum omnes cum tēpore mo-
nachi recusarent. Quādiu fuerunt paupe-
res monachi & genere humiles, deum in ve-
ritate coluerunt: postea vero quā diuitiis
abundare cœperunt, simplicitatem fugauit
duplicitas, & elatio nobilium humilitatē mo-
nachorum extirpauit. Integritas nanque ob-
seruantie regularis abundantiam peperit re-
rum temporalium, sed paulatim diuitiæ mo-
nachorum puritatem ordinis funditus ex-
tinxerunt. Sublata vero integritate obserua-
tie regularis, mox etiam in multis cœnobiis
diuitiæ rerum temporalium iusto dei iudicio
defecerunt. Ex eorum numero præfens mo-
nasterium fuit Spāhemense, neque vltimum
fratres mei neque primum quod multis an-
nis in vtroque statu miserabiliter mansit de-
solatum vsque adeo quod quinque in eo dā-
taxat monachi vitam agentes dissolutam: nō
haberent vnde sibi vitæ necessaria desume-
rent. Vnde misericordia dei tandem prouide-
nte, Fridericus dux Transiluanus inuoca-
to patrum ordinis reformati cōsilio anno
Christianorum sexagesimo nono supra qua-
dringentesimum arque millesimum, defor-
matus vira monachos expulit, abbatem no-
mine Ottonem de Colonia deposuit, & alios
de obseruantia Bursfeldensium ex cœno-
bio montis speciosi nuncupatos, quatuor in
hoc monasterio collocavit: quibus abbatem
præfecit Ioannem ex nobili familia de Bu-
disbach, quam vulgo de Carbonaria domo
nuncupant: virum qualem vidistis & audi-
stis æterna memoria dignum, qui locum hūc
in extrema paupertate reperit, & annis ferme
quatuordecim in magna patientia præfidens
in eum statum quo nunc viuimus reuocauit.
Vnde cum nos inopia rerum temporalium
adhuc grauiter premat, opus continuo esset
labore, quo nos victu aleremus necessario, &
domum dei, in qua versamur, ab ere soluere-
mus alieno. Sed qui sunt vestri labores, aut
quantum nobis ad tam grandia conducere
possunt? Numero sumus pauci, & rusticanos
ad labores inepti, nec permittit nos ordinis
sacerdotalis institutio totum in agro diē la-
pides manibus versare, & diuinam intermit-
tere seruitutem. Miseri sumus, & nimia pau-
pertate inopiaque omnium necessariorum
depressi: & si multum laborauerimus, parum
exinde proficimus: et si parum fuerimus ope-
rati, amplius certe animo deficiemus. Homō

Diuitiæ
& ceterus
ingēs con-
nobis in
labes.

Puritas
vitæ mo-
nasticæ
diuitias
peccat,
eadem
exclusa
excludit

enim scriptura testante nascitur ad laborem quemadmodum auis ad volandum. Ne igitur panem vestrum manducetis ociosi, semper vos aliquo labore honesto & vtili oportebit esse mancipatos, quo & mens à rege releuetur obseruantia regularis, & inopia grauis vel in paruo saltem reparetur. Mesis tempore ad fœnũ, & autumnii diebus ad vindemiam vos duntaxat extra monasterium cõsueuimus occupare, quando videlicet labor & multum est necessarius, & mercenariorum caritas precium mercedemque adauget famulorum. Reliquo vos tempore in cœnobio decreuimus continere, propterea quod labores vestri comparatione impensarum monasterij vtilitatibus parum cõducunt, & voluntarij ad rusticana studia paucissimi vestrum, vt nobis videtur, libenter occurrunt. Est & alia consideratio quæ animum concitat meum, ne vos externis operibus manuũ de facili occupet sine causa rationabili & necessitate manifesta: experior etenim quod labores huiuscemodi operis nõ conueniunt in vobis obseruantia regulari, sed integritatem monasticæ disciplinæ apud vos magis destruant quàm promoueant. Erubescio dicere & nihilominus effari compellor, vestros labores extra monasterium & cellam plus destructionis afferre puritati animarum quàm salutis. Quid enim laboratis, & quæ sunt studia vestra in laboribus? Nonne vagari, discurre, comestationibus indulgere & poculis, ac reliquum temporis sermonibus occupare vanis & inutilibus? Non habetis in vobis illum spiritus dei sanctum feruorem, quo prius institutio nostræ monachos legimus quondam inflammatos, qui pro necessitate communi tanto desiderio, tanto studio, tantoque conatu omnes & singuli manibus suis laborabāt, vt putassetis omne monasterij negocium in vniuscuiusque prouidentia locatum. Ita enim laborabant ac si manibus suis singuli omnem enutrire congregatione debuissent. Inter hæc tamen diuini cultus obsequium tanta cum alacritate die ac nocte persoluerunt, quasi laboribus manuum in nullo penitus fuissent occupati. Quis talium in vobis imitator est fratres, vt inopiam communitatis nostræ totius vel suam existimet, vel sudore vultus sui laborando pro viribus studeat releuare? Illi manibus laborantes, continuis deum cordibus exorabant: vos autem fabulis intenti, nec manibus officio satisfacitis, nec monachi mentibus. Tempore quoque ieiunij regularis, illi statutum sibi abstinentiæ modum aut diligenter custodiebant, aut si præ magnitudine laborum nequiuissent, ideo

Ardor
antiquorum
monachorum
in labore
manuum.

manducabant, quatenus laboribus apti & idonei redderentur. Vos autem nõ manducatis vt laboretis, sed laboratis potius vt manducetis quando ex regula fuerat ieiunandum. Occasionem ex labore sumitis, vt ieiunium soluatis. Cæterum quàm immunde & vilissime nonnulli ex vobis tractent indumenta sua, quis regularis disciplinæ studiosus amator æquanimitate ferat? Cuiusnam sunt fratres mei quæ dispensiose consumitis? Christi patrimonium est omne quod pertinet ad monasteria feruorum dei, totumque deo dicatum est, nec rebus Christi cuiquam licet abuti, vel eas in vsum alium commutare. An nescitis quid vobis sanctus legislator noster Benedictus dicat in regula? Si quis sordide aut negligenter res monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat. Et in capite de cellario monasterij dicit: Omnia vasa monasterij cunctamque substantiam ita seruet, ac si altaris vasa sacra ta conspiciat. Denique tacere non possum nec debeo certe quàm sordide ac negligenter plerique vestrum tractent omnia, quasi vel non conspiciantur à deo, vel nullum eorum rebus cœnobij pariat detrimentum ignauia. Scitote fratres quoniam prænunciās annuncio vobis quod pro his omnibus, sicut & pro aliis peccatis vestris domino deo rationem estis reddituri. Labores extra monasterium propterea vobis minui, ne grauius male operando peccaretis, & iniunxi vobis opus manuale, scribere, libros ligare: hisque similia quæ cum tranquillitate mentis & corporis intra septa monasterij potestis perficere. Vtinam vel ista manuum vestrarum opera cum diligentia pro dei amore faceretis, ne panem in toto comedatis ociosi. Nullum est opus manuale, quod monachum meo iudicio plus deceat, quàm libros sacræ lectionis scribere, & scribentibus aliis necessaria preparare. Hunc enim sanctum laborem oratione plerumque licebit interrompere, & pro cibo mentis non minus quàm corporis vigilare. Necessitas etiam nos vrget libris scribendis cum diligentia intendere, si cupimus habere ad manum, vnde nos mutuo possimus in studio spirituali vtiliter occupare. Cernitis enim huius cœnobij bibliothecā omnem, quæ olim fuit insignis & magna, per deformatos ante nos monachos vsque adeo distractam venditam & alienatam, vt ultra quatuordecim volumina non fuerint hic à nobis inuenta. Industria quidem impressoriæ artis nostris diebus nuper apud Moguntiam inuenta multa quotidie volumina producit in lucem, sed comparare nobis omnia nequaquam est possibile, qui

scriptio
librorum,
opus monachis
dignum.

Ars excusatoria
librorum,
Moguntia
reputata à
quodam
peccatore,
qui

q̄ adhuc maxima deprimimur egestate. Quo circa vos moneo & horror qui ad externos manuum labores non satis libenter occurrit, quatenus ad honorem dei scribendis voluminibus quàm diligenter laboretis, quia sicut ociositas inimica est animæ, sic labor moderatus spiritualis conseruator est vitæ. Monachus enim quia miles est regis æterni, nunquam debet esse ociosus. Ocium nanque parit acediam, & illa introducit animæ perniciosam mortis egestatem. Labores autem monachorum ita sunt moderandi, vt nunquam à diuinis vacent colloquiis, sed inter opera manuum, in corde meditatio ferueat scripturarum, quæ posteaquam in ardorem spiritus mentem perduxerit, mox in orationem deuotissimam cõmutetur. Sit ergo monachus Christi miles sicuti animal dei mundum quod ruminat, habens semper in ore cordis sui sanctarum pabula scripturarum, ne vanis & perniciosis cogitationibus mens pateat, aut verbum ex ore loquentis turpe siue ociosum erumpat. Memor sit semper inter operandum scripturæ dicentis: Beatus vir qui in lege domini meditabitur die ac nocte. Omnis enim qui dominum lesum in veritate diligit, doctrinam simul & passionem eius in corde suo cum lachrymis & orationibus quotidie reuoluit. Verus nanque dei amator nõ est, qui mandatorum eius vel ad momentum obliuiscitur. Enimvero sicut ait scriptura, qui diligunt dominum, requirunt quæ beneplacita sunt illi: & qui timent nomen sanctum eius, replebuntur lege ipsius. Hinc quidam sanctorum dixit ad dominum: In corde meo abscondi eloquia tua, vt nõ peccem tibi. Excitandus ergo semper animus, & stimulis spiritualibus quotidie renouandus, ne vel ignauia torpeat, vel inertis ocio languescat. Laboris monasticæ institutionis exercitium, lectionis & orationis studium, & diligens custodia vigiliarum, vera sunt incitamenta virtutum. Nihil autem sancto proposito monachi perniciosius ocio, quoniam & carnem excitat in libidinem, & mentis omnem eneruat virtutem, extinguitque spiritus feruorem. Omnium enim fomes & nutrimentum malorum in claustro est ocium. Vbi cumque igitur fueris siue in agro siue in claustro, semper ocium vt perniciosissimam animæ pestem fugito, mentem ornans & exercitans vel oratione vel meditatione scripturarum. Cum bonis & studiosis dei amatoribus cõuersare libenter, negligentes vero & salutis propriæ contemptores deuota. Qui enim picem contingit, inquinabitur ab ea: & qui socium se facit peccatorum, non erit immunis à scelere. Sermo

Monachus
cuius
animal
mundum,
semper
quodpiam
sanctum
ruminat.

Psalm.

Ecclesi.

Psalm.

nes tuos diligenter considera, vt nulli detrahas omnino, nec alium auscultes detrahentem: quoniam detractor simul & libens auditor vterque dæmoni famulatur, alter loquendo, alter vero auscultando. Labora sicut bonus miles Christi Iesu, & diligenter operare manibus quodcumque tibi ex obedientia iniungitur, nec tibi durum videatur alterius obedire imperio, pro quo spiritui tuo corona æternæ felicitatis preparatur in cælo. Vnde nullus labor grauis, nullum tempus longum, nulla monacho dura videri obseruantia debet, quibus gloria æternæ beatitudinis acquiritur. Breuitatem huius vitæ fratres mei perpendite, & agite bonum quandiu licet, quoniam qui nunc parce seminat, post mortem quoque parce & metet: & pro suo vnusquisque opere mercedem condignam recepturus est, non pro alieno. Laborandi tempus breuissimum est, mercedis vero, quæ bonis debetur operibus, sempiternum. Considerate fratres mei homines mudo implicatos & omnes huius seculi amatores quàm fortes sunt in rebus terrenis atque caducis, in cælestibus vero debiles & infirmi, vt vos intantum deo placere curetis, quantum illi vt mundo diuites appareant & gloriosi, continuè laborant. Nam pro temporali gloria multisque ad mortem defudare non refugunt, sed pro spe futuræ felicitatis etiam parum vel agere vel sustinere contemnunt. Pro terrenis lucris quasi libet iniurias patientissimè tolerant, & pro cælesti mercede sustinere vel tenuissimi verbi contumeliā recusant. Regi terreno principi vel iudici toto die fortes possunt assidere, in oratione autem coram omnipotente domino ad vnus horæ spacium nequeunt perdurare. Multa pro acquirendis perituris diuitiis aduersa libenter tolerant, superna vero bona querere tanto magis negligunt, quanto in amore terrestrium delectabilius occupantur. Horum vos cõuersatio fratres charissimi admoneat omnes huius mundi curas tanto amplius fugere, quanto iam vobis licet minus terrenarum rerum negocia pertractare. Omnem sollicitudinem vestram & curam pro acquisitione cælestium bonorum semper impendite, & pro mercede futuræ beatitudinis omni tempore diligentissime laborate. Nam sicut scriptura testatur, militia est vita vestra super terram, & quæcunque homo seminauerit, hæc & metet. Scitote quia mors quotidie properat, & singulis momentis pars vitæ non amplius reuersura extinguitur. Vigilate igitur fratres mei charissimi, vigilate, quia nescitis quando dominus deus noster ad iudicium mortis vnusquisque venturus sit, sero,

2. Cor. 9.

Monachus
exemplo
secularium
excitatur.

Iob. 7.
Gala. 6.

an media nocte, an gallicantu, an mane: ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere mala omnia quæ futura sunt, & stare cum fiducia ante conspectum filij dei omnia iudicantis. Omnes enim diuo testate Christophilo, stabimus ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Beatus ille monachus quem inuenit dominus in bonis operibus vigilantem, qui se ad nuptias agni caelestis in vera puritate cordis preparauerit, qui occurrere iudici non formidabit. Semper sit illud in cordibus vestris memorabile verbum diui Hieronymi super euangelium cara Matthæum dicentis: Siue comedam, siue bibam, siue aliud quid faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis, Surgite mortui, & venite ad iudicium. Quotiens diem illum cogito futuri examinis, totus corde & corpore contremisco. Vnde si qua præsentis vitæ est læticia fratres mei, ita agenda est, ut amaritudo illius tremendi iudicij nunquam recedat à memoria. O dies illa magna terribilis, tremenda nimium & amara valde, in qua sol & luna obscurabuntur, non diminutione luminis, sed comparatione maiestatis, vbi cessabit omne argumētum excusationis, vbi omnia erunt manifesta, nihilque latere iudicem poterit, quoniam qui nouit occultas cogitationes mentium, tunc palam iudicabit, qui nec gratia præuenitur, nec misericordia flectitur, muneribus & donis non corrumpitur, precibus non mitigabitur, nec satisfactione iam deinceps aliqua placabitur. In hac igitur vita positi fratres, agat vnusquisque vestrum pro anima sua quantum potest, quoniam poenitentia peccatorum hic facta solum est utilis & fructuosa, quadiu locus est veniæ, & sententia adhuc differtur iustitiæ. Qui bene facere ac poenitentiam agere differt vsque ad mortem, damnationi est proximus, quoniam bonum quod sanus & incolumis negligit, raro infirmus & iam moriturus instaurabit. Dicit enim sanctus papa Gregorius: Quisquis poenitentia fructus differre vsque ad mortis horam non metuit, ipse sibi testis est quod poenitere veraciter nunquam in eius mente fuit. Nunc ergo conuertite vos ad dominum nostrum in toto corde vestro poenitentiam agentes coram illo, & sic viuite precor ut cum hinc migrandum fuerit, apparere ante faciem eius non timeatis.

Quod sine intermissione sit orandum.
Homilia VIII.

Ominis ac saluator noster Iesus Christus in euangelio fratres cata Lucam volens nos continuos esse in orationibus, ita præmonuit dicens: Oportet semper orare, & nunquam deficere. Hoc domini cōsiliū præ cunctis mortalibus maxime decet monachos, & omnes in quacunq; religione claustrales, quorum omnis actio & tota vita, immo quicquid faciūt, aut oratio esse debet aut saltem orationi conforme. Dicuntur enim non absque ratione spirituales, quicunq; militiam profitentur monasticam, quatinus ipso moneantur vocabulo, carnis voluptates pro dei amore contemnere, & per veram charitatem in ardore spiritus ambulare. Dicit namque sanctus Christi apostolus: Qui in carne sunt deo placere non possunt, quoniam si secundum carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis. Sciens autem sine orationis instantia feruorem spiritus diu in nobis non posse subsistere, iterum ad Thessalonicenses ait: Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, quoniam hæc est voluntas dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Quis autem sit modus orandi, saluator nos docuit in euangelio dicens: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Et in alio loco dixit ad mulierem Samaritanam: Mulier crede mihi quia veniet hora quando neque in hoc mōte neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales querit qui adorent eum. Spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Orationem esse cordis, potius quam sermonem oris prolixum, ex Christi doctrina constat manifestum, quia cum deus sit spiritus, non aliter quam intimo feruore spiritus venit adorandus. Orationis enim cordis in feruore spiritus magna est virtus, multiplicationis vero sermonum sine attentione mentis nulla omnino utilitas. Hinc sanctus Hieronymus ait: Non in verbis tantum, sed corde orandus est deus. Quapropter melior est quinque psalmodum decantatio cum cordis puritate ac serenitate spiritualique hilaritate quam totius psalterij modulatio cum anxietate cordis atque tristitia. & diuus papa Gregorius: Vera postulatio est, non in oris vocibus, sed in cordis vocibus, hoc est in sanctis cogitationibus. Nam

valen-

valentiores voces apud dei aures non faciunt verba, sed desideria. Exceptis igitur his orationibus quas dicere vel ex decreto ecclesiæ tenemus, vel ex institutione ordinis monastici, prolixitas in reliquis & multiplicatio verborum nihil aut parum conducunt ad veram internamque deuotionem mentis, quoniam vbi non est feruens in dei amore desiderium, superflue extensio introducit sermonum. Dicit enim facer Augustinus: Absit ab oratione multa precatio, sed feruens perseveret intentio, quia multum loqui in orando est rem necessariam superfluis agere verbis. Oratio nanque paucis verbis res multiplices comprehendit, ut cito simplicitas fidei sufficientiam suæ salutis addiceret, & prudentia ingeniorum profunditate mysteriorum stupeficeret. Illis vero quibus propter duritiam cordis, interni defuerit feruoris compunctio, cum se prosternunt ad orationem, sermone prolixiore, clamore & lachrymis opus est, ut diuturna excitatione metis, ignem diuini amoris feruentem in semetipsis tandem excutiat, donec in affectu sanctæ orationis in dei spiritu consurgant. Postea vero quam feruor diuini amoris & compunctionis mentem penetrauerit, iam deinceps non opus est exercitatione verborum, sed spiritualis fomenti continuatio requiritur, ne feruor spiritualis incendij extingatur. In hunc finem sanctissimus pater noster orationem in conuentu abbreviari voluit: ut si quis in spiritu voluerit orare, seorsum possit. Sunt autem nonnulli, qui vsque adeo sunt duri cordis, ut parum vel nihil inter orandum spiritualis inueniant compunctionis, quibus libertas perniciem, & solitudo frequenter parit desperationem. Attēdite quæso fratres charissimi his quæ dico vobis, & pensate quam sitis ad sine intermissione orandum obligati. Non satis est monacho in schola Christi regis æterni ad perfectionem tendenti orationes canonicas persolvere, nec sufficit homini, deo per votum solenniter dicato preces ordinis communes in conuentu adimplere, quoniam qui semper orare sine intermissione præcipitur, ultra verbales etiam ad spirituales orationes obligatur. Nam orationes ab ecclesia vel ordine institutæ, sub merito sunt obedientiæ, & lege necessitatis ratione præcepti. ille vero modus orandi, qui spiritualis dicitur, omni tempore monacho utilis & necessarius ad perfectionem in libertate spiritus roboratur. Vnde notandum quod ad orationes quæ sunt de precepto ecclesiæ vel ordinis, prolatio verborum de necessitate requiritur, cum intentione satisfaciendi statuto quo ad orandum quispiam

tenetur. Viderint illi quomodo satisfaciant mandato ecclesiæ, qui orationes septem canonicas verborum prolatione non exprimunt, sed ore clauso seriem precum sola cogitatione oculis ministrantibus percurrunt. In illis autem orationibus quas non ex mandato sed propria voluntate ex deuotione sola dicendas assumimus, feruor mentis in deum sine prolatione verborum sufficit, quia tales qui adorent in spiritu & veritate deus oratores sicut diximus requirit. Canonicas vero preces quas nuncupant horas, dicere tenemur, & non solum cogitare. Utrobique deuotio mentis ad deum est utilis, sine qua nullæ preces creduntur efficaces. Itaque fratres mei quando stamus ad orationem, summo studio inuigilare debemus & intendere precibus quas fundimus, ne sine fructu internæ compunctionis oreamus. Discedat igitur procul omnis cogitatio carnis, mentem nulla impediatur occupatio rei familiaris, nec aliud quicquam tunc animus cogitet, nisi hoc solum quod precatur. Ideo & sacerdos præfatione ante sacrificium de more præmissa, mentes fratrum parat dicens: Sursum corda, ut dum respondet plebs, Habemus ad dominum, admoneatur nihil aliud cogitare debere quam ipsum quem inuocat deum. Claudatur ergo contra aduersarium peccus, & soli domino pateat, nec in tempore sanctæ orationis quicquam occupationis mundanæ penitus admitat. Magna enim orationis puræ utilitas quæ veluti nunciis fidelis mandatum feruidæ mentis peragit, volansque ascendit in cælum, quod caro non pertingit. Duabus etenim alis sustentatur oratio, quatenus in cælum euolet, quarum altera ieiunium dicitur, altera vero elemosyna nominatur. Hinc sanctus Ioannes dicit Chrysostomus: Nihil potentius homine orante, qui orat cum ieiunio, quoniam duplices alas habet, & neque oberrat neque torpet. Oremus igitur in summo feruore spiritus, & quanta possumus conscientia puritate viuamus, quoniam illius est perfecta & deo placens oratio, cuius & causa clamat & lingua, cuius actus & sermo deprecationi consentiunt, cuius vita & cogitatio patrocinium precibus ferunt. Nam sine iustitia veritatis, omnis erit infructuosa oratio, quoniam scimus quod deus non exaudit peccatores, & quia longe à peccatoribus salus, dicente scriptura: Qui auertit aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Sanctus quoque in psalmo propheta dicit: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet me dominus. Sicut enim in vulnere nullum proficit medicamentum nisi prius extrahatur ferrum, ita nihil proficit illius oratio, cuius adhuc

2. Cor. 5.

Luc. 18.

Orate sine intermissione ne præcipue est monachorum.

Rom. 8.

1. Thes. 5.

Matt. 6.

Ioan. 4.

Oratio potius est cordis.

Oratio nis alas duas.

Ioan. 9. Psal. 118. Prou. 28.

Psal. 65.

dolus in mente vel odium manet in pectore. Ut autem deus orationem exaudiat tuam, in primis oportet vt conscientia mundetur ab omni macula peccati mortalis, & verum mēs propositum subeat emendationis. Multum orare simul & in multis offendere, quid est aliud quàm deū irridere? Duobus etenim modis oratio intercipitur ne à domino exaudiat, altero cum orator adhuc peccando committit malū, altero vero si debitori suo propter deum non dimittit debitum. Tu ergo qui habere fructum orationum tuarum desideras, qui venire ad dei miserationem cum poenitentibus optas, caue ne quid mali cōtra dei voluntatem peragas, & cura diligenter vt omnia in te cōmissa hominibus ex corde veraciter dimittas. Scis enim dixisse dominum: **Luc. 6.** Dimittite, & dimittemini. Postea vero quàm mūdaueris conscientiam tuā à malo, & remiseris omne delictum proximo, iam eris ad orandum idoneus si fueris in seruire sancti propositi recte ad deum ordinatus. Iam nūc accede confidenter ad precandum dominum, prosterne te humiliter in conspectu eius, & ora cū puritate cordis & seruire spiritus, nec deficias ab oratione, quandiu visus in carne. Sit oratio tua pura, simplex, dilucida & manifesta, sit plena grauitatis & ponderis, & decore ornata veræ humilitatis. Non postules quicquam in oratione salutem animæ contrarium, neque pro re temporali nimis importune preceris, quoniam impudentia est vt petas à deo diuitias quæ maximam occasionem præstant superbiæ, & christianam puritatem frequenter commaculant. Nō est impudentia si petas panem quotidianū, quoniam aliud est materiā postulare vnde superbias, & aliud est petere alimentum necessarium vnde viuas. **Luc. 13.** Non te iustifices orans, ne sicut Pharisæus ex eas condemnatus: nec postules quicquam à domino quasi tuorum ex debito meritum, sed humilia te in omnibus, vt gratiā recipere merearis. Memento humilitatis publicani, & cum tanta humilitate ora, vt veniā peccatorum & animi iustificationem cum illo inuenias. Vberior enim est dei gratia quā oratio supplicantis, & plus orantibus nobis tribuit quàm rogamus. Non in clamore vocis orabis ad eum qui nouit abscondita cordis, sed in seruire spiritus & intimæ clamore mentis aures pulsa diuinæ maiestatis. Neque longitudinem protrahas verborum ante eū qui est spiritus, quia non in multiloquio sed in pura mente orantis placabitur deus. In tēpore orationis omnem malitiam & inquietudinem cordis proiice abs te, & quod sæpe dicimus, remitte si quid habes aduersus pro-

Duo im
pediant
orationis
fructū.

Luc. 6.

Quid &
quomo-
do pre-
candū.

Luc. 13.

ximum tuum. Nisi enim proximo tuo debitum omne pro saluatoris amore dimiseris, nihil tuis orationibus à domino impetrabis. Dicitur quoddam esse genus serpentis, quod cū ire voluerit in aquam ad bibendum, prius euomit omne venenum. Imitare & tu monache hunc serpentem in hac parte, omneque venenum iræ & amaritudinis euome, remittens fratri tuo centum denarios, vt tibi remittat dominus decem milia talentorū. **Matth. 8.** Qualem erga te cupis esse dominū, talem te quoque exhibeas ad conseruum. Inuoca dominum ex toto corde tuo, & inuenies eum. Sit oratio ardens atque purissima, vt mēs, tua in eius amore sanctissimo copuletur. Hoc stude in omni vita tua, vt orationem puram offeras domino deo in omni tempore. Nunquam deficias in oratione, nec de misericordia domini desperes. Deus enim quod concessurus est & si differet non aufert. Non leuitate vritur, nec facile sententiā mouetur. quod promissum est fixum, si oraueris instanter, videbis miraculum. Memento te sub dei stare conspectibus, qui omnia cordium secreta intelligit, & mentis abdita nouit. Vigilāter itaque alsiste in conspectu eius qui omnia cognouit, & quāto poteris seruire spiritus ora, vt misericordiam consequi merearis. Nam oratione sancta mundatur conscientia poenitentis, & qui cor suum in vera puritate ad dominum erigit, eius oratio vacua nō redit. **Oratio pura mētē
tis quā
efficit.** O si sciretis fratres charissimi quā gratæ sint deo puræ mentis orationes, & quantam animæ conferant vtilitatem, nullum transire tēpus sine precibus sineretis. Oratio enim nostra si pura fuerit & ardens in seruire spiritus, nunciū est fidelissimū ad deum, pro nobis deo loquitur, & omnia quæ salutem nostram sunt necessaria, obtinet dum precatur. Quocirca vos admoneo & in vera charitate exhortor vt sine intermissione oretis, nec à sancti spiritus seruire vnquam cessetis. Non sit vobis vllum tempus vacuum, vel in torpore mentis ociosum. In timore domini semper quæso vigilēs & solliciti estote, quatenus tentationes imminentes fortiter possitis vincere ac superare. Mox vt cogitationes fordidæ mentem pulsare cœperint, ad studium orationis recurrite, & minime vobis poterunt preualere. Oratio nanque grandis munitio est animæ, in cuius præsentia deficiunt omnes machinationes partis aduersæ. Per orationes enim purissimas omnia nobis à deo tribuuntur vtilia, & cuncta procul effugantur aduersa. Mēs orationibus puris in amore dei valenter accenditur, & quicquid occurrerit leuioris maculæ, orando purgatur. Orationibus sanctis

Matth. 8.

Oratio
pura mētē
tis quā
efficit.

Oratio
non mi-
nus po-
tens quā
breuis
aduersus
omnem
tentationem.

Matth. 7.

Judith. 4.

& continuis mundus vincitur, animæ pestes deuotius precibus sanantur, lachrymis & fletu superatur diabolus, & cui mille cohortes ad pugnandum non sufficiunt, vnus oratione pauperis infirmatur. Quemadmodum à facie ignis cera liquefcens resoluitur, sic ad orationis puræ feruorem omnis dæmonum potentia contrita enervatur. Si cogitatio turpis animo tuo per dæmones immissa fuerit, impresso mox fronti signo crucis dicito. Salua me Iesu Christe, mediator dei & hominum, & cunctam à me hostis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentissimam passionem. Quid hac oratione breuius, quidve potentius esse potest? Nam statim vt contra dæmonum vel præsentiam vel suggestionē cum seruire mentis prolata fuerit, omnis iniquitatis machinatio recedit. Orationis enim puræ virtus est maxima, quoniam & cælum penetrat: & sua constantia debellat aeris potestates. Oratio mētē illuminat, affectum purificat, veniam delictorū impetrat, spiritum in dei amore contra omnes aduersarios confortat. Nihil sic mentem à terrenis ad cælestium amorem eleuat, nihil carnis voluptates tam cito & valenter exterminat, nihil adeo illustrat intellectum, nihil quoque intantum veritatis confundit aduersarium, sicut oratio pura quæ cum seruire diuini amoris ad deū funditur, & bonæ testimonio conscientie decoratur. Si dæmonibus cupis esse terribilis, si dei vis esse amicus, conscientiam habeto puram, & spiritualem nunquā intermitras orationem. Omnia enim deuota potest oratio, si rectitudine fidei & vitæ puritate decoretur. Oratio dæmones fugat, virtutē malignantiū eneruat, languescētē in tepiditate animam sanat, ac debilem & infirmum in dei timore spiritū confirmat. Oratio pura deo facit proximum, & eum quem acceperat seruum, dei facit esse amicum. Oratio pura & seruire in amore dei cælum penetrat, intellectum orantis mirabiliter illuminat, infernum claudit, paradysum aperit, animas fidelium introducit. Veritas enim non mentitur, quæ in sancto euangelio promittit dicens: Petite & dabitur vobis, quærere & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui querit inuenit, & pulsanti aperietur. Quis vestrum in toto corde suo cōuersus ad dominum orauit vnquam & non est exauditus? Aut quis inuocauit dominum, & elogauit se ab eo? Dicit enim scriptura. Scitote quoniam exaudiet dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu domini. Memores estote Moysi serui domini, qui Amalech cōfidentē

in virtute sua, nō ferro pugnando sed precibus sanctis orando deiecit. Multū enim valet **Iaco. 5.** deprecatio iusti assidua, & oratio humiliatis se penetrat nubes. Helias homo erat similis nobis passibilis, & orauit oratione vt nō plueret super terrā, & nō pluit annos tres & menses sex. Et rursus orauit, & cælū dedit pluuiā, & terra dedit fructum suum. Oratione & lachrymis rex Ezechias quindecim annos vitæ longioris obtinuit, & prophetæ sententiā precibus mutauit. Orationibus viri sancti claruerunt miraculis, & supplicantes ad dominū mortuos reuocarunt ad vitam. Orationis etiam puritati subiecta sunt omnia, & nihil est in nobis tam difficile, quod oratio deuota & seruida nequeat impetrare. Tunc autē orātes fiduciā impetrādi quod postulamus à domino accipimus, cū precibus nostris vitæ prauitas nullacōtradicit. Nā iustę precis exauditor est dominus, quando videlicet orationē vitæ cōmendat integritas, & reatus cōscientiæ nullus hæsitare facit orantē. Inter dissimiles non stabit amicitia, & inter deum & peccatorē nō poterit esse cōmunio. Si vis exaudiri orās, cura in primis vt à dei voluntate nō discordes. Viue spiritu persimilis deo, & nullā patieris in oratione repulsam. Enimvero cōscientiæ puritas in seruire diuini amoris hominem deo facit intellectu persimilem. similitudo causat amorem, amor vero introducit familiaritatem, familiaritas confidentiam, & confidentia petitionis consequitur facilem impetrationem. Nam sicut inter dissimili a nō fit vnio, ita inter deum & hominem malum nihil proficit oratio. Quicumque igitur vestrum orationū suarum cōsequi desiderat effectum, in primis per verā poenitentiam cordis sui domiciliū ab omni munda delicto, deinde sanctæ cōpunctionis semetipsum studeat inflāmare exercitio, postea mentem cōtinue pascat in dei amoris studio, quatenus bonū quod inchoat, nullo deinceps tēpore intermittat. Postea vero quàm crescente semper in eo diuini amoris desiderio, sanctæ puritatis exercitium lōgo studio perduxerit in consuetudinem, & mens in bono proposito necessariam cōceperit firmitatem, tunc primum similitudo diuinæ cōmunionis paulatim introducitur, & ad statum debitū oratio formatur. Nā quanto mens in dei amore amplius excitata profecerit, tanto citius oratio quod postulat à domino impetrabit. Solus etenim dei amor facit orationem esse potentem, in quo mens quanto feruentius arserit, tanto facilius petitionum suarum consequetur effectum. Nam si multum amas, multum potes. Deus enim **1. Ioā. 4.** charitas est, & qui manet in charitate, in deo

Iaco. 5.

Ecclesi. 35.

Esa. 38.

Habe
spiritum
dei, & omnia im-
petrabis

manet, & deus in eo. In quo vero manet deus, nihil est illo fortius, nisi deus ipse solus. Sunt inter vos quidam infirmi & debiles animo, qui se iam fortes in via domini existimant atque perfectos, quorum est & rara & horaria deuotio, qui sine veste nuptiali regno se appropinquasse gloriantur caelorum, cum tamen adhuc longe in inferioribus iaceant. His ego quod saepius dixi, iterum dico, quoniam nemo repente fit summus, & nisi monachus omnes passiones suas animales per carnis macerationem domuerit, ad montem diuinae contemplationis altissimum non pertingit. Quisquis enim in coenobio sub potestate & obedientia constitutus, voluntatem suam contra monasticam institutionem sequitur, dignus non est ut in suis orationibus a domino exaudiatur. Isti autem de quibus loquimur, in oculis suis magni sunt & sapientes, qui propriam voluntatem diligentes, ad omnia murmurant, & quicquid ipsi non ordinauerint, male factum putant. Actus fratrum suorum curiosa inquisitione discutunt, suas vero discedere negligentias contemnunt. In moribus sunt dissoluti & incopositi, in verbis leues & clamosi, ad obedientiam inuoluntarij, & semper in bonis operibus tardi & acedia pleni. Communia ordinis exercitia negligunt, priuatis iuxta voluntatem propriam intendunt. Et quandiu in sua temeritate permanent, ad verum dei amorem non confurgunt. Audiatur quid dominus dicat, monachi propriae voluntatis amatores. Non veni ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris. Hunc fratres praecceptorem attendite, ad cuius imitationem nisi vixeritis, sine fructu orabitis. Eius nanque oratione libenter exaudit dominus, qui mandata eius in veritate custodit. Qui vero dei mandatum transgreditur, qui carnis voluptates & mundi solatia cum desiderio sequitur, eius oratio non exauditur. Deus nanque iustus & rectus tunc orationem tuam libenter exaudire creditur, quando mens & vita bona simul deprecantur. Cuius autem conuersatio deo displicet, oratio eius quomodo placebit? Deus enim spiritus est, & homo qui non in spiritu sed in carne ambulat, certe ad deum minime appropinquat. Tu itaque monache qui ad puritatem euangelij & regulae non ambulas, qui propriam non dei voluntatem amas, scito quoniam orationum tuarum non senties efficaciam, nisi prius emendaueris vitam. Nisi enim conuersatio tuae vitae concordauerit orationi, non impetrabis quod precaris. Tunc magna voce clamas ad dominum, quando etiam lingua tacente, bonis operibus clamas. Orationes enim bonae &

Humilitas parat nihil non obtinere.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

conuersatio mala, nihil boni merentur. Fac ergo quod sapiens quidam monuit, Et si peccasti non adicias iterum: sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Ante orationem praepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat deum. Sit mens pura & ardens in amore domini, sit conscientia munda & in sanctae conuersationis proposito roborata, & erit oratio diuinis auribus grata. Si aliter oraueris, nihil impetrabis. Bene orat qui bene uult: & facile impetrat, qui sanctis operibus orat. Denique oratio multum redditur efficax & grata in conspectu dei, si fuerit omni tempore consona passioni domini nostri Iesu Christi. Christus enim deus est & homo, mediator inter deum & nos, per quem tutum accessum habemus ad patrem, sicut ipse testatur in sancto euangelio: Nemo, inquit, uenit ad patrem nisi per me. Vnde nulla praetereat dies, in qua Christo, ad minus semel, orando gratias non agas, qui suorum dolore vulnerum animae tuae sanauit languores, qui sanguinem pro te suum effudit, & morte sua innocetissima de mortis perpetuae interitu te miserum redemit. Homo certe in gratissimus est, & christiano vocabulo indignus, qui tantorum beneficiorum Christi usque adeo fuerit obliuiosus, ut non quotidie uel semel ad minus gratiarum illi referat actiones. Monachus autem qui seculo mortuus deo soli uiuere iubetur, dominicae passionis memoria in suo pectore iugiter portet, semper gratias agens suo redemptori, semper benedicens, semper adorans, & quotidie, immo quantum fieri potest, singulis momentis amaritudinem uulnerum Christi cum lachrymis compartiendo reuoluat. Omni die post orationes singulas regulares, quas Graeci appellant canonicas, flexis genibus & eleuata mente in caelum dicat: Gratias ago tibi & benedicens adoro te o mediator dei & hominum Christe Iesu dulcissime, deus & homo, pro incarnatione tua sanctissima, pro natiuitate tua ex uirgine, pro circumcisione, pro fuga in Aegyptum & septenni exilio, quod pro nobis sustinuit. Adoro te domine saluator Iesu Christe pro laboribus tuis, pro fame & siti, frigore ac nuditate, pro itineribus tuis, pro doctrina & praedicatione tua, pro miraculis tuis pro uocatione gentium, & pro iustificatione peccatorum. Ago tibi gratias domine filii dei uini, pro dolore uulnerum tuorum, benedico te pro effusione sanctissimi sanguinis tui, adoro te pro morte tua quam innocetissime sustinuit, & rogo te per omnem passionem, pietatem tuam & clementiam miserere mei nunc & in hora mortis meae. Haec breuissimam orationem in die ad minus septies deuotus monachus perorabit, & quoties coram imagine crucifixi transferit simili-

Ecclesi. 2.

Bonauit, bona oratio.

Ora per uirtute crucis Christi.

Ioan. 14.

Oratio est gratiarum actione post preces canonicas.

simili modo cum feruore mentis Christum adorabit. Quiverus Christi amator est, Christum semper cogitat, Christum loquitur & ueneratur, Christum sibi non dubitat ubique esse praesentem. Eius memoriae passio Christi nunquam deest, & praeter amoris magnitudine seipsum obliuiscitur, & in Christo mente & desiderio totus occupatur. In amore Christi quisquis feruet animo, terrena continent, carnem vincit, sola caelestia concupiscit. Christum vigilans semper cum desiderio cogitat, dormiens Christum somniat, & continue suspirans, cum diuo Ignatio clamat: Amor meus crucifixus est. Suspiriis coniungit suspiria, & Iesum quem toto corde suo diligit, non oculis sed spiritu praesentem cernit. Virgente amoris desiderio quotiens crucifixum intuetur, mox in lachrymas resoluitur & astuans charitatis incendio uociferatur. O amor cunctis fortitudinibus fortior, quam dulciter ardet qui Christi desiderio inflammatur. Recte locutus est qui dixit: Fortis est ut mors dilectio. Quid enim fortius esse potest amore Christi, cuius ardore sancti martyres tot milia genera mortis contententes superauerunt? O amor crucifixus meus miserere mei, da mihi eam de qua loquor, dilectionis tuae sentire dulcedinem, ut semper in corde meo circumferam tuam amarissimam passionem. Scio fratres mei scio quod non est efficacior modus orandi, nec utilior nobis qui adhuc sumus infirmi, quam in memoria & uirtute passionis domini nostri Iesu Christi. Vnde cum sit manifestum quod sine mediatore non est ascensus mentis ad deum, omne opus bonum in Christi nomine est inchoandum, quia tunc preces ad deum uiliter effundimus cum purificata conscientia per eius unigenitum filium oramus.

Amor meus crucifixus est.

Amor Christi nihil fortius.

Prou. 6.

De custodia & origine cogitationum. Homilia IX.



Alomon rex ille quondam sapientissimus in libro quem prouerbiorum praenotauit, filium ad veram cohortans sapientiam, inter caetera dixit: Filii mi attende sapientiam meam, & prudentiam meam inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent. Non enim minima sapientiae pars est fratres charissimi, si sciat monachus cogitationes suas prudenter discernere, & earum motus omni tempore sollicito custodire. Magna res est nihil cogitare mali, sed non minoris prudentiae malas ab exordio cogitationes

posse repellere. Humani etenim cordis profunda sententia, mobilis, varia, multiplex & instabilis semper, cuius obseruare principia, & refrenare motus, summa prudentia est, & magnum sapientiae signum. Mola si dixerio perpetuo motu agitaram cor hominis, a veritate non aberrauit, maxime si quis eius inquietudinem adamulsum penficulare uoluerit. Quidnam aliud est cor humanum quam mola quaedam in motu semper conterens aliquid? Nunquam est ociosum cor humanum, nunquam sine motu quiescit, sed agit semper aliquid: & sicut mola semetipsam consumit uacua motu proprio, ita cor hominis a semetipso turpiter destitit, dum illud boni cogitatio non constringit. Semper mouetur in aliquod obiectum cum amoris sui desiderio, semper molit, semper agit, semper circa aliquid occupatur delectabile, siue bonum sit siue malum. Sicut corpus non mouetur sine anima, sic mens hominis non manet fixa in bono nisi continue restricta fuerit per sancta exercitia. Propterea dixit in Ecclesiastico uir sapiens: Iucunditas cordis haec est uita hominis, & thesaurus sine defectu sanctitatis, & exultatio uiri est longeuitas. Miserere animae tuae placet deo, & contine & congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitia longe expelle a te. Quid est congregatio cordis, nisi diligens custodia cogitationis? Cor etenim suum in sanctitate domini congregat, qui motus cogitationum suarum in timore dei iugiter obseruat. Et ideo scriptura dicit: Omnia custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso uita procedit. Sumunt autem cogitationes motuum suorum principia ex his quae offeruntur a sensibus, quae tanto euagantur periculosius, quanto minus iudicio rationis ab exordio considerantur. Quisquis igitur cogitationum suarum uigilans esse desiderat, quisquis congregare cor suum in sanctitate domini operatur, sensus suos exteriores in primis diligentissime custodiat, & frenum prudentiae singulis imponat. Hinc de auditu & visu scriptura sic praecipit. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & feras auribus tuis. Beatus homo qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum. In sancto quoque Iob sic legimus: Peperigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de uirgine. In eos uero qui ministerio sensuum corruerunt in foueam peccatorum, sic dominus contestatur per prophetam Hieremiam: Quia ascendit mors per fenestras uestras, ingressa est domos uestras disperdere paruulos foris, & iuuenes de plateis. Mors per fenestras domos, nostras ingreditur, quotiens iniqua cogitatio per ministerium uisus uel auditus

Cor hominis mola est perpetuo motu.

Ecclesi. 30.

Prou. 4.

Cogitationes ex sensibus oriuntur.

Ecclesi. 2.

Esa. 33.

Iob. 31.

Hier. 9.

ad mentem incommittitur. Domus enim conscientia est, de qua scriptura dicit: Nisi te instanter tenueris in timore domini, cito subuertetur domus tua, quod est conscientia. Domus hæc fragilis est multum, & cito subuertitur, nisi continuo exercitio timoris domini muniatur. Nisi enim dominus custodierit domum, frustra vigilat qui custodit eam. Timore igitur domini munitenda est domus conscientia. Sensus quoque diligentissime refrenandi sunt, quia custodire cogitationes suas non sufficit, qui aures & oculos ab occasione mali non auertit. Itaque si vis cogitationum tuarum custos esse prudens, & verus congregator cordis in sanctitate domini, sepi aures tuas spinis compunctionis timoris dei, ne audiant malum, & oculos auerte tuos ne per visum introducant peccatum. Quod tibi non licet concupiscere, noli cum desiderio videre: & quod habere non expedit, noli cogitare. Multi perierunt ministerio sensuum, & qui videre incaute pergunt externa, sepius interiora sua bona turpiter amiserunt. Qui non timet periculum, iam certe prope interitum est: & qui de sua virtute præsumit, ad ruinam peccati festinanter currit. Qui oculum vibrat in choruscationem fulguris, excæbatur ad horam: & qui considerat speciem mulieris, non erit immunitus à periculo. Illius laudo prudentiam monachi qui in medio turbarum est solus, & sensibus suis præponit censorem, ne quid introrumpat mali ad dominam. Statuit iuxta portam custodes, qui gladio & fuste repellant incompositè irruentes. Timor enim domini sanctus nunquam deserit mentem viri sapientis, sed tanquam pugil fortis & vigilans semper ad latus stat principis, ita custodit dominam cordis. Auertit aures suas ab omni scurrilitate verborum, & claudit oculos suos ne videat malum. Semper incedit iuxta duodecimum humilitatis gradum defixis in terram aspectibus, orans cum propheta ad dominum: Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me domine. Ita vos moneo fratres, sensus vestros in timore domini dirigite, vt cordis domicilium semper mundum & inuolatum possitis custodire. Memento te scripturae dicentis: Mundamini, qui fertis vasa domini. Considerate precor quanta oporteat vos nitere munditia & puritate mentis, qui non solum ratione ordinis sacerdotalis vasa domini fertis, sed quod est amplius, etiam vos ipsi vasa domini estis. Dicit enim sanctus Christophilus Paulus: Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Et iterum dicit: An nescitis quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in

vobis est, quem habetis à deo, & non estis vestri? Ac alibi: Templum enim dei sanctum est, quod estis vos. Et de ipso Paulo in actibus apostolorum dominus dixit ad Ananiam: Vade quoniam vas electionis est mihi iste. Monachus qui ordine sacerdotali in dei ecclesia fungitur, duplici ratione ad sanctissimam puritatis obseruantiam tenetur. Oportet enim Christi militem propter votum quod deofecit, esse purum sanctum & in bonis operibus iugiter infatigabilem, & ratione sacerdotalis ministerij circumspectum, ac diligentissimè vigilantem. Scriptum est enim: Maledictus homo, qui facit opus dei negligenter. Vos ministri estis dei omnipotentis, qui ad altare quotidie filium eius immolatis, cuius opus in manibus vestris committitur, & magna propterea puritas mentis & corporis in vestra conuersatione postulat. Vt ergo casta permaneat puritas mentis, necesse est quod restringatur instabilitas cogitationis. Custodiendi sunt omni tempore sensus, per quos corrumpitur integritas mentis. Mortui enim estis mundo, & coepistis iam viuere Christo, non licet vobis cogitare nisi sanctum, nec decet vos dei ministros aliquid amare terrenum. Deus est enim cui seruitis o monachi, omnipotens est cui ministratis o fratres mei. Viuite puri, sancti & innocentes, quia non decet vos occupari mundi negotiis, qui ad militiam dei vocati estis. Crescat in vobis cum tempore amor dei & puritas cordis, vt quanto diutius in hoc mundo viuitis, tanto sanctiores euadatis. Visum ab omni malo semper auertite, vt possitis in bonis cogitationibus sine defectu permanere. Oculos mentis vestrae semper in caelum erigite, & visum carnis in rebus perituris nolite occupare. Audiat quoque vestrum ab omni sermone inutili, vano & stulto semper claudite, & futurum dei iudicium semper cum pauore cogitate. Manus vestras illicito & turpi contactu quarumlibet rerum nolite polluere, vt dei filium mundo corpore & pura conscientia possitis immolare. In cibo & potu non est monachorum saporales discernere, nec decet milites Christi corporales delicias amare. Natura pauca requirit, & quibus alatur, rusticana ciuaria: appetitus autem nisi restringatur imperio rationis, ad illicita rapitur, per que naturae simplicitas violatur. Crapulam in omnibus fugite, & in victu regularem temperantiam seruare. Nemo vestrum patietur audiat detrahentem fratri suo, aut male de proximo loquentem. Linguam suam vnusquisque vestrum ab inutili sermone cohibeat, & male loqui de hominibus christianis bonus monachus

erubescat. Nunquam recedat à memoria vestra illa comminatio domini in sancto euangelio dicentis: Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum ociosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. O nimis metuenda sententia. Si de ocioso sermone ratio exigitur, detractio, scurrilitas & turpiloquiū quid merentur? Aut si verbum inutile rationi distracti examinis censetur obnoxium, quid respondebit qui tam facile loquitur malū & perniciosum? Ociosum verbum est omnis locutio hominum quæ sine iusta vtilitate prolata est, ratione carēs legitime necessitatis. Propterea fratres considerate sermones vestros, & nemo loquatur verbum ad rem non pertinens vel iustæ vtilitatis, vel necessariæ rationis. Audiuitis enim formidabilem domini sententiam, & diui legistoris nostri præceptum non ignoratis in regula dicentis: Scurrilitates, verba ociosa, & risum mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulū aperire os non permittimus. Tria hic verborum genera sanctus pater Benedictus monachis interdixit, & æterna clausura in omnibus locis damnauit. Scurrilia videlicet, ociosa, & risum mouentia. Quid autem sit scurrilitas, grammaticorum nobis interpretatio declarauit. Est enim scurrilitas vitium vrbani-tari & modestiæ oppositū, & iocularitas quædam lasciuia risum prouocans auditorum sine verecundia vel honestate immoderatum per verba & gestus qui non congruunt rationi, nec virum decent bonum, nec sapienti conueniunt. Dicitur autem scurrilitas à scurra, qui domos sequitur diuitum, lasciuus & inhonestis verbis & gestibus auditores præmij vel stipis gratia prouocans ad risum. Et hoc genus verborum monachis diuus pater Benedictus interdixit, & penitus damnauit, quoniam qui deo seruiunt, merito abstinere in conspectu eius perpetuo à verbis turpibus & inhonestis iubentur. Inter scurrilitatem vero & multiloquium hoc interesse videtur, quod illa excedit ratione inhonestatis, & ista causa superfluitatis. Illa est turpis & inhonesta, ista vero sine vtilitate superflua. Stultiloquium his re-ete coniungitur, quoniam non solum monachis, verum etiam omnibus interdicitur christianis. Hinc sanctus Christi apostolus dicit: Fornicatio autem & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet, sed magis

gratiarum actio. Verbum ociosum similiter monachis cunctis interdicitur, quoniam à domino, sicut audistis, in sancto euangelio prohibetur. Risum quoque mouentia verba non decent homines christianos, & multo minus conueniunt claustralibus. Monachus enim qui mortuus est mundo, sua nouissima semper cogitare præcipitur, risum vero & omne præsentis vitæ insolentiā pro dei amore vbi-que locorum continere iubetur. Est autem risus vox confusa, internam animi læticiam hilaritate immoderata denuncians. Nihil autem quod modestiam & temperantiam excedit, monachis adesse permittitur, quorum vita & conuersatio non carni & sanguini, sed angelicæ puritati comparatur. Risus autem intemptius & immoderata leuitate profusus, dissolutæ mentis indicium est, & ostendit hominē moderatæ honestatis & modestiæ oblitum. Monachus vero qui Christum imitari iubetur, & ea conditione seculo renunciat, vt maiore puritate viuere possit, ab omnibus cauere debet, quæ statum mentis virilem subuertunt, & vana huius mundi gaudia pro celestis patriæ desiderio cuncta despiciere, seque in omni maturitate mentis & corporis perpetuo insuperabilem conseruare. Et quemadmodum risus immoderatus monachis in omni tempore & loco interdicitur, ita & loqui verba risum auditoribus mouentia prohibentur. Hic iam fratres charissimi vosmetipsos attendite, & quomodo refrenare linguas debeatis vestras, sedulo cogitate. Quid propheta dicat in psalmo ad memoriam sepius reuocare: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, obmutui, & humiliatus sum, & filii à bonis. Recogitate vos in omni loco altare domino deo, qui vbi que est præsens, omnia audit, omnia videt, omnia nouit, omnia intelligit, à cuius notitia nihil absconditur, cuius distracto examini omnia referuntur: in cuius aspectu sic viuite, vt venire ad eius iudicium securè valeatis. Quotiens de læticia nostri vel prioris conuenitis ad colloquium, à verbis scurrilibus ociosis & risum concitantibus iuxta præceptū legislatoris nostri summi opere caueatis. sint eloquia vestra modestiæ plena, non clamorosa, non friuola, non temeraria, non contentiosa, ne rationi exacte reddantur obnoxia. Multiloquium similiter fugite, quoniam non est sine peccato, & monachum facit cunctis hominibus onerosum. Seniores loquantur non quælibet, sed verba doctrinæ salutaris, quibus animos iuniorum ad semitā iustitiæ instruant, & ad dei amorem per amplius incendant. Nā sancto legislatore nostro

Ecclesi. 27

Psalm. 126

Psalm. 118

Ecclesi. 32

2 Cor. 6

2 Cor. 6

Acto. 9

Hier. 4

Ociosi verbum quod.

Tria loquutione genera D. Benedictus dicitur quæ nar. scurrilitas quid.

Risus monacho omnino interdicitur.

Psalm. 8

Prou. 8

dicente loqui & docere magistrum cōdecet, tacere & audire discipulum. Et ideo seniores loquantur vtilia & doceant, iuniores autem tacendo audiant & discant. Et si qua requirenda sunt à priore, cum omni humilitate, reuerentia & subiectione requiratur, ne quis videatur plus loqui quàm expedit. Ex verbis suis cognoscitur vir, & qui multiplicat locutiones in ore suo, insipiens est corde. Cōsciētiae testis est sermo viri, & qui pudicitiam & innocentiam cordis diligit, illius pudicos & sine vanitate oportet esse sermones. Dei namq; viuētis ministri estis o fratres mei, omnis sermo vanus inutilis & ociosus non exeat de ore vestro, sed si quis bonus est ad edificacionem auditorum, vt charitatem augeat mentibus ad illustrationem cordis in cognitionē & amorem summæ veritatis. Preciosa lingua monachi, quæ nihil ònino loquitur nisi sanctum, & os benedictione dignum, de quo nihil profertur nisi diuinum. Cor suum vnusquisque mundum custodiat ab omni cogitatione iniqua, quoniam qui bonus est corde, malum non loquitur verbum: & qui deū veraciter diligit, sermonem non profert ociosum. Omnem sollicitudinē & consideracionem adhibete cogitationibus vestris, quoniā ibi præcipua intentione obseruandū est malum, vbi suorum processuum sumit exordiū, quatenus mox vt oriri cœperit, radicitus amputetur. Nulla enim tā debilis cogitatio mali, quæ tempore non crescat, si consensu nutriatur cogitatis. Mox igitur à principio vincendum est adhuc debile malum, quia dum mora interponitur, vires accipit malū, quantumlibet parū in exordio videatur. Magnū ex parua scintilla saepe oritur incendiū, & de minuta cogitatione grande nonnunquā surgit peccatum. Cogitatio dū parit delectacionem, mox in consensum solet irrupere, & consequenter in opus etiam si potest semetipsam præcipitem dare. Dum autem cogitationi male in opus per delectacionem præstiterit voluntas consensum, etiam si non perficiatur quod concupiscit animus, iam tamen cōsummatū est corā deo peccatum. Sed quid dicit scriptura? Peccatum cum fuerit cōsummatum, generat mortē. Omnipotens etenim deus voluntatem hominis respicit, siue bonū siue malum velit. Propterea in sancto euangelio dicit: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eā in corde suo. Voluntatem deus pro facto cōputat, quotiens homo non potest in effectum deducere quod volebat. Idcirco iterū atq; iterū moneo fratres, & quanta possum sedulitate cōtestor, vt iuxta sanctum Apostolum caute

Nascen-
tes male
cogita-
tiones
opprimē-
dæ.

Iaco. 1.

Matt. 5.

ambuletis, non quasi insipientes, redimentes Ephes. 5.
tempus, quoniam dies mali sunt. Insidias demonis mali cautissime obseruate, malisque & immundis cogitationibus statim à principio resistite, quoniam sero nimis cogitatur de remedio, cum morbus inualuit tēpore diuturno. Assuescite omni tempore bonis & sanctis cogitationibus insistere, & malarum insolentiam facile poteritis superare. Nam sicut vasa bonis liquoribus plena, nihil corruptionis externæ suscipiunt, ita mentes repletæ cogitationibus bonis, malarum intemperantiam non admittunt. Mundi cordis oculus est quo deus cernitur, & per puritatem conscientie ad gloriā æternæ felicitatis peruenitur. Dicit enim in sancto euangelio dominus: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Cor mundum spiritus sancti habitaculū est, & vbi mala cogitatio non admittitur, deus pculdubio moratur. Cor mūdum sedes est sapientie, & vbi custoditur puritas mentis, nulla nocēbunt pericula aduersitatis. Memores estote scripturæ dicentis: Peruersæ cogitationes separāt à deo, probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enī sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Peruersa vero cogitatio est quæcunque admittitur euangelicæ puritati contraria, cuius commercio mens cogitantis polluitur, quotiens in his quæ deo aduersantur, cogitando & reuoluendo delectatur. Et istæ cogitationes peruersæ mentem cogitantis à deo separant, & paulatim in profundum malorū precipitant. Mala enim atque peruersa cogitatio mentem quam penetrauerit, primo per delectacionis venenum intoxicat, deinde rationem obnubilat, postea voluntatem ad consentiendum suggestioni malæ pertrahit, postremo peccatum in opere consummat. Iam deinceps malum semel præsumptum licētius agitur, & omnis verecundia seu timor per cōsuetudinem auferitur. Peccatum peccato cōiungitur, & paulatim consuetudo malefaciēdi roboratur. Dum vero consuetudini male tempus conceditur, quædam mox peccandi necessitas generatur. Hic durissimum mortis imperium, hic extrema profunditas malorū. Quicunque hanc semel abyssum peccatorum intrauerit, sine speciali dei gratia & maximo labore pœnitendi, ad puritatem cordis raro immo non facile confurgit. Voluntate suā peccator in hęc foueā mortis cecidit, resurgere autē sine dei miseratione non valebit. Durissimum est iugum consuetudinis male, cui si

Ephes. 5.

Matt. 5.


Sapientia.

Consuetudo mala durissimū telum.

si quis collum semel submiserit, ad pristinam libertatem spiritus raro conualefcit. Hæc omnia operatur cogitatio peruersa cum ad mentem intronmittitur, & per delectacionem in consensum & opus commutatur. Nulla enim cogitatio tam parua est, quæ paulatim non crescat si à mente non repellitur. Beatus igitur ille monachus qui omnem cogitatum suum iactat in dominum, qui prauis cogitationibus semper & vbiq; denegat locum, qui omnes mundi perituras diuitias despicit, qui cuncta corporis solatia contēnit. Cordis mūditiā sui domino præparat, nihil in hoc mūdō præter dominum amat, omnes cogitationes suas ad gloriā saluatoris ordinat, & mandata illius diligentissime obseruat. Quid illo felicius monacho, qui se non ciuem sed peregrinū exhibet mūdō? In mūdō viuit quasi non sit in mūdō: immo maior est mūdō, cuius conuersatio tota in cælo. Considerate nunc igitur fratres charissimi huius breuitatem tēporis, & semper mementote quia mortales & cito transitori estis. Non enim habemus hic manētē ciuitatem, sed futuram inquirimus, & qui tot milia hominum per mortem nos præcessisse cognoscimus, quàm cito simus necessario & ipsi morituri, cogitemus. Tempus nunc quidem breue, sed acceptabile nobis multum conceditur, in quo fructus æternæ vitæ operemur. Nunc enim laborādi est tempus: nunc hora seminandi bonū, quia post mortem vnusquisque mercedem laborū suorum receperurus est, cum laborādi iam facultas nulla conceditur. Idcirco fratres mei hanc mortis horam sanctis præuenite operibus, & nolite nunc in semine laboris deficere, vt in æterna retributione possitis sine fine gaudere. Nulla prætereat dies in qua vnusquisque vestrum se melior non euaserit, & ad ea quæ præmisit opera bona, nouum aliquid non addiderit. Semper cogitate futuræ precium mēsis, & nulla vos terreat magnitudo laboris.

Heb. 13.

De quotidiano certamine tentationis.
Homilia X.



Esterno sermone admo-
nui charitates vestras dilectissimi fratres, principis malarum cogitationum obistere, & vos bonis ac sanctis operibus ad futuræ mercedis præmiū totis viribus preparare. Sed cum scriptura testante, tentatio sit vita hominis super terram, necessarium duxi de hac ipsa materia quan-

1ob. 7.

tum dederit dominus in auribus vestris differere, vt præmoniti fortius cōtra aduersariū inuisibilem possitis dimicare. Verba nō ignoratis viri sapientis, qui in Ecclesiastico dicit: Fili accedens ad seruitutem dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tētationem. Nemo se liberum à tētatione existimet fratres quādiu in hac mortali conuersatione graditur, sed quāto in dei timore quisq; amplius profecerit, tanto sibi nouerit cautius esse viuendū. Dicit enim sanctus papa Gregorius: Hostis noster quāto magis rebellari sibi conspicit, tanto amplius expugnare cōtēdit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure se possidere sentit. Fugietem à se diabolus persequitur, & eū qui rebellat suo imperio subuertere conatur. Vos o viri quāto amplius in spiritali cōuersatione proficitis, tāto maiore instantia contra aduersariū salutis vestræ oportet vigiletis. Nā vt sanctus Ioānes Chrysostomus ait: Nunquam dormit noster aduersarius, sed in perniciem semper vigilat generis humani, cui nemo nostrū potest resistere, nisi qui omni tēpore in timore domini didicit vigilare. Et sanctus Leo papa vrbis Romæ, in quodam sermone dicit: Nō definit antiquus hostis tētationum laqueos vbiq; prætereare, vt quoquo modo fidem credentium corrumpendo valeat denigrare. Nouit enim cui illecebras carnis ingerat, cui virus inuidiæ infundat, cui incitamenta luxuriæ apponat. Nouit quem mœrore conturbet, quæ gaudio fallat, quem metu opprimat, quæ admiratione seducat. Omnium discutit mores, omnium ventilat causas, omnium scrutatur affectus. Ibi quærit causas nocendi, vbi viderit quæquā diligentius occupari. Nulla sunt sine tētationum experimēto opera virtutis, nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine cōgressione victoria. Hinc sanctus Iacobus apostolus in epistola dicit: Beatus vir qui suffert tētationem, quoniā cum probatus fuerit, accipiet coronā vitæ, quā repromisit deus diligentibus se. Hinc iterum dicit scriptura: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Sed ne quis putaret diabolo permissum tētare homines quātum desiderat, sanctus Christophilus clamat: Fidelis autē deus est, qui nō patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tētatione prouentum, vt possitis sustinere. Et sanctus Augustinus: Tantum, inquit, permittitur diabolus tētare quātum tibi prodest, vt exercearis, vt probearis, vt qui te nesciebas, à te ipso inueniaris. Potest enim diabolus permittente deo excitare tētationis motum, sed in tua est liberrima

Ecclesi. 22.

Iaco. 1.

Ecclesi. 27.

1. Cor. 10.

potestate si velis tentanti dare vel negare cō-
sensum. Vnde cum tentaret in deserto dei fi-
lium, non impulit, non tetigit, nō coegit, sed
tantum dixit, Mitte te deorsum, vt intelligas
quoniam non potest vincere nisi volentem.
Idcirco diuus Christi archiapostolus dixit:
Resistite diabolo & fugiet à vobis. Potest enī
suggerere malum diabolus, cogere non po-
test, nec superare nisi consentias. Vita nostra
sancto testante Augustino, in hac peregrina-
tione non potest esse sine peccato & tētatio-
ne, quia profectus noster per tentationes au-
getur, nec sibi quisquam innotescit nisi ten-
tatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec po-
test vincere nisi certauerit, nec potest certare
nisi inimicum & tentationes habuerit. Dicit
nanque scriptura: Qui non est tentatus, qua-
lia scit? Nemo enim coronabitur, nisi qui le-
gitime certauerit. Accedentes igitur ad serui-
tutem dei fratres charissimi stete in iustitia &
timore, & quandiu potestis vinci ab aduersa-
rio & subiici, de securitate nolite gloriari. Sē-
per vigilate, semper timete, quoniam hostis
cum quo inistis certamen, nunquam dormit,
nō quiescit, nō cessat à persecutione: vobisq;
insidians semper, nunquam fatigatur. Quòd
si aliquando superatus fuerit, mox ad nouum
certamen cōsurgit, nec desistit ab impugna-
tione bonorum, donec victus omnino suc-
cumbat, aut certe importuna perseverantia
cōcertatē vincat. Vnde & sanctus papa Gre-
gorius dicit: Antiquus hostis ex primo certa-
mine dum se succumbere cōsiderat, alia tētati-
onem bella restaurat. Intuetur humani ge-
neris cautelofus aduersarius, vniuscuiusq; mo-
res, & cui sint vitio propinquiores, illa ponit
ante faciem cordis, magnisque vitur viribus
vt subuertat statū mentis. State in timore do-
mini firmiter radicati, & cunctas facile supe-
rabit tētationes inimici. Scriptum est enim
in libro prouerbiorum: In timore domini fi-
ducia fortitudinis. Et iterum: Per misericor-
diam & fidem purgantur peccata, per timo-
rem autem domini declinat omnis à malo.
In Ecclesiastico vero sapiēs dixit: Timor do-
mini expellit peccatum. Nam qui sine timo-
re est, non poterit iustificari. Iracundia enim
animositatis illius subuertit eum. Idcirco Sa-
lomonis testimonio beatus ille dicitur homo
qui semper est pauidus: qui vero mentis est
durax, corrueat in malum. Animas quoque ve-
stras per studium sanctæ cōuersationis præ-
parate ad tentationem, vt cum venerit possi-
tis resistere, & eo fortiores stare. Nam facile
superabit diabolus, si preparati semper ac-
cesseritis ad bellandum. Ecce aduersarius ve-
ster tanquam leo rugiens circuit querens quē

deuoret, cui vos oportet in fide domini no-
stri Iesu Christi resistere, si victoriam cupitis
obtinere. Nullus hic fugiendi locus concedi-
tur, nulla securitatis morula pugnantibus in-
dulgetur, sed congregiari necesse est, supera-
turus hostem si fortiter steteris, aut vincen-
dus ab eo si male pugnaveris. Hac lege mun-
dum intrauimus omnes, vt pugnando vin-
camus: hac sumus conditione homines facti,
vt superatis illecebris carnis, pares ægelis san-
ctis euadere debeamus. Nunquā defunt mo-
nachis certamina, quoniam quandiu verfa-
mur in carne, tētationibus necessario sumus
expositi. Dicit enim scriptura: Multæ tribu-
lationes iustorū, & de omnibus his liberabit
eos dominus. In omnibus autē tētationibus
nostris illud Esaiæ prophetæ ad memoriam
sedulo reuocemus dicētis: Qui ablati estis
à lacte, qui abstracti ab vberē, tribulationem
super tribulationem expectate, spēs super spēs
adhuc pusillum propter malitiam labiorum,
propter linguam malignam. Ablati & ab-
tracti ab vberē sunt viri ætate prouecti, quo-
rum est tribulationem super tribulationem
propter deum suscipere, vt spem super spem
mereantur reportare, sacra dicente scriptu-
ra: Sed & gloriamur in tribulationibus no-
stris, scientes quod tribulatio patientiam o-
peratur, patientia autem probationem, pro-
batio vero spem. Spes autem non confundit,
quia charitas dei diffusa est in cordibus no-
stris per spiritum sanctum qui datus est no-
bis. Per multas enim tribulationes oportet
nos intrare in regnum dei. Tentationibus
nanque nobismetipsis innotescimus, & ex-
perimur si deum veraciter timeamus. Hinc
dominus per Moysen ad populum loquitur
dicens: Tentat vos dominus deus vester, vt
sciat si diligatis eum de toto corde vestro, &
de tota anima vestra. Mūdus iste fratres cha-
rissimi fornaci comparandus est, in qua con-
tinuē ardet ignis tentationis & aduersitatis,
per quam necessario nobis est transeundum.
In hac fornace tribulationis palea combu-
ritur, aurum vero & argentum ab omni ma-
cula purgantur: Palea in cinerem vertitur,
aurum ad ornatum & decorem regalis pa-
latij reseruatur. Fornax inquam est mun-
dus, ignis tentatio siue tribulatio, aurum
homines iusti, palea vero iniusti & pecca-
tores: artifex qui purgat aurum, ipse est o-
mnipotens deus, qui nostris profectibus fa-
uet, & ad virtutis meritum cooperatur per
gratiam. Quod ergo vult deus faciamus,
quod imponit patienter pro eius amore to-
leremus, quoniam vt facer Christophilus
inquit, non sunt condignæ passiones huius
tem-

temporis ad superuenturam gloriam quæ re-
uelabitur in nobis. Hinc sanctus Hieronymus
ait. Quis non tribulari velit, quis se maledici
non desideret, vt mereatur Christi voce lau-
dari, & cælesti copiosaque mercede munera-
ri? Vtinam propter domini mei nomen atq;
iustitiam, cuncta infidelium turba me perse-
quatur & tribulet. Vtinam in opprobriū meū
totus hic mundus consurgat, tantum vt me-
rear à Christo laudari, & ad suę pollicitatio-
nis proferre mercedem. Et sapiens in eccle-
siastico dicit. Vasa figuli probat fornax, & ho-
mines iustos tentatio tribulationis. Quisquis
igitur vestrum o fratres mei ad regnum cælo-
rum peruenire desiderat, quisquis deo place-
re super omnia curat, pro eius amore tribula-
tiones tentationum libenter discat suscipere,
& quicquid occurrerit aduersi, gaudenter su-
stinere. Nemo enim est nostrum qui purga-
tione quotidiana non indigeat, nemo qui sin-
gulis momentis ferme non delinquat. Si ergo
propriam salutem diligimus, si nobis remitti
nostra delicta, & purgari ab omni cordis ma-
cula flagitamus, patienter sustineamus quic-
quid aduersi nobis acciderit, quoniam plus a-
nimam purgant mala tribulationis quæ pro
dei amore patienter tolerat, quam opera bo-
na que nunc in hoc mundo sua sponte pa-
trat. Magna nobis in hoc loco patiendi ma-
teria relicta est, quos inopia grauiter premit,
paupertas deprimit, æris quoque alieni debi-
tum constringit. Quid in hoc monasterio nō
experimur aduersi? quas non procellas & tē-
pestates patimur fratres? quibus non exagita-
mur incommodis? Quam fuerint omnia de-
solata huius cœnobij bona, cū ante annos quin-
decim obseruantia introduceretur regularis,
nullus vestrum ignorare potest. Sed in me
gravius debacchatur inopię communis tribu-
latio, qui vobis vitæ necessaria providere de-
beo: & sapius vnde reddam, non satis scio. Cō-
solatur autem spiritum meum patientia ve-
stra, & spes quam in domino saluatore humi-
lium concepistis, vt non dubitem eius miseri-
cordiam cum tempore affuturā, & audio mi-
hi dicentem per Esaiam prophetam. Ecce ex-
coxi te, sed non quasi argentum, elegi te in ca-
mino paupertatis. Libenter autem habeo pa-
tientiam in paupertate, quam deo sic ordinā-
te nunc patimur, vt venire post mortem ad
eternitatis diuitias mereamur. Quanto enim
in hac peregrinatione nostra iam persecutio-
nibus, paupertate, inopia, laboribus & tribu-
lationibus fuerimus afflicti, tanto in futura re-
muneracione iustorū domino largiente ma-
iora præmia consequemur. Mecum itaque fra-
tres mei tolerate patienter, quicquid omnipo-

tens deus pati nos præordinauit, quoniam si-
cut diuus papa Gregorius ait, in omnipoten-
te deo tunc certa est fiducia, quando pro ope-
re bono aduersitas additur, & in hoc mundo
flagellum dei cum gaudio recipitur, vt pul-
chrior merces in retributione sanctorum fu-
tura seruetur. Iterum quoque dicit. De spe sem-
piternę hereditatis gaudium sumunt, quos ad-
uersitas vitę temporalis humiliat, quia nō sal-
uandos in perpetuum cerneret, si erudiendos
sub disciplinæ regimine diuina dispensatio
non frenaret. Afflicti terrena perdimus, sed
afflictionem humiliter sustinentes, bona
nobis cælestia multiplicamus. Via quippe est
vita præsens, qua ad patriam tendimus, & id-
circo frequenter in ea perturbationibus tan-
gimur, ne hic esse patriam arbitremur. Gau-
deat ergo in aduersitate sua monachus, letetur
tentatus, cui crucifixus est mundus. ad deū
se confidat pertinere consortium, qui pura cō-
scientia bonum semper operatur, & recipit in
tribulatione contrarium. Verissimum enim
diuinę miserationis indicium est, si homo Chri-
stianus variis aduersitatibus in hoc mundo
percutitur, qui pura conscientia deo seruiens
in vera humilitate sine offensione conuerfa-
tur. Frequenter enim misericors deus eos quos
diligat, variis modis in hoc mundo percutit,
quibus æterna præmia in cælo preparauit. Quo-
dam vero sciēs multum posse peccare, ne pec-
cent, infirmitate corporis preoccupat, & in sa-
lutem eorum misericorditer flagellat, cernēs
eorum animabus vtilius esse læguoribus frā-
gi ad salutem, quam viuere incolumes ad dā-
nationē. Alios vult esse pauperes, quos præno-
uit diuitiis vti non posse ad salutem. Multis e-
nim huius mundi opes atque diuitiæ causam
eternę damnationis præbuerunt. Vnde san-
ctus papa Gregorius iterum dicit. Multos sua
peius foelicitas strauit, multos diuturna pax
victos reddidit: eo que illos inopinatus hostis
gravius percellit, quo longo quietis vsu negli-
gentes inuenit. Vnde sancti viri cum multa
se proficere virtutum prosperitate conside-
rant, quodam supernæ dispensationis mo-
deramine exerceri se etiam tentationibus ex-
ultant, quia tanto robustius acceptam virtu-
tum gloriam custodiunt, quanto tentationis
impulsu concussi, infirmitatem suā humiliter
agnoscunt. Compendiosum iter ad Christum
est via tribulationis, & citius quam in trāquil-
litate in eo reperitur. Dicit enim sanctus præ-
sul Ambrosius. Multi sunt qui in ocio querūt
Christum & non inueniunt, & sunt qui quæ-
runt in persecutionibus, & cito inueniunt. In
periculis fidelium suorum adest, quemadmo-
dum in psalmo dei iusto loquitur dicens. Cura-

Variis
modis tē-
tat ac ser-
uat De-
homi-
nes.

Ecclesi. 27

Plal. 33

Rom. 6

Acto. 14

Mūdus

hic for-

nax quæ

dam est

iustus.

Esai. 48

Rom. 8

tem-

Magis
purgant
tolerata
mala
quæ be-
napacta.

Psal. 90. ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum. Custodiat in aduersitate conscientie puritas, seruetur vite inuoluta semper integritas, & erit nobis proculdubio ad salutis meritum quæcunque aduersitas. Nemi nem antiquus hostis concertando potest dei cere, nisi quæ inuenerit prius à semetipso defecisse. Ocio querit torpentem, incautum supplantat militem, illumque prostrernit facillime, quem armis inuenerit denudatum. Propterea fratres mei semper vigilate in orationibus sanctis, semper instate operibus bonis, ut quotiens tentator accesserit, nunquam inueniat ociosos. Memento verborum saluatoris nostri Iesu Christi in sacro euangelio dicentis. Sint lumbi vestri præcincti, & lucerne ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptiis, ut cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Vigilat, qui solidus in timore domini consistens, nunquam torpore mentis dormitat. Vigilat, qui animam suam contra quælibet huius mundi aduersa per sancti constantiam propositi infatigabilem cõseruat. Vigilat, qui quis proficere quotidie in amore domini non cessat. Lucernam in manibus baiulat, quisquis sanctitatis propositum condignis operationibus exornat. Lucernam quoque tenet in manibus, quisquis mente & corpore purgatus, proximo lucet operibus sancte pietatis. Hinc sanctus Christi amator Paulus in epistola dicit: Obsecro vos charissimi per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam uiuentem sanctam deo placentem. Qui corpus suum per sancte abstinentie studia castigans in seruitutem spiritui redigit, uiuentem domino hostiam consecrauit. Quisquis autem cor suum ab omni pollutione peccati mundum & purum conseruare iam didicit, sanctam proculdubio hostiam domino immolauit. Quisquis uero in sanctitatis proposito perseuerauerit usque ad finem, hostiam sine dubio obtulit placentem. Lumbos autem præcingimus, dū nos ab omni specie libidinis puros & immaculatos corpore & mente custodimus. Magni apud deū meriti uirtus est sancte castitatis, & pro magnitudine certaminis singulari premio in retributione iustorum donanda, dicente domino per Esaiam prophetā. Hec dicit dominus eunuchis. Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. Et de his in sacro euangelio dicit dominus. Sunt enim eunuchi qui de matris utero

fic nati sunt, & sunt eunuchi facti ab hominibus, & sunt eunuchi qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat. Quare autem dixit, qui potest capere capiat? Puto quod ista eunuchorum illatio, qui seipso castrant amore regni cælorum, non ad excisionem genitalium referenda sit membrorum, quod plerique existimantes errauerunt à ueritate euangelij, sed potius ad mentis imperium, quo castitas seruatur integra, Christi amore concepta. Seipso enim propter regnum dei castrat, qui ueramentis & corporis castitatem pro dei amore inuolabilem obseruant. Et sicut corporaliter nemo facile castratur sine magni cruciatu doloris, ita nemo sine maximo laboris studio peruenire sufficit ad perfectionem castitatis. Et certe nemo castus uiribus suis, nemo pudicus meritis propriis. Deus est qui dat bonam uoluntatem, ipse est etiam qui uoluntati, ut possit, connectit uirtutem. Quoniam uero non est multorum cœlibes uiuere, suo relinquit unumquemque arbitrio, dicens. Qui potest capere capiat. Abscisio membrorum castam non efficit mentem, quoniam radix luxurie interior est quam ut pudendum amputatione possit auferri. Mens uero si casta & integra fuerit, facile membrorum insolentiam refrenabit. Nihil enim fortius mente hominis deum puro corde super omnia dulciter amantis. Cogitate nunc fratres charissimi futura premia pulchritudinis, & non grauabit uos labor castitatis. Ad magna enim premia celsitudinis, ardui peruenitur instantia laboris. Quicunque igitur laborem subterfugit certaminis, nunquam perueniet ad celsitudinem honoris. Breue nunc tempus est in quo laboramus resistentes diabolo, sed ueniet quantumcunque æternum, quo regnantes sine fine exultabimus cum Christo. Castigetur corpus abstinentia discreta, ne mentis imperio recalcitret, frangatur concupiscentia carnis sanctis exercitiis, ut semper obediatur consiliis rationis. Si quando lasciuus mentem pulsare motibus coeperit, etiam coerceatur uerberibus, quia melius est ut liuor plagarum humiliet dorsum, quam carnalis petulantia animam præcipitet in infernum. Dicit enim scriptura. Qui delicate a pueritia sua nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem. Caro seruus est mentis, quæ semper imperio debet obedire rationis. Quod si caro nimis licenter nutrita fuerit, ferre spiritus imperium iam uoluptatibus assuetata recusabit. Seruus enim domino suo contumax efficitur, quotiens delicate ab eo per consuetudinem nutritur. Difficile autem est seruum rebellem & contumacem ad humilem obe-

Felices eunuchi qui.

Caro castratur.

Prou. 29

obe-

obediētiam reducere, postea quam longo tempore cõsueuit recalcitrare. Scriptum est enim Seruus uerbis non potest erudiri, quia quod dicit intelligit, & respondere contemnit. Propterea sapiens in ecclesiastico dicit. Cibaria & uirga & onus asino, panis & disciplina & opus seruo. Operatur in disciplina & querit requiescere, laxa manum illi & querit libertatem. Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclināt operationes assidue. Si hæc scripturarum testimonia ad moralem sensum à literali mutare coeperim, omnia quæ de seruo & asino sunt dicta, quam recte conueniant carni pigre ac delicate, inuenimus. Vere enim caro seruus est anime, quæ semper contra dominam erigitur, nisi disciplina & opere quotidie fatigetur. Hanc enim qui in ocio & uoluptatibus omni tempore delicate nutrit, cõtra spirituales instinctus necessario sentiet contumacem, quia dum caro in superbiam erigitur, spiritus ocio languescens & tepidus infirmatur. Nisi ergo hunc seruum tuum, uidelicet carnem, o frater monache per opus & abstinentiam continue humiliaueris, nisi motibus eius illicitis frenum continentie ac sobrietatis imposueris, totus illo preuente in præcipitium ibis. Scimus enim sancto dicente apostolo, quoniam caro concupiscit aduersus spiritum, & nisi spiritu mortificauerimus opera carnis, in eius corruptione moriemur. Nihil amplius præcipit animam in foueam peccati, quam insolentia carnis, quæ dum sua uiuere arbitrio permittitur, domino seruus contumax reluctatur. Caro infelix quæ concupiscentia uanitati præcipit animam, non tibi cedit impune, si quid te suggerente mali commiserit, quoniam deus utranque iudicabit. Vt tibi cum illa peccauerit, quia dum Adam de paradiso transgressor mandatorum expellitur, Eua incetrax malorum necessario miserum comitatur. Esto consentiens spiritui tuo, quia dicit apostolus: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitiis & concupiscentiis. Et vos o uiri fratres qui Christi militiam profitemini, qui in lege monastice conuersationis uoluntarie iurastis, qui saluatoris imitarie uestigia promissistis, attendite uocationem uestram, ut caute ambuletis non quasi insipientes qui omni uento agitantur, sed tanquam ueri amatores Iesu Christi, qui spiritu facta carnis mortificauerunt. Vos inquam commiliciones mei amantissimi semper in bonis operibus uigilate, mortificantes pro Christi amore corpora uestra quæ sunt super terram, in ieiuniis & orationibus assidui: & in meditatione diuinarum scripturarum iugiter occupati. Semper uos in anteriora exten-

Prou. 29

Ecc. 33

Gala. 6.

Gala. 5.

dite, quotidie feruorem sancti propositi nouo studio reformato. Ocium & omnem desidiam fugite, & quam breue sit huius uite tempus, sedulo cogitate. Non uos terreat breuis & modicus labor duri certaminis, non reddat pusillanimes improbitas hostis, quoniam labor omnis importunitate uoluntaria cito uincitur, & diabolus quantumlibet sequat, mox ut Christum inuocaueritis, superatur. Memento uerborum domini & saluatoris nostri Iesu Christi in sacro euangelio dicentis. Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Crux autem nostra fratres mei quid est nisi uita tentationibus & aduersitatibus plena, & onus discipline regularis, sub quo die fatigamur & nocte? Sed congregemus corda nostra fratres charissimi, & sustineamus pro dei amore gaudenter quicquid ille nos uoluerit sustinere, ut dicere in ei iudicio mereamur. Transiimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. O quam gloriosa merces in regno cælorum seruis dei reponitur, qui in hoc breui stadio certantes nunc pro eius amore fatigantur. Oculum non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, illius immensitas boni, quod omnipotens deus suis amatoribus in æterna felicitate preparauit sine fine perpetuo mensuram. Huius autem boni summa felicitas humilitate acquiritur, puritate cordis & diuini feruore amoris possidetur. Illud festinemus fratres charissimi, illud quanta possumus deuotione mentis curramus, ubi creatori suo per fruitionem dulcedinis coniungitur spiritus, ubi in cognitione summi boni, quod est deus, perficitur intellectus. Ibi est gaudium sempiternæ felicitatis quod non minuitur, ibi letitia quæ non terminatur, ibi laborum omnium perpetua requies, ibi tribulationum & iniuriarum pro christo gloriosa merces. Quicquid boni nunc agimus, ibi proculdubio inuenimus repositum. quicquid pro amore Christi patienter sustinuerimus aduersi, ibi recipimus premio copiosissimo remuneratum. O monache monache qui tempus infructuose expendis tibi ad bene operandum à domino deo misericorditer concessum, quid merces aut quid mercedis recipies in illa terribili hora, qui nunc tam piger & inuoluntarius es ad seminandum? An scriptum de sanctorum laboribus non legitur? Eantes ibant & fiebant, mittes semina sua: Venientes autem uenient cum exultatione portantes manipulos suos. Iam tempus est operandi agrum cordis tui o monache, nunc hora seminandi bonum semen cum hilaritatis benedictione, quoniam qui parce nunc seminat, in illa quoque future merces

Luc. 9.
Crux monachorum quæ.

Esa. 64.
1. Co. 2.

Psal. 124.

1. Co. 9.

dis retributione parce & metet. Laborandum nunc est, & nunquam à bono opere cessandū, quoniam quicquid iā hic operati fuerimus, ibi proculdubio recipiemus. Si quis ergo fidelis inter vos est monachus, si quis proprię salutis studiosus amator, semper horam futurę mercedis, quam nemo potest subterfugere, cogitet, semper ad reddendum villicationis fugationem se pareat. Nulla dies vnquam prætereat, in qua non fecerit aliquod opus bonum singulariter quod ad futuram retributionem præmittat. Illum se diem expendisse inutiliter existimet, in quo non præmisit bonum opus quod remunerandum expectet. Agrum cordis sui monachus bonus omni tempore studeat excolere, & omnes sentes ac tribulos malarum affectionum penitus quantum præualerit extirpare. Discat dominum Iesum super omnia pura mente diligere, & quicquid mandauit ille, diligentissimè custodire. Seminet in lachrymis deuotionis & constantię, quod merat cum omnibus sanctis in exultatione. Non deterreat mentem laborandi difficultas assidua, non frangat animum carnis decertatio dura, quoniam qui parum laborat, parum fructus in messe colligit: & qui nunc multum pro Christi amore in lachrymis seminat, fructum in illo die copiosissimum reportat. Hęc enim destinatio nostri est itineris fratres, qđ in presenti peregrinatione agim⁹, vt cōtinua laborā & aduersitatum exercitatione purgati, hinc mundi & puri ad patriam exeamus.

De fugiendo prauorum consortio,
Homilia vndecima.

Prauorum consortia multos à via domini & saluatoris nostri Iesu Christi retraxerunt. propterea fratres mei amantissimi non cessamus admonere vos quatenus cum bonis & sanctis in via domini ambuletis, quorū institutione & exemplo quotidie meliores euadatis. Nam sicut diuus ait Christi apostolus, Menandri cuiusdam gręci senarium imitatus, corrumpunt bonos mores colloquia praua. Bonus esse veraciter non desiderat, quem prauorum conuersatio delectat. Nemo enim praua loquitur, nisi qui prius in corde suo cōtra puritatem euangelicę traditionis corruptus & deprauat⁹ inuenitur. Qualis vnusquisque est, & qualia in secreto cordis sui ruminando & cogitando peragit, talis ab eius ore sermo frequentius procedit. Cordis enim testis veracissimus est sermo loquentis, domino ac

1. Co. 15.

Index
pectoris
sermo.

saluatore nostro in sancto euangelio dicente, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Nam bonus homo de thesauro cordis sui profert bona, & malus profert similiter mala. Cum ergo bonus non sit qui male loquitur, cauēdi nobis sunt omnes qui prauis scurrilibus & perniciosis vtuntur sermonibus, in quorum locutione turpiora quędam frequenter resonant, sanctitatis autem verba aut nunquam aut rarissime audiuntur. Turpis sermo impudici cordis indicium est, etiam si opera non sequitur. Vos igitur fratres mei charissimi, qui non solum in opere castitatem & omnimodam pudicitiam seruare vsque ad mortem implicita professione simul & expressa secundum regulam & statuta diuorum patrum ecclesiastica promissistis, verum etiam ab omni cogitatione immunda longe debetis esse alieni, consortia prauorum hominum fugite, & conuentus malignantium: & qui loquitur iniqua turpia seu ociosa, omni tempore declinate. Mementote scripturę dicentis, Qui tetigerit picē, inquinabitur ab ea, & qui comunicauerit superbo, induet superbiam. Hinc sanctus papa Gregorius dicit. Infirmi vitare debent societatem prauorum: ne mala quę frequenter aspiciunt, & corrigere non proualent, delectentur imitari. Et diuus Iohannes episcopus, Bonus, inquit, malo si connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab inuicem separantur. Amicitia enim pares aut quęrunt aut faciūt. Rerum etenim natura sic est, vt quotiens bonus malo coniungitur, nō ex bono mal⁹ melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. Diuersitas enim rerum nunquam potest habere concordiam, & multos sollicitat nefanda societas. Sunt inter vos quidam fratres, gemens dico, regularis disciplinę multum obliuiosi professores, quib⁹ cella carcer est, chorus obsidium, oratio nauis, silentium pœna, scripturarum lectio fastidium. Amor dei corda eorum aut nunquam aut raro sursum erigit, quorum cōuersatio tota in inferioribus consistit. Quotiescunque me contingit esse absentem, mox inter se cōueniunt, non de Christo neque de dulcedine regni cœlestis, neque de integritate obseruantię regularis, sed lōgum de vanis & inutilibus huius mundi negociis sermōnem proferunt, & de quibus monacho non licet cogitare, fabulis regumque bellis se colloquendo intramittunt. Quicquid autem his loquor, quicquid dico, quicquid iniungo poenitentię, nihil proficit, quos mala consuetudo ab inicituē institutionis deprauauit. Nihil autem deterius consuetudine mala. Monachus enim qui nouitius & iuuenis negligitur, omnibus

Lu. 6.

Eccl. 14.

vitę

vitę suę diebus in torpore & ignauia conuersatur. Dicit namque scriptura, Adolefcens ambulans iuxta viam suam, etiam cum senue rit, non recedet ab ea. Propterea vobis dico venerandi senes, vos precor, vos moneo, & per dei misericordiam qua possum instantia rogo, ita iam deinceps viuite, ita conuersamini, ita ambulate, quatinus annis conueniant mores senectutis: & qui iam longe processistis in senium, exemplum sanctitatis institutioni præstetis iuniorum. Vobis proculdubio ascribitur, quicquid deesse iuniorum morib⁹ inuenitur. Vos enim iuniores in omni sanctitate in verbo & in opere debetis præcedere, vos illis exemplum totius perfectionis iuueni exhibere, vt dū omnium in vobis opera virtutum perfecta conspiciunt, quasi verendicę quodam impulsu prouocati, ad imitationem sanctitatis vestrę concitentur. Mores etenim seniorum, iunioribus viuēdi præbent exemplum, sicuti proverbio dicitur, Quod cecinerit senes, hoc & iuuenes didicerūt. Vos autem iuniores reuerentiam cum humilitate senioribus, illorum cōsiderando caniciem exhibete: & quos in obseruantia regularis disciplinę feruentiores cognoscitis, eorum vos cōsortio habere præceptores gaudeatis. Caute illos, qui vel in quiete ambulant, vel puritatem regularis disciplinę negligentius obseruant. Non omnes qui dicuntur seniores, iuniorum imitatione sunt digni: nec monachū anni faciunt venerabilem, sed mores in dei amore cum prudentia constituunt venerandum. Propterea quicūque in vobis fratres charissimi, verus dei cupit esse amator, quicūque proficere in sancta conuersatione monastica desiderat quam proficitur, in disciplinatorum fratrum consortia semper fugiat, & suo proposito consentientes in bonum commilitones quęrat. Dicit namque propheta in psalmo, Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocētes innocētes eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Multis enim nocuit societas mala: & qui delectatur habitare cum reprobis, non erit immunis à contagione peccati. Omnis quippe qui cum malis conuersatur & reprobis, necesse est vt eorum peruersitate aliquantulum eius vitietur integritas. Aut enim diligit illos, & similis eorum efficitur malus, aut odio habebit, & erit inimic⁹ multorū, & ob id necessario inquietus. Quod si multitudine prauorum deuctus eorum delectari cōsortio semel coeperit, iam & ipse deprauatus est, & paulatim amplius deprauabitur. Si vero malorum opera deestatus fuerit, graui mentis incommodo laborabit, & erit in proficiendo ad melius tanto tardius in ipso

Frou. 22.

Adhortatio ad iuniores.

Ad Iuuenes.

Psal. 17.

desiderium, quanto inquietatur amplius cōsortio peruersorum. Ago tamen gratias omnipotenti deo pro vobis, quoniam & si non omnes in dei charitate, vt optarem, estis feruidi, à magnis tamen, vt confido, peccatis & superbix temeritate omnes proculvitiis alieni. Exhortationes meas & paternas admonitiones, quas vobis facio, vt teneor, quotidie libenter suscipitis, quanuis illas in opere necdum perfectē omnes exhibeatis. Spero autem in domino Iesu, quoniam perficiet in vobis bonum quod coepit, vt impleatur gaudium meum, & videā vos omnes vno studio, vno proposito, vno sancti feruoris incendio flagrantem, in ergasterio delectari & exerceri diuini amoris. Cum autem hoc desiderium meum nonnulli vestrum differant, animum plenioris emendationis necdum assumentes quem cupio, iuxta necessitate compellor admonere proficientes, quatenus cōsurgentes animo virili, societates priuatas & nocentes fugiant tepidorum. Adhuc enim paruus in eorum cordibus est ignis diuini amoris, adhuc nouitiū & debile sancti feruoris ardet incendium, & nisi quotidianis fomentetur augmentis, facile sentiet derrimentū. Idcirco iterum atque iterum admoneo vos, qui amoris interni coepistis experiri feruorem, pergite constanter animo, quō domino inspirante destinastis, & si quos in hoc itinere sancto vobis opere vel sermone inueneritis cōtrarios, vt pestiferum virus declinate. Nam sicuti aqua exinguit ignem cui infunditur, sic nouitiorum sanctū propositum exemplis tepidorū violatur. Caute illorum interesse colloquiis, quos in obseruantia mandatorum dei & monasticę puritatis conspiciatis negligentes: quia cum sine passionibus agitati carnalibus, ex abundantia cordis nihil aliud quam vana & carnalia loquuntur. Corruptant enim mores iuuenum bonos, senū colloquia praua. Vana sunt cūcta illorum studia, & inutiles immo pestiferi sermones, qui carnaliter sapiētes diuini amoris exercitia non nouerunt. Enimvero sicut vna ovis morbida paulatim vniuersum corrūpit ouile, ita vnus in congregatione monachus acediosus & peruersus, multarum sæpe fit causa transgressionum. Quemadmodum sancto Christophilo testante modicum fermentum totam farine massam cui miscetur suo corrūpit odore, ita monachi iuuenes atque nouiti, qui cū tepidis & acediosis cōuersantur senioribus, illorum prauis moribus imbuuntur, & nunquam deinceps ad sancti feruoris integritatem reformantur. Quocirca vobis senioribus dico, Estote bonis operibus castique & semper pudicis sermonibus iuuenū

Paternam sollicitudinis imago.

1. Cor. 5.

forma viuendi, vt quotiens pro suis emendatur delictis, seniorum se non tueantur exemplis. Turpissimū est enim seniores in illis esse culpabiles, pro quibus merito corripuntur iuniores. Ita precor senes viuite, vt coram vobis nihil quod videatur esse reprehensibile, iuniores aut loqui præsumant aut facere. Iudices vos timeant malorum, non patronatus vicem agentes, quoniam quotquot exemplo vestri peccauerint, vestro perisse magisterio reputantur. Non sit inter vos tepidus quisquam aut desidiosus, quoniam & desideria occidunt pigrum, & perimit vanitas omnem monachum ociosum. Non sit in vobis homo verbosus, girovagus, circumcellio, murmurans & inquietus, quoniam quisquis talibus delectatur studiis, & se malo perdit opere, & fratrem suum occidit exemplis. Non sit inter vos irrisor simplicium, non humilium contemptor, aut temerarius quisquam taxator, quoniam qui ad irridendum est promptulus, in stultitia sua consummabitur, & non erit gloriosus. Os suum aperit contra humilem, semper querit iurgia, & gaudet se factis aliorum esse loquacem. Non prosperabitur in consilio suo, & si fuerit aliquo sublimatus honore, cito corruet in profundum. Odibilis est deo superbia eius, quoniam quum sit stultus & fatuus, eruditum se gloriatur & sapientem. Cito denudabitur insipientia eius, & grauis eum occupabit interitus. Cor eius meditantur stultitiam, & non est pax in circuitu eius. Odio erit proximis atque vicinis, & nullus illum fidelis prosequetur amicus. Vitam ducit in hypocrisi assumptæ simulationis, & multos sua stultitia trahet in auersionem. Pacem odit, discordiam diligit, in ignauia mentis sue capietur, & non erit qui condolere. Afflictione duplici conteretur, pro eo quod habentibus pacem non permisit. Diabolus in lingua eius nidum composuit, & satanas in mente illius fixit domicilium. Propterea non est amor fratrum in corde ipsius, quoniam disseminat inter pastorem & oues discordiam. Amicum se dei gloriatur, & similem in obseruantia regulari neminem accipit, sed maximum ornatum monachi humilitatem non intelligit. Os suum ad verba spiritualis edificationis non aperit, & ex corde illius nihil aliud quam vanitas procedit. Diem totam mente dissolutus & corpore vagus, discurret in cenobio, sermone vacat inutili & penitus ocioso, nihil de salute animæ cogitat, ventrem pro deo curat. Custodi mentem tuam ab eius eloquio, & in viâ sermonum eius pedem tuum ne posueris. Quisquis te monachum & dei ministrum exhibere desideras, quisquis dominum Iesum in

Prou. 21.

Aduersus irrisores bonorum operum.

toto corde veraciter amas, esto cautus & vigilans in omnibus operibus tuis, & consortia semper eorum fugito, in quorum vita nihil doctrinæ celestis cõspicitur. Humilium & perfectionem sectantium monachorum comes esto & socius, & eum quem in dei timore cognoueris esse fundatum, libenter admitte preceptorem atque magistrum. Cũ his qui amant disciplinam & mentis puritatem, libenter ambula, & noli esse quasi homo qui omni vento cedit agitat, sed confirma in bono proposito animam tuam, ne prauorum decipiaris consilio. Optimum est enim gratia stabilire cor, & nec posse decipi, nec velle decipere. Fratrem disciplinatum habeas tibi amicum, & eum qui te verbo corrigit à malo, & exemplo instruit ad bonum, ama & venerare vt patrem. Cum fratre inquieto non habeas aliquod familiaritatis commercium, nequando eius confortatus prauo exemplo, in rebellionem incidas superborum. Monachus iracundus & murmuratioe plenus non sit in latere tuo: & eum qui maioribus recalcitrat, nãquam arbitreris amicum. Quem videris sine benedictione senioris canonem violare ieiunij, vt hostem fuge salutis: & qui loquacitate velox est non existente causa, subuertit pacem, & suscitatur lites. Quasi à facie colubri fuge monachum rebellem & inobedientem senioribus, quoniam veneno malitiæ plenus est, & in elatione mentis perdidit animam suam. Qui non obedit mandato senioris, peruersus est: & qui correptus non humiliatur, apostata. Qui fratri suo detrahens obloquitur, non sit in colloquio tuo, quoniam longe est fure deterior. Quem omni studio in obseruantia regulari videris sollicitum, vt patrem amabis, & veneraberis vt amantissimum preceptorem. Eius familiaritate confidenter vtaris, cuius amicitia semper in dei amore te faciat meliorem. Viros toto studio imitare bonos, & illorum sequere mores, qui viuunt monasticæ perfectioni conformes. Fratrem bonæ voluntatis habe amicum, ab eo autem qui dari cordis est, auerte aures tuas. Qui leuis est animo, & moribus dissolutus, sit tibi quasi homo qui sepes in agro dissipat. Noli socius esse illius qui regulam & silentium contemnit, qui loca non discernit nec tempora, qui sine benedictione prioris vbique verba multiplicat. Monachum vino & potationibus communem monasterij canonem crebrius excedentem vt fomentum luxuriæ & scaturiginem deuota omnium vitiorum. Monachus qui consilio capitis sui contra senioris mandatum innititur, perditioni est proximus, & festinus anhelat in periculū animæ suæ. Ne communicaues operibus

ribus monachi pertinacis, & ne habeas illius amicitiam, qui sua temeritate maiorum factis cachinnans obloquitur. In medio disciplinatorum esto continuus, & libenter cum humilibus ambulet anima tua. Qui enim viris coniungitur bonis, virtutem illorum participat: & qui cum malis graditur, cadet in foueam. Monachus autem peruersæ voluntatis seducit plurimos, & qui contemnit obedientiam, nãquam exaltabitur. Qui vocem loquens extollit & clamat in altum vociferans, stultitiam cordis sui non potest abscondere, & in vanitate sua gloriabitur. Amicitia bonorum virorum firma salus est animæ, & in societate prauorum, simplicium innocentia corrumpitur. Societas illorum est optima, quorum dei timor confirmat bonorum operum exempla. Nihil preciosius amico timente deum, & nihil periculosius socio qui prauus est voluntatis. Frater timens deum in toto corde suo, pro muro fortitudinis erit amico suo: & qui tali cum sanitate mentis coniungitur, benedictione dei spiritus omni tempore sanctificatur. Qui in medio timetium deum graditur, quasi muro in circuitu fortissimo ne deficiat sustentatur. Ex verbis suis cognoscitur seruus altissimi, & monachum bonum opera indicant sanctitatis. Omne verbū turpe, scurrile, & ociosum ab ore timentis dominum non egreditur: & qui verus amator est Iesu, nihil quod offendant bonitatem, operatur. In ore monachi deum amantis semper Christus resonat: & qui verus est dei cultor, sermonem iustitiæ in ore simul & in opere demonstrat. Qui timet deum, consiliarius est optimus: & qui ad canonem ambulat, iudex est prudens cogitationum. Senior timens deum, & in obseruantia regulari multo tempore probatus & expertus, director est iuuenum: & qui non habet in veste maculam bonus institutor sit nouitiorum. Qui diuinarum est intelligens doctor & explanator scripturarum, custodiens in humilitate animam suam, omnia verba oris eius tanquam sint aurea libenter excipere, quoniam neruos habent & soliditatem futuræ felicitatis æternæ. Qui vere doctus est, infirmanti compatitur: & qui Iesum diligit, fluctuantem animo ad fortitudinem cohortatur. Qui cum homine verboso graditur, non euadet contentionem: & qui delectatur mendacio, nunquam erit sapientiæ amicus. Qui assiduus est in externis, non erit proficiens, & sine causa gloriatur se monachum. Cito propositum sanctitatis corrumpitur, quando monachus extra cellam cum desiderio frequentius euagatur. Qui secretū cellæ suæ sine mandato senioris deserit, ad perfectionem sancti

propositi non contendit. Bonorum virorum ac deum timentium pulchra societas: & qui conueuit habitare cum eis, non sentiet confusionem. Tabula munda est cor monachi iuuenis, in qua seniorum conuersatio nunquam delenda inscribitur. Cordis pulchri scriptor est pessimus, senior qui turpia coram iuvene vel agit, vel loquitur. Qui sermone temerario mentes iuuenum inficit, quasi Herodes impius, qui pueros interfecit. Malum quod iuuenis à sene stulto & negligente recipit, etiam presbyter factus non emendabit. Omne vas quod impletur a ceto, corrumpitur: & monachus qui in nouitatu negligitur, cum senuerit, non emendatur. Maledictus senex cuius mala conuersatione pereunt iuuenes, quoniam qui sequentibus relinquit mala vestigia, quasi qui cecum sua manu precipitavit in foueam. Apud internum iudicem tot quisque mortibus dignus est, quot innocentes prauo exemplo eius perierunt. Senem vitæ moderatorem tuæ requirito iuuenis: non qui multos compleuit annos in sua conuersatione dissoluta & tepida, sed quem timor domini & scripturarum dei scientia commendat. Melior est societas monachi adolescentis qui timet dominum, quam senis doctoris contubernium, cuius vita non habet lumen amoris diuini, & regularis obseruantia integritatem. Senex moribus in compositus, indigens munditia mentis, & carens disciplina, quasi qui Iesus in tibia claudus ducitur ad sepulchrum. Monachus senex & dissolutus, similis est homini fatuo, qui nesciens finem, cum latronibus in conuiuio potantium capitur. Senior sine maturitate, quasi fistula sambuci contrita pedibus ludantium. Vane gloriatur se multis diebus extitisse monachum, qui conuersationis internæ non percepit initium. Qui cordis sui munditiam diligit, à consortio indisciplinatorum fratrum se omni tempore custodit. Sicut adherens vestibus saltantium macula picis contristat virgines, ita qui bonus est iuuenis, ad turpia verba seniorum erubescit. Lasciuus sermo non est hominis deum timentis, quoniam ex abundantia cordis os loquitur: & qui turpia profert eloquia, non est mundus coram altissimo. Si odire te coeperint peccatores propter timorem dei, non contristeris, quia nisi malis displiceas, bonorum perfectionem non apprehendes. Malis enim displicere propter iustitiam laudabile est, & diuini amoris manifestum indicium. Si diligis animam tuam, fuge consilia indisciplinatorum, & cum derisoribus ne communicaueris. Cum bonis ambula, & qui timet dominum, fiat consiliarius tuus.

De monachis in viam directis.
Homilia XII.

Monachorum est mundum fugere, & hominū turbas amore solitudinis, quantum praevalent, omni tempore declinare. A solitudine monachus dicitur, sicut ab unitate vnus nominatur. Monachus esse non potest, qui frequentiam sectatur populorum: & qui delectatur in vrbibus, monasticam necdum gustauit dulcedinē. Qui monachus es, coenobij solitudinem sine causa rationabili non debes deferere: & qui obligaris ad silentium, noli colloquiis oblectari mūdanorū. Quisquis amat vagos in vrbe discursus, conscientiam suam deseruit: & qui frequēs est extra monasteriū suū, puritatē interni profectus non custodit. Qui domos parentum circuit, & epulis delectatur proximorum, se non considerat monachum: & qui pergit ad conuiuia potantium, interficit animam suam. Qui dormit in domo cognati sui, quærit solatia: & qui declinat religiosorum conuentus, perniciosam sequitur libertatem. Monachus in domo patris & matris quasi agnus in medio luporum, & quasi lepus qui venatorū circumdatus est canibus. Si monachus es, si dei seruus & miles, quid facis in domo parētum? aut quid requiris in medio populorum? Monachus extra coenobium diu manens in medio secularium, quasi homo qui sub aquarum profundo sepeliuit vnigenitum suum. Nam sicuti piscibus non est vita in arido, ita monachis non est salus animæ in seculo. Extra flumen piscis moritur, & monachi conscientiae puritas cito extra monasterium violatur. Monachorum vita in coenobio, & mors animorum in medio negociorum secularium. Magna virtus animi est turbas hominum fugere, aut quibus interessē fuerit omnino necessarium, mente tamen declinare. Compellimur necessitate iter nonnunquam per mundum agere, sed tanto minus ex hominum occurfu puritas conscientiae polluitur, quanto mentis desiderium à cellæ secreto minus elongatur. Monendus igitur nobis est monachus quisq; bonus, vt quotiens pro cuiusque rei necessitate, præcepto senioris, in viam dirigitur, nunquam foris animo euagetur. Qui sensus suos nō custodit, obiecto malo cito corrumpitur: & qui timorem domini abiicit, ad monasterium impurus necessario reuertetur. Cum effluit Rhenus, limositate sua pulchritudinem patentium in circuito pratorum commaculat: & dum fabulis secularium intendit monachus, puritatem conscientiae deturpat. An-

Monachus autem non nunquam extra coenobium sit.

tequam ergo de monasterio ponas pedē tuū, sanctis te orationibus munias, & priusquam egrediaris, viam domino precibus commendare non omittas. Deinde quod legislator mandauit, exequere, & orationibus tam abbatis quam fratrum omnium tuendum te committe. Canonem seueritatis obseruantiae regularis tibi metipsum præscribito, sub cuius memoria stabili, ab omni animum defluxu occurrētū custodias vanitātū. De coenobio nusquam progrediaris sine benedictione abbatis, quia cum debeas esse mortuus atque sepultus huic seculo, nō licebit tibi quicquam ulterius absque senioris imperio. Militem te regis Iesu Christi agnosco, tuum imperatorem sequaris oportet, sine quo non est salus. Ille cruci affixus, non suis sed aliorum manibus deponitur: & tu si cupis saluari, necesse est tua voluntas abbatis imperio gubernetur. Monachus enim qui coenobium sine permissione abbatis quoquam egreditur, quasi ouicula in tenebris quæ domus incendio concrematur. Verus autem Christi monachus etiam extra coenobium existens corpore, in claustro mentis remanet, & non minus est solus cum multis, quam in cella consuevit esse solitarius. Amator Christi etiā in medio multitudinis Iesum cogitat: & qui verus est operator virtutum, in omni loco cor suum in dei timore solidū conseruat. Nam & si corpore non sit in monasterio, corde tamen propter vigorem animi semper consistit stabilis, quasi solus in claustro. Corporis motu spiritus nō polluitur, quando mentis solitudo custoditur. Eadem tibi sanctitate viuendum est in itinere o monache, qua conuersari iuberis in coenobio, & maiore quadā gradiendum cautela, ne quempiam remissione scandalizes exemplo, vbi tot monachorum sunt iudices, quot inspectores adesse videntur. Omnium oculi secularium in monachos suspiciunt, & sanctitatem quam illos audiunt professos, in operibus exquirunt. Plus offendit monachus in vno temerario verbo, quam homo seculo deditus in decē milibus. Quantumlibet enim leuis & scurrilis homo videatur mundanus, monachorum tamen insolentiam equanimiter tolerare non didicit, quoniam omnes claustrales non quales sunt, sed quales esse deberent, rustica simplicitate credit. Vnde malum verbum aut factum apud illos monacho ad dānationē ascribitur, quod mundano homini ad veniam imputatur. Nec immerito. Monachus enim qui sanctum & approbatum canonem professus est, omnem conatum suum tenetur ad perfectionem dirigere, & conuersationem hominum seculariū verbo & opere in omni puritate mentis & corporis

Synonimū: Monachi sententia per monachum est hoc est, solus.

In seculo, monachorum tunc sunt iudices, quot spe charitate.

poris longe superare. Verbum etenim leue seu ociosum, quod secularibus ad veniam conceditur, claustralibus ad interitū æstimatur. Omnibus metallis aurū preciosus est, & amplius à mortalibus concupiscitur, & in nullo citius macula vel corruptio falsitatis accusatur. Et vitium quod in auro iudiciaria seueritate discernitur, in ceteris metallis pro vilirate naturę dissimulatur. Aurum sua pulchriture lætificat oculos, & confortat in virtute sua præcordia vitę. Aurum conflatum in igne nō minuitur: & verus dei monachus in tribulatione persecutionis à sanctitatis proposito non mutatur. Parua in aureo vase macula multum in conspectu potentis displicet: si curuum sit fictile, nemo detestatur. Monacho delinquentem in modicis, clamor multorum contra illum ingens oritur, quoniam auro cōuersatio eius comparatur. Aureum est speculum, canonica vita monachorum. Aurum in medio luti nullam naturæ suæ maculam recipit, sed omnem pulchritudinem suam inuolabilem custodit. Monachus quoque verus Christi amator, qualis in secreto cellule suæ conuersari didicit, talis etiam directus in viam cum hominibus consistit, quia purus tam mente quam corpore coram domino incedit. Nam si verus est monachus, puluere alienę conuersationis non polluitur, nec à rectitudine sancti propositi cuiusquam vel presentia vel colloquio mutatur. Inter mundanorum tumultuarias fabulationes aliunde cogitat, & aliorū dissoluta conuersatio eius mentem nō oblectat. Qui secum est corde, etiam in medio tumultuantium non diuiditur. Idcirco monache qui cupis esse bonus, mentem ad te tuam collige, & priusquam egrediaris cellā, ad iter cor tuum dispone. Timor domini semper tui sit comes itineris, & custodia monasticę disciplinæ nunquam discedat de latere tuo. Sepi aures tuas nouissimorum memoria, ne sermonis vani auditus mentis tuę polluat integritatem. Oculos humiliter in terram deprime, ne inspiciant quod concupiscere dei seruum non deceat. Colloquis noli interesse carnalium, quorum si nequiuers declinare presentiam, caueto ne accōmodes mentem. Etiam in medio ribaldorum tuum non transgrediaris canonem, & cōsuetam ne deseras maturitatem. Contumelias & opprobria petronum ne timeas, & à verbis tenebrionū non turbetur cor tuum. Conseruatio monasticę disciplinæ iustitia, & qui despiciunt simplicem, risu persequuntur innocentem. Sanctum in omnibus conserua propositum, & altissimus vindicabit iniuriam. Non dicas in corde tuo, vim patior, neque verecunderis ad verba deridentū.

Monachus auro similis.

Monachus secularis, & dicitur secularius nō mouetur.

Gloria monachi sustinere contumeliam: & corona pulchritudinis, gaudere in opprobriis. Qui patiens est ad iniurias, Atate est fortior: & qui non contristatur irrisus, maior est omnibus. Si in coelo fixeris desiderium tuum, nihil te conturbabit in terra: & si monachus es verus, ad iniurias exultabit cor tuum. Est iudex in coelis qui nouit omnia, & est altissimus deus qui curat vniuersa. Iustus retributor est meritum, & pauperū suorum recordabitur. Quanto animam tuam nunc in hac vita pro eius amore deieceris in profundum humilitatis, tanto in futura gloria super ceteros exaltaberis. Patientia enim ascendit cælum, & humilitate peruenitur ad regnum. Nam & ipsum oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam. Delicatus est miles, qui contumelias & irrisiones patiente imperatore, querit delicias: & illo pendente in patibulo crucis pro suo exercitu, sequitur voluptates. Miles qui sine armis ad bellū nudus egreditur, & monachus qui patientiam & humilitatem in contumelias amplecti dedignatur, velox amborum interitus. Qui sincerus Christi amator est monachus, ad iniurias non irascitur, inferentibus contumeliam non comminatur, in sancto stat fixus proposito: & quantumlibet irruant improbi, non mouetur. Quemadmodum in praxis auget opportuna pluuia fœnū, ita monacho crescit meritum ex humili tolerantiā iniuriarum. Omnium neruus virtutum humilitas, & minera bonorū operū cōstās ad iniurias pro dei amore patientia. Egressurus itaque in viā de monasterio, præpara cor tuū ad tolerantiā iniuriarū, & mentem corrobora aduersum insolentias derisorum. Cum in clamauerint post tergum tuum nebulones, nomen ingeminantes monachi, Christum memeto irrisum & conspuratum ante præsidem, qui non respondit verbū, sed tacitus conseruabat patientiam. Hunc imitatore ducem o monache: hunc semper auscultare præceptorem, qui mitis extitit & humilis corde. Non respondeas te irridentibus verbum, non intorqueas faciem tuam retrorsum, sed dicit cum propheta: Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur: Ego autem tanquā surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Hoc Christus fecit, hoc Iesus docuit, hoc rex omnium præcepit, cuius si vis esse discipulus, ad omnes iniurias semper oportet esto paratus. Constitutus in itinere qua potes deuotione orationes tuas canonicas dicere non negligas, & semper aliquid boni tecum in mente vel oratio vel meditando reuoluas. Dominus

Lu. 24.

Humilitas omnium virtutum acru.

Psal. 37.

tecum graditur, & sancti angeli eius te ambulantes comitantur. Et ideo cor mundum conferua in omnibus, ne tantorum offendas comitum maiestatem. Dominus oculus est totus & aures, a cuius notitia nihil absconditur. Sermonibus tuis iugem adhibe custodiam, & praeueniat omne verbum oris deliberatio cordis, ut nihil de quo poenitere possis, omnino loquaris. Os monachi loquitur & pauca & rationabilia, & labia eius nunquam excedunt in sermone. Omnis conuersatio eius in edificationem ponitur proximorum, & qui moribus docet plurimos, etiam tacens vtilia loquitur. Qui amator verus est dei, humiliter in via graditur, & qui timet altissimum, os suum a cachinno temperat. In omni vita tua mortalem te cogita, & quasi qui iam vltimum emittit spiritum, moriens viuato. Felix regnum & diues apud deum prouincia in quibus cum boote confurgunt monachi, quoniam vbi non est timor dei, replentur theatra claustralibus. Monachus in via quasi vir qui dormiens loquitur: cum euigilauerit de fomno, nihil eorum quae somniauerat, meminit. Sic enim canon monasticus praecipit. Nec praesumat quisquam aliis referre, quaecumque foris monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis praesumpserit, vindicta regulari subiaceat. Similiter & qui praesumpserit claustra monasterij egredi, vel quocumque ire, vel quippiam quauis paruulum sine iussione abbatis facere. Hanc vitae normam voluntarie suscipientes in eius verba iurauimus, non licet alicui nostrum retrocedere, vel aliquid in contrarium attentare. Quae foris vel audisti vel vidisti, foris maneant, noli reuersus de via fratribus inferre nouitatem, ne mentium parias distractionem. Qui timet dominum, regulae mandata custodit: & qui amator est disciplinae, semper maturus incedit. Stultus in via gradiens verba multiplicat, & omnium motuum vocabula inquirat. Frater autem humilis cum deo loquens in abscondito cordis, tacenti est similis, & in sua simplicitate exultans graditur. Quicquid patrum constitutio mandauit, diligentissime considerat, & vbi cunq; fuerit, omnia studiose conseruat. Monachus qui directus in viam, se mundum & purum custodiuit ab omni macula culpa, laetus ad monasterium reuertitur, & quasi maris euaserit periculum, ad portum quietis suspirans festinat. Qui autem perdidit vercundiam, insolens factus est, & quasi iturus ad carcerem, tristis moerensque regreditur. Amicitiam secularium hominum verus Christi monachus non quaerit nec amat sed despicit: qui autem familiaritatem dissimilium multiplicat,

Monachus nihil sit neque amicitiae neque commercij cum seculis.

paulatim decedit a proposito sanctitatis. Maledictus homo claustralis qui ponit in hominibus confidentiam suam, & recessit a domino deo cor eius. Non quaeras amicitias hominum, sed cura ut inuisibilem consequaris confortium angelorum. Non conueniunt monacho frequentes amicitiae mortalium, per quas & vigor mentis resoluitur, & vanae occupationes ingeruntur. Nam sicut stillicidium longo tempore cauat lapidem quauis durum & solidum, sic nimia secularium hominum familiaritas paulatim rigorem emollit monasticum. Charitatem habeto ad omnes, familiaritatem vero ad paucos. Qui deum habet amicum, facile hominum contemnit familiaritatem: & qui cum angelis loquitur, mortalium colloquiis minime delectatur. Quoties in via signum dominicae passionis aut crucifixi contempseris, non praeteras nisi dicas, Ago tibi gratias domine Iesu Christe pro dolore vulnerum tuorum, pro sanctissimi sanguinis tui effusione, & pro morte tua innocentissima, quam in ara crucis sustinuisi pro nobis: & rogo te per amaram passionem tuam, miserere mei nunc & in tremenda hora mortis meae. Hanc orationem breuissimam sapienter interdum replica, & nunquam praeteras imaginem crucifixi, nisi gratias egeris saluatori. Non contendas cum eo qui tecum in via graditur, ne contra te reuersus ad monasterium mali quicquam mentiaris. Qui socium itineris ad impatientiam prouocat, quasi qui canem furiosum verberare compellit ad latrandum. Mansuetudine vincitur improbus, & qui humilis est corde, mitigat animo concitatum. In medio secularium hominum non effundas sermonem, ne forte contra te sumat irrisionem. Mesopolium loqui bona concedimus inter iuuenes, qui autem minor est ordine, audiat illum. Arator lassus festinat ad requiem, & monachus integer animo, currens de via ad cellam suam cum desiderio reuertitur. Comprimatur in ore verbum donec ratio sententiam aequitatis proferat, & sermo qui potest instruere audientes, non abscondatur. Non credideris carminibus palponum, quoniam cum exbalistauerint innocentem, aures mulcent sermonibus in compositis. Mancipiti similis est monachus, qui contentionibus alitur, & quasi homo spaticus, qui sub nomine religionis iurgia suscitatur. Coram eruditis non adicias loqui, ne forsitan cum non intelligis parabolam, irridearis a circumstantibus. Qui monachum se recognoscit, profundo sermone novertitur: & qui docet paruulos, eodem facit quaestionem. Cum vadis ad homines proposito tuo dissimiles, non gloriaris in ali-

Progreffus impietatis.

Prou. 18.

aliquo, sed si fueris interrogatus, paucis responde humiliter. Constitutus in itinere semper deum cogita, & senioris tui reuerentiam existima comitantem. Nihil facias omnino quod illi velis non esse manifestum, quoniam, ut sacer inquit Hierodulus, Christi vices in cenobio agere creditur, & ideo ab omnibus merito honoratur. Sic ergo viue quasi eum semper habeas ante oculos praesentem, & quod agere vel dicere illo inspectante non praesumeres, neque absente vllatenus attentus. Stulta enim consolatio est, conscientiam mordente reatu, homines latere peccatum, & iudicium fugere pastorem, qui se ad mortem nouit agrotantem. Monachus qui facit malum, quod suum cupit latere praetatum, monasticum canonem integritate violauit, & in quantum humilitatis gradum enormiter deliquit. Sic enim praecipit: Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, & mala a se in abscondito facta, per humilem confessionem abbati non celauerit suo. Haec Benedicti patris sunt monita, haec sancta monasticae institutionis documenta, quae si tu monache contempseris vel neglexeris, immemor salutis propriae conuinceris. Certum humilitatis indicium est si monachus aperire seniori cor suum non recusauerit, nihilque malorum quae commisit, suum cupiat latere pastorem. Qui confitetur delictum suum cum humilitate, contra aduersarium salutis suae confortabitur: & qui abscondit cogitationes, proficiet in malum. Nulla enim tam parua cogitatio malorum quae paulatim non crescat neglecta, & nullum tam exile vitium, quod vires non sumat si fuerit dissimulatum. Statim igitur a principio cogitationes male sunt repellendae, quia cum praua non subito extinguitur cogitatio, parit delectationem, delectatio vero consensum, consensus autem praecipitat in operationem. Deinceps actio mali sapienter iterata generat consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas autem inducit desperationem, desperatio contemptum, contemptus obstinationem, & illa mortem animae parit aeternam. Dicit namque scriptura: Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit. Nonne abbas tuus o monache pastor & medicus est animae tuae? Nonne fratres mei charissimi ego post deum ille sum, qui patet mortalia corpora vestra necessario alimentum? Nonne verbum salutis ministrare vobis ego compellor? Si oves pastorem fugitis, quae sunt pascua spiritus, quae a nobis expectatis? Qui medicum fugit infirmus, propria salutem despicit, & animam suam voluntarie occidit. Monachus ergo ambulans in via mali-

ti, & declinas a semitis iustitiae, morti est proximus, & tanto magis in profundum viciorum labitur, quanto minus iudicium corrigentis reueretur. Ille autem vere est monachus, qui ab omni iniquitate custodit animam suam, & nihil agit penitus, quod suum velle ignorare pastorem. Qui occultat viam suam, non est purus: & qui fugit praesentiam iudicis, auget suspicionem. Quasi ovis in deserto ambulans quae a lupo rapitur, monachus negligens & impurus qui se a noticia subtrahit pastoris & a demonibus deuoratur. Ovis morbida currens in interitum, & monachus abscondens omnem peccatum, non est salus eorum nisi reuertantur ad medicum. Reuerentes de via monachi statim ipso die, iuxta monasticum canonem fratrum omnium prouoluantur conspectibus, quatinus communibus orationibus expietur quicquid in via per negligentiam delinquitur. Multum enim valet ad diluendum peccata communis oratio plurimorum, si fuerit cum deuotionis feruore profusa ad dominum.

Probus monachus nihil celat abbatem suum.

De quotidiana peccatorum expiatione. Homilia XIII.



Quandiu in hac vita corruptibili sumus constituti fratres charissimi, quotidie in multis offendimus, & quantumlibet sancte conuersari videamur, peccato non caremus. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Dicit namque scriptura: Non est homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet. Diuus quoque euangelista Ioannes, Si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Commercio nempe carnis nimium delectata peccat anima, & fortitudo imminuit desperatione spiritus. Mens enim obiectione sensibilem decipitur, & delinquendi promptitudo longa consuetudine roboratur. Infirmitas carnis feruorem spiritus debilitat, & sancto metis proposito voluntatis fragilitas repugnat. Hinc Salomon rex sapientissimus in libro Proverbiorum dicit: Septies in die cecidi iustus & resurget, impij autem corruent in malum. Huius sententiae testimonio admonemur in sanctitatis proposito non tepescere, etiam si nos contingeret septies in die cecidisse. Quotiens o monache per peccatum a sanctitatis proposito cecideris, totiens resurgere ad feruorem pristinum non pigriteris. Humanam DD ij

Sapi. 9.

Eccles. 7.

I. Ioan. 8.

Prou. 24.

fragilitatis est cadere, sed pertinaciæ diabolice deiectionem in luto sceleris permanere. Semel peccauerunt demones, & facti sunt in sua obstinatione indurati & pertinaces, ad poenitentiam deinceps nunquam reuersuri. Homines autem quotienscunque ceciderint, semper ad poenitentiam possunt resurgere, & dei gratiam quam perdidierant peccando, lachrymis & orationibus impetrare. Cor etenim hominis flexibile, in vtranque partem moueri potest, quia nunquam homo in carne tam malus fieri posse credendus est, quin valeat si velit à malitia sua resipiscere, & deo largiente ad bonitatem mentem suam reformare. Rursus quoque nemo tam bonus in hac vita mortali efficitur, qui non fieri malus possit, si gratia domini abutatur. Quæ cum ita se habeant fratres mei, hodierna mihi cohortatione fueritis admonendi, quatinus caute ambuletis, vt qui conscientia testante iam in semitis iustitiæ graditur, in ipsa proficiendo quotidie perseveret: & qui reum se coram domino intelligit, vitam quantocyus emendet. Si te humana fragilitas quotidie impellit, siue, vt propriè dicam, præcipit facitque delinquere, incitet etiam te amor dei & propriæ salutis quotidie culpam tuam per veram contritionem humiliter expiare. Sic enim septies in die cadit iustus & resurgit, quoniam etsi ex humana fragilitate labitur, semper tamen in sanctitatis perseverans proposito, magis ac magis animo in dei amore confortatur. A grauibus namque peccatis conscientiam suam conseruans immunem, quotidianis negligentis inuitus polluitur, & cum se viuere sine delictis non posse conspicit, suam humiliter infirmitatem agnoscens, amplius ingemiscit. Quod si etiam grauiore delicto præoccupatus fuerit, mox ad emendationem per poenitentiam resurgit. Vnde considerantes humanæ fragilitatis conditionem prisca monasticæ disciplinæ moderatores, varia expiationis genera instituerunt, quibus & bonæ voluntatis monachi quotidie proficiant in melius, & improbi ad obseruantiam regularis vitæ compellantur. In regula namque sanctus pater Benedictus sic præcipit dicens: *Omni sollicitudine curæ gerat abbas circa delinquentes fratres, quia non est opus sanis medicis, sed male habentibus. Quamobrem primi obseruantia regularis principes prouida consideratione instituerunt, vt quotidie post primas in loco deputato conuentus celebretur, culparum, in quo præsidente vel abbate vel priore, omnium actus fratrum æqua discussione proferatur in medium. Locus iste fratres mei typū gerit purgatorij animarum, quoniam hic non solum*

Capitulum
locus
expiationis

peccata expiantur præterita, sed etiam præmunimur contra futura. In hoc etenim loco quem vocamus capitulum, quicquid in aperto deliquistis, corrigitur, & per salutarem poenitentiam expiatur. Hic quotidie legem veteram monasticam, ad cuius integritatem viuere promisistis, paraphraste pronunciate cognoscitis, hic verbum salutis exhortatorium diebus singulis auditis, hic martyrum Christi victorias multimodasque pro fide orthodoxa passiones breuiter recitatas auscultatis. Hæc est monachorum schola pro consideratione disciplinæ regularis necessaria, in qua totum discitur, quod obseruandum claustralibus mandatur. Duo sunt fratres mei dilectissimi quæ à vobis iste locus exigit, alterum, vt in correptione humilem semper teneatis patientiam: alterum vero vt nostram qualemcunque libenter suscipiatis exhortationem. Ad primum cupientes vos esse paratos sancti legislatores nostri, fortia martyrum gesta, quorum imitatores fieri debeatis, legenda præcipiunt, ac deinde vt sitis dociles animo, passim ex regula vnum subiungere mandauerunt. Itaque vt sitis imitatione sanctorum martyrum fortes & patientes ad increpationes necessarias, series passionis eorum in auribus vestris hic legitur, & quatinus ad salutarem doctrinam præparetis animos, lectio vobis de regula quam profitemini, vna recitatur. Sancti martyres Christi exemplo vos suo cohortantur ad patientiam, & vt sitis etiam ad iniurias parati, diuus vos admonet Benedictus per doctrinam. Nemo igitur vestrum amantissimi fratres in hoc loco poenitentia recuset pro suis negligentis quotidie humiliter suscipere, nemo dedignetur. Hic locus est publicum expiandi peccatum, in quo sic iudicij temperatur seueritas, vt pietas discretionis non violetur. Medicus enim esse cupio animarum vestrarum, non peremptor: idcirco ad iudicij nostri examen securi accedite, & vosmetipsos de commissis in aperto negligentis humiliter proclamate. Nolo vos grauare supra regulam, vt secretissima conscientia delicta de confessione sacramentali ad publicum transferam examen culparum. quod nouimus fecisse quosdam in graue animarum detrimentum suorum subditorum. Sic enim dicit legiser noster Benedictus in regula: Si vero animæ peccati causa fuerit latens, tantum abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena non detegere vulnera seu publicare. Duo sunt in monasterio loca expiationis peccati, alter eorum quæ sunt manifesta, & alter eorum quæ sunt occulta. Manifesta enim

Duo in
capitulo
necessaria
sunt

Peccata
publica
ab
bati,
occulta
cō
fessionis
per
apertum
expiantur.

enim peccata in proclamatione culparum quotidiana publice coram omnibus expianda sunt, occulta vero, & quorum manifestatio scandalizaret infirmos, ad confessionem sunt remittenda. Nam cuius peccatum est manifestum, oportet vt publice quoque puniatur: & qui deliquit in occulto, etiam in secreto emendetur. Sunt quidam claustralium rectores, qui latentia subditorum peccata ad publicum examen referre non verentur, qui iudicio quidem meo non satis prudenter iura prælationis exequuntur suæ, dum subditis viam præcludunt salutis, & confessionem liberrimam constringunt sub vinculo malæ voluntatis: quod quam sit periculosum, nemo vel mediocriter sapiens, qui non intelligat. Hanc enim pastoris temeritatem sanctus institutor monachorum ita redarguit dicens: Magnopere sollicitudinem gerat abbas, & omni sagacitate & industria curer, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem. Ordinauimus vobis ex senioribus quatuor spirituales confessores, vt si quis vestrum aliqua fuerit occulta tentatione præoccupatus, & nostram habuerit inexpertam iuuentutem suspectam, ad illos pro consolatione sui securum possit habere recursum. Quauis neminem in tota congregatione hætenus, inuenerimus ista, quem nobis fidem tam in confessione quam extra detraxisse notauerimus. Omnes enim cognoscitis & aperte videtis, quod nihil in vobis amplius quero, nihil plus desidero, quam vestram salutem, & spiritualis profectus quotidianum incrementum. Vos enim corona mea, vos honor meus, vos gaudium meum: quia tunc me foelicem existimo, cum vos in dei profectus amore cognosco. Magnam proficiendi opportunitatem consecuti estis fratres charissimi, quoniam & locus in quo militamus domino, ab omni strepitu remotus est, & quotidiana vos admonitione ad meliora promouere non cessamus. Quotiens vero quispiam vestrum in aliquod peccatum per humanam fragilitatem ceciderit, iacere in deiectione animi diutius non permittitur, vbi alter ab altero in vera charitate fraterna pro suis negligentis quotidie proclamatur. Hæc est officina salutis, in qua mens pabulo celestis doctrine pascitur, & anima satisfactione publica quotidie à delictorum maculis emundatur. Hic locus est purgatorij terrestris, in quo monachus pro suis negligentis discrete corripitur, & per humilem patientiam pro Christi amore quotidie longo martyrio creatori suo immolatur. Nostrum est fratres in hoc consistorio culparum proclamatos discrete corripere, vestrum

est omnia patientissimè sufferre. Oportet enim vt pro nostris satisfaciamus peccatis, quod si facere in hac vita neglexerimus, in futura compulsi necessario faciemus. Sunt inter vos nonnulli correctiones grauius ferentes, quibus denunciamus, quod sæpe diximus, quoniam necesse est vt in futuro grauisima sustineant, qui parua hic sustinere ac leuia recusant. Ego autem considerans eorundem infirmitatem & ignorantiam penes meipsum grauius crucior, quia mentes eorum faucias video, & tamen adhibere necessaria medicamina pertimesco. Nam si conuenientia morbis applicauero remedia, vereor ne pusillanimes effecti desperationem incidant, vel certè in reprobum sensum dati, penitus à sancto proposito recedant. Quanta igitur possum discretionem vtor, sicut vos omnes mihi testimoniū perhibebitis, malens infirmos per patientiam cum charitate mittere ad purgatorium, quam ex iusta seueritate desperatos descendere ad infernum. Quis enim in hac mortalitate satisfacere pro peccatis vnquam potuit, qui bonam poenitentiam non adhibuit voluntatem? Sola namque voluntas bona, poenitentium opera commendat. Cum autem plures puniantur, inuiti, adhuc sunt remoti à perfecta satisfactione. Credite mihi fratres mei dilectissimi quoniam patiendo magis quam agendo commedatur satisfactio pro peccatis. Nam & ipse dominus ac saluator omnium nostrum Iesus Christus patiendo toti mundi peccatum in ara crucis expiauit. Vtinam sciretis quam sit efficax anima peccata fauciatque medicina, proclamationes & correptiones cum humili patientia suscipere, & etiam in augmentum perfectæ satisfactionis iniurias & contumelias æquanimiter tolerare: Certus sum quod omnia satisfactionis genera procul excedit humilis in aduersitate patientia: & quanto mens ad tolerandas pro Christi amore contumelias & iniurias promptior fuerit, tanto facilius & citius omnium peccatorum suorum veniam & plenior indulgentia à domino consequetur. Locus enim iste in quo nunc loquimur, purgationis & expiationis ergasterium est, in quo zelus disciplinæ regularis principatum obtinet, discretio examini præsidet, charitas omnia dirigit & cõplet. Vnde in hoc ipso loco patientia vobis multum est necessaria, sine cuius presentia nulla erit satisfactio consummata. Qui salutis suæ studiosus amator est monachus, hunc locum vt officinam expiationis diligit, & nunquam seipso non melior factus inde procedit. Locus enim iste demonibus metuendus est arque terribilis, sanctis autem dei angelis charus, & multum venerandum.

Prælati
circumspici
sunt

In patientia
magis
quàm
actione
cõsistit
poenitentia.

dus, in quo humilium monachorum culpa diluitur, & quicquid in aperto delinquitur, etiam publice coram omnibus expiatur. Si quid vero latentis culpe a quoquam vestrum commissum fuerit, occulta similiter confessio poenitentis expurgabit. Utrobique pura confessio cum humilitate requiritur, & tam hic quam illic patientia vobis necessaria iudicatur. Quisquis igitur monachus cupis esse bonus, in omni patientia prepara animam tuam, ut tam in aduersus quam in prosperis constantissimam teneas mentis tranquillitatem. Cum pro negligentis tuis ab aliquo confratre proclamatus fueris, patienter feras cum omni humilitate, fideliter induces ad memoriam, quam innocenter dei pro te filius fuerit accusatus. Nam si passus est ille contumelias iustus & innocens, qui peccatum non fecit, quare tu non feras patienter increpationes a seniore, qui in multis quotidie offendis? Innumeras ille pro salute tua patientissimè sustinuit iniurias, & tu pro tuis peccatis cur non sufferas humiliter patienterque breues & pauculas admonitiones? Nā si iuste proclamaris in iudicio culparum, necessario es patients, quoniam quod sustines, ipse meruisti, & imputabitur tibi humilis increpationum tolerantia in satisfactionem peccatorum. Quod si non meruisti proclamationem in iudicio, sustineas tamen pro Christi amore patienter, nam non solum reputabitur tibi ad satisfactionem præcedentium peccatorum, sed multo amplius ad iustificationem. Siue ergo iuste proclametur monachus siue iniuste, causam non habet iustæ defensionis, quoniam si deliquit, merito suo patitur. Si vero est innocens, magis ad patientiam obligatur. Nemo enim nisi patiens & humilis Christum poterit imitari: sed cum monachus Christi maxime teneatur esse discipulus & imitator, maxime illum conuenit esse patientem. Sine ferro & igne martyr esse potest monachus, si veram ubique patientiam in animo pro dei amore custodierit. Verus etenim monachus nec laudibus extollitur, nec vituperio contristatur, ad iniurias patientem se exhibet, ad contumelias & opprobria lætus humiliter tacet. Nemo fortior patiente, qui nouit semetipsum vincere, & quolibet contraria pro dei amore tranquilla mente humiliter tolerare. Omnis autem impatiens superbus & arrogans est, quoniam præceptorem humilitatis Iesum non sequitur, & idcirco ad iustas increpationes quas meruit, indignatur. Quemadmodum fornax probat aurum, ita contumeliæ & iniuriæ probant monachum si veraciter diligat Christum. Humilitas & patientia in aduersus vera sunt insignia monachorum: quorum ornatu quicumque non induitur, frustra de nomine gloriatur. Qui humilis non est, monachus veraciter esse non potest: & qui patientiam non custodit in aduersus, verus Christi non potest esse discipulus. Hinc Salomō rex in libro Prouerborum dixit: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Doctrina enim viri per patientiam dignoscitur, & gloria eius est iniqua prætergredi. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Ad omnes iniurias patients est monachus, qui Christum in veritate sequitur: & qui dominicæ passionis mediator est non obliuiosus, contumeliis exultat animo & lætatur. Omnes enim, ut facer Christo-philus inquit, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur: & quicquid eis acciderit mali, summa constantia peruincunt. Et quanuis patientia monacho in omni loco & tempore sit necessaria, in quotidiano tamen examine culparum præcipua est intentione diligentius custodienda, ubi de correctione morum agitur, & quicquid fuerit contra normam monasticæ puritatis commissum, in vnoquoque per seniores emendatur. Prius ergo quam hunc locum ingrediamur, mane cogitanda sunt omnia, & animus aduersus ea quæ possunt euenire, firmandus est, ut si durior forsitan increpatione euenierit, mentem a statu tranquillitatis non subuertat. Nā etsi nulli vestrum contumeliam inferre siue iniuriam facere statuerimus vnquam, fieri posse non negamus, ut ultra demeritū se correptum existimet, quisquis paternam in nobis correctionem verbis potius quam animo pensat. Vestram salutem, sicut deus nouit, in omnibus, & nihil aliud querimus, amputare vitia radicibus iuxta religionis nostræ instituta, non lædere quenquam sincere cogitamus. Non possumus omnibus complacere in omnibus, sed illis displicere maxime compellimur, qui peccantes in canonem, quotidie impunitatem sibi scelerum pollicentur: de quibus rex Salomon dixit: Doctrina mala deferentium viam vitæ, & qui odit increpationes, morietur. Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Qui male operatur, ex proposito fugit lucem, & odit correctionem, quia stultus est: qui autem sensatus est animo, gratias ager suo correctori. Propterea in hac parte non vereor odia murmurantium subditorum, sciens me curam infirmarum suscepisse omnium, quibus & volentibus & nolentibus salutis teneor adhibere remedia. Si fieri posset fratres optare summo opere neminem vestrum in aliquo vel

tenuerit perturbare, sed in medio vestri cum summa tranquillitate conuersari, & domino deo nostro in pace mentis & corporis hilariter deseruire. Sed quia non omnes quæ dei sunt in veritate queritis, oportet me corripere, & aliquando turbare inquietos, ne impunitas paruorum scelerum audaciam præbeat grauiorum. Scio enim quam paratam necessitatem periculi cure pastorales, & ideo silere nec possum nec debo vobis peccatibus, ne ab aliquibus iudicer consentiens. Libenter suffero, si me propterea cōtingat odio haberi: quod cum fieri sine grauisimo animarum vestrarum periculo nequeat, rogamus vos per dominum nostrum Iesum Christum pro nobis crucifixum, ut paternas & necessarias increpationes nostras, pro dei amore in remissionem peccatorum vestrorum omni tempore patienter & cum vera humilitate sustineatis. Cogitet vnusquisque apud se nullum esse diem in quo omnia bene faciat, & non offendant in aliquo, sciatque se mercedem suorum operum in breui recepturum, pro bonis bona, & pro malis similiter mala. Studeat ergo quantumcunque potest in hac vita pro delictis satisfacere, & omnes iniquitates suas quotidiana castigatione corporis humiliter expiare. Scitote fratres mei quia non est aliquod peccatum tam paruum, quod omnipotentis dei iustitia dimittat impunitum. Propterea cum nemo sit nostrum qui non offenderit in multis, armate vos precor patientia & humilitate, ut quotiens pro peccatis correpti fueritis, cum omni mansuetudine sustineatis. Nam in hoc tempore libertatis arbitrij cum parua expiatione satis potestis facere pro debitis multis, quādo post mortem in purgatorio anima etiam pro paruis diu & grauisime cruciabitur. Enimvero multum valet satisfactio voluntaria: quæ autem fit ex necessitate, minus promeretur ad gratiam. Omnino fratres conuenit & oportet animam purgari a delicto, si debeat in cælis regnare & gaudere cum Christo. Anima vero quæ purgationem delictorum in presenti vita neglexerit, grauius in futuro punietur. Nemo vestrum dicat fratres mei charissimi, quod plures imperiti homines dicere consueuerunt, Sufficit mihi, si anima mea purgatorij penas consecuta fuerit. Credite mihi fratres, quicumque hoc verbum ex animo dixerit, quid futurum sit purgatorium, non perpendit. Nescit enim quid perat, qui purgatorij desiderat. Quemadmodum stultus est qui cum posset soluere debitum liber, contemnit, & libens vadit ad carcerem, ita stultissimus omnium hominum est merito iudicandus, qui satisfacere in hac vita cum possit deo pro peccatis, differt ad fu-

turam. Huius vitæ fructuosa est poenitentia, & voluntaria satisfactio, multum quoque meritoria: post mortem vero non erit locus poenitendi, sed vnusquisque tunc recipiet prout gessit in corpore suo siue bonum siue malum. Hęc fratres cogitate dum sani viuatis, ne mortis imperio præoccupati sero tadem doleatis. Dubium non expectet crastinum salus hodierna, & qui debitum potest cum gratia in libertate soluere, non se pariat ad carcerem trahi cum tortura. Quantum quisque potest in omni vita sua tantum caret satisfacere pro peccatis, quoniam securus ad dominum spiritus reuertitur, qui adhuc in corpore existens, per ignem diuini amoris quotidie purgatur. Habetis hic locum in quo publicorum reatum quotidiana expiatio agitur, si veram & humilem tenueritis in animo patientiam, certam proculdubio consequemini omnium remissionem. Pro secretis vero & occultis quid agere debeatis, non solum regula vos admonet, sed etiam quotidiana confessio sacramentalis ad omnia informat. Ad altare nanque dei filium quotidie singuli deuote immolare consueuim? ad quod sacrosanctum mysterium nemo nostrum accedit nisi prius ex more confessus, quoniam summa puritas requiritur, ubi saltem per missam totius mundi renouatur. Quis inter hęc nostrum fratres amantissimi quotidie in dei amore non proficiat, nisi omnem proficiendi appetitum turpiter ac penitus deponat? Audeo namque dicere, quia monachus, qui in hac sancta congregatione non proficit, salutis proprię penitus conuincitur oblitus. Credite mihi fratres, nemine deus saluabit inuitum. Si vos profectum neglexeritis proprium, non illi sed vobis imputabitur. Deus enim lumen est intellectuale, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut altiuolans inquit Ioannes: qui autem lumen non recipiunt, in tenebris necessario permanerunt. Qui mentem suam auertit a fide, quæ est in filio dei, manet in tenebris: & qui non facit opera lucis, nihil fides ei proderit ad salutem. Extra fidem domini nostri Iesu Christi non est salus, & qui aliter sentit, non est Christianus. Non te seducat o homo pietatis stultę consideratio, ut credas aliquem extra fidem Christi in qualibet religione saluandum, quā tumlibet uiuat innocenter, vel ad legem naturę: quoniam sicut extra Noe arcam non fuit hominibus vita, sic extra fidem Christianam non est alicui salus ad vitam æternam. Christus enim dei filius vnicus & solus saluator est mundi, in quem quicumque non crediderit, ira dei manet super illum, & cum diabolo cōdemnabitur. Vos autem fratres mei qui iam in dominum nostrum Iesum Christum

DD iij

Multum nobis prodest, ut Christum amamus, siue iuste in iustis de ferri.

Prou. 16

Eccles. 17

1. Tim. 3

Prou. 9

Nō potest ab-

bas mul-

torij ita

trū, quin

molestus

sit non-

nullis.

te-

1. Co. 5.

Ioan. 1.

Extra

fidem Chri-

sti nō est

salus.

creditis, ita precor deinceps viuite, vt nomine & opere Christiani, ad eius cōsortium peruenire valeatis; qui viuere & regnat cum deo patre in vnitatem spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum.

De vera poenitentia monachorum
Homilia. XIII.



Vanuis tota conuersatio nostra fratres mei charissimi recte poenitentia nominari possit, quippe qui & nobis mortui, & mundum sepulti videmur, quia tamen carne mortali sumus circumdati, & peregrinamur in medio nationis peccatricis, fieri non potest quin fragilitatis propria impulsu quotidie aliquo delinquamus, pro cuius expiatione non solum generaliter sed etiam specialiter fuerit poenitendo satisfaciendum. Est enim poenitentia cunctis mortalibus necessaria, qua & commissa mala deplangant cum emendationis proposito, & deinceps quantum fieri potest, viuere statuunt sine peccato. Monachorum est proprium, sine intermissione poenitentiam agere, & tam pro suis quam pro alienis peccatis iugiter orare. Non enim docentis officium habet monachus, vt facer Hieronymus inquit, sed plangentis, qui vel se lugeat infirmus, vel mundum perfectus, & domini pauidus praestoleatur aduentum. Si perfectus es monachus, poenitentiam agito pro peccatis alienis. Si vero infirmus, oportet vt amplius poeniteas pro propriis. Semper itaque poenitendum est monacho, qui non solum pro suis sed etiam pro delictis aliorum intercessor ad deum constituitur. Sed quis in vobis est fratres, qui proprio non grauetur delicto? Quis inquam est vestrum, qui non indigeat poenitentia? Video vos in multis quotidie offendere, & doleo: certo quam praeteritorum negligatis poenitentiam, & contremisco. Nunquid non agnoscitis vos esse mortales? Et quare vocabulo monachi non satisfacitis, vt poenitentiam in tempore necessariam agatis? Mementote quae comminantis scripturae dicentis. Ne tardes conuertere ad dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictae disperdet te. Non enim praeteribitis mortem, quae vobis o fenestra in ianua est, & iunioribus later in insidiis, sed quando minus cogitatis, de corpore compulsus exiet spiritus. Vnde si vos esse peccatores recognoscitis, si venire ad dei misericordiam desideratis, amodo iam poenitentiam precor assumite, &

Eccl. 1.

mores vestros in omnibus secundum regule puritatem emendate. Satis sit haecenus veram neglexisse poenitentiam, & nimis tepidam tanto continuasse tempore conuersationem. Deuse etenim qui dissimulat peccata hominum propter poenitentiam, differentibus poenitere non promisit vitae prolongationem. Considerate longanimitatem dei, qui vos peccantes quotidie tam diu misericorditer distulit, & agite poenitentiam, quatinus operam inueniatis remissionem. Dicit enim dominus per prophetam. Nolo mortem impij, sed vt conuertatur a via sua mala, & viuat. In sancto quoque euangelio dicit. Poenitentia agite, appropinquabit enim regnum caelorum. Magnum est bonum poenitentia mortalibus, quae sordidas purgat animas, & mentes ab interitu reuocat destinato. Hinc diuus dicit Augustinus. Poenitentia languores sanat, leprosos curat, & mortuos suscitatur, sanitatem auget, gratiam conseruat. Poenitentia claudis gressum, caecis visum, aridis copiam, debilibus restituit firmitatem, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & corroborat. Illa autem vera est poenitentia fratres, quam necessarii partes vt totum veraciter commendant, vbi contritio mentem penetrat, vbi latens peccatum humilis & pura confessio referat, vbi pro viribus satis facit obedientia, vbi sic poenitens dolet de praeteritis, vt veraciter omni tempore caueat a futuris. Vera poenitentia est quam dei amor gemitibus exornat & lachrymis, vbi plus dolet peccator de offensa dei, quam timeat de cruciatu inferni. Et quis nostrum non doleat fratres amantissimi, quis non ingemiscat monachorum, in lege deliquisse altissimi, a quo habemus non solum viuere, sed etiam expectamus promissionem felicitatis aeternae? Vt nobis fratres, si veram agere poenitentiam in hac vita neglexerimus, quam vt temper ageremus, monachi facti sumus. Nostra enim conuersatio in solo crucifixo Iesu Christo debet esse occupata, & a mundi solatiis penitus aliena. Non decent te mundi solatia o monache, non voluptates, non deliciae, non risus, non cachinni, non aliqua consolatio carnis, sed moeror & amaritudo cum lachrymis: quibus si non induleris continuae monachivocabulum amissisti. Non licet tibi gaudere cum seculo qui mortuus es mundo: nec debes aliqua praesentis vitae solatia quaerere, qui domino promissisti secundum regulam monasticam in solitudine seruire. Tuus est monache, vniuersa huius mundi gaudia pro dei amore semper & vbiq; continere, & nulla aduersa vel dura subire pro honore saluatoris tui recusare. Sic enim te canon monet, sic institutio monastica iubet,

Sap. 11.

Eccl. 11.

Matt. 1.

Poenit. 1.

Mat. 10.

Mat. 10.

1. Ioan. 2.

Luc. 9.

Quam diside-

at multo

rum vi-

ta, etiam

mona-

choru,

a Christo.

In monachos voluptarios.

Mat. 10.

1. Ioan. 2.

Luc. 9.

Quam diside-

at multo

rum vi-

ta, etiam

mona-

choru,

a Christo.

bet, sic ratio salutis necessaria suadet. O virilitate & extremitate iuberis esse contentus, & semper ad omnia pauidus. Sed video plerisque vestrum regulam salutis peruertere, & aliter quam oportet, in coenobio conuersari. Delicias monachi nunc quaerere in coenobis non metuunt, qui ad conuersationem pauperes & mendici de seculo venerunt. Nam quae foris habere non poterant, iam si defuerint in monasterio, quasi contumeliam passi grauissimam, contra humilitatem rebellant. Vae monachis, quos non dei amor sed inopia fecit calustrales, quorum deus venter est, & nihil minus quam paupertatem cogitant. Non est vestrum o monachi delicias in monasterio deinceps quaerere, quas regula praecipit omnino abnegare. Vobis conuenit omnes voluptates praesentis vitae spernere, & praeter deum nihil in hoc mundo penitus amare. Tota enim conuersatio vestra diuinis semper debet esse mancipata obsequiis, qui viuere spiritu, & non secundum carnem promissis. Nunquam sine poenitentia viuere qui verus est monachus, sed quotidie corpus suum per abstinentiam macerat, quisquis ad aeternae felicitatis epulas veraciter anhelat. Non enim fieri potest vt praesentis vitae deliciis vtatur monachus, & aeternis, sed necesse est si ad illas anhelat, istas contemnat. Christi nanque saluatoris esse discipulus iubetur monachus, qui canonem profitetur coenobiticum: cui si placere in veritate desiderat, necesse est vt eius imitator fiat. Sic enim in sancto euangelio dicit: Qui vult meus esse discipulus, me sequatur. Quid vero sit, me sequatur, sanctus Ioannes apostolus in epistola quadam edocet dicens: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Et ipse dominus iterum in euangelio dicit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Non est obscure locutus magister tuus o monache, neque sententiam aenigmatibus inuoluit, sed enodum protulit sermonem, quod nullam praetendere queas excusationem. Ipse namque Christus est exemplar & norma conuersationis: bonae & perfectae omni Christiano, & praecipue monacho, quae homo claustralis qui pro viribus in toto corde non sequitur, de fidei professione frustra gloriatur. Nam sicut a Christo dicitur Christianus, ita nominatur ab imitatione magistri discipulus. Moribus igitur imitare magistrum, vt verum te Christi probes

discipulum. Dominus enim Iesus Christus, cuius te profiteris discipulum o monache, cum esset diues, pro nobis pauper factus est. tu autem cum sis vilis & inops, in schola paupertatis omnium rerum abundantiam quaeris: & quem praceptor iubet omnia pro sui amore contemnere, rursus omnia cupis in monasterio possidere. Dominus & magister tuus patri vsque ad mortem crucis obediens pro nobis extitit, tu vero superbia & impatientia plenus, obedire maioribus pro eius amore aut renuis, aut inuitus & cum indignatione obedis. Ille propter salutem tuam non solum verba & opprobria improborum hominum patientissimè in omni vita sua sustinuit, sed etiam verbera plagasque liuidas & horreda vulnera tui amore tolerauit. Mortem quoque subire turpissimam non renuit, vt animam tuam ab errore mortis ad vitam lucis aeternae reuocaret. A die natiuitatis suae in mundo pauper vixit & humilis, multisque tribulationibus saturatus & opprobriis, vt te perditissimum hominem ad dei cognitionem & amorem doctrina & beneficiis repararet. Quid enim essemus, si dei filius non apparuisset homo, nisi perditissimi? & quid sumus, si non imitemur magistrum pro viribus, nisi ingrati? Vae nobis ingratis mortalibus, qui dominum & saluatorem nostrum humilimum sequi contemnimus. Intueamur conuersationem nostram fratres, & comparemus discipulos ad magistrum, cuius nomen inuocatum est super nos, et qua longe recesserimus a semitis benignissimi praepitoris nostri, manifeste intelligemus. Sed reuertamur ad eum in toto corde precor, & agamus poenitentiam, quia procul a via salutis recessimus, carni potius quam spiritui seruietes. Nemo semetipsum spei vanitate decipiat, nullus vltimam huius vitae horam, quando iam nequeat peccare, pro poenitentia expectet, quia nec vita quantitas habet certitudinem, nec dilatio poenitendi securitatem. Qui sanus non poenitet, stultus est: & qui non emendat vitia cum potest, iusto dei iudicio dilatam amittit potestatem. Tunc enim fructuosa est poenitentia, cum arbitrij libertate fuerit voluntaria: sed mortis iam instante periculo videtur potius esse necessaria, quam propria poenitentis electione assumpta. Nemo dicat in corde suo fratres mei, nemo cogitet durum esse poenitendi laborem, & idcirco vsque in vltimam huius vitae particulam differendum. Nimis est periculosa ista cogitatio, quoniam vita certum terminum, quem vniciusque diuina prouidentia statuit, sicuti latere omnes voluit, ita nulli poenitentiam differenti ex intentione, prolongabit. Si volumus

2. Cor. 2.

Philip. 2.

esse cōscientia tūti atque securi, agamus poenitentiam dum sani sumus, dum peccare possumus, dum adhuc nulla mortis necessitate instantis virgemur. Valde nanque dubia res est poenitentiam agere cum iam necessitas compellit, & mortis instantia facit nō amplius posse peccare, quando videlicet non tu peccata, sed illa impotentem te sui dimiserūt. O, quā multi spe vitæ longioris decepti ad barathrum damnationis æternæ descēdunt, qui poenitentiam agere sani contempserunt. Quanto enim diutius poenitentiam distuleris, tanto semper ad poenitentiam minus dispositus inuenieris. Sumit nanque malitia cū tempore vires, & nullum est peccatum tam paruum, quod nō crescat neglectum. Poenitentiam igitur amplectere dum sanus es, nec differas de die in diem, quoniam quid hodie possis, intelligis: quid autem futurum sit crastino, ignoras. Affert enim sua quæque noua incommoda dies, & qui hodie ad poenitentiam non est dispositus, cras forsitan minus aptus erit. Nemo autem dicat vestrum, quid peccauit, vt mihi necessaria videatur poenitentia, cum vita mea tota nihil sit aliud quā dura quædam & proluxa poenitēdi necessitas? Audisti scriptura testante, quoniam nō est homo super terram, qui benefaciat, & nō peccet, cum nemo sit mundus coram deo. Nam & si non committatis grandia humanæ impietatis scelera, vt sunt homicidium, furtum, adulterium, fornicationes, & his similia, quia tamen in ea estis vocatione constituti, in qua viribus totis ad statum perfectionis omnem deberis eleuare conatum, peccata quæ mortalibus in mundo uiuentibus parua sunt, vobis certe grauiora imputantur. Cauenda sunt enim claustralibus, quantum fieri potest, omnia peccata, non solum quæ salutem impediunt, sed etiam quæ commaculant indictam perfectionem. Et quis vestrum tanta puritate viuūt, quantum perfectio monastica requirit? Grāde peccatum est monacho, si à perfectione conatum suum deposuerit, si negligenter in monasterio vixerit, si vel vnum canonis & euangelij mandatū transgressus fuerit. Et quis in vobis est fratres, qui dominum deum tanta sinceritate, tanta charitate, tantoque diligat seruire amoris, sicut homo factorem & redemptorem suū tenetur diligere? Aut quæ dabitis mihi ex omnibus vobis, qui non excedat aliquando vel in cibo sumendo, vel in potu, plus quā integritati congruit monachorum? Quis vestrum non offendit in verbis? aut quis non vexatur aliquando cogitationibus malis? Quem in vobis non percussit acedia? & quem tristis non turbauit pigritia?

Eccle. 7.

Nemo se dicat nō egere poenitentia.

Quis est ille quem in hac parua congregatione vestrum non tangat elatio, & quem non facit impatientia frequētius murmurantem? Consideret vnusquisque vestrum semitas cōuersationis suæ, & inueniet se in multis quolibet etiam momento delinquere. Quid enim si nihil mali commiserit monachus? Quid si mundum se custodierit ab hoc seculo nequā? Perfectus esse non poterit, nisi & à malo declinauerit, & bonum fecerit quod eius perfectio requirit. Alterum enim sine altero non sufficit, sed ex vtroque perfectio in homine cōsurgit. Summo igitur studio nobis semper inuigilandum est fratres, vt satisfaciamus institutioni sanctorum patrum secundum quam viuere nos professione publica solēniter obligauimus, quatinus ad perfectionem nobis propositam conatum nostrum sine intermissione dirigamus. Non retrahat nos à sancto conatu propriæ infirmitatis nostræ consideratio, quia nō minus adiuuamur gratia creatoris, quā nostro curramus desiderio. Sicuti quotidie in multis quidē negligentius conuersando qualibet occasione delinquim⁹, ita singulis quoque momentis à torpore mentis resurgentes, sanctum conatum in bono proposito renouemus. Cōiungamus sanctis orationibus lachrymas, & dei semper auxiliū deuotis supplicationibus inuocemus. Charitatem in omnibus custodiamus inuolabilem, quoniam ipsa est quæ multitudinē operit peccatorum. Singulis diebus bonus Christi miles, qui domino suo cepit esse fidelis, conscientiam suam ad minus semel discutiendo examinet, & quantum in sancto profecerit desiderio, vel defecerit eo die, diligentius penset. Quotiens uero deprehenderit se deliquisse in aliquo, confestim agat poenitentiam, & cum lachrymis à domino postulet miserationem. Non dubium expectet crastinum salus hodierna, & qui statim potest inuenire veniam, nullatenus interponat dilationē. Corde mox doleat se peccasse contra dominum, sanctum quoque nouo seruire innouet propositum, illumque diem se perdidisse penitus existimet, in quo se melior proficiendo non euaserit. Sēper in ore monachiverfetur oratio, in corde sit iugis compunctio, ab oculis lachrymæ deuotionis cōtinuē defluant, & interni amoris exercitia nunquam ab eius memoria recedant. Crebro sit in mēte hominis claustralis dominicæ passionis amarissimæ recordatio, & omnes preces quas facit ad patrem, in virtute sanguinis & vulnerum domini nostri Iesu Christi porrigantur. Semper in ore sint verba compunctę mentis iudicium præ se ferentia, & vel oratio porrigatur ad deum, vel

1. Petr. 4.

Monach⁹ quod cotidie se melior fiat.

Poenitentia, vere quatuor necessaria.

Psal. 50. Psal. 125.

Cōtritio quid, & que germana.

sermonum eius meditatio reuoluatur. Declinet à malo deuotus monachus, & faciat bonum quod potest, cum hilaritate & discretione spiritus dei, quoniam sicut est dictum, ad poenitentiam agendam nō sufficit mores cōmutare in melius, & à malefactis recedere, nisi etiam bonis operibus conscientiam suā studeat exornare. Ad veram igitur poenitentiam quatuor, vt scitis fratres mei, requiruntur. Primum est contritio vera pro peccatis, quæ est dolor cordis voluntariē assumptus, in eorum detestationem malorum quæ commisit. De qua scriptura dicit: Cor contritum & humiliatum deus non despicies. Et iterum: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Comes enim poenitentia dolor est cōtritionis, qui quanto maior fuerit, tanto poenitentia fructuosior erit. Contritio nāque vera est quam & dolor mentis commendat, & lachrymarum mundatio continua testatur. Magna est utilitas lachrymarum, quia nullum est tam graue peccatum, quod cōtritio lachrymis nō delect comitata. Hinc sanctus doctor Augustinus dicit: O humilis lachryma quā potēs es & virtuosa, quia tuum est regnum, tua est potentia. Aspectum iudicis nō vereris, inimicis accusantibus silentium imponis, sola intras ad regem, sed sola non recedis: vincis inuincibilem, & ligas omnipotentem. Idem quoque ait: Quanto est quilibet sanctior & desiderij sancti plenior, tanto est in orando fletus vberior. Vera compunctio dolorem habet, dolor autem lachrymis ostenditur, & his poenitentia quasi quibusdam ornamentis decoratur. Vera compunctio facit animū horrescere peccatum, quæ cum cœperit à timore, suis aucta incrementis, paulatim confurgit in amorem, cuius magna est virtus, & verè admiranda potestas, vt cui mox cedit omnis peccatorum enormitas. Quemcunque enim vera cordis compunctio supplicare fecerit, mox hunc misericors dominus exaudit. O felices lachrymæ, o salutaris afflictio, & vere dulcis amaritudo, quæ diabolus metuit, per quæ anima compuncta ad dei misericordiam cōsurgit. Nam, vt sanctus inquit papa Gregorius, quo vberius culpa defletur, eo altior cognitio veritatis attingitur, quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lachrymis baptizata reuouatur. Secundum quod ad poenitentia veritatem pertinet, est firmiter emendationis propositum, quoniam quisquis verbum confessionis in ore habet, & in corde non habet emendationis propositū, aut dolosus est aut vanus. Qui vero in corde & non in ore, aut superbus est aut timidus, & nequaquam ad veram poenitentiam ido-

Institutum re- stituitur vitæ.

neus. Dicit enim scriptura: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quæ Christophili sententia & si de fide domini nostri Iesu Christi principaliter intelligenda sit, recte nihilominus ad veram poenitentiam videtur applicanda. Nam sine cōfessione oris non sufficit ad poenitentiam sola cōtritio cordis, ex eo maxime tempore quo statutum ecclesie confessionem decreuit necessariam ad salutem. Tertium igitur, oris confessio est, ad veritatem poenitentia necessarium, sine qua nec contritio sufficit, nec emendationis futura propositum. Qualis vero debeat esse hæc salutaris confessio, neminem vestrum latere scio. Dico tamen quia fortassis non erit inutile, quoniam oportet confessionem esse propriam, integram, liberam, humilem, spontaneam & verecundā. Dicit enim præsul sanctus Ambrosius, quoniam plurimum suffragatur deo ad remittendum peccata hominibus verecunda confessio, & poenam quæ euitare defensione nō possumus, pudore humili releuamus. Magna res est cōfessio debita peccatorum, quoniam & sauciam delictis animā confidentis mox ad sanitatem reformat spiritualem, mentem quoque humiliatam iustificat, & veniam peccatis donat. Omnis enim spes nostra post lapsum peccati cōsistit in humilitate cōfessionis, quoniam culpa non dimittitur, nisi deo scietū omnia per sacerdotē in confessione reuelerit. In cōfessione nanque locus est misericordie, sicut Salomō dicit in libro Proborum: Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur. In psalmo quoque scriptū est: Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sanctus etiam euangelista Ioannes in epistola prima dicit: Si confitemur peccata nostra, deus fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundabit nos ab omni iniquitate. Et sanctus præsul Augustinus ait: Cōfessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutū, expugnatrix dæmonum, & cumulatrix omnium bonorum. Os claudit inferni, & portas caelestis aperit paradisi. Cæsiodorus quoque virtutem commendans veræ cōfessionis, ita dicit: O beata confessio quæ sempiternū tollit opprobrium, quoniam quicquid reatum inuenit poenitentia, perpetuis seculis reddit absolutū. Quartum ad veram poenitentia necessarium, satisfactio est, qua videlicet omnes causas peccatorum excidentes auferimus, & pro his quæ commisimus perperam, sanctis operibus dominum placamus. Hinc diuus papa Gregorius ait: Nequaquam satisfacimus si ab iniqui-

Rom. 10.

Confessio qualis sit.

Prou. 28.

Psal. 31.

1. Ioan. 2.

Satisfactio.

rate cessamus, nisi uoluptates quoque quas dileximus, oppositis e contrario lamentis insequamur. Sanctissimus etiam papa Leo in sermone dicit: Oratione, dei propitiatio quaeritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguatur, eleemosynis peccata redimuntur, simulque per omnia dei imago in nobis renouatur. Est autem confessio, delinquentis voluntaria accusatio ex erubescencia, & per clauas ecclesiae satisfactoria pro peccatis, cum obligatione per poenitentiam, ea quae protulit castigandi in semetipso iussione sacerdotis. Oportet autem confessionem esse simplicem, humilem, puram, fidelem, frequentem, nudam & apertam, discretam, voluntariam, propriam, verecundam, integram, secretam, lachrymis plenam, debitis temporibus factam, fortem, & seipsum ex animo veraciter accusantem, quoniam haec omnia requirit vera poenitentia, quae sic peccata desinet praeterita, ut deinceps non committat amplius plangenda.

De abstinentia & ieiunio monachorum.
Homilia XV.



Magnam & necessariam bonum est monacho fratres charissimi abstinentia cum ieiunio, ut mente videlicet non delinquat in concupiscentia carnis & cogitationibus malis, & corpore abstineat ab escis & potibus lasciuia animi generantibus. Cito enim concupiscentia mentis in libidinem accenditur, si corpus nimis accurate nutriatur. Huius boni utilitatem maximam considerantes olim sanctissimi patres, qui monachis viuendi praecipua tradiderunt, una omnes sententia ieiuniorum nobis certam statuere mensuram, sub cuius moderamine tantam corpus ciborum refectio nem sumeret, quantam natura requireret, non quantam intemperies concupisceret voluntatis. Sancta quoque scriptura ieiunium nobis multipliciter commendat, cuius totiens cum laude facit mentionem. Dicit enim dominus deus per os prophetae sui Iohelis: Covertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio planctu & fletu. In libro quoque Iudith sic legitur. Scitote quoniam exaudiet dominus preces vestras, si manentes permaneritis in ieiuniis & orationibus in conspectu domini. In Tobia similiter legimus: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quam thesauros auri recondere, quoniam eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quae purgat peccata. Dominus quoque noster Iesus Chri-

Ieiunium in sacris literis commendatissimum. Iohel. 2.

Judith. 4.

Tobia. 12.

stus in sancto euangelio dixit ad discipulos: Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini. Optimum vero monachorum ieiunium est abstineri a cunctis quae animam polluere possunt, hoc est ociosum non proferre sermonem, vanas inuiles seu turpes nullas admittere cogitationes, nihil committere quod dei non deceat seruum, & nihil omittere quod ad iustitiae pertinet consummationem. Nisi enim mens a vitiiis & peccatis ieiunauerit, corporalis abstinentia nihil ad animam proficiet salutem. Hinc diuus presbyter Hieronymus ait: Abstinentia tua atque ieiunium eo magis deo grata sunt, quo cum moribus sanctis offeruntur, ut quae in aliis sunt umbracula vitiorum, in te fiant ornamenta virtutum. Nam quid prodest attenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia? aut quid virtutis habet vinum non bibere, & ira, luxuria, odio atque inuidia inebriari? Aut quid nobis conducet ad aeternam salutem fratres, quod iuxta regulam diui patris nostri Benedicti carnes non comedimus, si carnis vitia non domamus? Dicit enim ter sanctus papa Gregorius: In cassum corpus per abstinentiam atteritur, si inordinatis motibus diuisa mens vitiiis dissipatur. Vnde bene dicit scriptura: Sanctificate ieiunium. Ieiunium sanctificare, est adiunctis aliis bonis operibus dignam deo carnis abstinentiam ostendere. Enimvero si abstinentia sola ciborum hominem virtuosum efficeret, non opus fuisset adiungere sanctificationem: sed quia ieiunium ad sanctificationem animae solum non sufficit, necessarium est ut virtutum ornatu omnia decoretur. Nam qui a cibis abstinent, & mala peragunt, demones imitantur, quibus & semper est ieiunium, & nunquam deest peccatum. Acceptabile deo ieiunium est corpus per abstinentiam a concupiscentia malorum restringere, & facta carnis per spiritum compunctio nis pro Christi amore iugiter mortificare. Sit mens ieiunantis in dei charitate feruida, sit conscientia semper a vitiiis munda, & placebunt altissimo seruorum humilium ieiunia. Sint monachis quotidiana ieiunia, sicut cano sancti praecipit Benedicti instituit: sint munda corda, sicut dominus Iesus in sacro euangelio praecipit: sit moderata refectio sarreratem fugiens, quoniam sicut ex nimia sarreritate corpus diuersis & variis morbis corrumpitur, ita libidinis incompotus motus in eo concitatur. Modicus namque ac moderatus cibus & corpori est medicina, & animae virtutis adminiculum. Dicit enim sanctus Iohannes, os aureum, episcopus: Nihil sic iucundum est sicut cibus bene digestus atque decoctus, nihil sic salutem, nihil sic acumen operatur sensuum,

Luc. 6.

Ieiunium monachorum quod optimum.

Iohel. 2.

Sanctificare ieiunium, quid.

Matth. 5.

Repletio fame per nichilior.

Non tam cibum quam mentem expendit dominus, nec tam qualem sed quantum sumas.

sum, nihil sic aegritudinem fugat, sicut moderata refectio. Sufficientia enim cum nutrimento moderata sospitatem simul procreat & voluptatem. Abundantia vero morbum facit, molestiasque ingerit, & aegritudines varias generat. Quod enim fames nimia facit, hoc etiam plenitudo immoderata ciborum consuevit operari. Fames quidem in paucis diebus aufert hominem & liberat eum de hac vita poenali, excessus vero ciborum consumit & computrescere facit corpus humanum, & macerat aegritudine diuturna, tandemque morte crudeli consumit. Ut ergo mente viuatis & corpore sani fratres mei dilectissimi, hanc normam viuendi tenete, quam vobis sancti patres verbo praescripserunt, & viuo praemonstrarunt exemplo, ut omnem ciborum potentiamque luxuriam fugientes, corpori tantum indulgeatis, quantum requirentem natura bonae valetudini satis est. Cibus famem feder, non corpus incitet ad libidinem: potus extinguat sitim, non mentem subuertat aut sensum: vestis arceat frigus, non faciat in vanitatis amore mollescere animum. Memores semper estote fratres quoniam gula primos parentes nostros de regno paradisi & innocentiae turpiter expulit, qui non aues, non pisces, non vitulum deuorauerunt aut porcum, ut cibum aestimaretis in culpa, sed vilissimum pomum contra dei mandatum praesumpserunt, quod non escam sed appetitum sciatis obnoxium esse vitio peccati. Saepem nanque fieri potest ut aliquis homo lautiores cibos sine culpa sumat, dum appetitum regular, quiviliores non sine conscientiae reatu percipit, cum temperantiae modum per immoderantiam excedit. Vnde nemo vestrum se a vitio gulae propterea existimet securum, quia nec lauta cibaria comedit nec delicata, cum non cibus sed appetitus cibi habeatur in culpa. Valde namque possibile est manducantem fabas & olera peccatum reatus contrahere, & aues in cibo sumentem alium delicatissimas non peccare. Hinc quidam sanctorum patrum dicit: Quibuslibet escis repletus veteri seminaria luxuriae parit, nec praeualer mens discretionum gubernacula moderari, ciborum pondere praefocata. Non enim sola crapula vini mentem inebriare consuevit, verum etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem ac nutabundam eam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione omnino despoliat. Propterea magna discretionem opus est, ut & corpori cibus duntaxat impendatur ad vitae sustentationem necessarius, & nullus indulgentiae fiat excessus. Hinc ait diuus papa Gregorius: Magnae discretionis labor est exactori ciborum cor-

pori & aliquid impendere, & aliquid denegare, & non dando gulam restringere, & dando naturam enutrire. Per abstinentiam quippe vitia extinguenda sunt, non caro: & per cibum corpus alendum est, non peccata. Sic ergo necesse est ut artem continentiae monachus in victu teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Saepem enim dum in carne hostem persequimur, spiritum deuotionis, quem diligimus, per immoderantiam abstinentiam seuerè trucidamus. Saepem etiam dum carni nimium compatiens, quasi cocui parcimus, ad praellium contra nos hostem enutrimus. Dominante autem gulae vitio, omne quod homines fortiter egerunt perditur, quia dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur. Nam ad conflictum spiritualis agonis non affurgitur, si non intra nosmetipsos positus hostis, gulae videlicet appetitus, per nos iuuante deo prius edometur: quoniam nisi ea quae nobis sunt viciniora superauerimus, inaniter ad ea quae sunt longius posita, pugnaturi festinamus. In cassum namque contra extraneos inimicos bellum in campo geritur, si intra urbis moenia cuius insidians habeatur. Daemonum insultus nunquam vincimus, nisi gulam prius in nobismetipsis superemus. Nemo se fratres inani persuasione seducat, ut inter fabas & olera credat non esse peccatum, si animus nimia laxet voluptate percipiendi appetitum. Nam ubique potest in sumendo esse reatus, dum ultra naturae normam extenditur appetitus. Ecce carnem siue in monasterio siue extra nunquam comedimus, pisces hic in rure campestri rarissime videmus, nemo inter nos vnquam lautiora vidit cibaria, delicata habere nec possumus, nec quidem debemus esculenta. Cibaria autem nostra sunt ordeum, aena, fabae, pisa & olera, lac quoque, caseus & ova. Ex his vitae nostrae quotidiana percipimus sustentacula, quorum ne consurgat fastidium, fames incitat appetitum. Pisces extra tempus ieiunij quadragesimalis nobis vsque adeo sunt rari, ut vix in mense semel pauci afferantur ex Nabo flumine, atque minutissimi. Nullum est in tota Bursfeldensium reformatione cenobium minus in piscium necessitate prouisum. Sed nunquid propterea non possumus gulae vitium incidere, quoniam lautiora cibaria non possumus inuenire? Enimvero cum non cibus in vitio sit, sicut iam dictum est, sed appetitus, non minus piscium aut fabarum comestor in edendo potest delinquere, quam ille qui cibos lautissimos & exquisitos consuevit manducare. Non facit nos inopia penitus a gula securos, quanuis causas minuatur delicatioribus delinquendi. Habemus quidem

Quam frugaliter Spanhemies monachi vixerint, qui ne triticum quidem aut huiusmodi nem essent.

vitium simplicem & rusticum, quo utcun- que sustentetur natura, hoc precor fratres mei curemus, ne in illo quod nauseam delictis generat, conscientia nostra per excessum polluat. Sumamus cum patientia & gratiarum actione de eo quod dominus donauit, quantum necessitas ipsa requirit, nec putemus diaboli nobis non posse nocere insidias, qui primos in para diso homines non lautiore cibo, sed modico & vili pomo supplantauit. Non enim in cibo vitium est, sed in appetitu, cum aut interdicta nobis concupiscimus, aut concessis auidè inhiantes aliter vitmur quam debemus. Neminem plus decet abstinentia quam monachum, qui cum sit ad Christi militiam specialiter vocatus, non conuenit eius professioni quibuslibet vacare deliciis. Paupertas nostra abstinentiam nobis quandam necessitatem indicit, quia tanto nos facilius ad temperantiam possumus restringere, quanto nos quo defluamus deliciarum minus possumus inuenire. Vertamus itaque precor grauamina egestatis in arma salutis, ut quo minus lautioribus reficimur cibariis, eo purius in sanctitate animi ieiunemus. Facilius enim in paupertate seruatur temperantia, quæ in diuitiis quidem periclitatur citius. Qualis autem debeat esse cibus monachorum, beatus manifestat Hieronymus dicens in epistola quadam ad Paulinum: Sit vili & vespertinus tibi cibus, holeræ videlicet & legumina, interdumque pisciculos edere paucos, pro summis ducas delicias. Qui Christum desiderat, & illo celesti pane vescitur, non querit magnopere quam de preciosis cibus stercus cõficiat. Amator Christi abstinentiam diligit, ieiunium ut vnicum animæ corporisque remedium, colit: summo cauet studio, ne cor eius grauetur crapula, nec plus sumit ciborum, quam cõtenta paucis exposulat natura. Monachus autem qui ieiunium abiicit, qui nutricem virtutum abstinentiam odit, qui cibos cum auiditate ingurgitat, qui vinum aut siceram, & quicquid inebriare potest, ad satietatem potat, ipso monachi nomine indignus est, & Christi non potest esse discipulus. Væ temporibus nostris, in quibus iam clerici & monachi complures virtutem abstinentiæ turpiter abiecerunt, & qui populo dei non minus exemplo quam verbo iter salutis præmonstrare debuerant, comestationibus dediti, cõtinuisque potationibus & voluptatibus contra omnem honestatem clericorum immeriti, cum in perditionem æternæ mortis præcedere festinant. Dicit autem scriptura: Initium vitæ hominis, panis & aqua. At nunc monachi & claustrales nostri quicquid preciosus venditur, quicquid lautius inueni-

Penuria & vilitas ciborum multo facit ad temperantiam ac loquacitatem virtutem.

Ecclesi. 2. 9. Ad. 1. 2. luxu monachorum

tur, sibi magnis sumptibus cõparant, suis ventribus ingurgitando sepeliunt, animam simul & corpus per intemperantiam corrumpunt. Inter epulas de ieiunio disputant, & cum inebriati fuerint, temperantiam laudant. Ibi vnusquisque victorem se gloriatur vitorum, cum a gula & ebrietate iam fuerit superatus. Videte, inquit dominus noster Iesus Christus in sancto euangelio secundum Lucam, ne grauetur corda vestra in crapula. Nõ decet hominem deo dicatum ad satietatem comedere vel bibere, nec licet monacho plus quam natura exigit manducare. Sedet famem comestio, non inducat repletionem: absint procul ructus, quos epulonibus consuevit generare satietas, vomitus & indigerias nunquam inter monachos audiantur. Magno discretionis moderamine õnes vtamur claustrales oportet, quatenus ita corpus nutriatur esculentis & poculis, ut spiritui subseruens possit viuere, nõ autem vt in crassatum contra mentis imperium incipiat lasciuire. Procul, semper absit satietas, quoniam nihil sic inflammat corpus, & concitat membra genitalia, sicut indigestus cibus & venter æstuans vino siue ceruisia. Hinc diuus Hieronymus mones Eustochium ad virtutum omnium conseruatricem temperantiam, in quadam epistola dicit: Sponsa Christi vinum fugiat proveneno, quoniam aduersus adolescentiam arma sunt vinum & ipsa iuuentus proliuior ad gulam. Non sic auaritia quatit adolescentiam, nec inflat superbia, neque delectat ambitio, sicut illa quæ nobis videntur concreta voluptati vitia carnis. Facile aliis carebimus vitiis, si in timore domini vel mediocriter vigilemus. Hic autem hostis noster intus est semper inclusus: quocunque pergimus, hunc nobiscum aduersarium portamus. Vinum & adolescentia, duplex incendium voluptatis. Quid oleum flamme adiciamus, aut quare ardenti corpusculo fomenta ignea ministramus? Multos caste ambulantes in medio itinere prostrauit ingluuies, & quos suis instinctibus vincere diabolus non potuit, in profundam luxuriæ vini potatio nimia proiecit. Idcirco sanctissimus vitæ nostræ institutor Benedictus instrumeta bonorum enumerans operum, inter præcipua reposituit corpus castigare, vigilias amplecti, ieiunium amare. Nemo enim Christum in veritate sequitur, qui carnem suam delicatè nutriens sine quotidiana abstinentia in monasterio conuersatur. Abstinentia quippe moderata ac deo placens multa in nobis bona operatur si vsque ad finem vitæ religiosa intentione fuerit cõtinuata. Auget enim in primis meritum, & nutrit in nobis omnium genera-

Luc. 21.

Satietas in vitiis semper vitanda.

Abstinentia multa addit meriti.

virtutum. Quenam fuit causa, vt primis parentibus nostris omnipotens deus esum potum sub interminatione mortis interdiceret, nisi vt eis meritum causam per obedientiam bonum ostenderet? Creauit enim testate scriptura duos intellectus ab initio, angelicum videlicet & humanum, quibus ad fruitionem æternæ felicitatis per gratiam communicaret femetipsum. Quauis tamen vtrunq; ex gratiæ suæ dono condidit, fieri perpetuo felices etiam ex merito eorum proprio rectissime ordinauit, quatinus in eis & miseratio locum, & conuersio necessarium ad salutem consequeretur meritum. Angelicus vero intellectus statim bifariam diuisus est, cum aliis per relationem suam sponte corruentibus, alij suo per amorem principio humiles & subiecti adhaeserunt. Et illi quidem apostatantes a suo principio, infelices recesserunt, isti autem pro adhesionis merito sempiterna beatitudine sunt donati. Humanus vero intellectus in carnem demissus est, qui mox persuadente diabolo mandatum dei transgreditur, & de interdicto sibi cibo epulatur. Hinc totius humani generis perditio sequitur, quam auferre alius quam deus filius homo factus ex virgine pro nobis potuit nemo. Quid enim damnauit protoparentes nostros, nisi mandati transgressio? quoniam non fuit deo cura de cibo, sed de obedientia. Nam si abstinuisset homo, sicut ei præceperat omnipotens deus, certe per hanc obedientiam meruisset in sua innocentiâ fruitionem æternæ felicitatis. Constat enim traditione scripturarum hominem sine merito liberi arbitrij non posse saluari, quoniam & si gratia dei omnia operatur in omnibus, neminè tamen saluabit sine cooperatione propriæ voluntatis, exceptis duntaxat in trinitatis nomine baptizatis infantibus, & qui liberum habere nequeunt vsum rationis. Nam sicut arbitrium liberum nihil operatur ad salutem sine gratia saluatoris, sic dei grata nõ saluabit adultum sine merito bonæ voluntatis. Primus autem homo in paradiso positus, mandatumque dei per intemperantiam transgressus, meritum obedientiæ in bona voluntate non habuit, propterea miser & infelix proiectus fuit. Sed omnipotentis dei miseratio collapsum ex infirmitate, reformare ab æternitate statuit, quem deceptum inuidi suggestionem serpens, potius quam propria malitia non ignorauit. Condonauit hunc reatum passioni & morti vnigeniti filij sui, in tempore nascētis de virgine, vt qui propria temeritate periit, mediatoris obedientia reformaretur ad salutem. Impossibile nanque fuit perditum per inobedientiam genus humanum ad misericordiam

creatoris peruenire, nisi per obedientiam talis mediatoris, qui deus esset & homo, in quo & virtus esset potentia, & innocentia nature. Erasmus enim cæci per ignorantiam, & muti per taciturnitatem. Venit mediator dei & hominum Christus Iesus, destinatus vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, dei mortalibus cognitionem tradidit, mortuusque pro perditis, maximam causam amoris redemptis consignauit. Intellectum erudiuit per fidem, qua deum cognoscimus: affectum concitauit per passionem, quo ipsum super omnia merito diligamus. Itaque si dominum & redemptorem nostrum integra sinceritate diligimus, dignum est plane vt corpus nostrum pro eius amore castigemus. Conducet enim nobis abstinentia nostra duplici ratione ad meritum, dum videlicet ieiunantes per obedientiam, statutis patrum satisfacimus: & abstinentes per charitatem dei, nos redemptori nostro qui nostri causa mortem sustinuit, gratos exhibemus. Abstinentia meritum auget, obedientiam cõmendat, sapientiam & eruditionem præstat, affectum purgat, intellectum illuminat, victoriam contra demones tribuit, religionem perficit, veniam peccatorum impetrat, motus carnis illicitos domat, orationibus efficaciam conciliat, exemplum virtutis proximo declarat. Abstinentia mentem purificat, animam virtutibus ornat, infirmum corpusculum sanat. Qui diligit abstinentiam, sapiens est: & qui ieiunium amat, dominator fortis. Mens sobria domiciliũ sapientiæ: qui autem sectatur conuiuia, in egestate animi morietur. Difficile est hominem euadere sapientem, qui vitam agit in deliciis. Paucis contentatur natura, & in modicis vitæ sanitas conseruatur. Multis nocuit diutius continuata voracitas, & plures crapula quam gladio perierunt. Consuetudo enim naturam alterare videtur, & quanto diutius conualuerit, tanto iam fortior in quolibet negotio erit. Est apud Helucios homo Nicolaus nomine, cuius abstinentia totius Germaniæ homines conuertit in admirationem, & hodie, sicut audiuitis, in ore omnium cum sanctitatis titulo nominatur. Is quondam ruricola in quodam Heluciorum vico existens, more paganorum inter quatuordecim ius dicere consuevit altercantibus villanis. Contigit eum quodam tempore sententiam non posse reuocare fociorum, quam putabat iniquam, metuensque salutis animæ suæ periculum, relictis domo, vxore, filiis, & cunctis mundi negotiis ac rebus, solus in vicinum nemus protulit secessit amore, in quo vitam solitariam agit. Et ecce annus hodie viceimus ex quo soli-

Ioan. 3.

Nicolaus cuiusdam Helucij mira abstinentia.

tudinem ingressus, cibum nō sumpsit humanum. Omnibus notissima loquor, nec hominem in Germania vivere puto, qui famā huius miraculi non audierit. Et ne quis forsitan in posterum simulatione deceptos nos credat, Heluerianos vnā cum præfule Constantiensis ecclesiæ in testimonium citamus, qui mores & vitam eius curiosissime obseruant. Acutissimus ingenio vir est, qui cum sit literarum penitus ignarus, tamen quasi alter eremita quōdam Antonius, sensum optime callet scripturarum. Vidimus quæ disertissime cum quodam disputauit magistro de sacramento altaris, quæ satis mirari nō poterit, qui cælestia per contemplationis studium minime gustauit. Hæc ideo introduxerim fratres, quō intelligatis nihil esse tam difficile, quod consuetudo multo tempore continuata non efficiat leue. Sanctus iste homo, sicut ipse cōfiteatur, non subito ad huius abstinentiæ celsitudinem peruenit, sed cum tempore successit per gradus, paulatim videlicet sibi de cibo subtrahens modicum, quousque tandem abstinere potuit per totum. Abstiniuit enim sicut diximus, ab omni corruptibili cibo iam in annum ferme vicefimum. Huius viri exemplo fratres mei vnusquisque vestrum discat sibi quotidie aliquid de cibo & potu p̄ dei amore subtrahere, & assuescat corpori suo, non quantum potest, sed quantum satis est ad naturæ sustentationem, ministrare. Paucis enim minimisque Boetio testante natura contenta est, cuius satietatem si superfluis tentes vrgere alimentis, aut iniucundum fiet quod infuderis, aut nociuum. Multas ægrotudines multa fercula pariunt, & ventris ingluuiēs mētem hebetat, & vitā cruciat. Dicit enim vir sapiens: *Dulcis est somnus operanti, siue parum siue multum comedat, saturitas autem diuitis non finit eum dormire. Sine satietate implendus est venter, & sine fastidio de mensa surgendū, vt videlicet edamus non quātum possumus, sed quātum postulante natura debemus. Monachis autem maxime vitanda est ciborū varietas: nam qui esculentis variis vitur, plus q̄ natura exigit, ingerere stomacho tentans, nō sine gulæ vitio epulatur. Vires enim corporis nostri moderato & simplici sunt cibo reficiendę, non autē variis & multis turpiter opprimendę, quia non corpus propter escā, sed escā propter corpus creata est. Quōd enim varios corpori morbos afferat. ciborum varietas, antiquorum temperatiā probamus, quos vniformis esculentorum simplicitas in hac vita diutissime conseruauit. Sanctissimus autem institutor noster, principum monachorum omnium modestissimus hierophantes*

Natura
cōtenta
paucis.

Ecclesi.

Benedictus canonem nobis præscripsit summa discretione decoratum, in quo mēsuram ciborum cupiens ostendere monachis, dicit: Sufficere credimus ad refectiōem quotidianam tam sextæ quam nonæ omnibus mensis cocta duo pulmentaria, propter diuersorum infirmitates, vt qui forsitan ex vno non poterit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta omnibus fratribus sufficiant. Et si fuerint ibi poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Si mentem legislatoris nostri sane intelligo, monachis duo pulmentaria cocta indulget, vbi necessitas expostulat infirmitatis, non ad sanorum repletionē appetitus. Monachus enim qui sanus est, ab hac indulgentiā merito excipitur, vt vno duntaxat pulmentario cocto reficiatur. Infirmus autem refici de vitroque mea sententiā iure permittitur, cum excessus in nullo timeatur. Verūm cum non omnia possimus equaliter omnes, & vnus plus indigeat ciborum, alius vero minus, impossibile est vnā abstinentiæ formam præscribere cunctis: sed relinquitur vnusquisque discretioni iudicio, vt tantum sumat, quantum expostulat necessitas, non quantum imperat appetentiæ voluptas. Hoc maxime cauendum, ne subrepat immoderata ciborum satietas, quæ tunc animam commaculat, cum aut fastidium refectiōem sequitur, aut grauis acedia mentem. Vomitus de saturitate procedens, canum est potius quā monachorum. Religio christiana virum maxime detestatur epulonem, quoniam delicia seruorum dei, non esca & potus, sed pietas & iustitia sunt, quia & dens fidei puritate colitur, & vniciuque quod suum est iuste ministratur: Quisquis igitur deo placere in toto corde tuo desideras, quicumque peruenire ad æternæ foelicitatis gaudia festinas, ieiunandi modum tibi iuxta mensuram virium tuarum indicito, & curam adhibe maximam, vt ieiunans sis in oratione cōtinuus, in iudiciis iustus, in fraterna dilectione præcipuus, in iniuriis patiens, in increpationibus humilis, in sermone circumspectus, in cōscientia mundus, in amore dei feruidus, & in cunctis actionibus tuis comitante prudentia timoratus. Verba inutilia & ociosa fugito, & esto perseverans in operibus bonis omni tempore, habens in aduersis constantiam, in tentationibus vigilantiam, in refectiōe continentiam, & simplicem in corde puritatē. Sint moderata & sancta in omni mentis humilitate ieiunia, quæ ita corpus attenuent, vt mētem in superbiam non eleuent, ne humilitatis exercitium, materia fiat vitiorum. Ieiuniū ocium detestatur, verbo sitatem non amat, se-

Delicia
seruorum
dei, que


Quæ
dem salu
taria iei
unia.

Ecclesi.

diligentem diligit, orationibus & lachrymis intendit. Ieiunium sancto testante Ambrosio, mors culpæ est, excidiū delictorum, remediū salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis. Hoc gradu iustus ad deum Moyses peruenit, hoc munere Helias in cælum, priusquam moreretur, curru ascendit. Qui spiritu ambulat, ieiunium diligunt: & qui castitatem profitentur, affluentiam necessario fugiunt deliciarū. Fames enim amica virginitati est, inimica lasciuie. Saturitas vero prodit castitatem, & nutrit lasciuiam. Ardentes enim diaboli sagittas ieiunium extinguit, orationis instātia reprimat, & vigiliarum in Christi amore cōtinuatio, omnes dæmonum insidias repellit. Hinc sanctus Leo papa in quodam sermone dicit: Quid potest esse ieiunio efficacius, cuius obseruantia appropinquamus deo, & resistentes diabolo, vitia blāda superamus? Semper enim virtuti cibus ieiunium fuit, & abstinentia sanctæ castitatis alimentū. De abstinentia quippe cogitationes castæ procedūt, rationabiles generat voluntates, pudica quoque consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscētiis moritur, virtutibus spiritus innouatur. Amemus igitur ieiunium fratres mei virtutis amore, propter eum qui mortem pro nobis subire non abnuir, & abstinemus non solum ab illicitis, sed etiam quantum fieri potest a concessis, vt qui cōtra mandata salutis in multis offendimus, in recompensam satisfactionis ab omni nos deinceps voluptate restringamus. Ieiunemus ab omni peccato, nullū fumamus malitię cibum, nullas epulas voluptatis deuoremus, nec vino luxuriæ inebriemur. Ieiunemus a prauitatibus cunctis, abstinemus a malis operibus: verba inutilia, vana, ociosa, scurrilia, & perniciofa non loquamur, & a nociuis peruersisque cogitationibus, quæ separant a deo, semper caueamus. In orationibus dei semper studiosissimē vigilemus, scientes illū nobis vbiq; præsentissimum quem precibus inuocamus. Semper in ore nostro sit laus eius, & cum laudare magnificentiam eius sermone non possumus, amoris castissimi desiderii ipsam in corde adoremus. Tunc enim grata sunt illi nostra ieiunia, cum sanctis fuerint operibus & continuis orationibus adornata.

Oratio enim iusti, sacra testante scriptura, penetrat cælos: quæ tanto fit efficacior, quanto charitate ac ieiunio decorata inuenitur. Inungamus ei veluti alas binas ieiunium & charitatem, & impetrabit nobis a domino quicquid ad salutem conducibile petierimus.

De quadragesimali ieiunio monachorū.
Homilia X. VI.



Via largiēte domino nostro Iesu Christo fratres charissimi quadragesimali ieiunio inchoauimus, ratio expostulat vt de illius obseruatione aliquid breuiter dicamus. Quauis enim plura sanctorum patrum scripta de hac sacrosancta exercitatione ieiuniorū habeatis, quia tamē experior in vobis sermones meos non penitus infructuosos, libet ædificationi vestræ impartior quod largitus est dominus. Habet namq; beato testante Hieronymo, viuę vocis actus latētem quandā intus operationem, quā Græco sermone ornatus energiam nuncupauit, & oratio præceptoris ore prolata fortior est ad persuadendum. Ego autem solo nomine pastoris in medio vestri segregatus, confiteor me iuuenem indoctū, & necessaria pro regimine animarū experientia simul ac discretione carentē, quo fit vt loquar cum rubore quodā & verecundia iuuenis inter senes, ignarus inter doctos, discipulus inter magistros. Vnde precor nemo vestrum simplicitatem sermonis mei cōtemnat, nemo loquentem me grauitate ferat, quoniam & si ad dicendū non sum idoneus, tamē ratione cōmissi pastoralis curę officij ad monendū vos corā deo me fateor obligatū. Charitas mihi vestra loquendi præbet audaciā, & quanto vos propiores ad audiendū ostenditis, tanto me amplius vt loquar puocatis. Nec erit labor mihi grauis quantūlibet magnus videatur, quo salus animarum vestrarum perficitur. Vos me orationibus adiuuate, vt dominus Iesus in ore meo loquatur, cōcedatq; pusillovires ingenio proferendi ad mediū, quicquid in vobis pducere potest sancti seruis incrementum. Nā quātū cupio prodesse charitati vestræ sermonibus meis nequeo, propterea quōd cura rei secularis nimium cōpellor occupari. Vnde festis solum diebus, & in ea parte noctis, quam post laudes nocturnas ducere soleo in somnē, vobis exhortandis inseruio, in schedulis cōcipiens, quæ mihi dicenda occurrunt. Itaque hodiernam colloquutionem de regula sanctissimi patris nostri Benedicti introducere volui, qui de quadragesimali obseruatione sic dicit: Licet omni tēpore vita monachi quadragesimæ debeat obseruationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus quadragesimę omni puritate vitā suam custodire, omnesq; pariter sordes & negligentias aliorū tēporū his diebus sanctis diluere. Quod tūc digne fit, si ab omnibus vitiis tēperemus, orationi, cum fletibus, lectioni & cōpūctiōni cordis operam demus. Si pauco-

Tota vita monachi proprię quadragesimę ieiunij obseruatio est.

EE

rum est ista virtus, vt omni tempore vitā obseruantie agant quadragesimalis, manifeste iā constat paucos in religione viuere monachos ad euangelij puritatem, cum teneantur omnes qui Christi profitentur militiam, ad perfectionis apicem conatum suū dirigere. Monachus enim iuxta nominis sui interpretationem solitarius, in cœnobio tunc recte viuere ad euāgelium & regulam quam professus est creditur, cum seculi rebus atque honoribus pro dei amore contemptis, in omni puritate cordis coram deo & hominibus cōuersatur, in opere strenuus, in cogitatione mundus, in sermone parcus atque pacificus. Hæc est vita monachi quadragesimalem in omni tempore habens obseruatiam, corpus pro dei amore castigare per abstinentiam, & mentem alere per internam compunctionem. Recte uiuit, qui iuste uiuit, qui deum diligit super omnia, qui summo studio, summaque diligentia verbis & factis illius obseruat mandata. Ille enim Christi verus est monachus, qui Christum totis viribus imitatur. Si autem volueris imitari Christum o monache, quæ sum dicturus, diligentissime obserua. Fuge mundum & omnia solatia carnis, vt vere solitarius esse merearis. Cogitationes vanas, inutiles, turpes, atque nociuas, nūquam in corde tuo morari permittas, sed cogita semper aliquid boni, & dominicæ passionis memoria de animo tuo nunquam recedat, quo minus pendet in cruce dominum quotidie cum gratiarum actione specularis. Deum tibi presentem ubique considera, qui videt nouit & intelligit quicquid vel cogitaueris vel operatus fueris, quoniam nihil est illi occultum. Cor mundum custodi ab omni inquinamento peccati, & puram habeto conscientiam semper in vero Christi amore feruentem. Nullum tibi ociosum auolet tempus, sed in bonis operibus semper inueniat te cogitatio implicatum. Somno ne torpeas multo, & ab omni teporis acedia procul te facias alienum. Ciborum & potus temperantiam capeffe, & quanto licet parcius uiuito, vt corpus moderate sustentatum spiritui semper in humilitate subseruiat, & minime contra rationis imperium confurgat. Mox vt senseris in te aliquem oriri torporem, ad amarissimæ passionis domini nostri Iesu Christi memoriam cōfugito, & quicquid acediam depellere velocius potest, in mentem reducito. Moras rumpito precor omnes, quoniam torpor mentis subito crescit dissimulatus, & acedia, quæ nouo seruore mentis non statim extinguitur, in grauem animæ perniciem confestim roboratur. Omnium enim malorum in monacho est pessimum, si per torporem &

Monacho ociosus in primis fugiendus.

acediam locum in corde suo præstititernario vitiorum. Et vobis o monachi non solum quotidie, sed omni hora atque momento contra hanc bestiam vigilandum est, quoniam admissa in cor, nunquam sola ingreditur, sed eam tota congeries & scaturigo omnium vitiorum comitatur. Nō est perniciosior pestis monachi, quam torpor acediam, per quem omnis seruator deuotionis extinguitur, & pro fideli obsequio intermisso ignauia & ocio mens in fouea desperationis agitata precipitatur. A sanctitatis proposito velociter deficit, quisquis morā acediam permittit. Quo contra Salomō te admonet in libro Proverbiorum dicens: Vade ad formicam o piger, & considera vias eius, & discite sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorē, nec principem, parat in æstate cibum suū, & congregat in messe quod comedit. Et iterum dicit: Desideria occidunt pigrum, quia noluerunt quicquā manus eius laborare. Nihil sanctitatis propositū, professis deterius est ocio, quia non solum nihil boni accumulatur, sed etiam consumitur & dissipatur omnia prius accumulata. Nam sanctæ deuotionis seruator processu gaudet ac proficit, cessatione vero torpescit & paulatim ne dicam subito euanescit. Radix enim desperationis est ignauia, & omnium mater ac nutrix vitiorum. Nam sicut vestimentum tineam & generat & nutrit, ita perniciosissima pestis acedia & parit & fouet desperationem. Neminem hæc bestia plus vexare consuevit, quam monachos, & eos precipue qui vitam ducunt in solitudine abstractam. Cauendum ergo summopere vobis est o monachi ab hoc hoste salutis animarū, & non fugiendo sed resistendo fortiter dimicandum, seduloque cogitandum, quia torpore & ignauia nemo sanctitatis honorem cōsecutus est, neque aliquis regnum æternæ felicitatis sine magno & continuo labore promeruit. Quotidianis igitur ac recentibus virtutum semper incrementis instauranda mens est, & viuendi hoc periculosum iter nō de transacto, sed potius de reliquo metiendum. Nemo securitatem sibi promittat in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, tot periculis plena, quot sunt affectiones in anima, sed caueat vnusquisque, vt qui potuit fieri ex deteriore melior, nō fiat ex meliore deterior. Et his sanctis maxime diebus curemus omnes quātū possumus fieri meliores, adiucentes nobis consilio diui præceptoris nostri aliquid ad solitum p̄sum seruitutis nostræ, orationes videlicet peculiare, ciborū & potus abstinentiam, vt vnusquisque super mesuram sibi indictam aliquid propria voluntate cū gaudio sancti spiritus offerat deo, id est

Prou. 6.

Prou. 11.

sub-

subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de securitate, & cum spiritalis desiderij gaudio sanctum pascha expectet. Parum enim religiosus aliis temporibus esse monachus conuincitur, qui sanctis diebus istis non religiosior & in dei amore feruentior deuotiorque inuenitur. Hinc diuus papa Gregorius ait in quadā Homilia: Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea præter dies dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quæ infirmitas impediuerit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni quas offerre domino iubemur. Sanctus quoque Ambrosius dicit: Ille quadragesimam facit, qui ieiunando & vigilando ascendit ad pascha. Nam sicut reliquo tempore anni ieiunare præmiū est, ita in quadragesima non ieiunare peccatum. Illa enim voluntaria sunt ieiunia, & ista necessaria: illa de arbitrio veniūt, ista vero de lege. Ad illa inuitamur, ad ista compellimur. Et ergo qui constitutum numerum vna die manducando præterit, non vt violator vnus diei accusatur, sed vt transgressor totius quadragesimæ arguitur. Refrenanda sunt his sacris diebus omnia desideria carnis, castigandum est per abstinentiam corpus, vt si forsitan aliis temporibus minus temperate viximus, hoc quadragesimali ieiunio vtique recompensemus. Sequamur ergo monita sanctissimi patris nostri Benedicti fratres charissimi, & quanta possumus nos sedulitate in sanctis operibus exercitemus, subtrahentes corpori nostro aliquid pro dei amore de cibo & potu quotidie, quatenus veros nos dei seruos cōprobemus. Consequenter autem sanctus institutor noster subiungit dicens: Hoc ipsum tamen quod vnusquisque offert, abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate, quia quod sine permissione patris spiritalis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate abbatis omnia sunt agenda. Aperta sunt verba sancti legislatoris nostri fratres, ne quis ad ignorantiam velamen posset habere recursum. Nam si omnia cum voluntate abbatis agenda sunt, ergo sine permissione eius nihil omnino est faciendum. Enimvero quanto bonum aliquod opus à pluribus decoratur virtutibus, tanto maioris apud deum esse meriti non erit dubitandum. Cum igitur monachus delicetia & benedictione sui abbatis corpori suo aliquid ciborum aut potus pro dei amore subtrahit, nō solum de abstinentia ipsa mercedem promissam à domino recepturus est satisfactis æternæ, sed etiam pro humilitate regnum, & pro sanctæ obediencie merito san-

ctorum omnium in cælo consequetur sine fine confortium. Monachus enim qui caput suum monasticis institutionibus semel professus subdidit, voluntatem suam Christo in manibus abbatis resignauit, quam si arbitrio deinceps iterum suo vsurpauerit, Christum iā turpiter abnegauit. Quid enim aliud est monachus vsurpator voluntatis propriæ, nisi rei possessor iniustus alienæ? Sit ergo monachus abbati suo humiliter subiectus pro Christi amore semper in omnibus, nihil omnino præsumat agere cōtra eius imperium, nihil omitat vel negligat, quod sibi ab eo fuerit iniunctum. Caueat summopere ne pastorem suum inquieta conuersatione aut cōtristet aut perturbet, nec aduersus eum murmuret, nec illi detrahat, nec malum quodcunque in eum dicat. Reuereatur eum potius sincero affectu charitatis tanquam Christi vicarium, & non contristet animū eius aut verbis aut factis importunis siue in compositis. Subueniat autem quantum potest eius laboribus, & continuis apud deum pro eo precibus intercedat. Valde peccant in deum monachi, qui suis importunis detractionibus ac reprobis moribus abbatem suum contristare non verentur. Quisquis ergo monachus cupit esse bonus, quisquis in domino vere vult esse deuotus, abbatem suum vt vicarium in monasterio Iesu Christi pura dilectione semper & vbique veneretur, mandatis eius in omnibus humiliter obediat, & ab eius directione nullatenus recedat. Abbas vero se monachis suis dignum in omnibus studeat exhibere pastorem, qui oues Christi sibi commissas verbo pascat simul & exemplo in omni mansuetudine charitatis. Nō conturbet fratres sine iusta & rationabili necessitate, non sit contemptor sanctæ communivitatis, dispensatorem se rerum monasterij agnoscat, nō dominum. Non sit detorsor subditorum suorum, nō turbulentus, non importunus, non tyrannus, sed amator eorum sincerus, sermone placidus, moribus lenis & integer, conuersatione sanctus, conscientiamūdos, mente in deum semper deuotus. Curam gerat animarum sibi commissarum omni tempore sollicitam, & nihil eorum negligat, quæ ad salutem eis videntur posse conducere. Nō se propterea in altum extollat, quoniam rector aliorum positus est, sed meminerit sibi tanto metuendum amplius, quanto ad reddendam pro omnibus rationē in tremendo iudicio dei certissime est obligatus. Superbos rebelles & contumaces quasi dominus corrigat, humiles obedientēs & dirigibiles vt pater manufactissimus benigne foueat, & vnicuique sine personarum acceptione ius

Monachus præfecto iuro per omnia morem gerat.

Qualis esse debet præfectus.

suum sapienter distribuat. Matrem se ac nutricem monachorū semper existimet: & ideo quos mansuetudine potest ad meliora reducere, importunis verbis & duris inuectionibus non debet exacerbare. Infirmorum semper curam gerat sollicitam, & ita prouideat omnibus, ut iustā non habeant causam murmurandi. In suis discat infirmitatibus, quem admodum oporteat eū subditis misereri. Bonus enim pastor animarum esse non potest, qui necessitatibus infirmantium subditorum ex animo compati dedignatur. Ille vero bonus inter monachos abbas fieri potest, qui se personis infirmantium ita nouit comparare, ut quotiens aliquid frater ab eo postulat, personae formam in se postulantis assumens in corde suo dicat: Quid mihi fieri uelle in hoc negotio secundum rectum iudicium rationis, si essem in persona postulantis? Enim uero si abbas imaginetur se subditum, nullum a se dimittere abire contristatum. Diximus iam fratres quales vos deceat esse: pro dei amore ad nos, ut monachi existentes boni, domino Iesu in ueritate placeatis. Audistis nihilominus qualem ego me uobis debeam exhibere pastorem: quod utrum faciam, necne, uos ipsi melius quam ipse iudicabitis. Frustra enim ieiunabimus, & nullum quadragesimalis obseruantiae fructum inueniemus, nisi omnes in uera charitate fraterna cum puritate cordis in dei amore permāserimus. Quidnam prodest ad aeternam salutem, per abstinentiam & ieiunium affligere corpus, & in uera charitate ecclesiasticae vnionis coram deo non esse concordēs? Aut quid conducet a cibis abstinere lautioribus, & conscientiam foedare operibus siue cogitationibus malis? Ut enim deo sint grata quae inchoauimus ieiunia, necessarium est ut sint non solum aliena & remota a uitiis atque peccatis, sed etiam uirtutum plenitudine omnium decorata. Dicit enim sacer Ambrosius: Quid prodest ieiunare uisceribus, & luxuriari uentionibus? abstinere a cibis, & errare peccatis? An putatis illum ieiunare fratres, qui primo diluculo non ad ecclesiam uigilat, non beatorum martyrum sancta loca requirit, sed mane surgens congregat seruos, disponit retia, producit canes, saltus siluaeque perlustrat, seruos inquam secum protrahit fortassis magis ad ecclesiam festinantes? Voluptatibus suis peccata accumulata aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione seruorum. Et sanctus Leo papa. Non in sola abstinentia cibi stat nostri summa ieiunij, Haud enim fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab omni iniquitate reuocetur. Diuus

quoque Hieronymus ait: Quid prodest corpus tenuari abstinentia, si animus intumescit superbia? Quid uirtutis habet uinum non bibere, & ira, odio ceterisque animae uenosis inebriari poculis? Nemo igitur uestrum de sola sibi ciborum abstinentia promittat sanctitatem, quoniam quicquid ad ueram poenitentiam requiritur, etiam ieiunio necessarium iudicatur. Contritis enim pro peccatis in uero emendationis proposito ieiunia ad salutem proficiunt, qui bonis & sanctis operibus feruide insistant. Unde ieiunantibus a cibo & potu, a cunctis etiam abstinentum est uitiis, quatinus mens uirtutum ornata decore, in Christi amore dulciter ferueat, & ab intimae conuersationis profectu minime tepescat. Abstinentiae namque uirtus nulla, si charitatis non fuerit operibus decorata. Idcirco meum audio monache consilium, si uis ieiunium facere coram deo fructuosum. In primis expurga conscientiam tuam ab omni macula peccati, ut nulla in te remaneat concupiscentia mali, ut in exercitio fiat diuini amoris feruida, & in cunctis uirtutibus laudabiliter exornata. Per contritionis & confessionis remedium peccata dilue praeterita, & orationibus instando cum lachrymis, mentem contra omnes tentationes in dei adiutorio confirma. Ad deum quantum potes in amoris exercitio esto feruidus, ad teipsum in conscientia pura bene tracta quillus, ad confratrem tuum in uera charitate ordinatus. In humilitate semper esto praecipuus, constantia & obedientia firmus, castitate mentis & corporis nitidus, mansuetudine pius, actione monachus, perfectionis desiderio iugiter accensus. Si hoc munditiae ac puritatis genere abstinentiam tuam commendaueris, recte ieiunabis. In meditatione passionis domini & saluatoris nostri Iesu Christi diligenter exercita mentem tuam, ita ut nulla praetereat dies, in qua vitam & mortem eius cum gratiarum actione ad minus semel non percurreris meditando cum lachrymis. Rudis enim & nimium indeuotus ne dicam ingratus est christianus, qui ita uel rebus temporalibus immergitur, uel carnis uoluptatibus occupatur, ut redemptoris sui amarissimae passionis quotidie non semel ad minus gratias agendo recorderetur. Monachus autem qui beneficiorum domini nostri Iesu Christi obliuiscitur, qui passionis eius non semel quotidie cum gratiarum actione reminiscitur, qui non omni die in lege domini euangelica meditatur, ingratisissimus merito omnium hominum censetur. Nihil est enim illa oratione potētius, quae deo patri offertur in vnione ac uirtute dominicae passionis. Iuste nimirum damnandus ille est

spi-

Aduer-
ingratos
redem-
ptori.

spiritus, qui preciosissimo Christi sanguine redemptus, a carnis suae uoluptatibus seducitur, ut tantorum erga se beneficiorum dei non recorderetur. Nulla enim causa fuit ut dei filius homo fieret, nisi quia nos peccatores uoluit iustificare, pro nobis natus in mundo, pro nobis passus in mundo, & pro nostris sceleribus crudeliter mortuus in ligno. Ille iustus uenit in mundum, ut nos iustificaret qui eramus peccatores: pius uenit ad impios, ut pietatem, humilitatem & patientiam ab eo disceremus. Uenit medicus ad infirmos, uita ad mortuos, miseratio ad desperatos, quem non nostra merita de caelo traxerunt in mundum, sed peccata. Dignum est igitur fratres mei ut tota deuotione hoc ieiunium quadragesimale sacratissimae passioni eius dicatum celebremus, qui tanta pro nostra salute facere prior est dignatus, qui ut nos de interitu mortis eriperet, semetipsum pro nobis dare in mortem non dubitauit. Agamus Christi amore quicquid boni possumus, perferamus intuitu passionis eius & mortis omne quod nobis aduersitatis in hoc mundo acciderit, quoniam dominus Iesus, qui pati pro nobis ex charitate uoluit, ut eum toto corde diligamus, ueraciter se dignissimum ostendit. Nam si peccator te frater agnoscis, sua te Christi morte saluauit. In cruce quomodo decet contemplare pendentem, & ab omni morfu peccati sanaberis. Nihil enim in hoc mundo reperitur efficacius ad curanda conscientiae uulnera, nihil potentius ad purgandam aciem pauidae mentis, quam sedula uulnerum Christi meditatio. Fusus enim preciosissimus sanguis domini, sufficiens factus est medicina peccati. Hinc sanctus dicit praeful Augustinus: Fratres ut uulnerati a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur. Quomodo enim qui intuebantur serpentem aeneum in deserto, non peribant moribus serpentum, sic qui fide & deuotione intuentur mortem Iesu Christi, sanantur a moribus peccatorum. Si autem iustificatum te confidis a peccato, eo magis atque feruentius tibi Christus in cruce pedens intueendus est, sine cuius merito passionis nemo uiuit iustus in terra. Nam extra fidem Christi non est iustitia: & quantumlibet homo uiuat religiose, si non credit in dominum nostrum Iesum Christum, aeternam non latenus consequetur salutem, sed ira dei manet super eum, & necessario peribit in aeternum. Mors Christi ianuam salutis aperuit, per quam nemo alius potest ingredi, nisi qui in Christum fideliter credit. Propterea enim Christus damnationi se mortis humiliter subdidit, ut credentes a iugo damnationis perpetuae liberaret. O charitas infinita, o pietas sine mensura,

quis credentium in te maiestas aeterna non mirretur tam stupenda nobis indulta beneficia? Passio enim tua domine Iesu nostrae salutis est precium, uultumque peccatorum refugium, infirmarum mentium singulare remedium, fons origo & finis omnium bonorum. Reuelamus nunc igitur fratres charissimi & sedulo ad memoriam reuocemus dominicae passionis amaritudinem, ut quia necessario peccatores nos esse recognoscimus, iustificari tandem per meritum ipsius saluatoris nostri ualeamus. Meditatio enim dominicae passionis praecellit omnia huius mundi exercitia, si cum deuotionis intimae feruore diutius fuerit continuata. Mens illa monachi, quae studio diuini amoris succesa, passionis domini nostri Iesu Christi memoriam habere cum lachrymis quotidie ad horam saltem modicam consueuit, daemonum suggestionibus non facile patescit. Cor etenim illud quod amor Iesu possidet, omnibus cogitationibus malis semper inaccessibile & clausum manet. Felix nimirum ille monachus, & nunquam praeter honorem nominandus, qui in doctrina & passione domini nostri Iesu Christi cum amoris studio meditatur die ac nocte, qui saluatoris sui nunquam obliuiscitur, qui siue comedat siue bibat, siue aliud quid faciat, semper dominum Iesum in cruce pendentem oculis mentalibus intuetur. Nullae versantur in eius corde permittit cogitationes, uerbum ex ore eius malum uel ociosum non procedit, nihil quam crucifixum pro nobis Iesum cogitat, & quicquid loquitur, Iesum uel iustitiam sonat. Mox ut imaginem depictam Iesu uiderit crucifixi, in lachrymas resoluatur, & praeter nimio metis desiderio quasi stupidus effectus amaritudine dulcissima repletur. Nullas uita praesentis consolationes potest admittere, quia eum dominum suum in caelo residere cogitat, suum in terra prolongatum exilium plorat. Nihil in hoc mundo praeter Iesum diligit, nihil aliud quam crucifixum quaerit, diuitiae si adsint, cor suum penitus dedignatur apponere. Si autem defuerint, eas minime quaerit inuenire. Cum enim se pauperis Iesu agnoscat esse discipulum, optime intelligit huius mundi diuitias magnum christianae perfectionis esse impedimentum. Vitium habes tenuem, & uile corporis amicum, cum suo domino contentus est, qui pauper factus pro nobis beatos iustitiam praedixit esuriens. Felix inquam ille monachus, qui dicere ueraciter cum sancto martyre Christi Theophoro potest. Amor meus crucifixus est, & ideo cor meum nullam huius mundi recipit consolationem. Et illud Christophili Pauli. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nunc ergo fratres mei charissimi audite consilium meum, & per iugem

Gala. 6.

EE iij

dominicæ passionis memoriam inchoatum sanctificate ieiunium. Dico enim vobis quod inter omnia exercitia monachorum nullum potest esse sanctius, nullū deo acceptabilius, nullū vobis salubrius, quā illud quod in meditatione passionis domini nostri Iesu Christi quotidiana sedulitate cum interni amoris compunctione practicatur. Hoc enim salutaris passionis exercitium, subito de peccatore facit poenitentem, de tepido & arido mirabili compunctione deuotum, de impio iustum. Multitudinem peccatorum operit, vires spiritui contra demones tribuit, vitiiis cunctis dat terminum, & sanctis animæ virtutibus validum confert incrementum. Dominicæ passionis deuotē continuata memoria cōscientiam meditantis purificat, intellectū in omni cognitione veritatis illuminat, affectū in dei amore suaviter inflamat. Passionis Christi deuota meditatio facit omnia huius mundi oblectamenta contemnere, & nulla quātumlibet dura vel contraria formidare. Libidinē exterminat, luxuriam tam mentis quā corporis edomat, inuidiam fugat, gulā refrenat, auariciam sedat, acediam inflamat, iram mitigat, superbiam radicitus extirpat. Mentem insuper hominis, quā passio Christi veraciter occupat, nulla rei carnalis passio fatigat. O quā suaviter ardet, quem passionis Iesu memoria dulciter inflammauit, & quā feliciter mens æstuat, quæ mortis Christi iugem amplectitur meditationem. O bone Iesu amor crucifixe meus, qui salus & saluator fidelium es animarum, da nobis continuam passionis tuæ memoriam agere, concede famulis tuis inchoata ieiunia, bonis semper operibus commendare, quia tunc abstinentia nostra maiestati tuæ incircumscriptibili erit gratissima, cum sanguinis tui preciosi fuerit meditatione decorata, qui viuis & regnas cū deo patre in vnitatis spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum.

De somno & vigilia monachorum.
Homilia XVII.



Ecdi. 7.

Deut. 32

Monachus qui se moriturum semper cogitat, nullum tempus ociosum trāire permittit. Dicit enim scriptura: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Quo cōtra de obliuiosis & inertibus est scriptum: Gens absque consilio est & sine prudentia, utinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Memoria mortis animo inducit vigi-

lantiam, & omnē extinguit inordinatā mentis cogitationem. Qui mortem rectē metuit, nunquam in bono opere torpescit. Dicit nāque vir sapiens: Quodcumq; facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erūt apud inferos, quō tu properas. Monachus enim qui verus dei cultor est, nullum temporis momentum inutiliter expēdit, sed noctibus atq; diebus in exercitio boni operis semper vigiliam mētis cum summa deuotione peragit, & corpore dormiens, in animo cōstanter ad dei nūcios dicit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Somnus imago est mortis, & sensuū corporis ligatio, qui autem verus amator est Christi, etiam dormiens corpore, mente vigilat, orāsq; indefinenter ad dominum charitatis affectu clamat: Ante te est omne desiderium meum, te somniās cogito Iesu crucifixe amor meus. Erubesco fratres mei & vehemēter cōfundor de vigiliā monachorum asserre sermonem: quia dum præcedentium sanctorum parum consuetudinem vigilandi ad memoriā reuoco, quā longē ab illorum perfectione distet nostra infirmitas, moerēs recognosco. Illi diuino succensi amore in dei laudibus noctes integras frequenter duxerūt in somnes: nobis autem horarum octo spacium dormiendi vix interdum videtur sufficere, quarum ante matutinum quinque, postea vero tres breuitatis accusare nō cessamus. Vera enim monachorum abstinentia nō solum in ciborum & potuum parsimonia consistit, sed etiam in vigiliarum ad dei laudē continuatione, quia stulta est maceratio carnis in qua venter ab eis refringitur, & totum corpus per somnolentiam impinguatur. Nō solum quippe corpus cibo & potu in sui subsistentiam reficitur: sed etiam somni quiete reformatur. Qualēnā est illud monachorum ieiunium, cibis & potibus abstinendo parcere, & somno ad satietatē indulgere: Parum refert cibo an somno reficias corpus, cum in vtroque fatietas sit vitium. Propterea veteres & primi monachorū principes non minus dormiēdi quā comedendi atq; bibendi temperantiam custodientes, in vtroque cōtinentissimi perdurarunt. Eorū aliqui stantes in pedibus suis, aliqui vero super nudā terram iacentes, parcissimū naturæ somnum concesserunt. Quorum nō infimum sanctitatis merito quendā nouimus dixisse, Sufficit vna hora monacho ad dormiendū, si puginator fuerit & aduersarius vitiorum. Nō enim minus luxuriam nutrit somnus, quā cibus & potus. Alius quidam sanctorum duas ad dormiendū horas vel tres monacho volebat sufficere, vt parcitatem ciborum, quietis etiam

Ecdi. 9.

Cant. 5.

Psal. 37.

Somnus non miser obest, quāuis

Septē ad summū horas etiam monacho dormisse, abunde est.

1. Petr. 5.

temperantia commendaret. Recentiores autē ordinis nostri reformatores, qui nobis sub nomine vnionis de Bursfeldia per Germaniā viuendi modum ad puritatem regulæ tradiderunt, considerantes infirmitatem humanæ conditionis, vigiliarum rationem modestissimē ordinarunt. Quinque etenim horarum spacium ante nocturnas laudes monachis in conuentu misericorditer indulserunt, & duarum vel semitrium post matutinas dormitioni similiter addiderunt. Cui hoc tempus, videlicet septem horarum, ad quiescendam non sufficit, nimis se pigrū & acediosum monachum ostendit. Vnde monemur vigilare non solum mente, sed etiam corpore, quoniā cor suum vix in vera puritate conseruare sufficit, qui corporaliter in deivigilare obsequio contemnit. Vigilemus igitur dilectissimi fratres maxime his sanctis quadragesimæ diebus, in quibus vitiiis bellum indiximus, & antiquū hostem diabolum vincere & superare fortiter parati sumus. Audistis enim sanctum apostolorum principem his verbis admonentē: Fratres sobrii estote & vigilate. Quare hoc monuit? Quia, inquit, aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quē deuoret, cui resistite fortes in fide. Itaque fratres mei vigilemus quandiu sumus in bello constituti, nequando somnolentia depressi vel ocio, ab aduersario salutis nostræ superemur. Quandiu enim in carne viuimus, necesse est vt vigilantia & castigatione corporis nostri contra inimicum fortiter pugnemus. Nō deterreat vos labor certaminis, quoniam etsi aduersarius noster sit importunus, vsq; adeo tamen infirmus & debilis est, vt neminē possit superare nisi volētem, & eum qui omnem custodiam sui penitus abiicit. Dominus autem Iesus Christus adiutor & protector noster est fortis, qui virtutem præstat alacriter dimicantibus, & victores immarcescibili corona cū omnibus sanctis suis donabit in cælis. Quemadmodum puluis à vento dispergitur, sic aduersarius noster diabolus à voce psallentium cum humili deuotione confusus & territus effugatur. Nemo igitur vestrum dilectissimi fratres negligētē agat, nemo in tempore orationis pigritia mentis & somnolentia torpescat, nemo diaboli concertationem inordinato pauore timeat. State viriliter pro salute animarum vestrarum perpetua contra infirmum aduersarium pugnantēs, & nō minus carnem propriam quā demones habere suspectam. Scitis enim testante non solum scriptura, verum etiam lōga experientia docente, quoniam caro cōcupiscit aduersus spiritum: & ideo monachus qui propriæ carnis

petulantia non læditur, raro in certamine à demonibus superatur. Spiritu igitur ambulante, & carnis desideria non perficietis. Qui vigilans & puginator est fortis, infirmiorē & torpentem à deuotione fratrem excitet, eumque tam verbis quā exemplis ad sanctum feruorem spiritus pro viribus reformet. Qui spiritualis est inter vos, inordinatum fratrem suū non despiciat, sed per humilem admonitionē eum potius ad pietatis studium reducat. Dicit enim scriptura: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Enimvero si consentientes in fraterna dilectione ad inuicem per fidē Iesu Christi semper vnanimēs fueritis, aduersarium vestrum diabolum facile sine dubio vincetis. Nam vbi vera charitas Christi habitantes in cœnobio monachos facit vnanimēs, ibi deus in omni sanctitate colitur, ibi sanctorū angelorū præsentia inuisibilis esse creditur, per quos malignorū spirituum temeritas refrenatur. In tali cōgregatione sanctorum deus habitat, quem cælestis regni exercitus vnā cum psallētiū monachorum vocibus collaudat. Paradisus est deliciarū cælestium, multitudo in dei amore feruentium monachorū. Cuius multitudinem ornata turrium, cōgregatio est id ipsum in domino sententium monachorum. Vigilate fratres mei precor vigilate in orationibus sanctis, & eo maxime tempore somnolentiā & mentis torporem excutite, quando in ecclesia coram domino statis ad psallēdum. Nam si coram deo stantes in psalmodia feruētēs in oratione fueritis, eius proculdubio gratiā vobis adesse sentietis. Nimis enim alienus est à monachi proposito, qui inter orandum aliunde cogitat, & mentem suam non diuinis, sed caducis rebus vel occupationibus agitandam præstat. Scitis enim quid sanctus institutor noster Benedictus dicat in regula. Si cū hominibus, inquit, potentibus volumus aliqua suggerere, nō presumimus nisi cū humilitate & reuerentia, quāto magis domino deo vniuersorum cū omni humilitate & puritatis deuotione supplicandum est, & non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum nos exaudiri sciamus? Quoniam vero nobis psallentibus deum vbiq; credimus esse præsentē, magna in oratione reuerētia opus est, vt mēs nostra voci per omnia cōcordet. Cogitemus ergo fratres cui assistimus, & cui in conspectu angelorum psalmos orando recitamus: quoniam monachus qui orationis tēpore vanis cogitationibus cor suum occupat, quasi homo qui astans ante regem vel cæsarem, & loquens cum eo de his quæ ad salutem corporis sui valde sunt necessaria, vocant autem

Gala. 5.

Vnanimis orantium ad exauditionē necessaria.

Mens illi vacet, quem oras.

Nota si mile.

ad seruo suo regem dimittit, seque ad confabulationes famuli vanas & inutiles conuertit. Vere stultus iudicaretur ab omnibus quicunque hoc faceret, & merito poenis videretur grauissimis puniendus. Monachus autem quid meretur, qui stans coram summo rege vniuersorum, & loquens cum eo de salute anime sue, oculos repente interiores conuertit ad occupationes inutiles, & neglecta æterni regis præsentia vanas admittit vel etiam perniciosas in mentem cogitationes? Si terreni regis illufor atque contemptor amputatione capitis plectitur, cælestem contemnens imperatorem quid meretur? Quocirca moneo vos fratres, & quæta possum sinceritate rogo, quatinus purificetis corda vestra maxime in tempore orationis ab cogitationis inique macula, vt hoc solum reuoluatis in animo, quod in ore decantatis. Sicut angeli cū timore & summa reuerentia deo semper assistunt, hymnum laudis perpetuum decantantes, ita curemus & nos fratres mei puro corde, cōscientia munda & feruentissima illi deuotione assistere, vt multo magis spiritu quam corpore laudes ei possimus decantare. Segregemus ergo mentes nostras ab omnibus negociis terrenis, purgemus cōscientias nostras à cunctis illecebris carnis: induamus feruorem sancti spiritus, & omnem à nobis pigritiam & ignauiam longe repellamus. Nam sicut onus graue dormitum hominis acediosi deprimit, ita somnolentia tempore psalmodiæ monachorum mentes opprimere cōsuevit. Nihil plus nocet monachis quam acedia, quæ paulatim eneruat omnes vires mentis, torumque feruorem spiritus extinguit. Mox enim vt monachus à feruore sancte deuotionis coeperit deficere, mentem subintrant innumeræ cogitationes male, quas tanto minus iam potest repellere, quanto longius à feruore pristino conuincitur recessisse. Hinc somnolentia in diuinorum exhibitione obsequiorum oritur, mens tristitia & melancholia nimium grauatur, quam monachus tepescens animo, nō spiritualibus, sed terrenis atque carnalibus consolatiunculis releuare omni studio meditat. Cumque diutius in hac alienatione mentis progreditur, ad compunctionis exercitium iam quasi insensibilis obduratur, & quanto consolationibus carnis inhiat, tanto longius ab interno feruore spiritus aberrat. Quid enim vos in tempore psalmodiæ facit somnolentos nisi acedia? quoniam mens quæ torporem incidit, mox corpus dormire facit. Sed iterum vos moneo fratres vt crebrius consueui, quatenus ignauiam & somnolentiam tempore orationis maxime fugatis, quoniam sicut ebrietas obliuionem

Nulla
pestis
exitiali-
or mo-
nachis,
quam se-
quitur.

inducit animo, sic etiam somnolentia mentem insanam & fatuam efficit coram deo. Cauete hoc somnolentiæ vitium o vos iuuenes, quod ex senioribus quosdam longa iam consuetudine dolemus infectos, quibus in choro familiaris est dormitatio, & nimis rara mentis ad deum compunctio. Cauete inquam hanc malam dormiendi consuetudinem, quæ postquam monachum semel captiuum abduxerit, raro liberum permittit. Propterea in exordio conuersionis maxime iuuenibus contra hunc perniciosissimum hostem religionis pugnandum est, sicut quidam in carmine dixit: Principiis obsta: sero medicina paratur. Cum mala per longas inualuerit moras. Sed propera, nec te venturas differ in horas, Qui non est hodie, cras minus apertus erit. Difficile nanque est longam & diuturnitatem inueteratam curare infirmitatem. Regibus & principibus terrenis quanta diligentia & sedulitate famuli assistant videamus, vt quemadmodum coram deo, qui solus est rex omnium & dominus vniuersorum, in orationibus astare nos deceat, nō ignoremus. Oculi omnium in dominum respiciunt, & ad nutum eius omnes & singuli diligentissime pendunt, ne quid illo iubente per negligentiam fugiat assistentes. Hinc igitur consideremus, quanta nos oporteat domino deo puritate in orationis synaxi die noctuque assistere, à quo regnum cupimus æternæ felicitatis impetrare. Non vox nō clamor, sed feruens in dei charitate intentio meretur exauditionem. Somnolentiam ergo & torporem mentis vt letale venenum fugite, quia somnus & ocium scaturigo sunt omnium vitiorum. Oculi autem vigilans minister est inter deum & monachum, qui Iesum Christum veraciter diligit, ab omni immoderantia se custodit. Qui vigilans est, mentem acuit intelligentiam, multum vero dormiens monachus turpiter excæcat animam suam. Vigilans in oratione & ieiunio monachus, formidabilis est diabolo: qui autem cibo satiatur & somno, à spiritu fornicationis nō permittitur quiescere. Vigilia enim orationibus dicata feruorem fragit luxuriæ, igne quoque valenter extinguit concupiscentiæ, intima cordis purificat, mentem illuminat, affectum ad amorem cælestium inflamat. Vigilia est bonarum cogitationum parens nutritrix atque custodia, tērationū antiqui hostis certa victoria, phantasmatum fuga, mors vitiorum, vita & fons omnium virtutum. Sōnus autem multus comes & fotor libidinis, raptor vitæ hominis, imago mortis, obliuionis conciliator, inertie cōiūx. Sōnus immoderatus stomachum corrumpit, cerebrum laedit, corpus simul & animam dissoluit. Monachus frequenter somno dedi-

Vigilia
qua
fructus
affert.

deditus, sapientiam spernit, castitatem prostituit, animam salutem negligit, tempus preciosum perdit, mentem interficit, vitia nutrit. Quisquis igitur vestrum amantissimi fratres ad superne felicitatis requiem peruenire desiderat, omnem à se torporem & ignauiam mentis fortiter repellat, discat in primis semetipsum vincere, vt hostem salutis sue diabolum deinceps valeat superare. Enimvero nisi malum quod in te est, prius exterminaueris, illud quod aduentitium est, quando superabis? Discite passionibus imperare tuis, & omnia quæ foris accidunt, adiuuante domino facile superabis. Purga mentem ab omni concupiscentia inordinata, vt solum Iesum in veritate super omnia diligas, cum quo gaudere in æternum speras. Nemo autem cum Christo regnabit in caelis, qui eum sanctis moribus nō imitatur in terris, sancta dicente scriptura: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Dominus etenim Iesus qui sua nos morte ab interitu damnationis æternæ liberauit, ipse mediator dei & hominum voluntarie factus est, ipse via, per quam nobis vitæ trames est continuandus, ipse dux potens itineris, ipse norma & regula Christianis est salutaris cōuersationis. Nemo venit ad deum nisi per Christum patrem, nemo videbit nisi per filium. Vnde si vultis venire ad salutem, oportet vt transeat per saluatore. Ipse nanque in sancto euangelio dixit: Nemo venit ad patrem nisi per me. Et illud, Ego sum ostium: per me si quis introierit, pabulum vitæ æternæ inueniet. Ac iterum: Ego sum via veritas & vita. Per hanc viam patris & sanctis moribus viuendo precor fratres mei semper incedite: hanc veritatem puro corde feruenter diligite: ad hanc vitam, quæ sola est permanens, ardentem festinate. Doctrina Christi nūquam de cordibus vestris recedat, sed omni tempore in memoria permaneat, quoniam verus imitator eius fieri renuit, qui non die ac nocte in meditatione verborum eius exercitatus fuit. Semper itaque in orationibus vigilantes tanta puritate mentis viuite, quatinus vocantem vos in mortis hora cum læticia mereamini audire, Iesum Christum dominum nostrum, qui viuuit & regnat cum deo patre in unitate spiritus sancti deus omnipotens vnus, per omnia secula seculorum. Amen.

De patientia & mansuetudine.
Homilia XVIII.

Inter omnes fidei Christianæ professores nullum hodie genus est hominum, cui virtus patientiæ magis videatur esse necessaria, quam cœtui monachorum. Nam refrigescente his nostris diebus charitate multorum, vt Pauli vtamur eloquio, spectaculum facti sumus mortalibus, vt quocumque monachus inter homines mandanos deueniret, digitis ferme omnium à quibus cernitur, subinandus & irridendus denotetur. Cur hoc dixerim scitis, qui factum in oppido nuper Binghamum non ignoratis. Excepit iuuenem ac puerorum ebria turba monachum quempiam via transeuntem publica, & quasi pluuiæ causam præstitisset itinerans, proiecit in lutum, trānsque iniuria virum, impudentiæ suæ miserandum effinxit spectaculum. Nemo, qui cōpesceret insolentes, affuit: vicit tamen patientia monachi furentes, & Christi plenus amore, nihil aliud, cū male tractaretur, quam deo gratias, respondit. Vnde quanto se magis exhibuit mente & animo tranquillum, tanto plus nebulones in fontem traxerunt, vino illum astuare putantes, quem amor Christi iucundum fecerat & letum. Reliquit monachis cunctis magnum patientiæ documentum: qui cum posset se vindicare, non voluit, iniuriatum. Vtinam fratres mei tam patientes pro dei amore peccatisque nostris essemus in minimis, quam ille bonus vir in maximis fuit. Sunt inter vos quidam, inuitus loquor, nimium proterui & impatientes, qui verbo quauis non iniurioso mouentur ad iram: atque dum pro suis negligētis iuste corriguntur, iniuste murmurant, peccatum per impatientiam peccato adiacentes. Sed in quem finem patientiam illis memorati hominis propono in medium, qui omnium virorum patientissimum nō attendunt Iesum Christum? Enimvero quisquis exemplo regis cælorum patientiam & humilitatem non amplectitur, nullius imitatione hominis ad mansuetudinem reuocatur. Summum nanque & supremum patientiæ & humilitatis exemplar est dei filius, cuius recordatione passionis quisquis ad sufferentiā non flectitur, induratus & demonum focus merito censetur. Verba domini nostri Iesu Christi esse vera bonus nemo dubitat christianus. dicit autem in sancto euangelio Christus: Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Si mites beati sunt dicendi: quid prohibet ne rancorosi iracundi & immites nominentur maledicti? Certe nihil. Et si testante ipso domino & saluatore nostro Iesu Christo animas nostras in patientia possidemus, non est dubium quin eas per impatientiam amittamus. Ma-

Mar. 24
Monachi huius
seculi fabula.
1. Co. 4.

Monachi cuiusdam
mira patientia.

Christi
vnicuique
& singulare
patentiæ
exemplum.

Mat. 5.
Lu. 22.

xime igitur conuenit monachos esse mites, mansuetos & patientes, qui se Christi & apostolorum imitationi sollemniter deuouerunt. Christus autem omnium mitissimus suis in euangelio discipulis & imitatoribus præcipit dicens. **Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris.** Hinc sanctus præful Augustinus: Si cū Christo vis regnare in cælis, disci prius ab eo ut sis mitis patiens humilis & mansuetus, quoniam nisi ad eius imitationē vitæ in hoc mundo conuersatus fueris, nullatenus cum eo in perpetuum regnabis. Diuus quoque Ambrosius dicit: Cum deposuero omne peccatum, & exuero omnem malitiam, & simplicitate contentus fuero inops malorum, superest ut mores temperem. Quid enim mihi prodest carere sceleribus, nisi fuero mitis atq; mansuetus? Ille autem mitis est qui cedit improbitatibus, & non resistit in malo, sed vincit in bono malo. Mansuetus est autem testante Chrysostomo, qui cum iniuriis prouocatus fuerit: nec malum cogitat facere, nec facit. Casiodorus vero dicit: Mansuetos appellamus manu conuersos, id est patientes & mites, qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem grauare præsumunt, de qualibus in psalmo dicitur: **In domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur.** Non dixit in lege periti, non ieiunantes, non psallentes, sed mansueti lætentur, qui cum charitate præcipue habere omnium rerum temperantiam consueuerunt. Illi autē vere sunt mites mansueti & patientes, qui neminem lædunt, nemini iniuriatur, neminem penitus offendunt, sed in sua simplici humilitate consistentes omnes iniurias contumelias & irrisiones pro Christi amore semper æquanimiter tolerant, & contra lædentes nullo animi dolore mouentur, quemadmodum fuisse monachum illū iam diximus, quē apud Bingiones pueri furentes nimis contumeliose tractauerūt. Facile autem est esse mitem patientem & mansuetum quandiu nihil dicitur vel agitur nisi pro uoluntate & arbitrio patientis. Patebit autem quā sit longe à uera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. Magna est uirtus si non lædas à quo læsus es: magna fortitudo animi, si pro dei amore iniuriā remittas inferenti: magna gloria si Christi mādātum obseruas, & preces pro iniuriantibus fundis. Nemo vires animi cognouit sui, quem contumelia necdum adūsit insignis. Nemo se gloriatur mitem vel patientem, qui nō fuit saturatus opprobriis. Non est sine aduersitate patientia, nec sine improprio mansuetudo, quoniam si debitas tolerantie metas custodire uolueris, oportebit in primis cōtume-

liam adesse inferentem. Si fuisset, inquit monachus piger & animalis, in diebus martyriū, nulla pœnarum genera subire pro Christi amore timuisset, corpus uoluntariē obiecisset tortoribus, ut coronam martyrii reportasset. Magna stultitiæ temeritas. Verbum dei amore patienter sufferre nunquam potuisti, & constantiam sanctorum martyrum polliceris? Leuem correptionem metuis, qui corpus te daturū pro Christo promittis. Si martyrium te delectat, audi quid beatissimus papa Gregorius dicat: Si adiuuante nos Christo uirtutem patientiæ seruare cōtendimus, & in pace ecclesiæ uiuimus, & martyrii palmā tenemus. Nam sine ferro & flāma martyres esse possumus, si paciētiā in animo ueraciter custodiamus. Mori à persequēte, martyrium in aperto opere est: ferre autem contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occultis cogitatione. Patientia uero est aliena mala æquanimiter perpeti, & cōtra eum qui malum intulit, nullo dolore morderi. Quid nunc piger dices o monache, qui martyrium uerborum sufferre leuissimum impotens, de cōstantia fundendi sanguinis tam proterue gloriaris? Discite miser in leuibus habere patientiam, & considera, quoniam, dicente scriptura, qui in modico infidelis est, ei quod maius est quis crederet? Ad ōnia quæ sunt in cœnobio murmuras, increpatus quantumlibet leniter pro grauibus delictis & negligentis tuis, impatiētissime toleras, nemo tibi recte in monasterio graditur, nemo præter te in tua estimatiōne religiose conuersatur. Tu, quantum tibi uideatur, solus in cœnobio sanctus, tu omnium doctissimus neminem scire cōsentis quod tu solus ignoras. Super omnes te honoribus cunctis existimas dignum, quia non solum paciētia cares, sed neque humilitatem ueram neq; obedientiam retines. Non est hæc uia per quam itur ad regnum cœlorum, quando in schola humilitatis superbit monachus, & moribus Christo uiuit contrarius Christianus. Monachus autem Iesu Christi sollemniter iuratus minister, ut dominum possit imitari suum, non debet esse superbus, sed humilis: obediens, nō rebellis: mansuetus, non crudelis, neque proteruus, sed mitis. Monachus uero superbus, iracundus, contentiosus & propriæ uoluntatis amator, quales pro dolor ut frequēter sunt in temporalibus cōstituti, quos apud nos cœlarios secundum regulam nuncupamus, quorum elatio multis uiam ad interitū fecit. Cōpellit me dolor ad loquendū, & prohibet uerba recundia, quāuis casum noueritis omnes quos in fratre diabolus pridem confudit. Quis illo in tota congregatione nostra superbior? quis

In impa
tientes,
sed iacta
būdō,

Luc. 16

superb
quidam
mona
chus se
dēlapsus
est.

quis maiore proteruia plenus incensit? Quia uero maiorem inter nos rerum temporalium experientiam habere uidebatur, cunctis ob id se præstantiorem existimauit. Permisit omnipotens ut caderet, quatinus qui suam infirmitatem reputatus agnoscere noluit, confusus tandem non sine multorum scandalo aduersarium intelligeret deum superborum. Doleo uehementer, & plus quā dici potest, culpa ruentis mihi grauior uidetur, quoniam illo ruente confundimur omnes. Det illi deus pœnitentiam agere ueram, ut qui eius lapsu scandalizati fuerant, satisfactiōe coram deo & hominibus edificentur. Semper monachis perniciofa fuit elatio, & mentem hominis quam semel inuaserit, in foueam uictorum omnium demergit. Cauete superbiam fratres mei, quoniam ipsa est omnis peccati exordium: ipsa est que per inuidiā diaboli, mortē introduxit in orbē terrarū. Superbia uirtutū est mors omnium, & cunctorum fons & scaturigo uictorum. Humilitas autem uirtutum nutritrix maxime decet monachos, quoniam & mites facit & mansuetos. Omnis enim superbus impatiens, & omnis arrogans mansuetudinis inimicus. Qui humilis est corde, habet in aduersis pro dei amore patientiam: & qui ad iniurias animo tranquillus est, duplicem meretur coronam. Vir patiens in aduersis, deo proximus: qui autem superbus & immitis est, lætificat inimicos. Dicit nanque scriptura, Melior est patiens uiro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Sanctus quoque præful Augustinus. Paratus debet esse homo iustus & pius, patienter eorū malitiam sustinere, quos fieri bonos cupit, ut poti⁹ numerus crescat bonorū, & nō pari malitia se quis numero addat malorū. Est enim nobis patientia multū necessaria fratres, ut uoluntatem dei facientes, sanctam in Christo reportemus promissionem. Nobis quotidie assunt, quibus exercitemur, aduersa. propterea sicuti tolerantie nunquam deest causa, ita precor necessaria semper absit patientia. Inopia & paupertas necessarium rerū opprimimur, carnis infirmæ commercio grauamur, tentat præterea nos mundus, ut alliciat, tentat diabolus, ut seducat. Inter tot salutis nostræ aduersarios necessarium est fratres ut in omni patientia & humilitate uigilemus, quoniam in hac peregrinatione quandiu uiuimus, in medio, ut ita dixerim, malorum positi sumus. Sufficiat nobis paupertas nostra oportet, quia non est monasticæ religionis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi, ut monachi pauperes Christum imitantes pro nobis pauperem factum, in perpetuum cum eo in cœlis mereamur gloriari. Quid si malos

Prou. 16

Heb. 10.

& peccatores quosdam in seculo uideamus abundare diuitiis? Si boni homines & iusti in hoc mundo sunt diuites, eorum non fortitudini sed infirmitati per dei prouidentiam cōsultitur, ut beneficiis ad meliora prouocentur. Junior fui, dicit propheta, & senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius mendicans. Iacta inquit cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem iusto. Nouit dominus Iesus quid unicuique seruatorum suorum ad salutem cōueniat, & ideo munera presentis uitæ pro captu singulorum inæqualiter dispensat. Nō enim omnibus omnia conueniunt, propterea iustorum in hoc mundo rebus temporalibus alij sunt pauperes, alij uero locupletes. De pauperibus dominus Iesus in sancto euangelio dicit. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et per prophetam loquitur dicens. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Non enim cōducit ad æternam salutem omnibus, huius mundi possidere diuitias, sed quosdam expedit esse pauperes, quosdam uero locupletes, prout dominus uniuersorum cuique prouidit esse utilius. De iustis & bonis diuitibus Salomon dicit in libro Prouerbiorum: Benedictio domini diuites facit, nec sociabitur ei afflictio. Si autem mali & reprobī diuitiis abundauerint in hoc seculo, non debet bonos mouere ad indignationem: sed magis timeat eum, qui nullum bonum dimittit irremuneratum, & nullum malum impunitum. Malos enim, quos propter iniquitatem eorum remunerare in cælis non potest, pro eorum bonis in hac uita remunerat: & bonis, quos hic in paupertate nutrit, pro iustitiæ merito æterna in cœlis præmia conseruat. Verum sicut non omnes in hoc mundo pauperes sunt iusti & boni, ita non omnes rerum temporalium diuites in hac uita sunt mali. Malorum remuneratio in terris merito sine indignatione ferenda est, quam non amor dei sed iustitia uoluit esse presentem. Vnde sicut mali nihil habent in cœlo, ita uos qui monasticam paupertatem estis professi, nihil habere debetis in terra, sed spe illius boni ad quod tēditis, quicquid in uia contigerit aduersi tolerare patientissimē debetis. Nam, ut sanctus Christi amator Paulus ait, non sunt condignæ pœsiones huius temporis ad superuenturam gloriā, quæ reuelabitur in nobis. Qui diuites sunt in Christo, cōiungant humilitati misericordiam: qui uero sunt pauperes, sumāt cum innocentia pro dei amore patientiam. Miles etenim Christi nec paupertate deiicitur, nec diuitiis eleuatur, sed in se firmus consistens animo, regi cœlorum

Psal. 36.

Matt. 5.

Esa. 48.

Prou. 10.

Mali nō
hil i cœ
lo, boni
nihil in
mundo
possidēt

Rom. 8.

tranquillus militat, & nihil de rebus transitoriiis curat. Ita qui verus est monachus, nec laudibus extollitur, nec vituperatione frangitur, non intumescit necessariorum rerum affluentia, nec contrahitur paupertate, læta simul cõtemnit & tristitia, quoniam sicut propheta dixerat, sol eum non vret per diem, nec luna per noctem. Nos autem fratres charissimi faciamus de necessitate virtutem & voluntatem bonam, & de paupertatis incommodo, quod necessario patimur, bonum nobis & vtile magnum comparemus, quod tunc demum fieri potest, si pro dei amore hanc ipsam viriliter & animo tranquillo toleremus inopiam. Antecessorum nostrorum deformata conuersatio eam quam patimur egestatem huic monasterio induxit, quam omnipotentis dei miseratio, si mandata eius corde perfectò custodierimus, cum tempore procul dubio releuabit. Ab annis retro ferme ducentis quemadmodum coniectura simul & litteris præcedentium assequi possumus, puritas monastice institutionis in hoc Spanhemensi monasterio, sicuti & in aliis pene omnibus defecit, & inordinatio vitæ monachorum omnem terrenarum rerum substantiam penitus dissipauit. Enimuero cum anno Christianorum nono & sexagesimo supra quadringentesimum atque millesimum Fridericus comes palatinus ac Bauariæ dux Christianissimus qui morabatur in Semeren, reprobam monachorum vitam in suo principatu nimis haberet exosam, tria cœnobîa monachis deformatis expulsis reformauit, & optime institutos ex aliis monasteriis introduxit. Et primo quidem duo cœnonicorum regularium sancti Augustini monasteria ad obseruantiam regularis discipline reduxit, Rauengirserburg videlicet apud Cynos, & Svabenheim apud Stauronesios in pago Nagauiciensi. Nouissime anno domini prænotato etiam hoc præsens cœnobium nostrum Spanhemense ad reformationem ordinis reuocauit, eliminatisque abbate cum monachis quinque, alios de obseruatiã quatuor in locum restituit, quibus prædecessorem meum Ioannem de Colenhafen nunc in Selgenstat abbatem præfecit. Tanta vero locum paupertate oppressum & ære grauatum alieno inuenerunt, vt nemo fuerit qui illum crederet posse restaurari, quoniam proventus annui omnes aut venditi aut sub redemptionis titulo fuerunt alienati, nihil etiam de quo viuerent, penitus fuit relictum. Adest eorum quæ dicimus relator & testis frater noster Henricus vnus ex primis quatuor reformatioribus de Maguntia missis, ex cuius ore plenius omnia cognoscetis. Et ecce iam annus decimus & se-

Psal. 120

Fridericus Bauariæ dux Spanhemense monasterium reuocauit.

primus agit, ex quo locus iste sub capitulo reformatæ vnionis de Burserfeldia instauratur, & adhuc paupertate non modica excoquimur. Hęc propterea dixerim fratres, vt sciatis quoniam necessitatem quam patimur non soli portamus, cum illi quatuor viri qui monasteria reformauerunt, primi sustinuerint grauiora, quibus faba & pisum satiauerant ventrem, & potum in mensura pyracium tenuerunt. Vocauit nos miseratio dei ad hunc locum in quo salutis nostræ antidicum per patientiam vincamus, vt iuxta consilium diuipostoli victum habentes tenuem, & quo tegamur vestimentum, contenti, domino gratias agentes, in hilaritate mentis seruiamus. Non enim sumus vocati ad epulas carnis, neque ad delicias huius mundi, non ad voluptates neque ad vitæ præsentis solatia, sed ad militandum domino & imperatori nostro Iesu Christo in abstinentia omnium delectabilium huius seculi, in conscientia pura & humilitate cordis. Attendite nunc igitur vocationem vestram o monachi, & nolite propositum sanctitatis corrumpere, si ad dei gloriam cupitis peruenire. Vt ubi monache infidelis qui vocationis tuę contemptor ac voti transgressor factus, in monasterio non monastice viuens, qui ad tribulationem patienter tolerandam vocatus es dei pro amore, & de refrigerio percunctaris. Iubet enim te tua profectio in omni vilitate & extremitate vestimentorum humiliter contentum incedere, & tu curiositati vestium non metuis studium adhibere. In sitim vocatus es, & tu aquam bibere contemnens, vinum vsque ad satietatem potare contra monasticum canonem delectaris. Ad dimicandum contra salutis tuę aduersarium fortiter, monachus factus es, & tu proiectis à te virtutum armis, piger, iners & nudus, immo, quod grauius est, caterua vitorum comitante incedis. Ad vigilandum in orationibus sanctis inuitatus es, & tu somno inerti & ignauia turpi resolueris. In subiectione humilis obedientię vocatus es, & tu inflatus superbia seniorum præceptis obtemperare contemnens. In charitatem vocatus es, & tu contra fratrem tuum odium in pectore gestare non formidas. In fletum & lachrymas vocatus es: & risus cum inordinato profundis cachinnis. Ad penitentiam te dominus vocauit in monasterio, & tu resolutus in lasciuam peccato coniungis peccatum. Ad meditandum die ac nocte in lege domini nostri Iesu Christi vocatus es, & tu post vanitatem ambulans, fabulis & rebus caducis intendis. Ad cœlum vocatus es, & tu mundum diligens, terrena sectaris. In mansuetudinem humilitatis vocauit te dominus, & tu rancore & superbia plenus incedis.

1. Tim. 4

In seculo oino se generat i cœnobitii, qui qua de causa il lucient ac ro uent.

Quid exprobrauit dominus monacho ingrato. Phil. 2.

Psal. 75.

dis. Ad perfectionem purissimę conuersationis monastice à domino vocatus es, & tu vt iumentum in stercore vanitatis & negligentie computrescis. Ad obseruantiam mandatorum dei vocatus es, & tu voluptatibus carnis deditus, nihil minus quam Christum cogitas. Ad amandum dominum Iesum super omnia inuitatus es: & tu ambulans post desideria cordis tui mala, ingratus te exhibens redemptori tuo. Qui spiritu viuere debueras, terrena sapis, & omnia spiritualis conuersationis sancta exercitia submersus in superbia contemnens. Et quid in illa die iudicij responsurus es iudici, qui ingratisimo tibi dicturum est: Ego, qui dominus sum vniuersorum, propter te humiliavi memetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, sanguinem pro te meum effudi, pro te verbera sustinui, & mortem pro te nimis amarã spontanea voluntate subiui. Ego te o monache in toto corde meo dilexi, ego te in sanguine meo de morte perpetua redemi: ego te si mandata custodiuiisses mea, ad cœlestem regnũ ex amore vocaui. Tu autem vixisti præceptis meis contrarius, & quod grauius est, in verba mea iuratus cum esses, apostatam & impium te tradidit contra me dominum tuum exhibere nõ timuisti. Nunc igitur da rationem villicationis tuę. Quid tunc responsurus es o monache piger & deses, qui tempus nunc acceptabile tam infructuose consumis, & viuere in vera puritate monastica secundum regulam contemnens? Quid inquam respondebis? Negabisne prauitatis opera quæ commisisti, ostensus per fallaciam bona que nunc operari spernis, quatinus mendacio circumuenias iudicem, sicque debitam euadas tuis demeritis pœnam? Sed ignorare non debes, quoniam omnia quæ fecisti dixisti vel cogitasti per omnem vitam tuam, bona & mala in conspectu iudicis sunt manifesta, & nihil eum latere potest, qui solus omnia nouit. Omnia enim in libro dei scripta sunt, & conscientia tua omnium aduersum te malegestorum apertum perhibebit testimonium: ita quod nec minima quidem cogitatio poterit latere. Dicit enim ad deum scriptura prophetarum: Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Ad tribunal omnia scientis iudicandus es, ante cuius terribile iudicium omnis creatura cum metu nimio & tremore stabit, vbi nulla penitus admittitur excusatio, sed singuli recepturi sunt debitam suis meritis semota appellatione sententiam. Milia milium & decies centena milia sanctorum spirituum assistent ei, & tu mendacio te fallere iudicem posse confidis? Sed audi cõsilium meum,

& surgens ab inertia tua perniciofa tandẽ expurgilcere, & per veram penitentiam ad dei misericordiam in tempore à iustitia recurrere. Non differas de die in diem, quoniam nimis est periculosum in peccatis manenti confidere, & salutis remedium quod offertur, refutare. Memento quoniam moriturus es, & quando non cogitas, ad iudicium vocaberis. Cogita precor dubium viuendi tempus quomodo labitur, & omnia quę mortalia sunt, quàm cito corrumpuntur. Nihil in humanis stabile, nihil fixum, nihil firmum, sed omnia quę cernimus, corruptibilia sunt, & cum tempore mutantur. Considera etiam vbinam sunt fratres nostri Valentinus, Martinus & Ioannes, qui anno præfenti nobiscum viuentes sani incolumes ac læti fuerunt, nobiscum pariter loquebantur, manducabant, bibebant & laborabãt, nihil minus quàm hoc anno se morituros cogitantes. Ecce quãdo nõ putabãt, venit mors, rapuit eos, statuitque animas eorum ad tribunal tremendi iudicis, qui reddidit vnicuique secundum opera manuum suarum. Ecce nunc iam disce fratrum tuorum exemplo quoniam & tu moriturus es, & forsitan multo transibis ab hoc mundo citius quàm poteris estimare. Respiscito miser quando iam potes, age penitentiam in tempore sanitatis tuę, quando iudex pollicetur misericordiam, & noli differre bonum hodiernum in dubium crastinum. Consurge vel nunc sero tandem ab ignauiã negligentioris transecte conuersationis in qua hæctenus turpiter computruisti, & expurga conscientiam tuam ab omni macula peccati, lachrymis exerge quod commisisti malum, & iam deinceps vive innocenter vt condecet monachum. Perfectum emendationis ea peste propositum, & intellige quoniam nõ incipientibus bonum sed perseverantibus vsque in finem repromittitur regnum cœlorum. Scito etiam quod non peruenitur inertia & torpore ad cœlum, sed labore magno, conatu voluntatis proficiendi maximo, & studio exercitij spiritualis indefesso. Volens igitur domino seruire ac placere in veritate, semper consiste apud temetipsum pauidus in timore, & prepara animam tuam ad tentationem. Resistendum est fortiter inordinatis motibus, & concupiscentiis carnis: reluctandum est animo constantissimo blandimentis & vanitatibus seculi cunctis: per orationes & magnanimitatem spiritus fugandus est demon nostræ aduersarius salutis. Nemo somnolentus piger & acediosus vnquam deiperuenit ad regnum: nemo sine labore continuo & multis sudoribus obtinuit cœlum. Dicit enim in sancto euãgelio dominus: Regnum dei viam patitur, &

Mat. 24

Mat. 11. violenti, hoc est qui malis concupiscentiis carnis nouerunt resistere constanter, rapiunt illud. Reuoluite omnium gesta sanctorum, & nusquam inuenietis aliquem sine magno & continuo labore sanctificatum. Nam & si nemo fiat sanctus viribus suis, tamen omnipotentis domini gratiosa miseratio, quæ & voluntatem benefaciendi certantibus præstat & vires, neminem sanctificat sine operibus bonæ & rectæ voluntatis. Cum ergo deus velit saluos fieri omnes homines, & neminem perire, nobis fratres mei summo opere cauendum est ne gratiam eius in vacuum recipiamus, sed enitendum, potius viribus totis quatenus tanti factoris gratuitis donis veluti ager fertilis ex operibus bonæ voluntatis, fructibus semper respondeamus condignis. Armemus nos igitur scuto fidei, & induamus loriceam constantiæ ac patientiæ salutaris, vt præparati aduersus omnia quæ nobis accidere possunt, per humilitatem & feruorem sancti spiritus adiuuante domino nostro Iesu Christo vincamus. In omnibus his patientia nobis multum est necessaria, sine cuius adminiculo nulla vnquam fuit vel esse potuit in operibus bonis & sanctis perseverantia. Neque enim via sanctis ad cælum fuit alia quam patientia, neque sanctificari vnquam potuit, qui patientiã abiecit. Enimvero quotquot omnipotenti deo placuerunt ab exordio mundi vsque in hanc nostram ætatem, nõ aliter quam per patientiã contra mundi principem triumpharunt. Vnde illud psalmistæ omnes dicere quam rectissime potuerunt: Propter te mortificamur tota die, estimati sumus sicut oves occisionis. Sanctissimus quoque apostolus Christi Paulus veterum, commemorans patientiam sanctorum, inter cetera dicit: Circumierunt in meloris in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis & in cauernis terre. Omnes enim qui volunt pie viuere in Christo, perfectionem patientur, quoniam sicut ait propheta, multe sunt tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos dominus. Necessaria est igitur cunctis mortalibus patientia, & maxime decet claustrales, quoniam sicuti nunquam desunt iustis in hoc mundo contraria, ita nemo iustificabitur sine patientia. Sunt autem gradus patientiæ principales, quemadmodum veterum distinxit industria, tres. Primus quidem ac infirmus illorum est hominum qui aduersa neque inquirunt neque libenter sufferunt, sed cum acciderint, grauantur animo, & deiciuntur mœrore, conqueruntur etiam quandoque & murmurant contra inferentes ad horam, sed postquam inflammata transierit con-

citatio mentis, ad se redeunt, & irrogatam sine vindicta contumeliam patienter tolerare videntur. Horum tamen non magnæ virtutis patientia semper vitio inquietæ mentis est proxima, & propterea sepe nullius, interdum vero minoris meriti estimanda. Et quanuis hi tales nostris temporibus virtute patientiæ dicantur insignes, comparati tamen veteribus sanctis, hoc venerabile nomen Christianæ longanimitatis & tolerantiae non merentur. Non enim patientia videtur esse vera, quæ amaritudine & indignatione mentis concitate fuerit obfuscata. Secundus patientiæ gradus illorum esse hominum dicitur, qui licet mala perpeti non queant, attamen cum venerint, vltro benigne suscipiunt, & quasi donum à deo missum patientissime amplectantur. Et hi tales veraciter dicendi sunt patientes, qui diuino succensu amore, quicquid aduersi prouenerit, æquanimiter tolerant, & eandem quam prius habebant in prosperis animi tranquillitatem, etiam in tribulatione conseruant. Horum ex numero fuisse sanctissimum illum Iob Idumæum non dubitauerim, qui non solum aduersitate percussus extrema patienter omnia tulit, sed etiam in voragine malorum positus gratias agens domino benedixit. Dominus inquit dedit, domino abstulit: sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. Hunc patientiæ gradum omnes custodire conuenit Christianos, & præ ceteris maxime claustrales. Dicit enim vir sapiens. Doctrina viri per patientiam dignoscitur. Nam quanto vnusquisque in lege domini & cognitione institutionis nature rationalis doctior fuerit, tanto in aduersis patientior erit. Quid si audentius loquar veritatis amator, quoniam plus nobis profunt aduersa quam prospera, si docti sumus, & propriæ conditionis non obliuiofi pensulatores? Tertius vero patientiæ gradus reliquorum certe & supremus & perfectissimus illis merito conceditur, qui contraria non solum cum opus fuerit, pro dei amore & vtilitate fratrum æquanimiter tolerant, sed etiam feruentiore spiritu charitatis inflammati vltro se ingerentes ad contumelias & iniuras suscipiendas alacriter festinant. Et hoc genus patientiæ bipartita diuiditur, sicuti duplex ratio martyrij sanctorum inuenitur. Nam quidam cum latere potuissent in persecutione credentium, ardente in eis charitate Christi, nemine compellente, sed spontanea se voluntate tribunalibus persecquentium, ingesserunt, & Iesum publice confitentes redemptorem mundi, illata sibi tormenta cum gaudio susceperunt. Alii vero quanuis se vltro nõ ingesserint, martyrium tamen gaudenter susceperunt oblatum, parati

parati semper sustinere pro fide Christi, quicquid crudelitas tyrannorum inferre potuisset. His gradum obtinent lucidissimi confessores merito viciniorem, quos & si crudelitas impiorum persequendo non abstulit, gloriam tamen martyrij nullatenus amiserunt. Enimvero crucifigentes pro Christi nomine carnem suam in hoc mundo, & voluntarium & diuturnum martyrium pertulerunt, qui per abstinentiam & humilitatem gloriosi facti sunt, animo constantes ac patientissimi semper existentes, & ad martyrium corporaliter suscipiendum paratissimi. Quorum vos o monachi pro viribus imitatores esse curate, vt quonia hostes qui corpus interimant pro Christo, iam desunt, concupiscentiis carnis reluctantes, & aduersa patienter pro dei amore sustinentes, vos martyres mente & spiritu exhibeat. Martyrij genus in pace sanctorum est optimum carnem pro dei nomine per abstinentiam affligere, nihil in hoc mundo concupiscere, in operibus bonis semper proficere, & si quid acciderit mali, cum hilaritate mentis grater ac patienter in omnibus tolerare. Ad hanc normam patientiæ fratres charissimi deinceps viuite, si cum Christo in æternum cupitis regnare. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, vt quod sibi fieri quisque desiderat, etiam fratri suo hilariter impendat.

De vera humilitate monachorum,
Homilia decimanona.



Humilitas, summa & præcipua virtus monachorum.

Iaco. 4. Eccli. 10.

Mnium ferme doctorum sententia est fratres charissimi, summam & præcipuam monachorum virtutem non aliam esse quam humilitatem, propterea quod ipsa mater & nutritrix sit omnium virtutum. Humilitas nanque monachum facit, superbia destruit & corrumpit. Hinc dominus per Esaiam dicit: Ad quem respiciam nisi ad pauperulum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, quia initium omnis peccati superbia est, & sine vera humilitate nemo salutem consequi potest. Quod cum ita sit, necessarium mihi fore existimo fratres sine intermissione cohortari vos, vt superbiam fugientes, in omnibus operibus vestris profundam semper custodiatis humilitatem. Nullum quippe opus bonum domino deo placere creditur, quod sine condimento humilitatis præsentatur. Humilitas enim medicina est animarum fidelium saluberrima, quæ omnibus consulit, quoniam tumentia spiritus vlcera com-

primit, tabescentia reficit, deprauata corrigit, excrecentia tollit. O mater & parens omnium virtutum humilitas, tu patientiam confirmas, compunctionem excitas, charitatem illuminas, castitatem ornas, orationem fecundas, ieiunium & abstinentiam commendas. O sancta & vere deo dilecta humilitas, tu per poenitentiam iustificas impium, tu in sanctitatis proposito conseruas iustum, tu amatoribus tuis potenter aperis cælum, tu poenitentibus claudis infernum. O veneranda & nimium deo grata humilitas, tu filium patris æterni de cælis in vterum Mariæ castissimæ atque perpetuæ virginis compulisti descendere, tu illum nobis fecisti visibilem apparere, tu pannis inuolutum vilibus reposuisti in præsepio, vt nos ornaretis perpetuæ foelicitatis decoraret in cælo. Tu dei filium circumcisionem carnis impulisti suscipere, vt mæte circumcisi nos ad promissam hereditatem sanctorum possemus introire. O magnæ potestatis humilitas, quæ regem cæli & terre à facie vnus vilissimi hominum fecisti recedere, & septenni exilio in terra Aegyptiorum habitare. Tu Christum Iesum vnigenitum dei filium, quem corpus humanum pro salute nostra compulisti assumere, amarissimam quoque passionem & mortem fecisti spontanea voluntate subire. Magnum est imperium tuum o veneranda sanctificatis humilitas, quoniam tibi regnum cælorum promittitur, tuis cultoribus beatitudinis sempiternæ munus conceditur, & quisquis tua custodit vestigia, ad angelorum celsitudinem sublimatur, dicente in sancto euangelio Christo: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Te rex cælorum docuit, qui suis imitatoribus dixit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Beatissima quoque genitrix intacta virgo Maria, in suo cantico laudis dulcissimo de domino deo sic loquitur: Deposuit potentes de sedibus, & exaltauit humiles. Et propheta dicit in psalmo: Respexit dominus in orationes humilium, & nõ spreuit preces eorum. Oratio nanque humiliantis se nubes penetrat, & donec propinquet nõ consolabitur, & non discedet donec altissimum aspiciat. Monachum in conscientia sua purum humilitas deo facit gratissimum, & quanto se pro dei honore amplius humiliando deiecerit, tanto gloriosior in regno apparebit. Monachus qui veraciter se humiliat, filius altissimi per gratiæ participationem efficitur, & cum rege cælorum Iesu Christo in æternum letabitur. Qui vere Christum imitari desiderat, humilitatem quoque veram assumat, qua circumamictus & munitus quasi lorica fortitudinis

Patientiæ gradus tres.

Iob. 1.

Proph. 1.

Mat. 2.

Lu. 18.

Mat. 23.

Lu. 1.

Psal. 101.

Eccli. 34.

Vera hu-
militas
nō quid
adfit, sed
quid de-
sit sibi,
cōfide-
rat.

Vera hu-
militas
cū faciat
maxima
de se fen-
tit mini-
ma.

Ecclesi. 3.

Ecclesi. 6.

Humili-
tatis ma-
xima cō-
mēdatio

magna faciat, & de se non nisi humilia senti-
ens, vanæ gloriæ maculam non incurrat. Hæc
enim vera monachorum perfectio est, pro-
priam semper imperfectionem humiliter re-
cognoscere, & potius quid ei desit boni, quàm
quid habeat, sedulo cogitare. Vera nanque hu-
militas in anteriora per desiderium charita-
tis semper extenditur, & præteritorum tanta
memoratrix, ne pdat habita metuit, & cupiēs
nondum habita per studium deuotionis ac-
quirere, in sanctitatis feruore non tepescit. In
quantis adhuc deficiat, studiosissimè conside-
rat, & in quibus profecerit nō pensat. Enimue-
ro quisquis se iam esse aliquid existimat, adhuc
longius à vera humilitate distat, quoniam ve-
ra humilitas magna facit, & de se sentit mini-
ma, & quanto amplius profecerit, tanto infir-
mitatē suam profundius recognoscit. Sic ete-
nim scriptura præcipit dicēs. Quanto maior
es, humilia te in omnibus, & coram deo inue-
nies gratiam. Iterumque dicit: Humilia valde
spiritum tuum, quoniam vindicta carnis im-
pij ignis & vermis. Humilitatem igitur fratres
mei assumite veram, non illam quæ foris in ge-
stu & voce coram hominibus à simulatoribus
quandoque ostenditur, sed Christianam, quæ
puro cordis affectu possidetur. Aliud est enim
virtutem habere humilitatis, & aliud imagi-
nem similitudinis. Vera humilitas ad omnes
iniurias & contumelias tranquillo corde sem-
per est patiens, ad præcepta quoque non solū
maiorum sed etiam æqualium est sine disce-
ptatione obediens, in aduersis seruat constan-
tiam, in corporis necessitate moderantiam, in
moribus continentiam, in conuictu honesta-
tem. Hilaris est nō dissoluta, grauis est nō me-
lancholica, larga in miserationibus non pro-
diga, in firmis compatiens non remissa. Humi-
litas Christiana sine intermissione in amore
dei compungitur, in spiritu deuotionis feruēs
iugiter lachrymis rigatur, suum principem Ie-
sum Christum videre semper desiderat, cuius
monita sequens in spiritu præ dolore, suspirat.
Dolet enim se peccatorem quicumque humili-
tatem veram complectitur, ingemiscit se non
posse tantum proficere, quantum cupit quis-
quis dei filium imitatur. Nihil excellentius hu-
militate Christiana, nihil præclarior cogni-
tione propria, quæ semper in eminentiori po-
sita nunquam extollitur: & subiecta omnibus,
vniuersis dominatur. Qui enim paruus est in
oculis suis, magnus coram deo efficitur: & qui
se magnum aliquid esse in hoc mundo existi-
mat, coram deo nullius momenti iudicatur.
Nam tanto erit quisque apud internum iu-
dicem preciosior, quanto bene faciens & nun-
quam deficiens fuerit in estimatione sua de-

spectior. Humilitas enim stabile fundamen-
tum est omnium virtutum, quoniam omne
spirituale ædificium, quod in altum Christia-
næ perfectionis erigitur, sola humilitatis petra
sustinetur. Enimvero si vera desit humilitas,
nihil erit aliud virtutum cæterarum congre-
gatio, quàm ruina quædam cōstruētæ sine fun-
damento in sabulo domus. In spiritali siqui-
dem ædificio fundamentum stabile ponit hu-
militas, latitudinem vero ipsius domus ordi-
nat charitas, in altū paries continuatione bo-
norum operum in feruore spiritus erigitur, in
fide domini nostri Iesu Christi, & spe firma
promissionis æternæ protectionis & foelicitatis
tectum in vertice collocatur, & longitudo
in longanimitate patientiæ pulcherrima ordi-
natione disponitur. Vnde fratres mei vos ite-
rum atque iterum moneo contestor & oro,
quatenus ædificium spiritualis exercitationis
in humilitatis imo fundare curetis, quoniam
nullum deo placet opus bonum, quod extra
veram humilitatem fuerit oblatum. Sunt au-
tem multa quæ seruos dei ad veram consueue-
runt humilitatem prouocare. Nā aliquos pro-
pria vilitatis consideratio in semetipsis corā
deo humiliat, quia dum se miseros & infirmos
esse iam sepius experti considerant, omnem
spem suam & confidentiam in deum humiliati
locant. Alij vero multitudinem erga se be-
neficiorum dei pensculantes, iudicium ingra-
titudinis metuūt, & ideo in conspectu dei cū
magno timore ac reuerentia gratitudinis sem-
per humiles incedunt. Et quis nostrum est fra-
tres, cui omnipotentis dei misericordia non mul-
ta etiam singulariter præstiterit beneficia? cui
si volumus esse grati, maxime sumus humiles
oportet. Alij post multitudinem peccatorum
ad poenitentiam diuina pietate conuersi, quā-
ta contra legem omnipotentis mala commi-
serint, ad memoriam sedulo reuocāt, & pro his
in amaritudine spiritus humiliati, suas impietates
cum horrore detestantur. Nos autem in
multis offendimus, vnde necessariū est vt nos
mente & coram semper etiam corpore humili-
lemus, vt superabundet gratia, vbi peccatum
prius abūdauit. Sepius autem diuinæ misera-
tionis, prouidentia quosdam enormiter ad tē-
pus permittit delinquere, vt postea conuersi
ad poenitentiam, in vera discant humilitate
permanere. Melior est poenitēs humilis eo qui
non peccauit superbo, quoniam humilitas poe-
nitentes iustificat, & superbia arrogantes etiā
si aliud nihil male fecerint quàm id solū quod
superbi sunt, in æternum damnat. Alij Chri-
sti Iesu amarā passionem quotidiana medita-
tione in corde suo portantes, tanto se magis
humiliant, quanto se tantis tamque mirificis
ipsum

Ad hu-
militatē
quæ res
prouocat.

Sui ip-
sius co-
gnitio.

Cōside-
ratio be-
neficio-
rum Dei.

Peccato-
rum reuocatio.

Passio-
nis Christi
meditatio.

Io. 14.
Christus
seuā di-
xit, vt eū
sequa-
mur.

Humili-
tatis pas-
sionis
Christi,
summa
humilitas
est nostræ
ocasio.

Aduersa
& mole-
sta mūdi
huius.

Mortis
memo-
ria.

Spiritus
diuini-
inhabita-
tio.

ipsum redemptoris sui debitores nimis insuffi-
cientes beneficiis non ignorant. Humiliauit
semetipsum dei filius homo factus pro nobis,
multisq; saturatus opprobriis, mortem crucis
turpissimā voluntarie subiuit, vt nos de mor-
tis perpetuē iteru liberaret. Quis homo chrif-
tianus, & monachus maxime, non humiliabit
deo valde animam suam, cū tantam creato-
ris & redēptoris sui humilitatem ad memo-
riam reuocauerit? Enimvero quæ Christi hu-
militas ad mansuetudinem nō prouocat, nul-
lę hominum admonitiones in eo proficiunt.
Frustra dicimur monachi, nisi Christum pro
viribus humiliter fuerimus secuti. Propterea
nanque viam se esse dixit in sancto euāgelio,
vt eius humilitatem imitemur: & tanti con-
uersatio magistri, fieret spiritualis forma disci-
puli. Nos itaque fratres quātum possumus to-
tis viribus elaboremus, vt omne quod in no-
bis tumidū superbia reddidit, humilitas medi-
tatione amarissimæ passionis Iesu Christi cō-
cepta, cōplanet, instauret ac reformet. O quā-
tum nos conuenit humiliare animas nostras
amore Iesu Christi fratres mei, cum ipse deus
& creator omnium homo factus in tantam se
pro nobis deiecerit humilitatem. Summa igitur
medicina est ad inducēdam veram seruo
dei humilitatem, si quotidie sepiusque ad me-
moriā reuocauerit amarissimā Christi Iesu
passionem. Multos etiam tribulationes, aduer-
sitates & infirmitates cum paupertate vel ino-
pia fecerunt humiles, qui forsitan in pro-
speris & secundis perissent elati. Et nobis cō-
fidimus, quod sepius dicere solemus, ad sa-
lutem nostram conducere paupertatem, dum
causam humilitatis habemus magnam, ela-
tionis vero & superbiæ materiam nullam
inuenimus. Alii continua exercitatione
virtutū, & memoria mortis, quam breui ne-
cessario sunt passuri, ad magnam humilita-
tem peruenerunt. Quem non etiam super-
bissimum humiliet intenta meditatio mor-
tis? Aut quis tam ferox animo, qui non de-
mittat paulatim tumorem, si diligentius co-
gitauerit in breui se moriturum? Proinde
etiam gratuita dei misericordia debet memo-
riam à se mortis futuræ depellere, quatinus &
humilis permaneat & tristis, vt consistens in
humilitate nō superbiat, & mœror cōtinuus
omnē cordi lasciuia interdicat. Nōnullos
etiam gratuita dei misericordia præuenit, & spi-
ritu sancti cohabitatione humiles facit. Om-
nis qui spiritu dei agitur, superbiam summe
detestatur. Qui seipsum in veritate cognoscit,
sapientissimus est, & non potest ab humilitatis
mansuetudine facere discessum. Omnis autē

superbus & arrogans ignarus est, etiam si ma-
gnus inter mortales & inclitus videatur. Vera
enim sapientia in domicilio requiescit fan-
ctæ humilitatis, & ipsa per patientiæ docu-
mentum clarior ostenditur. Ex cognitione
dei & sui ipsius humilitas nascitur, & hæc ve-
ra sapientia merito nuncupatur. Qui seip-
sum cognouit veraciter, iam non habet yn-
de superbiat, quoniam sciens vilitatem suam,
nihil altum cogitat, sed in mœrore animi po-
situs ad dominū clamat: Quid est homo quod
memores eius, aut filius hominis quia repu-
tas eum? Homo vanitati similis factus est, dies
eius sicut ymbra prætereunt. Quid ergo su-
pbit terra & cinis? Quid tunc cōtra deū spi-
ritus hominis caduci atque mortalis? Humi-
liamini igitur o fratres mei charissimi, sicut
scriptum est, sub potenti manu dei, vt vos ex-
altet in tempore visitationis. Valde nanq; pla-
cet domino deo in seruis suis cum timore ca-
sto humilitas, quippe qui nullam sine ea
virtutem hominis approbat ad salutem. Vn-
de si cupimus solum excelsi scendere regni
cælorum, oportet nos multum esse humi-
les, quia non est aliud iter ad cælum, nisi pro-
fundissimæ humilitatis, per quod & ipse dei fi-
lius & omnes sancti ascenderunt. Omnes au-
tem qui per aliam portam ad regnum intrare
conati sunt, repercusso in limine humilita-
tis, superbię capite, ingredi minime potuerūt.
Non enim capit superbos ianua humilitatis,
& angustum iter mansuetudinis amatores nō
recipit auaritiæ & elationis. Quicumque igitur
venire ad celsitudinem regni cælestis desi-
derat, per gradus humilitatis ascendat, sine quibus
ascendere quisquis incipit, in profundum
perditionis & mortis indubitanter cadit. Hu-
militas enim scala est cæli, duodecim pulchrè
distincta climatibus, de cuius ascensu legis-
tor noster Benedictus dicit in regula: Si hu-
militatis summæ volumus culmen attingere,
& ad exaltationem illam cælestē velociter per-
uenire, illa nobis erigenda est scala, quæ in so-
mnis Iacob apparuit, per quam ei ascendentes
& descendentes angeli demonstrabantur. Nō
aliud sine dubio descensus ille & ascensus à no-
bis intelligitur, nisi exaltatione descendere, &
humilitate ascendere, sicut scriptura nobis
indicat diuina: Omnis qui se exalcat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Scala ve-
ro ipsa erecta, nostra est vita in hoc seculo,
quæ humiliato corde à domino erigitur in cæ-
lum. Latera enim eiusdem scalæ, dicimus no-
strum esse corpus & animam: in quæ late-
ra diuersos gradus humilitatis & disciplinæ
euocatio diuina ascendendos inseruit. Con-

Pro. 11.
Vbi cog-
nitio
Dei &
sui ipsius,
ibi sapi-
entia: vbi
præsentia
ibi humili-
tas.

Psalm. 8.

Psalm. 143.

Ecclesi. 10.

Iob 13.

Gene. 28

Luc. 18.

Humilitas quā necessaria potissimum monacho.

Iob 41.

sequenter vero ipsos duodecim gradus per ordinem pulchra fati distributione enumerat, qui cum vobis sint omnino notissimi, superfluum fuerit in eis recensendis hac vice diutius occupari. Sufficit enim hoc loco meminisse canonis sancti, in cuius verba omnes voluntariē dudum iurastis, vt sciatis vobis humilitatem non minus ad salutem necessariā, quā dei simul & proximi charitatem. Monachi etenim virtus maxima esse humilitas dicitur, & in tantum est suae professioni necessaria, vt sine ea nequeat saluari. Monachus elatus animo, atque superbus, non Christi, sed diaboli mancipium est, & partem cum dei filio non habebit in caelis, sed cum dæmonibus in inferno sine fine cruciabitur. Nam Christus magister & praeceptor humilitatis omnes detestatur superbos, & in sui confortium non admittit nisi humiles, mites, & mansuetos. Diabolus autem caput & inuentor superbiē est, cuius serui atque discipuli sunt omnes qui superbiam eius & elationem sequuntur. Ipse nanque rex superbiorum humilitatem ferre non potest, fugit mites, & in conspectu mansuetorum corde stare non praesumit. In conuentu enim seruatorū dei humiliū Christus habitat, in medio autem superbiorū cōtentiones & iurgia discordantium diabolus cōcitatur. Vbi fuerit humilitas, ibi pax est vera, & summa tranquillitas: vbi autem dominatur superbia, ibi rancor, ira, turbatio & discordia sine intermissione confundunt vniuersa. Caue igitur fratres mei superbiam, quoniam si angelos de celo projecit elatos, pauperes quādo non damnaret claustrales? Dæmones fecit ex angelis, & socios dæmonum proculdubio facit ex monachis. Humilitatem sequamini omni tempore totis viribus, & quantum potestis fugite omnem superbiam & ostentationē, quoniam nisi humiliaueritis valde animas vestras, non intrabitis in regnum caelorum. In simplicitate cordis vestri coram domino Iesu semper ambulate, puram in omnibus conscientiam habentes, ne humilitas vestra fiat beftialis, quia nihil confert ad salutem peccatorē se publicē recognoscere, & in malo pfeuerādo culpā non emendare. Verus etenim Christi seruus humilitatem suam bonis operibus sanctificat, & omnem vitæ reatum transactæ per continuam poenitentiam emendat. Ad memoriam quotidie reuocat malum quod se commisisse meminit, & se offendisse dominū grauius ingemiscit. Cautè multum ambulat, & ita cōmissa deplāgit præterita, vt nequaquā committat amplius plangenda. Monachus qui veraciter est humilis, dominum Iesum in


pura conscientia sequitur, & nihil in hoc mundo timet amplius, quā praeceptorem offendere quem imitatur. Quicquid agit, & quocunque inceserit, praesentem dominum Iesum semper cogitat, & quemadmodum illi cōplaceat soli, continua meditatione explorat. Hæc etenim vera & Christiana humilitas, & humilis est christianitas, peccatum in vera cōpunctione diluere, & conscientiam in omni puritate non solum metu poenarum, sed Christi potius amore omni tempore conseruare. Vera monachorum humilitas quicquid potest boni pro dei honore operatur continue, & nihil operaturam se cogitat quod nouit Christo displicere. Vera monachorum humilitas nihil eorum quæ deus mandauit negligit, & quæ prohibuit ille, semper vt mortifera fugit. Monachus poenitens in compunctione lachrymarum humilis, & domino seruans in feruore charitatis, sanctorum est socius angelorum, cælique amicus ciuibus, & dæmonibus multū formidabilis. Nihil enim plus metuunt & fugiunt dæmones, quā humilitatem seruatorum Iesu Christi, quia cum sint ipsi vitiosa volūtatē sua superbissimi, humilium deuotione vehementissime cruciatur. Nā vbi vera est humilitas, dæmones subsistere nequeunt, quoniam sicut glacies ab igne resoluitur, ita maligni spiritus a presentia humilium monachi dissipantur. O veneranda mater & conseruatrice omnium virtutum humilitas, tuum est regnum, tua potentia: tu regnū confers humilibus, tu gloriam felicitatis æternæ tribuis mansuetis, sine tuo ducatu nemo venit ad caelum: qui te sequitur, nō timet infernū. Qui sine te virtutum opera congregat, quasi qui in puluere in ventū portat. Tu condimentum bonorum operum es omnium, quoniam sicut cibus in ore comedentis absque sale non est sapidus, ita sine tuo comitatu, dei nullus constituitur amicus. Humilitas filium dei hominem fecit, humilitas seruum Christi sancto angelo comparabit. Angelus per superbiam arbitrio proprio factus est diabolus, & homo christianus per humilitatem fit angelus. Humilitas mansuetis te seruis aperit caelum, & superbia homines elatos demergit ad infernum. Humilitas dei facit amicos: & superbia, dæmonum efficit socios. Humilitas mentem ad veram sapientiam illuminat, & superbia intellectum illius quem possederit, obæcat. Humilitas purgat a cunctis inordinatis affectionibus hominem quem possidet, & superbia suum cultorem omnibus sceleribus & spurciis adimplet. Humilitas amatorem suum dei seruum efficit, superbia

Humilitatis parit gloria cum superbia

bia vero diaboli mancipium facit. Humilitas sapientem facit in lege domini, superbia autem stultum reddit hominem a cognitione altissimi. Humilitas introducit pauperem ad confortium dei, & superbia diuitem membrū facit diaboli. Humilitas mater & nutrix virtutum est omnium, & superbia cunctorū est scaturigo vitiorum. Humilitas multitudinē peccatorum mediāte charitate operit: superbia vero sola omnium plenitudinem vitiorum introducit. Humilitas bona monachorum opera deo facit esse gratissima, superbia autem creatori elatorum studia reddit ociosa. Humilitas quicquid postulauerit a domino suscipit, superbiorum vero precibus deus omnipotens resistit. Humilitas in miserationibus domini piam semper habet cū hilaritate mētis fiduciam, superbia autem cum desperationis aculeo generat in homine perturbationem. Humilitas in Christi amore semper habet gaudium spiritus, superbiam vero perniciosus semper occupat metus. Humilitas bonorum operum fotrix nihil spiritaliū exercitiorum negligit, superbia autem omnia salutis studia contemnit. Humilitas peccatores iustificat, superbia vero suos sectatores damnat. Humilitas deo facit proximum, superbia autem a gratia dei efficit alienum. Humilitas mandatis dei placida voluntate studiosa obsequitur, superbia præceptis altissimi reluctatur. Humilitas merita sempiternæ felicitatis accumulāt, superbia autē sibi grauissima inferni tormēta parat. Humilitas securitatem præstat in mortis articulo, superbia vero horribilem metum & calamitatem affert mortituro. Humilitas animam sui cultoris in tremendo dei iudicio ab omni angustia liberat, superbia autē omnes elatos quos decepit in mundo, coram iudice accusat. Humilitas dei seruos iudicis locabit ad dexterā, superbia vero damnandos constituet ad sinistram. Humilitas causam aget pro suis & obtinebit in iudicio, superbia autem nimium cōsufa tradet elatos diabolo. Humilitas præmiū æternæ felicitatis suis rependet amicis, superbia vero tormenta perpetuæ damnationis omnibus dabit elatis. Humilitas in caelo sine fine coronabitur, superbia autem apud inferos inestimabilem cruciatum cum dæmonibus perpetuo patietur. Humilitas coronata cum Christo regnabit in caelis, & superbia contempta cū diabolo cruciabitur in poenis. Humilitas læta & gloriosa in æternū sedebit ad dexteram dei, superbia autem tristis & ignominiosa sine fine iacebit in tormentis inferni. Tunc humiles exultabunt in gloria, & superbi omnes præ nimio dolore perpetuis tem-

poribus clamabunt in poena. Ibi stabunt humiles in conspectu dei & sanctorum omnium in læticia magna, & exultatione sempiterna, recipientes pro voluntaria huius vitæ inopia diuitias immarcescibiles, pro mansuetudine regnum, pro tristitia gaudium, pro dei amore imperium, pro contemptu mundi & carnis maceratione spontanea caelum. Videntes autem superbi & arrogantes in inferno cōstituti tantam gloriam humilium, quos in mundo despexerunt, mirabuntur in tam subita mutatione sanctorum, turbabunturque timore horribili præ nimia spiritus angustia gementes & dicentes in furore superbiæ: Hi sunt monachi pauperes & humiles quondam vili bus induti, sequestrati ab hominibus, ab esu carniū & omni spurcicia carnis abstinētes, quos habuimus aliquando in derisum & similitudinem improperij. nos infensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorū sine honore. Ecce quomodo inter filios dei computati sunt, & inter sanctos fors illorum est. Ergo errauimus a via veritatis, & iustitiæ nobis lumen non illuxit: & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quid nobis iam prodest superbia, qua tunc inflati coram tempusimus humiles? & quid nobis confert habitata in seculo diuitiarum iactantia? Præterierunt omnia, & nos pro cōtūmācia inter dæmones computati sumus, quoniam humilitatem odio semper habuimus, ac sine fine patimur inestimabiles cruciatus. Humiles autē in perpetuum viuent, & apud dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum. Hæc fratres mei semper præcogitate, quoniam indubitanter ita futura sunt: veramque propterea mentis humilitatem assumite, peccatum omnē fugite, cōscientiam puram conseruate, quatinus æternæ præmia vitæ mereamini obtinere. Amen.

De monachorum obedientia vera.
Homilia XX.



Humilitas monachorum si vera & perfecta fuerit, omnē plenitudinē sanctorum virtutū parit. Quod si virtutū splendore caruerit, vera in mente humilitas nunquā fuit. In primis

Humilitas obedientiæ mater.

et tenim veram parit obedientiam, & profundam in cunctis pro dei amore subiectionem. Monachus enim qui verē humilis peregrinatur in carne, saluatoris nostri Iesu Christi studiosum se in oibus præbet discipulū, pro cuius amore omni vilitate & extremitate cōtentus, abbati suo in cunctis obediens se gloria-

FF ij

tur subiectum. Magna virtus est humilis pro Christi amore obedientia, quæ monacho cælum aperit: & infernum sua fortitudine claudit. Obedientia viam paradisi reparat: & pacem inter deum & hominem reformat. Hæc autem est obedientia monachi vera: quæ non seruili metu sed internæ charitatis affectu mandatis superiorum impeditur: quæ non timore poenæ, sed amore iustitiæ usque ad mortem perseverans, in hilaritate mentis bonum operatur. Duæ sunt alæ mentis pulcherrimæ, quibus à terra monachus in cælum auolat: quarum altera humilitas dicitur: altera subiectionis obedientia nominatur. Monachus qui his alis ornatus non fuerit, & nomen & meritum suæ dignitatis penitus amisit. Nec monachus est dicendus, sed mendax & fallacissimus apostata, quisquis in cœnobio uiuit & conuersatur sine humilis subiectionis obedientia. Monachus enim sine obedientia est monstrum diaboli, & qui præceptis maiorum reluctatur, poenas hereditabit inferni. Vitam æternæ felicitatis inobediencia primi hominis ab initio perdidit, quam obedientia Iesu christi reparauit. Ipse namque factus est pro nobis patri obediens usque ad mortem, & sua passione innocentissima nobis amisam restituit felicitatē. Unde iter ad salutem est humilis obedientia, sancto legislatore nostro Benedicto clamante in regula. Ausculta o fili præcepta magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter accipe & efficaciter comple, ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedienciæ desidiam recessisti. Obedientia est arbor æternæ salutis, quæ crescit in orto monasticæ humilitatis. Obedientia est spiritus sancti domicilium, & quietum voluntatis propriæ sepulchrum. Obedientia est supernæ felicitatis meritum, & vnicum monasticæ disciplinæ documentum. Obedientia est elationis & superbiæ omnis exterminium, & cunctorum persecutrix vitiorum. Obedientia omnem vincit malitiam, & cunctam extinguit carnis inordinatam voluptatem. Obedientia puram & mundam facit conscientiam, & veram in mente conseruat humilitatem. Obedientia est animæ vulneratæ remedium, & totius obseruantie monasticæ fundamentum. Obedientia est omnium bonorum operum fidelis custodia, & synceræ mentis disciplina. Obedientia est mortificationis principium, & gloriosum monachi ornatum. Obedientia est conseruatricis pacis & concordie, sine qua vigor perit monasticæ disciplinæ. Obedientia mentis aciem ad deum semper dirigit, & qui vere mortificatus est animo, cuncta huius mundi solatia contemnit. Obe-

Humilitas & obedientia alæ duæ, quibus itur i cælum.

Phil. 2.

Obedientia præcolum.

dientia monachum facit deo proximum, & à cunctis animæ fordibus procul alienum. Obedientia est animæ decor, & indumentum pulchritudinis, sine qua nemo ad regnū perueniet æternæ claritatis. Obedientia est mater victoriæ, & qui nouit pro dei honore subesse humiliter, martyrij coronā in cælis consequetur. Obedientia monachū discernit à seculo, & qui eā sequitur in toto corde suo, magnus erit coram altissimo. Obedientia est christianæ perfectionis cōsummatio, in cuius humili ergasterio quāto monachus amplius profecerit, tāto sanctior euadit. Obedientia est certa in hora mortis securitas, quoniā tanto monachus hinc migraturus euolabit securior, quāto fuit ad obedientiam mandatorū paratior. Obedientia est remuneratrix humilitatis, & præcipuum insigne meritum. Obedientia est norma christianæ mansuetudinis, & fortissimum internæ nutrimentum charitatis. Obedientia est castitatis umbraculū, & innocentie puritatis ornamentum. Obedientia est monachorum sapientia, & acquiescere mandatis prælatorum summa claustraliū philosophia. Obedientia & humilitas monachorū sunt opes atque diuitiæ: & memoriam dominicæ passionis in mente iugiter possidere, super oēs mundi epulas dulcedo est maxima. Obedientia monachum facit & humilitas: qui autem rebellis est & superbus, habitum sine causa portat monasticum. Obedientia est in mente uiua membrorum voluntaria mortificatio, cuius tantum est dignitatis meritum, ut homo nihil habeat maius quod sit in dei honorem offerendum. Offerat vnusquisque pro dei amore quod potest, ille proculdubio plus omnibus obtulit, qui voluntatem propriam propter deum per obedientiam maclauit. Magnam quidem est bonū facultates suas propter Christi amorē in vsu pauperum distribuere, & inopiam egētiū elemosynis releuare. Verū quāto parti præponderat torum, quāto necessitate nobilius est liberum voluntatis arbitriū, quantum à terra distat cælum, tanto magis ille obtulit, qui semetipsum pro dei amore spontanea voluntate perpetuo abnegauit. Quicquid enim substantiæ temporalis obtuleris deo, non tuū sed alienum est, & minoris quā proprium tā estimatiōis quā mercedis. Vnum habes proprium, quod super omnia deo placet oblatū. Quid hoc nisi voluntas libera, quam omnipotēs creator in tua potestate collocauit? Voluntas autem bona cunctis est maior diuitiis, qua nihil deo offertur ditius, nihil consecratur acceptius. Hoc deo munus preciosissimū fratres mei semel obtulistis, quando vosmetipsos & omnia mundana pro eius honore abnegantes, monasticum

Obedientia nihil maius accepit potestati dei.

Obedientia armatura est monachi. Ecclesi. 8. Proou. 22.

monasticum habitum induistis. Mementote verborum precor sanctæ professionis vestræ, & nunquam recedat à memoria solennis illa promissio quam vnusquisque vestrum in conspectu dei corā nobis emisit dicens: Ego frater Ioannes promitto stabilitatem, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti coram deo & sanctis eius, in hoc monasterio quod constructum est in honore beati Martini, in presentia domini Ioannis abbatis. Ecce vinculum quo nos ad obedientiam voluntariē astrinximus, ecce militiā, quam professi sumus. Hęc enim sunt vota quæ distinxerunt labia nostra, hæc sunt quæ obtulimus deo piæ deuotionis sacrificia. Certè fratres mei magna sunt quæ promissimus, & maior incumbit nobis necessitas custodire quod professi sumus. Nisi enim fideliter seruauerimus omnia quæ nobis regula diui patris nostri Benedicti præcipit, omnipotētis dei iustitia nos ut periuros & impios transgressores grauitur iudicabit. Valde nāque periculosum est promissum deo non reddere, & per obliuionem sanctę institutionis propositum violare. Propterea satisfactorius regularis curę officio vos ad obseruantiam regulæ disciplinæ quotidie soleo admonere, nec deinceps vnquā deerit vobis: necessarius sermo salutis, quādiu spiritus meus perseverauerit in hoc ergasterio carnis. Vos autem curate precor ne sitis instructuosi auditores, quoniam res pro anima geritur, quæ semel perita nunquam recuperatur. Quicumque igitur vestrum ad intellectuāliū studium certaminis currendum conuenistis in monasterio, quicumque pro Christi amore proprię voluntati semel renunciaistis & seculo, pro galea salutis assumite sanctam obedientiam, & certam de hoste reportabitis victoriam. Obedientia enim armatura est monachorum fortissima, cui nulla poterunt nocere aduersa. Dicit namque scriptura: Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. In prouerbis quoque sic dicitur: Vir obediens loquetur victorias. Obedientia monachum in cunctis tentationibus reddit inuincibilem, & qui sequitur in omnibus senioris sui consiliū, nunquam sentiet animæ salutis detrimentum. Obedientia enim est via breuis & aspera, per quam cito ad perfectionis culmen ascenditur. Monachus autem qui verus est miles Christi, suo nunquam confidit iudicio, sed in omnibus directionem sui sequitur & obseruat pastorem. Enimvero qui verus est Christi amator, qui monachus omnino cupit esse fidelis, abbatem suum tanquam dei vicarium di-

ligit, eiusque mandatis consiliis & ordinationibus in cunctis semper obediens, hilariter acquiescit. Quod facere monachus confidenter ut possit, non puer, non indoctus, non carnalis, non indigens discretionē, nec animo leuis, vel inexpertus spiritualium certaminum, in abbatem ordinandus, sed vir moribus cænis, in diuinis scripturis eruditus, spiritu ambulans in vera conuersatione sanctitatis, pius, mansuetus, mente tranquillus atque discretus, qui & improbis iudicium, & beneuolis nouerit exhibere miserationem. Quotiens enim homo inquietus, turbulentus, indiscretus & imperitus, abbas monachorum præficitur, mox regularis disciplinæ integritas naufragatur. Necessè est subiectionem perire simul & humilitatis obedientiam, quando subditi confidentiam nequeunt habere firmiter ad pastorem. Nam si abbas irrisor est fratrum suorum, vel importunus contemptor infirmorum, quis aperiet illi cordis sui quodcunque arcanum? Maxima igitur sollicitudine in principio vigilandum fuerit ut pastor destitutus ouibus talis ordinetur prælatus, qui nihil aliud quærat quā dei honorē, & animarum salutem. Monachus qui talem fuerit affectus pastorem, gratias agat deo, quoniam his nostris temporibus rarus occurrit qui se dignum & idoneū in omnibus nouerit exhibere prælatū. Amānus est merito à subditis omnibus, & ut Christi vicarius in monasterio continua veneratione honorandus. Aperiantur ei secure cogitationes omnium, quoniam nihil quærat aliud quā profectū singulorum. Si medicus ægrotantium corporū oportet esse prudentem, expertum, & summa discretionē præditum, quāto magis abbatem decet esse virum optimum, qui medicus est animarū? Felices monachi, quibus vtilem & idoneū pastorem dei, miseratio contulit, si tamen ut hoc ipsum intelligat, etiā non negauit. Alioquin malarū ouium pastor bonus in sua rectitudine non agnoscitur, sed prauorum ingratitude cum domino potius cruciatur. Frequenter enim cæca sunt iudicia monachorum, quotiens de prælati sententia queritur: & qui moribus corrumpunt integritatem ordinis, raro de pastoribus verum & rectum iudicant. Propter ingratitude subditorum rectores plerumque mutantur in deterius, & monachi qui bonū & vtile pastorem in vita præsentē despiciunt, successorē stultū & inutile iusto dei iudicio susceperunt. Qui in simplicitate subditi sunt, recte ambulant: & qui Christū veraciter imitantur, non discernunt præsidētē. Habemus enim quem sequamur pastorem fidelium animarum dominum nostrum Iesum Christum.

Quis de signari debeat abbas.

Felices monachi, boni nati abbatē.

Mat. 23. **stū**, in quem animo fideliter prospicientes pastorem visibilē temere non discernemus. Supra cathedram Moysi, inquit, sederunt scribæ & pharisei: quæ vobis dicunt, facite: quæ autē faciunt, nolite imitari. Audi hæc o monache, & qui propriæ salutis amator es studiosus, formam obedientiæ quā sequaris considera. Abbas, Christi vicarium gerit in monasterio, qui siue bonus sit siue malus, obedientiam nō suo merito sed Christi nomine meretur omnium subditorū. Neque enim de solis apostolis intelligimus dictum, Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit, sed de quolibet in dei ecclesia prælato, qui custos & rector constitutus est animarum. Ergo si abbatem habes bonum, idoneum, & sanctum, audi vocē eius tanquam mandatum dei vicem gerentis, & quicquid tibi præceperit, esto obediens in omnibus. Sic autem tibi doctrina eius norma viuendi, & conuersatio sancta purioris institutionis exemplum. Amicus enim dei est, & Iesu Christi vicarius. altero meretur vt diligas, altero vero vt in omnibus præcipienti obedias. Quod si pastorem affectus rudem, imperitū vel certē minus idoneum, caueto precor ne actiones eius temere velis discutere, sed cogita potius quod peccata tua merentur pastore inutilem habere. Considera eum non quod est, sed quod dicitur, & honora pastorem propter illius amorem & reuerentiam, cuius vicariatu insignitur. Obedientiam quam deo promisisti, eius vicario pure & simpliciter exhibendam omni tempore memineris, quoniam si abbas in sua conuersatione malus fuerit, vicarium tamen Christi, nisi iure deponatur, non amittit. Nec te absoluit à promissa religionis obedientia pastoris tui reprobata. Metuenda est vilitas prouerbij nostri sententia: Monachi reprobi non merentur abbatem habere bonum. Non de vobis hoc paradigma vibratum existimetis fratres charissimi, neque enim pastorem me malum confido, quamuis rudem & imperitum negare nō possum: sed neque mali de vobis suspicionem admisimus vnquam, quippe qui nihil magis querimus, quā fraternam in omnibus nutrire & ampliare charitatem. Frequenter veniunt ad nos monachi vel cum ratione vel sine causa peregrinantes, qui materiam instabilitatis suæ vt plurimum retorquent in abates. Ego autem, qui vos ad omnia, quæ sancta & vtilia, cupio esse instructos, charitates vestras paternē exhortor & moneo, vt his circuncellionibus aures decætero non porrigatis, qui moribus pastorum suorum detrahunt, & propria scelera delationibus alie-

Peccata plebis inutilem pastorem merentur.

In instabileis monachos.

nis abscondere contendunt. Non est hæc monastice institutionis necessaria integritas, causam rebellionis & inobedienciæ subditorum in caput retorquere pastoris. Qui verus est monachus, aliena temere non iudicat: & qui humilis obedienciæ filius est, causas rebellionis non explorat. Qui autem passionibus carnis indulget consensum, nunquam potest quiescere: & qui vitam scrutatur alienam, contemptor salutis est propriæ. Monachus in dei amore fundatus non diiudicat mandatum senioris, & qui Christum semper intuetur præsentem, suum, vt angelum dei, veneratur pastorem. Audacia monachum degenerat, & præsumptio multos in carcerem præcipitavit. Monachus petulans lasciuus & proteruus, sanctitatis amisit propositū: & nisi reuocetur ad mentem dura castigatione carnis, pedem iam posuit ad infernum. Qui mandatum senioris curiosa temeritate discernit, non est obediens: & qui contristatur ad imperium, non est verus Christi discipulus. Vera namque obedientia non murmurat, non hesitat, non tritatur, nō querit diuerticulum, non tardat, non excusat, nec ostendit minimum irresignationis signum. Ad mandatum senioris pro Christi amore semper exultat, occurrit læta, & cum festinatione obedit hilariter. Quid enim aliud est monachus, quā certator assiduus, qui virtutibus armatus humilitatis & obedienciæ, semper in stadio certaminis vigilat, & sub triplici acie victor contra semetipsum fortius pugnat? Beatus ille monachus, qui vim sibi ipsi faciens, voluntatem carnis superare didicit, & per continuum spiritualis militiæ usum, montem veræ obedienciæ arduum conscendit. Vere monachus ille beatus, qui contemptis omnibus mundi solaciis, se totum in amore Iesu Christi reposuit, & nihil iam visibillum amplius concupiscit. Non est monachorum, diuitias honores & voluptates in hoc mundo querere, nec decet militem Christi aliud quā Christum cogitare. O monachum ter quaterque felicem, qui voluntatem pro Christi amore propriam vsque ad vltimum vite mortificat, & in vera obedientia humilis perseverat. Quantum sit bonum coram deo humilis obedientia, fratres mei nemo sufficienter potest edicere, quam cunctis victimis diuina protestatio voluit præferre. Obedientia est, quæ animam deo reconciliat, & præter effusionem sanguinis martyres coronat. Monachus enim qui se propter deum spontanea voluntate ad perpetuam religionis obedientiam obligat, si iuxta votum recte viuit, prolixū certe martyrium portat. Obedientia igitur est sine

1. R. 11

Monachus, diuinus martyr.

fine sanguinis effusione martyriū, & subiicere se homini propter deum voluntariē, carnis ingens est tormentum. Anima quæ humilitatem & obedientiam veraciter diligit, ad coronam martyrii sine dubio pertingit. Arduū est opus & nimis laboriosum certamen, liberum hominem semetipsum despiciere, & se totū & voluntatem suam omnem sub imperio & potestate alterius perpetuo resignare. Intueamur autem fidelibus oculis huius mercedem certaminis, & reputabimus omnia dura & aspera huius vite quasi ludum esse quandam puerilem, qui iam ad horam cernitur, & nusquam postea comparebit. Nam vt Christi amator dicit apostolus, non sunt condignæ passionibus huius temporis ad superuenturam gloriā quæ reuelabitur in nobis. Coronam, quam sanctis martyrium pro Christo quondā contulit, hodie veris Christi amatoribus humilis obediencia præparabit. Monachus enim pro Christo vere humilis & obediens, sine pauore securus moritur; vt pote qui sub imperio senioris sui fideliter militans ab omni rationis exactione liberatur. Nam qui ad nutum pastoris sui viuens, in omnibus mandatis dei recte graditur, nihil potest committere quod ad iudicem deferatur. Abbatis enim testimonio defenditur, ad cuius directionem sine querela recte conuersatur. Considerate fratres legem obedienciæ, secundum quam viuere promisistis, & scitote quoniam necessariam fecistis quod voluntarium fuerat, quando in sententiam monastice traditionis solenniter cōsensistis. Non licet vobis iā à sancto proposito recedere, nec potestis votum semel emissum reuocare. Si feceritis omnia secundum sanctum euangelium Christi, & normam Benedicti patris, quæ voluistis, non sit vobis hæsitacionis dubium, beati eritis, & mercedem sanctis debitam à domino recipietis. Si autem promissionum vestrarum immemores, votum sanctæ puritatis deo factum violaueritis, si conuersatione spirituali contempta secundum carnem vixeritis, iam nunc denuncio vobis ex lege vestra, quoniam certissimē condemnandi estis à domino nostro Iesu Christo iudice omnium, quem irridendo contempistis. Multo enim melius est nihil promittere, quā votum violare. Salutis igitur vestræ conditio in hoc vno ponitur, vt quemadmodum semel promisistis deo, secundū regulā sancti Benedicti vsque ad mortem in omni puritate mentis & corporis conuersando perseveretis. Homo enim Christianus, qui non vouit cōuersionem monasticā, saluari potest recte viuendo secundum euangelium, qui autem semel factus est monachus, nō

kom. 8.

Masculina & digna virorū admodum.

saluabitur nisi omnia seruauerit vsq; ad mortem quæ ad monasticum requiruntur institutum. Ausculta igitur o monache verbum breue, solidum ac verum. Monachus es, si monachum vixeris, saluus eris. Sin vero aliter vixeris, non saluaberis, sed portionē tuam recipies inter spiritus apostatas, quoniam deum, cui mentitus es, irridens contempisti. Reuoca nūc igitur te metipsum ad te, conscientiam tuam de omni vita tua diligenter examina, quomodo impleueris eatenus vota tua, quæ promisisti, examusim pensa. Veruntamen sit tibi suspecta propriæ examinationis sententiā, nisi te confirmet etiam iudicia aliena. Horam semper cogita illam, in qua monasterium conuersionis causa primum ingressus es, vt quoties à feruore sanctitatis torpentē offenderis animū, ad pristinū nouitatus renouare queas institutū. Cito poteris fieri monachus bonus, si obediencia & humilitatem in omnibus semper vbi que custodieris. Obedientia monachi vera multas in eo virtutes congregat, humilitas autem ne defuant congregatas seruat. Omni tempore paratus esto mandatis obedire pastoris, & quantumcunque in agone certaminis sancti profeceris, non extollas animam tuam in aliquam profectus estimationem. Quid enim sunt iustitiæ nostræ coram domino? aut quid boni facere possumus quod ille non dederit? Quoniam deus qui est omnia in omnibus, sibi sufficiens & solus perfectus, bonorum nostrorū non eget, quippe qui est summum & incommutabile bonum, in cuius comparatione minus sunt quā nihilum omnes iustificationes nostræ. Monachus igitur sub abbate constitutus in humilitate veraciter obediens, secure graditur, & si perseverauerit vsq; in finē pugnant & vincens, gloriose remunerabitur. Vere delectat me fratres humilitas obedienciæ vestræ, quæ omnipotenti domino vt fideles exhibetis, nec me vobis in hac parte prælatum intueor, sed focium, & omnium vestram humilem quamuis inutilem ministrum. In his ergo, quæ vestram concernunt salutem, non meam præcor loquentem respiciatis personam, sed omnium potius dominum communem, pro cuius amore me indignum hominem vobis præfecistis abbatem. Ego enim vobis bene currentibus non ero molestus. si quis autē declinauerit à via veritatis, compellor obuiare pro vribus etiam inuitis. Semper cogiter monachus introitum suum ad coenobium, & nunquam obliuiscatur primum institutionis suæ propositū. In omnibus quoque operibus tuis o monache semper cogita, quoniam non es diuturnus super terram, sed in breui ab hac

FF fiiij

vita migraturus es, & quādo forsitan non existimas, moriturus. Custodi ergo inuolatum sanctitatis propositum, & semper est vigilans in operibus bonis, vt cum venerit dominus & te vocauerit, inueniat præparatum. Memento quoniam peregrinus es in terra, nec habes hic manentem ciuitatem, sed quemadmodum viator festinanter ad itineris terminum properat, ita mors ad te quotidie sine intermissione appropinquat. Dum ergo sanus es, dispone domum conscientiae tuae, vt mortem nō timeas, quoniam raro bene moritur, qui nō vt quotidie moriturus præparatur. O quam secure de hac vita monachus egreditur, qui conscientiam in omni puritate custodiens mundā, ad integritatem regulæ sanctissimi legislatoris nostri vsque ad mortem sine reprehensione omni tempore conuersatur. Dominum nostrum Iesum Christum quasi præsentem, imo nusquam absentem, mens tua iugiter habeat in memoria, & non transeat hora, in qua patientem pro te cum gratiarum actione nō cogites. Sta in humilitate & vera obedientia, & nulla tibi vnquam præualebunt contraria. Quemadmodum arbor multas & magnas radices in terra mittens, non facile de loco suo euellitur, sic monachus charitatem & obedientiam in humilitate cū cæteris virtutibus possidens, nequaquam à demonibus superatur. Obedientia magna virtus est fratres, quæ menti cæteras virtutes inserit, insertasque per humilitatis ministerium custodit. Ipse dominus noster Iesus Christus, qui factus est pro nobis obediens vsque ad mortem crucis, corda vestra per gratiam suam illuminet, & mentes vestras ad obseruantiam regularis vitæ omni tempore dulciter inflammet, qui viuit & regnat cum deo patre in vnitatis spiritus sancti deus, per omnia secula seculorum. Amen.

De continentia & vera castitate.
Homilia. XXI.



Maxime optare fratres mei charissimi eam me gratiā consecutum à deo, qua vobis pastor dignus & idoneus opere simul essem & sermone. Scio enim nec me fugit, quam periculosa res sit homini iuueni & inexperto, qualis ego sum, regimen animarum, quando is, qui nec dum semetipsum dirigere & gubernare ad iustitię normam didicit, accedere ad aliorum magisterium præsumit. Erubescio in medio vestrum os meum aperire ad docendum, qui bene

ui tempore discipulus, ante maturitatem cogor esse didascalus. Verum quoniam ita placuit vobis, & voluistis me iuuenem habere magistrum, parcite mihi, quoniam necessitas me compellit commissum pro viribus adimplere officium. Vestris mihi subuenite orationibus precor fratres, vt vires, quas ætatis imperitia denegat, dei miseratio impendat. Cupio enim vos corā deo ambulare in omni puritate mentis & corporis, vt ei complacitis, cui vos ab initio tradidistis. Duceam itineris assumpti ad cœlum intueamini dominum nostrū Iesum Christum, qui natus de virgine Maria semper pudicissima, mentis & corporis perfectissimā castitatem perpetuo cōseruauit. Hunc sequamini præceptorem, in cuius militiam manus consecraftis, vt nō solum corpore seruetis indictam vobis continentiam, sed etiam mente lucidam super saphirum & carbunculum custodiatis perpetuo castitatem. Castitas enim virtus pulcherrima præcipue decet claustrales, per quam sub iugo rationis imperio omnis refrenetur libidinis, & furia extincta victorū habitudo corporis seruetur totius honestatis. Monachus incontinens & lasciuus, qui spurcam carnis libidinem sequitur, cum demoniis qui recesserunt à domino, cōputatur. Tria sunt enim sine quorū obseruatione perpetua, nemo inter monachos censetur nominandus, Horū primū est humilis & vere subiectionis obedientia, secundū omnis abdicatio proprietatis vt præcipit regula, tertium perpetuē cōtinentiæ & castitatis inuolata custodia. Quodlibet istorum violauerit monachus, ordinis sui propositum corrumpit. Duobus castitas sustentatur cōmittibus, ieiunio videlicet ac temperantia, quibus si aliquādo destituta fuerit, cito procul dubio labascit. Castitas, monachorū ornamentum est maximum, qua decorati ad cōsortiū introducuntur angelorum. Castitate nihil est pulchrius, quæ conceptum de immundo semine facit mundum: de hoste quoque efficit domesticum, & de homine terrestri angelum. Castitas virtus est omnium virtutum speciosissima, quæ dum pro Christi amore vsque ad mortem seruāda promittitur, inestimabili premio remuneratur. Castitas angelorum societati est proxima, & summa Christianæ mentis medicina. Castitas est Iesu Christi æterni regis amabile domicilium, & futurę incorruptionis mirabile principium. Castitas est plenitudo cœlestis gratiæ, per quam redintegratur omnis corruptio nature. Castitas est virtus omnium potentissima, per quam in vase fragili mirabili certamine vincitur natura. Castitas vitam imitatur angelicam,

cam, & nescit in medio luti aliquam maculæ consperionem. Beatus homo, qui vere donū castitatis à domino deo suscipere promeruit, & ipsum inuolatum vsque ad mortem in humilitate christiana custodiuit. Castus est, qui amore Iesu Christi mēte & corpore purus, ab omni carnis coinquinatione se abstinet, qui seruore sancti spiritus in charitate dei dulciter ardet, qui nihil omnino concupiscit in hoc seculo, qui esse & viuere semper desiderat cum Christo. Castus est, qui memor professionis militiæ spiritualis motus carnis ratione comprimit, & omnes prurientes libidinis scintillas mox à principio fortiter restringit. Castus est, qui mox vt cogitatio carnalis mentē pulsare cœperit, diuinum cum lachrymis implorat auxiliū, nec quiescit à precibus donec incendium prurientis ardoris penitus senserit extinctum. Castus est, qui fugit omnem materiam & occasionem luxuriæ, qui pepigit fœdus cum oculis suis ne quidem cogitet de fœmina, & ponit custodiam sensibus suis nequaingerantur fœda vel impudica. Castus est, qui lasciuorum declinat cōsortia, & semper auerit oculos suos ne conspiciat vana. Castus est, qui omnium mulierum detestatur frequentiam, & qui suam fragilitatem cum timore & vigilantia omni tempore habet suspectā. Castus quidem est, qui mente & corpore naturā imitatur angelicā, & qui sanctis moribus nullam admittit corruptionem. Castitas donum est gratiæ, & non opus nature vel industriæ humanæ. Castitas monachum humilem deo facit esse gratissimum, quoniam qui viuit in carne mortali sine corruptione, socius est angelorum. Qui castitatem assecutus est veram, semper est humilis: & qui naturam eius intelligit, non sibi eius possessionē arrogat, sed domino qui dedit. Nemo enim castus viribus suis, quoniam naturam vincere homo fragilis non sufficit, nisi dederit ille, qui naturam & omnia creauit. Nam quotiens natura per castitatem vincitur, deus homini manifeste cooperatur. Habet autem ipsa castitas in pubescentibus difficile principium, quousque motus illicitæ cogitationis ducatur in contemptū. Castitas fornicationem, fugiendo potius quā concertando, exuperat, quoniam tot subtilibus armis luxuria circumcingitur, vt vltro sit declinanda priusquam congregiatur. Quotiens ergo cunque animus luxuriæ motibus tangitur, diuinum sine mora auxiliū inuocetur, non deur immundæ cogitationi deliberationis spacium, sed mox vt sentiri cœperit, per obliuionis remedium ducatur in contemptum. Cum hoste fraudulento, & qui semper vitur insidiis, nulla sunt penitus com-

miscenda colloquia, & cum immundis cogitationibus carnis non sunt tractanda consilia. Enimvero nisi caput serpentis conteras, labitur: & nisi motus luxuriæ mox comprimatur à principio, roboratur. Monet sanctus Christi apostolus Paulus contra quolibet vitia pugnandum, fornicationem solum præcipit fugiendam. Materiam contra nos victoriæ circumferimus, propterea vult quod hostem fugiamus. Castitas ieiunio alitur, gula naufragatur. Vnde si castitatem diligis, ama ieiunium, vt necessarium habeat alimentum. Qui castus est, apud industriam sequitur: & qui vere est monachus, quasi omnibus floribus exornatus, cunctis virtutibus decoratur. Castus est, non omnis qui nescit luxuriā, sed qui in carne pura & munda pro Christi amore solius, etiam mentis obtinet sanctitatem. Alioquin quid prodest domicilij puritas, si habitator sit fœdus & immundus? Habuit & virgines suas quodam Vestæ sacrificantes cæca gentilitas, sed quia non deo vero pudicitiam corporū immolarunt, nec fidem rectā mente tenuerunt, cum suis demonibus quos coluerunt, in profundum inferni descenderūt. Castus est enim qui amore creatoris & carnem ab omni cohibet luxuria, & mentem sanctis virtutibus ipsi deo immolat omnifariam decoratam. Extra fidem Iesu Christi hodie non est castitas vera, neque ad salutem æternam meritoria. Vtue castus o monache, conuersare purus & sanctus, & quandiu manet in corpore spiritus, de luto non præsumas confidentiam habere castitatis. Cibus castitatis est ieiunium & abstinentia, & in omni actione salubris continentie firmamentum. Sed cum omnia fueris assecutus, noli cōfidere, quia de cælo lapsus est, quæ scimus nihil māduisse. Maceratio corporis ad conseruandam pulchritudinem castitatis & necessaria est valde & utilis, sed quantumcunque in vtraque profeceris, noli tibi metipsum cōfidere, sed vigilans semper, & sperans in auxilium domini, time. Nisi enim cōtinuē & instāssimē tenueris te in timore domini, cito subuertetur domus cōficiētiæ tuæ. In vanum currit, qui castitatē suis viribus cœstodire præsumit. Nisi enim dominus edificauerit castitatis domicilium, frustra laborat qui abstinentiæ construit murum. Et nisi tū viribus totis gratiæ diuinæ cooperatore extiteris, castitatis pulchritudinē nullatenus obtinebis. Neque enim castum te faciet deus sine tua voluntate, neque tu donum hoc magnum cōsequeris, nisi succurrat ille per suam miserationem tuæ infirmitati. Tū ergo fuerit o monache in bona voluntate castitatis offerre desiderium, & in humili confidentia

Heb. 13.

Phil. 2.

Castus quis.

Job. 31.

Castus cū primis monachos decet.

Castitas laus.

Vincenda libido cōmmissis, nō pugna, sed fuga.

1. Cor. 6.

Amas castitatem, ama & ieiunium.

Eccles. 27

Castitas maximè donū de-

certum à domino expectare incrementum. Adhibe tuum, & nō deerit domini auxilium. Castitas donum est gratiæ nō naturæ, & præter carnem in carne viuere, angelicæ fortitudinis est, non humanæ. Veruntamen non est difficile seruare castitatem homini bonæ voluntatis, qui maxime segregatur à tumultu secularium, & uiuit solitarius in medio monachorum. Monachus etiam, qui iuuenis & innocens bonæ reformationis cœnobium ingreditur, si mentem suam in timore domini cōtinuè occupauerit, minus à luxuria impugnatur. Perniciosa enim est libidinis experientia, quoniam sicut quidam ueraciter dixit, vincere uult animos non fatiare uenus. Monachus autem propriæ salutis studiosus amator, libidinis ardorem de facili potest extinguere, si ocium & saturitatem fugiens, in spirituali exercitio se continuè uoluerit occupare. Inter omnia quippe uitia, nullum amplius & periculosius castitatem impugnat, quàm saturitas & ocium. Si hæc duo mala superauerit monachus, castitatem facile custodiet. Hinc sanctissimi principes monachorū, cupientes amputare libidinis causas, uictum nobis parcum ac tenuem constituerunt ad certam mensuram, quò corpus sustentetur ad necessitatem, & non incrassetur ad libidinem. Somni quoque parcitatem monachis uitilem sanxerunt, quia requies immoderata carnem nō minus extendit quàm gula. Ocium uero tãquam animæ perniciosissimam pestem longe uoluerunt esse à claustralibus, partientes sapientissime tempus, ut monachus nūquam inueniretur ociosus. Audite hæc fratres & mēte percipite, qui thesaurum magnum in fragili corpusculo portatis. Ocium fugite, semper aliquid boni facite, ut quotiens tentator diabolus accesserit, uiliter uos iueniat occupatos. Enim uero qui ociosus est, in sidiis patet tentantis: qui autem occupatur in opere bono, aditum claudit omnem insidiis. Continua igitur exercitatione occupandus est animus, ut nūquam inueniatur ociosus. Beatus ille monachus, qui mētem suam omni tempore in bonis exercitiis occupat, & nunquam in somno torporis & ignauitæ dormitat. Beatus est miles Christi spiritualis, qui semper in timore domini uigilat, & omnes inordinatos motus carnis statim à principio refrenat. Veram enim castitatem illæsam custodire nō sufficit, quisquis cum immundis cogitationibus quasi delibans ludit. Primis motibus iniquarum cogitationum reluctandum est, quoniã ubi mora generat periculum, statim fortiter est pugnandum. Semper est uigilandum contra salutis nostræ aduersarium, qui nunquam citius

Aestū libidinis quomodo extinguitur.

vincitur, quàm si mox à principio suffocetur. Continua exercitatione opus est fratres, quia mens in sanctis studiis semper occupata, est quasi turris altissima fortitudinis, in qua constitutus miles Iesu Christi uigilantissimus, nullas metuit insidias hostilitatis. Obsecro uos igitur fratres mei charissimi, ne ocio tempus consumatis, ne materiam in uobis uictorum auxeritis, qui maligni spiritus astutias non ignoratis. Continentiam seruete in omnibus, & directricem uirtutum temperantiam adhibete cunctis operibus uestris. Semper cogitate quemadmodum oporteat uos in omni religione & sanctitate ambulare coram domino deo, in cuius uerba iurastis, & sic uiuite, ut comparere in eius iudicio non timeatis. Monachi estis, in ministerium domini nostri Iesu Christi uoluntaria promissione segregati de mundo, unde oportet sub necessitate salutis, altiorē & sanctiorē uos ceteris conchistianis ducere uitam, & omnem carnis & animæ deuincere prauitatem. Oportet enim uos mente simul & corpore semper esse castissimos, & nulla corruptibilis carnis spurcicia maculatos. Monachus in continens, apostata est: & qui carnem suam coinquinat spurcicia mulierum, similis est uolanti iuramentum. Locus inferni, luxuria, & desperatio semper incontinentiæ est proxima. Monachus qui semel in foueam carnis labitur, raro ad ueram compunctionem cordis inflammat. Nam fornicationis uitium consuetudine diuturna conualefcens, de facili non vincitur, nisi contrariis remediis per uolentiam emenderit. Maioris difficultatis est post lapsum carnis ad ueram castitatem resurgere, quàm in habita continentia permanere. Facilius est à statu reuoluntatis in quodlibet uitium cadere, quàm roboratum consuetudine peccatum emendare. Nam, ut ueraciter quidam ait gentilis, facilis est descensus auerni, sed reuocare gradū superasque euadere ad auras, hic opus hic labor est. Consideremus illos qui foueam hanc turpissimam inciderunt, & postea maiorum auctoritate ad poenitentiam compulsi sunt, quemadmodum in medio fratrum conuersantur. Veræ compunctionis non habent signa, sed in ariditate cordis uitam agunt in quietam. Nulla mentis deuotio apud eos cōspicitur, sed carnis ubique solaria sequuntur. O quam raro ad interni amoris dulcedinem conuertitur, quisquis in lacum fornicationis semel præcipitatur. Nisi enim priusquam in hanc miseriam deueniat, fundatus in timore domini fuerit, lapsus difficillimè ad uerā compunctionem recurrit. Sobrie igitur uiuite fratres charissimi, & semper uigilate in orationibus

Acedi.

Non temere copulatur, q semel se libidini permissit.

Iaco. 4.

Nota s. m. l. e.

Oratio, quoties libido mentem pulsaue- rit.

bus sanctis, quoniam nisi cautissimè in omnibus ambulaueritis, laqueos dæmonum nequaquam poteritis euadere. Abstinētiam diligite, humilitatē super omnia custodite. Nemo enim carnis suæ motus potest deprimere, qui gulam & superbiam cōtempserit edomare. Fornicationis insolens dæmonium nunquā melius vincitur, quàm si uera cordis humilitas in plenitudine uirtutum omnium conseruetur. Nam sicut omnipotens deus superbis resistēs, humilibus dat gratiam, ita diabolus fugiēs humiles, superbos præcipitat in fornicationem. Qui ergo gulosus ad satietatem manducans & bibēs, vincere spiritum fornicationis desiderat, quasi oleum ad incendium portat. Et qui cū sola abstinentia luxuriæ motus contendit extinguere, similis est homini qui cum uina manu in medio fluctuum cernitur natare. Coniungatur abstinentiæ continua ad deum oratio, & in nauī sanctæ humilitatis securē nauigabitur. Semper sit in ore monachi oratio, & memoria passionis & mortis domini Iesu nunquam ab eius meditatione recedat. Nihil enim sic mentem aduersus dæmonem fornicationis confortat & animā, sicut deuota meditatio passionis domini & saluatoris nostri Iesu Christi. Quotiens ergo motum carnis inordinatum senseris, quotiēs hostem adesse inuisibilem ad nocendum perceperis, mox ad pendentem in cruce filium dei cōfugito, flexisque in terram genibus talis ad eum formetur oratio. O Iesu crucifixe amor meus, per dolorem vulnerum tuorū miserere mei, per sanctissimi sanguinis tui effusionem adiuua me in isto certamine, & per uirtutem innocentissime mortis tuæ libera me ab omni mentis & corporis contagione. Nihil hoc orationis modo salubrius, in qua passionis Christi memoria colitur, & in uirtute saluatoris omnium petitiones solidantur. Nihil antiqui hostis insidias magis extenuat, nihil uires malignitatis eius citius infirmat, quàm si deuotus Christi seruus in meditatione amarissimæ passionis domini humiliter perseuerat. Quemadmodum fur quispiam fugit ante faciem iudicis persequentis, sic diabolus uoluciter euanescit à conspectu monachi meditantis cum attentione passionem & mortem saluatoris. Cito motus iniquæ cogitationis extinguitur, ubi passionis Christi amaritudo ad mentem reuocatur. Quemadmodum nix in calefcente sole resoluitur, ita diabolus à meditatione passionis dominicæ fugatur. Maximum castitatis præsidium, est auxilium semper inuocare diuinum. Et nisi mox à principio tentationis recurras ad dominum, senties paulatim ex mora detrimentum. Nam si mo-

ram in cogitationibus perniciosis admiseris, insensibilem mox dæmones ingerunt cæcitate mentis. Nisi enim mens prius excæcata fuerit, uolūtas dæmoni nō succumbit. Fornicationis uero spiritus mentē in primis grauius obtenebrat, postea donec præcipitauerit in peccatum obcoecatam, pugnat. Postea uero quàm monachum in lutum nefandi sceleris præcipitauerit, ne confurgat iterum ad poenitentiam, duobus se modis interponit. Aut enim peccati grauitatem subtiliter alluuiare conatur, ut poenam grandem nō metuat: aut distinctionem iudicij lapsa reducit ad memoriam, ut desperationis foueam incurrat. His laqueis capitur peccatrix anima, & quāto diutius iacuerit in profundo miseriæ, tanto redit magis obdurata. Fugite o claustrales ocium, & gulam satietatemque uētris summo pere declinate, quoniam monachus qui uentrem cibo & potu satiat, fornicationis dæmoni materiam nocendi præstat. Cordis ueram contritionem assumite, & illicitos motus carnis per lachrymas orationis refrenate. Nemo enim corpus suum rectè vincere sufficit, qui contritionis aculeum prius nō assumpsit. Ad sanctæ autem contritionis gratiam nō potest pertingere, qui seipsum perfecte cōtempserit abnegare. Quisquis autem seipsum pro Christi amore perfecte abnegauerit, iā carnis impetum superans gratiam contritionis facilius consequetur. Nam qui uoluntate mortificatus est, nihil carnale nihil turpe concupiscit. Sed quis est nostrum fratres qui ad hanc mortificationis gratiā dicere se audeat peruenisse? Quis nostrum se nesciat infirmum? In stadio spiritualis militiæ currimus, & quotidiano certamine contra uitia pugnamus. Fiduciam pacis nullam accepimus, etiam si pacem interdū habeamus. Quanto nobis familiarior est infirmitas carnis, tanto sunt duriora prælia castitatis. Hinc nobis maxime uigilandum est, quādo hostem familiarem circumferimus, & quasi domesticum impulsorem mali sustinemus. Quousque igitur in hac mortalitate uiuimus, corruptorem castitatis semper timeamus. Cauemus omnia quæ libidinem excitant, & quantum possumus, acediam & ocium fugiamus. Sunt enim uere castitatis fortissimi hostes saturitas panis & ocium, qui nisi per abstinentiam & operationem salutaris exercitij procul expulsi fuerint, proximum castitati misantur naufragium. Omni custodia seruete corda uestra o charissimi fratres mei, & contra nunquam dormientem aduersarium uestrum semper animo uigilate. Armate uos lorica perfectæ fidei Iesu Christi, quatenus opere & credulitate sitis ueri christiani.

Omnes in fraterna charitate semper estote vnanimes, & in vera regularis disciplinae obseruantia sine fictione concordet. Ieiunium & continentiam diligite, sine intermissione semper orate. Ocium velut animae pestē perniciosam fugite, & in sanctis operibus vos iugiter exercete. Amate silentium, & solitudinē monasticam nolite fugere, si veram mentis & corporis munditiam cupitis obtinere. Oculorum aurium & sermonum continuam habete custodiam, ne per fenestras mors ingrediatur ad animam. Mulierum alloquia fugite, & contactus etiam sanctarum velut ignis incendium declinate. Nemo tuto libet in tuetur, quod mortis affert aculeum cupitum. Dominum nostrum Iesum Christum morientem pro vobis in cruce fidelibus oculis metis per amorem semper aspiciat, in eius doctrina euangelica vos salubriter quotidie occupate, passioni eius simul & morti gratias humiliter agite. Hæc si continuata perseverantia in vera simplicitate cordis vsque ad mortem feceritis, confidimus quod sanctorum consortio eritis premiandi.

De fraterna charitate monachorum.
Homilia XXII.



Ad diuinum fratres mei charissimum dominum nostrum Iesum Christum in sancto euangelio præcipientem: Quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

Matt. 7.

Breuis quidem sed solida fraternæ charitatis commedatio, sine qua nemo ad dei amorem potest ascendere. Nemo enim potest deum diligere, qui conchristianum suum conuincitur non amare. Hinc beatus Ioannes dicit apostolus: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam eternam in se manentem. Vnde si quis dixerit quoniam diligo deum, & fratrem suum odit, mendax est. Propterea sanctus hortatur nos Christophilus Paulus dicens: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Et princeps apostolorum ita nos admonuit Petrus: Ante omnia, inquit, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinē peccatorum. Quam sit necessaria fraterna charitas ad salutem, dominus vniuersorum Iesus

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

Gala. 6.

1. Petr. 4.

Luc. 10.

Christus aperuit dicens: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum simile est huic:

Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & propheta. Quicquid enim in tota serie scripturarum vsque præcipitur, ad hæc duo mandata sine dubio refertur. Proximum hic non sanguinis necessitudine iunctum intelligimus, sed omnem hominem societate rationis, maxime vero christianum, quem vnusquisque tanquam seipsum iubetur diligere, cum quo æternam salutem cernitur expectare. Vos autem fratres maxime decet alterutrum in vera charitate saluatoris Iesu Christi diligere, quibus professio indicit monastica totis viribus ad perfectionis culmen anhelare. Nam sicut radix omnium malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorum est charitas. Deum in primis propter seipsum, quia summum bonum est, super omnia corde debet diligere, ac deinde proximum sincera charitate propter dominum amare. Hæc duo charitatis præcepta Christi auctoritate coniuncta sunt, ut alterum impleri sine altero nullatenus possit. Nam qui deum veraciter diligit, proximum suum odire non potest. Si oderit proximum, non vere diligit deum. Parit enim dei amor dilectionem proximi, & per amorem proximi nutritur amor dei. Si alter amorū defuerit, alter minime conualefcit. Nam qui proximum suum perfecte non diligit, se dei amore vacuum ostendit. Tunc ergo deum veraciter diligit, quando proximum nostrum, hoc est omnem hominem christianum sincera intentione diligentius amamus. Charitas namque fraterna est vinculum pacis, quæ sola nutrit in habitatione concordiam, quæ sola nutrit inter fratres christianam vnitatem. Charitas est genitrix mansuetudinis, & generosa mater catholice pietatis. Charitas fraterna demonibus est formidabilis, quoniam victoriosos facit omnes quorum circumplectitur atrium cordis. Charitas extinguit libidinis incendium, & omnem multitudinem operit peccatorum. Charitas hominem deo reddit charissimum, & sanctorum socium facit angelorum. Charitas in vnitatem sanctorum conseruat ecclesiam, extra quam salutem nullus consequitur æternam. Charitas fraterna mores componit claustralium, & deum habitare facit in medio monachorum. Charitas nulli facit iniuriam, sed omnibus ministrat auxilium per miserationem. Charitas exterminat omne vitium, quia nutritrix est vnica omnium virtutum. Charitas fraternitatis reformationem in vigore conseruat claustralium, & magnam operatur salutem animarum. Charitas mutua confirmat obedientiam, & fructuosam facit fraternam correctionem. Charitas veram inter fratres nutrit

1. Tim. 6

Charitas vincit

1. Petr. 4

trit concordiam, & tam mentium quam corporum bene redolentem conseruat castitatem. Charitas monachos in domo dei facit esse vnanimes, & in omni bono opere laudabiliter concordet. Charitas mutua rigore ordinis alleuiat, & omnia quæ dura & aspera videtur carnalibus, per consuetudinem quasi leuissima quadam in naturam commutat. Charitas pulchritudo est monachorum pulcherrima, quæ cunctis est virtutibus adornata. Charitas odium & inuidiam de cœnobii seruatorum dei penitus exterminat, & reliqua mortis crimina procul sua præsentia fugat. Charitas fratrum est spiritus sancti decens habitaculum, & serenæ conscientie fortalium. Charitas est ministra iustitiæ, & vnica in monasterio conseruat regularis disciplinæ. Charitas mentem à crudelitate seruat innoxiam, & placidam cunctis subministrat animi lenitatem. Charitas fraterna salutem querit omnium, & non sinit habentem se torpescere ociosum. Charitas non detestatur inopiam, sed parata est fratrum amore omnem sufferre paupertatem. Charitas est aqua cœlestis dulcedinis, quæ si quis in seruire spiritus sancti potauerit, inferni perpetuam sitim non expauescit. Charitas fraterna, carnis non querit illecebras, sed affectiones dirigit in proximum puras, sanctas & impolutas. Charitas nomen habet castæ pulchritudinis, quod communicari non potest rebus vel actionibus impurissimæ voluptatis. Charitas puritatem diligit atque munditiam, & non admittit aliquam impuritatem. Charitas in operatione dilectionis non carnem proximi considerat, sed animam, quam ad imaginem dei non dubitat esse creatam. Charitas fraterna piis admonitionibus delinquentem proximum erigit, & omnes actiones suas ab omni malitia puras & innoxias custodit. Charitas in pace & tranquillitate mentis ambulat, & neque verbo neque facto neque signo proximum contristat. Charitas quantum potest se in cunctis humiliat, & infirmanti proximo quasi dei filio diligentissime ministrat. Charitas neminem temere iudicat, sed peccatam proximum mansuetissimis admonitionibus humiliter emendat. Charitas terribilis & metuenda est reprobis, sed pia & benigna mansuetis. Charitas aliena incmoda veluti propria computat, & pro fratrum tribulatione quasi patitur ipsa plorat. Charitas omnibus in necessitate positus compatitur, & non minus pro malis alienis quam pro suis contristatur. Charitas proximo nihil improperat, sed infirmitates omnium pro dei amore semper æquanimiter portat. Charitas in bonis operibus est assidua, & quædiu manet in corde

nūquam est ociosa. Charitas nihil eorum ad quæ obligatur negligit, sed omnia quam diligentissime custodit. Charitas fraterna legis est consummatio, quoniam quicquid post dei cultum præcipitur, ad dilectionem proximi refertur. Hinc sanctus Christi amator dicit: Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Itaque fratres mei charissimi rogamus vos per dominum & saluatorem nostrum Iesum Christum qui iudicaturus est viuos & mortuos, quatenus fraternam charitatem semper custodiatis illæsam, sine qua nec deum veraciter potestis diligere, nec aliquod mandatum eius adimplere. Tam enim necessaria est vobis ad salutem fraternæ charitatis custodia, quam corporibus ad vitam conseruandam ciborum & potus alimenta. Corpus nanque sine nutrimento necessario moritur, & omnes animæ virtutes sine fraterna charitate dissipantur. Charitas etenim fraterna multitudinem monachorum conseruat in vnitatem spiritus, quoniam sine vinculo dilectionis mutua nullus claustralium perseverat sine perturbatione cœuentus. Monachus qui fratrem suum odio persequitur, à dei charitate procul elongatur. Dicit enim sanctus euangelista Ioannes: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quod eat, quia tenebræ obcæuerunt oculos eius. Amator autem proximi castus & prudens in lumine spiritus sancti securus ambulat, & nec ipse perturbatur ab aliquo, nec quæquam alium perturbat. Est enim proximi verus amor mitis dulcis ac piensissimus, & in omni conuictu suo mansuetus, pacificus atque tranquillus. Dirigit tamen vigor disciplinæ apud rectores mansuetudinem, & clementia fraternæ considerationis pulchre temperat vigorem. Opportet enim ut sic alterum temperetur ex altero, quatenus nec vigor sit rigidus, nec amor dissolutus. Amator fraternæ charitatis viam iustitiæ non deserit: & qui recte diligit proximum suum, nihil corruptionis interponit. Verus nanque proximi amor nec aurum cœcupiscit, nec ministratum requirit obsequia, sed contemptis omnibus quæ animi statum subuertere possunt, solius animæ sectatur incrementa. Non enim sincera est charitas proximo, donec corruptionis appetere, aut more puerorum propter munusculorum distributiones concurrentem affectu similitudinis

Rom. 13.

1. Ioan. 2.

Veracharitas nihil quod corrumpi queat, moratur

amare. Monachorum amicitia inter bonos eiusdem propofiti zelatores debet esse communis, & procul remota ab omni affectione carnis. Sit pura, simplex, recta, & sine cuiusquam iniuria durabilis, nec habeat in se quicquam suspectæ conſpirationis. Non est hæc norma fraternæ charitatis, priuata conſolationis interdicitæ conuenticula quærere, & sine benedictione prioris, furtiuus, immo prohibitis locutionibus vacare. Amorem ueſtrum proximo non rectè, sed potius pernicioſe impenditis, quotiens contra normam regularis obseruantia ad carnis solatia conuenitis. Dilectio monachi debet esse solida, & ab omni transgressione disciplina regularis remotissima, quoniã nisi charitas muta fuerit à colloquiis carnalibus, ignem in se nõ habet diuini amoris. Examine nunc fratres ueſtra colloquia, & si corda habeatis etiam in vera charitate radicata. Charitas enim quæ conſolationes spiritui nocentes vel dat proximo, vel recipit, nunquam sincera fuit. Curate igitur mentis oculum non ad carnis pulchritudinẽ, sed potius ad animæ contemplationẽ dirigere, si rectè uultis proximum & laudabiliter amare. Caro enim cum sine respectu animæ diligitur, non sincera, sed carnalis & impura dilectio generatur. Conſidera fratrem tuum animam tibi habere conſimilem, & ſemper cogita quoniam foelicitem ambo expectatis æqualem. Mente ſiue anima intelligimus, anima nõ corpore immortales ſumus. Quod im mortale est, alter iubetur in altero diligere, & ad animam potius quam ad corpus respectu charitatis ordinare. Nam ſicuti ratione & intellectu à brutis animalibus discernimur, ita dilectionis noſtræ intuitus ad mentẽ qua intelligimus, non ad corpus quod cũ beſtiis habemus commune, referatur. Procul ſint à monachis ſanctis omnes affectiones carnis, qui mutuam & ſynceram non ignorant regulam charitatis. Sit amor in alterutrum purus rectus & dei ſolius timore conceptus, quatinus nullum interueniat comodum rei corruptibilis, sed permaneat simplex intentio charitatis. Charitas uerò ſimplex & pura male conſpirationis non quærit diuerticula, nec ſe armat cõtentionis murmure ad iniquitatis machinamenta. Qui ueram charitatem fraternitatis in corde ſuo poſidet, pacem cuſtodit in omnibus, & nullam excitat materiam uel causam pernicioſe diſſenſionis. Charitas unicuique ius ſuum impendens, nulli facit iniuriam, & omne quod ſibi non uult fieri, nunquam in alterius transfundit perſonam. Nõ exiſtimeſtis uos ueram charitatem habere fraternam quãdo alterutrum diligitis intuitu carnis uel

Charitas
vni deũ
reſpicit.

commodi rei cuiuſlibet temporalis, quoniã ubi cauſa dilectionis nõ est dominus, ſemper affectus diligentiſſimus est uel in parte uel in toto uicioſus. Rectè autem diligit fratrem ſuũ, qui diligit eum amore dei, & propter comunem quam expectamus participationẽ regni. Propterea, ut ſanctus Ioannes dicit episcopus, in vnum corpus baptizati ſumus eccleſiæ, quatinus non diſſoluamur, ſed in ea quæ adinueniẽt eſt conuenientia & amicitia corporis vnus charitatem & conuenientiam mutuam perpetuo conſeruemus. Quemadmodum nemo extra vnitatem eccleſiæ catholicæ ſalutem poteſt conſequi, ita nullus ſine fraterna charitate poſſe creditur ſaluari. Charitas ergo uobis ante omnia eſt ad ſalutẽ neceſſaria, ſine qua reliqua uirtutum opera penitus ſunt infructuoſa. Nihil enim boni eſſe poteſt, nihil meriti ſalutaris ad vitam, quod ex illa non duxit originem. Charitas uia quædam eſt ad uirtutis compendiuũ, per quam ſi quis recto ingreditur tramite itineris, nulla egebit directione ducis. Charitas pura ſimplex & recta nõ proximum conſueuit lædere, nec malũ alicui inferre. Charitas affectum quem comodis præſtat propriis, impendere conſueuit omnibus: & quicquid ſibi ad ſalutem ſperat conducere, hoc uniuerſis hominibus in Chriſto Ieſu cupit eſſe commune. Charitas abſque vlla perturbatione officio dilectionis uitur, & cum omnes homines maximè diligit, pro nullo tamẽ ad zelum amaritudinis prouocatur. Sæper eſt ſolida, ſemper conſtans, ſemper ſtabilis & firma, quia nec paſſionibus tangitur, nec motibus inquietudinis agitur. Communem ſe præbet omnibus, & ita ſuam dilectionẽ impendit ſingulis, ut tamen proxima videatur uniuerſis. Charitas in his quæ pertinet ad rationem mentis & animæ, ſeipſam non negligit: in illis uero quæ commodum reſpiciunt corporis, ſæpe cauſas aliorum propriis utilitatibus præponit. Magnum eſt uerè charitatis imperium, quod alienum incommodum cõpellit hominem facere ſuum. Vos itaque fratres mei, qui uos ſolennter ad Chriſti præcixiſtis militiam, qui per arduum iter obedientia ad vitam anhelatis æternam, ſi non uultis in tam laborioſi certaminis ſtadio fruſtra currere, curetis ante omnia hortamur fraternam in uobis charitatem ſemper inuolabilem cuſtodire. Nifi enim ſyncerã & perfectam charitatem adinuicem habueritis, ſine fructu in obſeruantia regulari laboratis. Nihil uobis abſtinentia ab eſu carniũ ad animarum ſalutem conferet, nihil abdicatio peculij omnis ad æternæ foelicitatis adeptionem proficiet, ſi locum in cordibus ueſtris fraterna dile-

dilectio non tenet. Cupientes ergo ſaluari cũ Chriſto, in ueritate uos mutuo diligitis, & ſicut Chriſtus dilexit uos, ita precamur alterutrum amate. Quod ſibi fieri unusquiſque ueſtrum deſiderat, hoc ipſum fratri ſuo ſine inuidia propter dei amorẽ omni tempore impendat. Vincat in uobis omnia carnis iurgia & quaſlibet contentiones amor diuinus, nec inueniat locum pernicioſa carnis diſſenſio, ubi commorari iugiter debet fraternæ charitatis plenitudo. Nam ſi omnes in monaſterio ſecundum legem chriſtianæ institutionis uiuunt, alter ab alterius læſione neceſſario ſemper abſtinetis. Si uero per contentiones & iniurias mutuo uos læditis, nec monachi certe nec ueri chriſtiani eſtis. Decet enim clauſtrales & monachos omnes, in obſeruantia charitatis eſſe præcipuos, ab inuidia odii que rancore lógius eſſe remotos. Sit ergo monachus in propoſito ſanctitatis uſque ad mortem ſtabilis, ſit in dei miniſterio fidelis, quatenus & in amore creatoris dulciter ferueat, & nõquã à puritate cõſcientia recedat. Quiſquis enim dominum deum ex toto corde ſuo perfecte diligit, & conſcientiam ſuam ab omni pollutione peccati mundam conſeruat & puram, & ſyncerã proximo ſuo ſemper exhibet charitatem. Eum uero quem uel inuidia urit, uel odium cõtra fratrem excitat, manifeſtum eſt nec deum ueraciter diligere, nec purã à peccato conſcientiam habere. Omnis ergo qui fratrem ſuum odio & indignatione perſequitur, nec monachus eſt uerus, nec dignus nomine chriſtiani, ſed merito & conuerſatione demonum miniſter & focus. Procul igitur hinc à ſancta congregatione ueſtra cedant odia, nulla ſint in medio ueſtrum contentionis pernicioſa certamina, non reperiatur iſt hic zelus amaritudinis, ſermo nullus audiatur diſplicentiſſe elationis. Iugiter hic uigeat fraternæ unitatis concordia, ſingulorum conſcientias exornet chriſtianæ puritatis innocentia, ut ſic uiuamus in hoc breui tempore, quatinus poſt mortem cum Chriſto gloriemur in æternitate.

De charitate hominis in deum.
Homilia XXII.



Nihil tam iuſtũ, nihil tam ſanctum, nihil in humanis actionibus tã poteſt eſſe honeſtum, quã deũ ex toto corde, & in tota mente, & in tota uirtute ſuper omnia ſemper diligere, & pro eius amore nec mortem nec po-

narum quaelibet genera formidare. Nullius actionis maior in nobis eſt cauſa quã diuini amoris, quia cum deus ſit auctor omnium, nihil eo diligitur iuſtius: & cum honorũ cunctorum ſit maximum, eo nihil amatur fruſtuofius. Prior deus dilexit nos, inſimos ſumus, maximus paruulos, omnipotens inſirmos. Nos igitur fratres mei dominum deum toto corde, tota anima, totaque uirtute diligamus, à quo ſuauiſimè diligitur, qui nos nõ ſolum ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuam condidit, ſed quod indicium eſt amoris maximi, per doctrinam & mortem unigeniti filij ſui domini noſtri Ieſu Chriſti ad regnum æternæ foelicitatis miſericorditer uocauit. Nunquam ſic tenerrime dulciter & fortiter aliqua mater carnalis dilexit unigenitum filium ſuum, quemadmodũ nos diligit omnipotens deus, qui non ſolum homo fieri ad noſtram eruditionem uoluit, ſed etiam mortem ſubire in aſſumpta carne pro ſalute noſtra dignatus fuit. Nulla dilectio maior unquam extitit, ſi rectè penſulemus quis fuerit qui tanta pro nobis tolerauit. Noſtri quippe amore liber a mortis debito, uoluntariè moritur, & qui ab omni peccato ſemper immunis extitit, innocens & iuſtus pro noſtris peccatis uolens condemnatur. Iuſtiſſima ergo ratione nobis præcipitur ut dominum deũ noſtrũ ex toto corde diligamus, qui nos cum nõ eſſemus, ex ſola bonitate condidit: & cũ periſſemus, miſericorditer liberauit. Omnium uirtutum dilectio dei eſt maxima, quoniam quicquid boni, quicquid uirtutis in hoc mundo agitur, ſi non ſit ex charitate in deum, mercede uacuat. Charitas in deum, conſcientiam ab omni delicto purificat, quoniam iſ qui dominum deum ſuum ex tota anima ſua & in toto corde & ex omni fortitudinẽ ſua ueraciter diligit, procul dubio nullũ in ſua conſcientia locum uitiis concedit. Cor etenim quod amor dei occupat, nulla uitiõrum immũdities ſubintrat. Theſaurus indeficiens eſt amor dei, quem qui poſidet, cunctis mundi locupletibus eſt ditior: quo qui caret, omnibus pauperibus eſt miſerior. Hinc ſanctus Chriſti dicit apoſtolus: Diligentibus deum, omnia cooperantur in bonum, quoniam nihil deest timentibus illum. Felix homo, in cuius corde præter amorem Chriſti nulla colligatio terrenæ dilectionis inhabitat, qui ad nullius hominis memoriam ſuſpirat, in cuius conſcientia puritas reſidet, & diuinus amor ſemper ardentiffimè feruet. Amate illum o fratres mei, qui amore ueſtri deſcendit in uirginis uerũ. Illum ſemper portate in cordibus ueſtris, qui uobis ſua morte aperuit cælum. Sit in uobis

Nihil
neque
iuſtus
neque
uilius
agimus,
quã cũ
deũ dili-
gimus.

Rom. 8.

Canis. 8. omni tempore fratres vt mors fortis Christi dilectio, quatinus vita vestra, Christi doctrina sit conformis, & si quando fuerit necessarium, mori pro eius amore non timeatis, sicut ipse prior subire mortem pro nobis placidè ac benignè dignatus est. Amor enim Christi monachum deo facit proximum, & qui semper est seruens in charitate domini, cōfortiū assequetur angelorum. Amor Christi facit hominem contra omnes dēmonum insultus esse fortissimum, & nō minus in aduersis quā in prosperis longanimum simul atque tranquillum. Amor Christi docet mundum veraciter contemnere, & omnes delicias eius carnisque solatia cuncta pro nihilo reputare. Amor Christi motus carnis illicitos cito deprimat, & menti castitatem purissimam inducit. Amor Christi mentem ad cælestia cum desiderio dulciter eleuat, & segregatam à terrenis in spiritali exercitio conseruat. Amor dei omnia dura leuigar, & aspera, quoniā vbi Christus in veritate diligitur, tribulationes & quælibet aduersa pro deliciis computatur. Amor dei semper in bonis operibus est assiduus, & nunquam est ociosus. Amor dei contemnit præsentia, & mentem fortiter eleuat ad æterna. Amor dei nec honores ambit, nec quærit diuitias, sed Christo cōiunctus per desiderium, nihil omnino cōcupiscit præter illum. Amor dei multitudinem peccatorum operit, & omnia delicta poenitentibus remittit. Amor dei subito iustificat impium, & quanto magis dilectio creuerit, tanto perfectio animæ citius ac fortius confurgit. Amor dei est turris fortitudinis, cui nequeunt appropinquare omnes ministri diabolice prauitatis. Amor dei est consummatio totius iustitiæ, & finis monastica disciplinæ. Amor dei perficit monachū, & facit eum in omnibus bonis operibus consummatum. Amor dei est suaue iugum internæ dulcedinis, per quod eliminatur à mente omnis spurcicia terrenæ corruptionis. Amor dei honorificat animas, & facit eas à cunctis fordibus puras & immaculatas. Amor dei mentem in omnem cognitionem cælestiū bonorum perfectè illuminat, ipsumque affectum à cunctis immundis vanitatibus purgat. Amor dei habentem se veraciter facit doctissimum, & in omni scriptura mirabiliter eruditum. Amor dei monachum reddit cunctis hostibus formidabilem, & confert perseverantibus angelicam potestatem. Amor dei hominem defendit in periculis, quoniam quicūque deum veraciter diligit, nulla contraria pertimescit. Amor dei habentem se in mortis hora securum facit ac tutum à dæmonibus, & coniungit animam cælestibus turmis. Amor dei pos-

sessorem suum cælestem reducit ad patriam, & confert amantibus deum gloriam sempiternam. Amor dei omnium bonorum operum est maximum, & cunctarum virtutum in fide Christi vnicum fundamentum. Amor dei vnguentum est optimum, in quo sanantur omnia vulnera languentium animarum. Amor dei paupertatis & inopiæ est abundans remediū, & consolatio efficax supra omnem possessionem diuitiarum. Amor Christi omnē huius mundi doctrinā procul exuperat, & perfectissime habētes ad omnē scientiā salutis necessariam informat. Amor dei spiritui sancto mansionem delectabilem in corde hominis præparat, eumque perseverantem in omni puritate cōseruat. Amor dei omnium doctorum est velocissimus, quoniam quod carnales cum tempore discunt & multo studio, hoc spiritus sanctus deum amantibus tradit in momento. Amor dei scientiam dat paruulis, & rusticos doctiores facit eruditus. Amor dei fortior est omnibus, & suavitute dominatur vniuersis. Amor dei solo verbo dæmonibus imperat, eosque de obsessis hominum corporibus per crucis signaculum fugat. Amor dei sanctis in cælo spiritibus æternam beatitudinē contulit, quos gratia conditoris amantes confirmavit. Amor dei homines in fide Iesu Christi baptizatos, in æterna foelicitate beatificat, quia nemo ad confortium angelorum vnquā potuit pertingere, nisi quem dei amor perseverans probaretur inflammasse. Amor enim dei solus est qui opera & bona facit, & meritoria, quoniam hoc solū deus oblatum à nobis munus boni operis suscipit, quod flamma charitatis dignū in eius cōspectu fecit. Quicquid extra charitatem agitur, indignum dei conspectui iudicatur. Attendite nunc fratres mei admonitionibus nostris, & diligenter cōsiderate quā necessarium sit vobis deū super omnia diligere, si ad eius regnum peruenire cupitis, & in æternā feliciter cū eo triumphare. Nemo vestrum inanibus verbis seducat animam suam, vt credat se deū veraciter diligere, cuius mandata vel contēnit vel negligit custodire. Audistis dominum Iesum in sancto euangelio dicentē: Qui diligit me, sermone meo seruabit. Et sicut diuus papa Gregorius dicit, exhibitio præcepti operis, probatio est indiētæ dilectionis. Tunc enim dominum deum nostrum ex toto corde veraciter diligimus, quando contemptis mundanis voluptatibus madata eius omnia vsq; ad mortē perfectè custodimus. Itē tunc eū super omnia diligimus, quando illius amore, nō carne, sed secundum spiritum innocenter ambulamus. Veraciter deū diligit, qui semper bonis operibus

ribus intentus, purum & immaculatum se ab hoc seculo custodit. Ille autem dominum deū recte diligit, qui nihil in hoc mundo penitus concupiscit. Deum ex toto corde suo veraciter diligit, qui mundi honores, diuitias, voluptates, & omnia carnis solatia pro eius amore fortiter contemnit. Ille deum in tota anima sua diligit, qui in obseruatione mandatorum eius omni tempore sollicitus, nihil eorū quæ illi sunt placita, facere omittit. Amor etenim dei nihil negligit, sed omnia quæ mandauerit ille, diligentissime seruare & implere consuevit. Qui deum in vera charitate diligit, legem prophetas & euangelium impleuit. Ex operibus igitur vestris dabitur testimonium si veraciter diligitis deum. Omnis enim qui diuini amoris radium suscipere meruit, & magna & manifesta semper dilectionis indicia ostendit. Ignis quippe diuini amoris possidentem, in omnibus piū, castum, mansuetumque facit atque humillimum, & tam in aduersis quā in prosperis sine perturbatione semper in eadem mentis constantia tranquillum. Monachus qui dominum deum veraciter diligit, secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti mandatis seniorum semper in omnibus hilariter obedit, in duris & contrariis amplectitur patientiam, & veram vbiq; cōseruat humilitatem. Amor dei cunctis operibus bonis possessorem suum facit esse ditissimum, ipsumque à vitiis quibuslibet procul reddat alienum. Amator dei ad imperiū obedientiæ non murmurat, in increpationibus se temere non excusat, contra proximum suū felle amaritudinis non tangitur, nec læsus etiam perturbatur. Qui dei verus amator est, vitam suā in omni puritate mentis & corporis conseruat irreprehensibilem, & non solum verbo sed etiam opere & veritate seruētem in se demonstrat charitatē. Quicquid in mundo pulchrum, quicquid iucundum vel delectabile cernitur, quicquid lasciuētis carnis petulantia blanditur, dei verus amator totū constantissime despicit, & nihil aliud quā Christo placere, & cum illo viuere quanto cyus cōcupiscit. Magna & incredibilis nescientibus est vis diuini amoris, quæ hominem semper impellit ad bene operandum, & nunquam sinit viuere ociosum. Quid enim est aliud internus amor dei, quā dulcis ebrietas animæ? per quam homo à cunctis consolationibus mundi rapitur, & quasi nihil sentiat quid agant mortales, in solo spiritus sancti conuiuio epulatur. Qui verus dei amator est monachus, omnem mundi curiositatem mundaliumque rerum sollicitudinem propter Christum deposuit, & quasi non sentiat, omnes curarum

punctiones animo transcendit. Mihi, cum apostolo clamat, mundus crucifixus est, & ego mundo. O vinum diuini amoris, quā dulciter inebrias, quā innocenter satias, quā sapienter infatuas, quā caste inflammas. Omnis enim qui tuo sapore inebriatus fuerit, ab omni tumultu carnalium voluptatum segregatus, in vmbra sancti spiritus dulciter quiescit. Propter nimiam spiritus ebrietatē carnalibus & mundanis aliena loquitur, & nihil ex ore eius deo contrarium auditur. Hæc est vini spiritalis immaculata satietas, quæ per desiderium tanto magis extenditur, quanto diutius continuatur. O sancta & veneranda Christi amatoris simplicitas, quæ etsi multis qui terrena sapiunt, videatur esse stulticia, coram deo tamen & omnibus sanctis eius maxima & verè summa est sapientia. Habeat mundus prudentiam suam, habeat honores, dignitates atque diuitias, ego autem eligerem vnus simplicis monachi deum veraciter diligentis meritum, quā totius mundi principatum. Amor dei & summa voluptas est animi & semper castissima, cuius incendium mentem illuminat, & affectum suauiter inflammat. Amor dei fons cælestis est gratiæ, quia mentem quā charitas Christi arando purificat, gratia sancti spiritus fructibus virtutum omnium fecundat. Amor Christi omnipotentis dei amicitiam hominibus conciliat, & voluntatem summæ maiestatis mortalibus reuelat. Amor dei monachum deo facit acceptabilem, quia non scientiam, non eruditionem, non eloquentiam requirit à nobis, sed charitatē. Monachus ergo qui se domino deo publicè immolauit, nihil debet curare nisi deum, ne cor videatur habere diuisum, quoniam sicut deus est vnus, ita amor in deum non potest esse diuisus. Hinc facer inquit præsul Augustinus: Minus te domine amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. Sicut deus perfectus est, ita etiam à nobis est tota fortitudine amandus, quoniam non recte diligitur, quotiens præter ipsum cum ipso aliquid amatur. Amor dei tunc recte progreditur, quādo ei nihil quod eum debilitare possit, admiscetur. Vnusquisque vestrum quantum potest, in tota fortitudine mentis suæ dominum deum suum super omnia diligere studeat, quia solus in deum amor est, qui vobis ianuam paradisi reparabit. Quanto enim nunc deum ardētius diligitis, tanto maiorem gloriam in patria cælesti recipietis. Felix ille monachus, in cuius conscientia præter amorem Christi, nullius occupationis imaginatio residet, qui vigilans nihil aliud quā Christum cogitat, dormiens Christum somniat, viuens & moriens ad

Amoris diuini energia.

s. Petr. 4.

Amor delectat omnia.

Ioh. 14.


Amor nihil aliud quā dulcis ebrietas animæ.

Gala. 6.

Nota si luberrimum vortum.

Christum constantissime suspirat. O quam bene secureque moritur, qui in exercitio diuini amoris semper fuit sollicitus, & in obseruantia mandatorum dei omni tempore studiosus. Solum enim dei amor ad regnum caelorum intro-mittitur, & quanto in diligendo mens fuerit feruentior, tanto merces in regno caelorum erit maior. Qui multum diligit, multum recipit: & qui nunc minus diligit, etiam tunc minus est recepturus in gloria. Quantum ergo quisque potest ex toto corde suo & ex tota anima sua & ex tota fortitudine tantum diligat, quia non tepide, non segniter deus noster amandus est, sed feruenter sapienter & dulciter. Amor autem dei spiritualibus crescit & augmentatur exercitiis, quemadmodum fomento lignorum ardens extenditur ignis. Enimvero si ligna subtrahatur, ignis extinguitur: & si spiritualia intermittantur exercitia, mox charitas naufragatur. Amor autem dei verus nunquam est ociosus, sed omni tempore in his quae charitatem nutriunt & conseruant, delectabiliter occupat. Amator enim dei, sui amati nunquam obliuiscitur, sed eius presentiam & pulchritudinem semper meditatatur, & iam in orationibus deuotissimis ad Iesum loquitur, iam in scripturis sanctis loquentem illum sibi admiratur. Verus Christi amator die ac nocte meditatatur in lege domini, & omnia quae deo placere intelligit, cum summa diligentia facit. O quam dulciter ardet, quem dei amor veraciter inflammauit: quam suauiter estuat, cuius mentem spiritus sancti flamma incendit? Beatus ille monachus, qui plenus diuini amoris a terrenis vanitatibus se totum subtrahit, & in umbra caelestis desiderij quiescit. O si amorem haberemus ad deum tam fortem, integrum & vehementem, sicut infani & stulti amatores ad suas possidenda corruptibiles amatrices, quarum desiderio frequenter estuant, turpiter insaniant, & nulla huius mundi scandala pertimescunt. Amor autem dei fortior est omnibus, si fuerit in nobis veraciter radicatus. Quicumque dominum deum veraciter diligit, semper in memoria sua retinet eius amarissimam passionem, quia nihil ita perfectum in corde hominis dei causat amorem, nihil sic veram inducit compunctionem, sicut beneficiorum dei nunquam intermissa recordatio. Semper itaque sit in memoria tua passionis Christi scripta series, & hoc verbum de ore tuo nunquam recedat: O Iesu crucifixae amor meus, per innocentissime mortis tuae virtutem misere mei, & fac me seruum tuum fidelem.

De serenitate conscientiae.
Homilia XXIII.



Magna nobis sollicitudine vigilandum est fratres charissimi, & continua meditatione curandum, ut conscientiam nostram cuius testimonium subterfugere non possumus, ab omni contagione peccati mundam semper & immaculatam custodiamus. Nihil enim pulchrius, nihil iucundius, nihil denique preciosius conscientia bona, quoniam ubi mens rectitudinis in se sua manifestum habet testimonium, nullam inquietudinis perniciosam patitur remorsum. Conscientia recta & bona est incredibile mentis tripudium, & certum in omni aduersitate solatium. Monachus qui bonae conscientiae affectus est testimonium, nec viuere quidem recusat, nec mortis futurae metuit aduentum. Bona conscientia semper est laeta, semper iucunda, semper intrépida, & in pace Iesu Christi veraciter tranquilla. In bona conscientia semper est pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudium, laetitia, dulcedo, & sine dissolutione iucunditas. Conscientia gazophylacium est animae, quoniam quicquid in ea reponitur, ad comestum futurae vitae referuatur. Conscientia bona thesaurus est optimus, quem si quis habere neglexerit, omnium hominum miserrimus & infelicissimus est iudicandus. Conscientia bona spiritus sancti est habitaculum, & paradisi terrestri omnium gratiarum. Conscientia bona impiorum detractiones non metuit, & mens recti conscientiae famam mendacia contemnit. Conscientia bona semper est hilaris: & qui operatur iustitiam dei, non est inutiliter tristis. Conscientia bona semper in amore domini proficit: & qui viuunt innocenter, periculum non pauent. Conscientia bona cum omnibus habet in deo pacem & concordiam, & suam curat in humili simplicitate salutem. Conscientia bona confirmat animam: qui autem asiduos est in malis, corruiet in desperationem. Conscientia bona confidenter increpat stolidum: qui vero malus est, amarum conseruat silentium. Conscientia bona letificat animam: qui vero sibi malorum est conscius, continuam patitur mentis desolationem. Conscientia bona tuto reprehendit impium: qui autem rectitudinis amisit testimonium, semper timet redargutionem. Conscientia bona pulcherrime ornat: est animae: & qui non curat in hac vita sapientiam, in egestate morietur. Conscientia bona virtutum est domicilium, & vera mansio caelestium arcanorum. Conscientia bona totius est philosophiae consummatio, & omnium scientiarum plenitudo. Conscientia bona virtutum doctrix est optima, & disciplina omnium studiorum consummata. Conscientia bona fructum sanctitatis fert optimum, & stans fundata in timore domini, nullum admittit pec-

peccatum. Conscientia bona cunctis mundi opibus est preciosior, & omnibus desiderabilibus quae in hac vita possunt haberi, multum suauior. Conscientia bona Christianae perfectionis est meritum, & futurae felicitatis humiliter praesumptibile principium. Conscientia bona virtutum ager est fertilis, & odor paradisi dei dulcis atque suauis. Conscientia bona huius vitae comes est dulcissimus, & mediator inter deum & hominem gloriosus. Conscientia bona daemones multum est formidabilis, sed amica placens angelis sanctis. Conscientia bona morientem securum facit contra insidias daemones, & comestum habere meretur angelorum. Conscientia bona non timet apparere in conspectu iudicis, nec synderesis iudicium metuit accusantis. Conscientia bona spem habet in deum, & sine haesitationis inquietudine optimam confidentiam, quoniam qui se nihil mali commississe meminit, ad examen iudicij confidenter venit. Conscientia bona copiose a domino deo remuneratur, & in gaudium sempiternum commutatur. Conscientia bona est, non quae nihil mali perpetrat, sed quae pro dei amore munditiam conseruans ab omnino peccato, bonorum quoque operum exercitatione omnium se decentissime ornat. Conscientia enim bona secundum prophetam monitionem a malo penitus declinat, & bonum studiosissima intentione semper & continue operatur. Conscientia bona maxime decorat monachum, eumque facit a secularibus actionibus procul alienum. Conscientia bona dominum Iesum in simplici puritate sequitur, & nullis errorum maculis inquinatur. Conscientia enim quae bona est, & quadiu bona est, non potest esse erronea, sed manet semper in veritate sancti spiritus fundata. Conscientia vero quae fuerit erronea, non est bona. Error enim & veritati repugnat, & nullatenus cum bonitate participat. Conscientia autem errante periculum est proximum, & valde praecipit de scensus ad infernum. Sunt multi inter claustrales infirmi, & nimium imbecilles animo, qui conscientiarum suarum non semper recto diriguntur iudicio, causis variis praecipitati. Et saepe quidem conscientiae vel paruus vel magnus error consergit ex ignorantia, quotiens videlicet dubitat minus in spirituali exercitatione peritus, bona sit via qua considerat in animo, an mala. Quis enim recte ambulat in sua simplicitate intelligit omnia? In dubiis, maiorum sunt requirenda consilia, & quod illi decreuerint, monachus non dubitet amplectendum pro veritate sententia. Aliquando conscientia errat ex negligentia, quando monachus negligit semetipsum per examinem rationis discutere, & non la-

borat in dubiis veritatem indagare. Hinc error in conscientia perniciosus oritur, per quem ratio paulatim obnubilatur. Frequenter etiam superbia conscientiam facit erroneam, & a cognitione veritatis procul alienam. Superbus enim quanuis se nescire intelligat, sapiens tamen & doctus videri ab omnibus appetit, propterea faceri ignorantiam suam erubescit. Nonnunquam vero error conscientiae de singularitate oritur, cui praesumptio semper admixta perhibetur. Et haec pestis frequenter infesta est monachis, & his qui sanctitatem profitentur sine fundamento necessario humilitatis. Ouis enim quae vias singulares graditur, citius a lupis capta strangulatur. Aliquando etiam affectus nimium inordinatus conscientiam in errorem praecipitat, quando scilicet homo plus quam expedit, suam voluntatem amat. Quisquis enim affectu propriae sensualitatis ducitur, frequenter in veritatis iudicio excipitur. Hinc fieri non est dubium, quod multi conscientias habent erroneas, quia nimium diligunt carnis propriae voluptates. Omnis autem superbus, luxuriosus, immundus, & magnis vel publicis sceleribus innotatus, conscientiam suam studiosa peruersitate obnubilat, & erronee de futura retributione meritorum sentiat, & verbis & operibus frequenter manifestat. Affectus malitiosus rectitudinis peruertit iudicium, & carnis inordinata concupiscentia obnubilat intellectum. Aliquando insuper conscientia facit errare nimiam & immoderata pusillanimitas, quod malum partim ex ignorantia nascitur, partim ex sensualitate propria generatur. In hac autem scrupulositate monachum vel abbatis vel senioris alicuius magis experti sequatur consilium, & remere non defendat proprii capitis sentimentum. Periculosa est nimia scrupulositas, quia conscientiam in errorem praecipitat, & multos infeliciter supplantat. Omne quippe quod contra conscientiam agitur, ad infernum aedificare perhibetur. Nimia etiam perplexitas animi pluribus nocuit, eosque in varios errores praecipites dedit. Qui autem vere monachus est humilis, ad examen se confert sui rectoris. Nam quicumque superioris sui consilio in dubiis occurrentibus vititur, non facile daemones insidias supplantatur. Conscientiae enim monachorum quanto magis praelati sapientis discussioni expositae fuerint, tanto securiores ac magis lucidae nitescunt. Curandum igitur in primis fratres charissimi, ut conscientias habeatis ab omni errore liberatas, ac deinde a cunctis vitis puras, & postremo virtutum omnium sanctis operibus decoratas. Omni ergo custodia seruet cor suum monachus in veritate cupiens proficere, & quantum fieri potest,

GG ij

Amor dei spiritualibus exercitiis vires colligit.

Amabis deum si ex corde frequenter apud te repetes, quanta pro te & fecit & passus est.

Psal. 33.

Error in conscientia vnde.

Pusillanimitas in conscientia vnde oritur.

clausurâ sensibus adhibeat, nec aliquid mortiferum ingredi permittat. Quod si qualibet occasione se in aliquod peccatū cecidisse cognouerit, mox illud per veram pœnitentiam delere studeat, nec tempus concedat femini prauo, quo in deterius conualecat. Dum paruum est vulnus, adhibeatur remedium, quoniã si negligitur, crescit in immensum. Primis igitur motibus demoniacæ suggestiõnis fortiter fratres mei resistite, & hostem, quando paruus & infirmus est, superate. Si vero corporis sensualitas omnino lasciua fuerit, dura maceratiõne reducatur ad obedientiam, quemadmodum diuum patrem nostrum Benedictum fecisse nouimus, cum lubricam carnis petulantiam, vrticarum vepriumq; punitionibus extirpauit. Denique si horrendas impiorum futurarum pœnas ad memoriam sedulo reuocaueris, illicitos motus carnis facile superabis. Nemo enim est qui non plus dolorem timeat, quã diligat voluptatem. Gaudia quoque supernæ felicitatis, ad quæ peruenire desideras, ad mentem sæpius reducito, quoniã si ea fideliter cogitaueris, carnis incendium fortiter mitigabis. Quicquid in mundo delectat, corruptibile & momentaneum est, æternæ autem voluptatis gaudia sine fine permanent in æternum. Stultum est ergo & extremæ dementiæ, transitorium commodum eligere, & illud bonum quod in æternum manet, contemnere. Stultus apud homines iudicatur, qui auro præfert scoriã, sed insipientissimus apud deum habetur, qui bonis sempiternis temporalem antepõnit voluptatē. Qui serenam conscientiam diligit, ocium fugiat, quoniã sicut scriptura dicit, in desideriis est omnis ociosus, & multam malitiam docuit ociositas. Occupandus est bonis exercitiis animus, & sanctæ cõuersationis qui charitate ferueat ignis vsu continuo nutriendus. Ociosus enim nec sibi viuit nec proximo, sed ventri semper est deditus aut somno: mentem aperit vitiiis, & clausam vacuumq; tenet virtutibus. Ociositas incentrix libidinis, cito extinguit feruorem spiritualis deuotionis. Abstinentia quoque monacho valde in primis est necessaria, vt conscientia permaneat munda. Nam, vt diuus Hieronymus ait, repletus venter facile despumat in libidinem, & qui seruum suum nutrit delicatē, sentiet eum contumacem. Amator serenitatis conscientiæ, in sanctis orationibus sit continuus, quoniã sicut canis lapidē, ita dæmones fugiunt deuotam & continuam orationem. Acediam quoque diligenter caueat simul & mentis tristitiam, moxq; vt aliquam serpere tentationem senserit, ad consolationem scripturarū habeat recursum. Enimuero

Veniendi
occur-
rendū tē
rationi,
idq; quo
modo.

Magistri
dolor,
quã dili-
gatur vo-
luptas.

Ecclesi. 33.

Prou. 29

mentē quã dei sermo replerit, turpis cogitatio nõ intrabit. Quicquid agimus, quicquid cogitamus, quicquid operamur, dei semper sciamus adesse præsentiam, & inordinatã facile superabimus delectationem. Conscientia bona dei præsentiam nunquam obliuiscitur, sed iudicem semper adesse suum meditat. Agite nunc fratres mei vt conscientias habeatis puras ab omni scelere: & si quis grauatum se in aliquo delicto senserit, per veram pœnitentiam sine mora reuertatur ad necessariam puritatem. Nisi enim conscientias omni tempore mundas & bonas habueritis, apostatæ non monachi viuitis.

De ad mortem præparatione continua.
Homilia XXV.



Vmma claustralium philosophia fratres mei charissimi cõtina est meditatio mortis. Hinc quidã sapiens vtilitatem cõsiderans huius philosophiæ, quẽlibet admonuit mortalem dicens: Memorare nouissima tua, & in æternum nõ peccabis. Meditatio mortis hominem a voluptatibus carnis retrahit, & contemptum omnium corruptibilium inducit. Meditatio mortis præsentia voluntaria paupertate despicit, & mentem ad futurorum desiderium impellit. Meditatio mortis superbiã procul eliminat, & veram humilitatē in corde meditantis plantat. Meditatio mortis monachum circa obseruantiam regularis disciplinæ facit sollicitum, & nunquam permittit esse ociosum. Meditatio mortis omnes mundi vanitates amputat, & mentem in summa tēperantia conseruat. Meditatio mortis vanos & transitorios mundi honores facit contemnere, & nihil aliud quã futurum dei iudiciũ cogitare. Meditatio mortis paupertatē huius vitæ non metuit, quoniã sempiternas diuitias toto desiderio cõcupiscit. Meditatio mortis omnia huius mundi aduersa pro Christi amore patientissimè tolerat, quia nihil aliud quã supernam retributionem sperat. Meditatio mortis monachum facit humilem, & in cunctis mandatis rectitudinis obedientem. Meditatio mortis monachum quietum facit, & in congregatione stabilem, & cum omnibus in Christo bene concordantem. Meditatio mortis monachum quietum facit atq; pacificum, & sine mentis perturbatione aliquam tranquillũ. Meditatio mortis õnes dissolutiõnes & leuitates exterminat, & monachũ matrum & salubriter tristē in omnibus præseruat. Medi-

Ecclesi.
Meditatio
mortis
quia
plena
frugit
bona.

Meditatio mortis monachum facit solitariũ, & in sanctis orationibus continuè deuotum. Meditatio mortis accelerat pœnitentiam, & veram inducit cõpunctiõnē. Meditatio mortis desiderium ab omni vanitate subtrahit, & cõscientiam serenam & purissimam custodit. Meditatio mortis hominē facit omnia huius mundi solatia contemnere, & ad exitũ se quotidie præparare. Meditatio mortis ocium docet fugere, & facit hominē in timore domini iugiter vigilare. Meditatio mortis nulli facit iniuriam, quia distriãtam semper metuit iudicij rationem. Meditatio mortis iracundiã & omnes motus inordinatos mitigat, quia dum se homo cito moriturum cogitat, mentē nihil extrinsecum perturbat. Meditatio mortis cõtritum facit & humile, quia futurorum intertã memoria neminem permittit superbire. Meditatio mortis cõtina tutum in extremis facit exitum, quoniã ex multo tempore meditatē cõstituit præparatum. Meditatio mortis claustrales maxime decet ac monachos, quos omnium terrenorum abdicatio & ipsa profectio regularis mundo iam fecit mortuos atque sepultos. Meditatio mortis monachum facit in stadio spiritualis militiæ prudenter currere, & propositum sancti feruoris quotidie inuouare. Meditatio mortis continua valde vtilis est claustralibus, quoniã & carnis vitia potenter reprimit, & nullam peruersis cogitationibus mentis aditum concedit. Dicit enim sanctus præsul Angustinus: Timor de futura morte mentem necessario concutit, & quasi clausus carnis õnes motus superbiẽ ligno crucis affigit. Et sanctus ecclesiæ pugnator Hieronymus dicit: Nihil æque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quã frequens cogitatio breuis vitæ, cuius finis certus est, horã vero incertius nihil est. Meditatio igitur mortis omnem intemperatiã corrigit, & mores meditatiõis pulchra varietate stabiles cõponit. Meditatio mortis veram præstat homini sapientiam, & summam in claustralibus perficit philosophiam. Nam & Platonis sententiã fuit, omnem sapientum vitam meditationem esse mortis, propterea quod ea cõditiõne omnes nascimur, vt hinc rursus per mortem egrediamur. Dicit enim scriptura: Omnes morimur, & quasi aqua in terrã dilabimur, quẽ amplius nõ reuertuntur. Et sanctus Christi apostolus Paulus, Statutum est, inquit, hominibus semel mori. Meditatio necessariæ mortis continua facit hominem nunquã in terrenis rebus cõfidere, sed exitum suũ in omni loco & tempore cum pudentia expectare. Meditatio mortis terminũ viuendi semper in omni loco expectat, propterea quod moriendũ pũctũ penitus

2. R. c. 14.

Hebr. 9.

ignorat. Qui mortis futuræ quotidie meditat. aduentũ, quãta potest diligentia õi tẽpore se disponit ad moriẽdum. Nihil enim morte nobis certius est, quãuis horã moriendũ õnes ignorem. Vnde e charitates vestras fratres quã possumus instantia monemus, vt vos semper cogitetis morituros, taliq; vos pudentia ad moriẽdũ sedulo præparetis, vt cum venerit hora, egredi nõ timeatis. Nemo vitã sibi polliceatur in hoc mundo prolixã, quia nihil sic decipit mortales, quomodo spes cui lãgioris. Quid enim operatur in hominibus prolixior ætas, nisi q; pluribus delictis facit obnoxios, & ad moriẽdum semper minus dispositos? Quanto viuimus in hoc mundo diutius, tãto mortē amplius formidamus. Accumulat longior ætas maiora spiritualis obligationis debita, & tanto venire ante cõspectum distriãti iudicis homo senex amplius metuit, quanto se in pluribus ad reddendam rationem obligatum coram domino recognoscit. Animus enim de corpore suo inuit? egreditur, qui cõfictiæ suæ grauioribus stimulis agitur. Qui autem ab omni malicia iniquitatis est purus, & necessariorum decore virtutum ad salutem ornatus, mori non metuit, quia per mortem ad vitam sempiternã vadit. Qualis ergo mori vis o monache, talis nunc viue, quia mala mors esse non poterit, quam vitæ bonæ integritas præcessit. O q; secure moritur, quisquis dominum Iesum super omnia diligit, & omnia huius mundi bona pro illius amore cõtēnens, eius sermones veraciter custodit. Securus ab hac vita egreditur, qui sine macula cõfictiẽ semper in dei amore conuersatur. Secure moritur, cuius vita nullis huius mundi voluptatibus inquinatur. Mors enim sanctorum, somnus est dulcissimus, & ad vitam æternam tranquillus introitus. Mors autē peccatorum pessima, quorum vita mala, & diuinis institutionibus præcessit contraria. Qui viuit in peccatis deo cõtrarius, fit illi mors ad infernum horrendus introitus. Male nõ moritur qui bene vixit: & raro bene moritur, qui semper male vixisse demonstratur. Securus moritur, qui deum pura mēte super omnia diligit, & se ab hoc seculo nequam mūdum omni tẽpore custodit. Mors bonis & rectis corde oprabilis, quia terminum imponit exilio, & vitam reddit in cælo. Mors est relictio corporis, euerfio tenebrosi carceris, & depositio sarcinæ grauis. Mors est præsentium malorum terminus, tristitiæ finis, & omnis sepulchrum terrenæ voluptatis. Mortem bona vita in fide & charitate Iesu Christi facit preciosam, & dei seruo maxime optabilem. Curate nunc igitur fratres mortem sanctis præuenire ope-

Satis diu
vixit, qui
vixit sa-
tis bene.

Securus
quis mo-
ritur.

De ad mortem præparatione continua

ribus, & vobis facite virtutū studio iucundū, quod natura cunctis voluit esse necessarium. Mementote quoniā omnes necessario sumus mortales, & quando nō putamus, ex hoc mūdo transibimus. Nam, vt præful quidam dixit venerandus, tollimur ē medio facis vrgētibus omnes, & trahimur quō nos vita peracta vocat. Quodcūq; igitur possumus bonum operemur fratres mei dum tempus habemus, ne mortis præuēti imperio, nos fuisse negligētes nimium sero doleamus. Tempus solū est nostrum, cætera vero aliena sunt omnia. Labor militiæ nostrę spiritualis & si durus aliquātulum tepidis mentibus videatur, tamen breuissimus est, & cū vita cito terminabitur: sed merces bonorum operum, quæ dabitur nobis, manet in æternum. Meditatio cito futuræ mortis nunquam vos deserat, sed consideratione districte iudicij, quod nemo subterfugere potest, mentes vestras in dei amore iugiter cōpūgat. Ecce quot monachi nos in hoc Spanhemensi cœnobio per annos ferme quadringētos à prima fundatione suū uiuendo & moriēdo præcesserunt, quorū apud nos hodie nulla penitus superest memoria. Quod nos sumus, illi fuerunt: quod illi sunt, post breue tēpus erimus. Homines fuerūt mortales, quod sumus: mortui sunt & reuersi in puluere terræ, quod erimus. Abbas ego sum huius monasterij Spāhemensis quintus atq; vicesimus. nisi quatuor & viginti præcessissent ad mortem, ego certe vicesimus quintus non peruenissem ad hanc abbatiam. Locum alteri quoq; breui daturus sum, vt sextus atq; vicesimus abbatum numerus impleatur. Post illum rursus ordinabitur alius, & mors vnus institutio fit alterius, & dū alter succedit alteri, mortis imperio subiiciuntur vniuersi. Vbi sunt ergo fratres, qui nos in hoc monasterio præcesserūt? Quemadmodū nulla eorum memoria est apud nos, qui præcesserunt, ita & nos in obliuionē erimus sempiternā apud illos qui sequentur. Hęc præcogitemus fratres charissimi dū uiuimus, ne imparati mortē incidamus. Sicuti quotidie properamus ad mortem, ita quotidie pro viribus præparemur: quoniā securus moritur, qui bonis & sanctis operibus in vita decoratur. Nō vos decipiat spes vitę longioris, quoniā quāto diutius in hoc mundo uiuitis, tanto breuius viēturi estis. Ecce quotidie ad mortē tendētes morimur, quotidie vna pars vitæ nobis amputatur, & quanto vita nostra diutius protrahitur, tanto reliquū viuendi tēpus abbreviatur. Omne quod viximus tempus totū amisimus, quia præterit: quod hodie uiuimus momentaneum, cū morte diuidimus: quantū viuēdi de futuro restet nobis tēporis, ignoramus. Quid

Advers^o
spē vitæ
longioris.

igitur in vanitate huius vitæ confidimus, qui cito morituri sumus? Itaq; assidue cogitemus fratres eō nos cito peruenturos, quō nos omnes maiores nostri dudū præcesserūt. Omnes hac lege nascimur, vt breui moriamur. Mors illis videatur terribilis, quorū vita in carnis voluptate tota polluitur, & nihil in cælo bonorum referuatur. Nos q; spē nostrā in dominū Iesū Christū saluatoreē oīm collocantes, mundi voluptates p̄ eius amore contēpsimus, mortem quare timeamus? Veruntāmē cū oīm terribiliū terribilissimū sit mors, indiscretū moriēdi timorem ita ppulsare poterimus, si nos quotidie quasi iā morituros præparemus. Aliud tamen est pauorē mortis habere, aliud tremorē. Nā & dominus Iesus pauorē mortis præsentis nō tremorē, vt duarū pprietates naturarum ostenderet. Meditatio igitur mortis continua nobis infirmis oīmō est necessaria, vt mens necdū in charitate Christi perfecta, quasi violento quodā impulsu ad cōpunctionis gratiā exciteretur. Memoria enim futuræ mortis, quasi clauus qui ligno infigitur, ita mēs pauore vtili penetratur. Memoria mortis arduam introducit pœnitentiā, & verā mentis sobrietatē. Memoria mortis necessaria est insipientibus, quorū cōuersatio à seruili timore incipitur, vt per filialē successiue in charitatē eleuetur. Memoria mortis & districte examinis futuri iudicij dei maxime illis est necessaria, qui mala cōsuetudine ac diuturna trahuntur ad peccandū. Et sunt intervos quidam in militia spiritali nimis repidi & negligētes, quos momentes exhortamur paternē, quatenus se recordentur esse mortales, taliterq; viuāt deinceps, vt mori nō timeant. Valde enim periculosum est in eo statu viuere, in quo mori quis formidaret. Ita viuendū est, vt mortem expectemus securi: quod tunc demū fieri potest, si nos in oīm puritate mentis & corporis cōseruantes, in exercitiis diuinæ charitatis iugiter ferueamus. Viuamus quantū fieri potest innocenter, secūdū diui patris Benedicti regulam quā professi sumus, & spē habebimus bonam, quoniā miserebitur nostri omnipotens deus, qui perire hominē nō permittit bonæ voluntatis. Deū semp cogitem^o nobis vbiq; præsentē, qui oīmnia videt, oīmnia nouit, oīmnia intelligit, omnia remunerat: & ea puritate viuamus, qua nos suæ maiestati sanctissimæ militare polliciti sumus.

FINIS.

¶ Libri primi exhortationum ad monachos finis adest manu mei ppria Ioannis Tritemij abbatis Spanhemensis scripti 9 die mēsis Iunij. Anno Christianorū 1486. Indiēt. 4. Anno ætatis mex 24. Hoc opus dicaui antecessori meo nunc abbati Selgenstatteni charissimo.

Epi.

Epistola.



IOANNES Tritemius abbas monasterij Spanhemensis licet indignus, reuerendo patri domino Ioanni de Colenhausen abbati Selgenstatteni, quondam verò Spanhemensi, antecessori meo charissimo cum orationibus animum complacendi promptum atque paratū. Miseram nuper ad te præceptor venerande librum meum exhortationum ad monachos primum quinque & viginti continentem Homilias, quem postea quam tuo examine comprobatum intellexi, etiam hunc secundum quem nunc mitto, nomini tuo duxi confidenter inscribendum.

In illo ad institutionem fratrum Homilias XXV. quas coram eis habueram, comportavi: in isto sermones numero septem, secundum ordinem quo dicti sunt in eorundem presentia, ordinavi. Examen paternitatis tuæ subire non vereor, quoniam te præceptorem semper mansuetum habui, & veritatis syncerum amatorem dudum expertus sum. Ingenio quippe viges & miti & profundo, qui facile inter verum & falsum potes discernere, & vbi requirit necessitas, omnia sufficienter emendare. Vnde secundum innatam tibi mansuetudinem patienter feras ingenii mei ruditatem precor, qui & in scientia scripturarum sum paruulus, & in ordine prælatorum nouitius. Dabit mihi, sicuti confido, in scripturis exercitatio vsus, & continuata scribendi sollicitudo profectum. Occupatio rei familiaris & inopia loci sæpius me à saluari studio retrahunt, & animum contra voluntatis propositum aliorum transponunt. Diebus tantummodo festis atque dominicis mihi ad scribendum conceditur otium, in quibus ob dei reuerentiam nullas soleo admittere causas rusticorū. Interdum etiam post decantatas ex consuetudine laudes matutinas, quod reliquum est noctis, studio literarum soleo impendere, & aliquid pro fratrum meorum institutione, prout possum, lucubrare. Cupio enim tua in omnibus sequi vestigia, & laudabilem docendi subditos consuetudinem, quam introduxisti, perpetuo, si possum, obseruare. Scio me ad hoc obligatum ex officio, & quauis sum rudis & indoctus, libenter tamen volo pro viribus in discendo simul & docendo esse sollicitus. Sermones istos examini tuo subicio, quos vt magisterii tui lima corrigat, humili supplicatione expostulo. Paucos è pluribus comportavi in ordinem, quoniam nec omnes commendavi literis, nec videbatur mihi nimia libri extensio vel necessaria vel utilis. Festis enim diebus, quando feriamur à tumultu negotiorum mundialium, lectiōni vacamus iuxta regulam scripturarum. Et ne frustra locū videar occupare pastoris, quod noctibus lucubrari, soleo post nonas loco regularis studij dicere, & coram fratribus in conuentu ex chartula recitare. Experior enim quod hæc sollicitudo mea non solum fratribus ad adificationem proficit, sed etiam mihi ad dictandi peritiam conducit. Vale præceptor venerande, & ora pro nobis. Ex Spanheim duodecimo die mensis Septembris. Anno Christianorum Millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto.

Trite-
mii etiā
tum ado-
lescentis
feruens
erga bo-
nas lite-
ras stu-
dium.

GG iij

IN NOMINE DOMINI NO-
stri Iesu Christi incipit liber exhortationū
ad monachos secundus Ioannis Tritemij
abbatis Sphanhemenfis, postea Peapolitani,
Quod caute sit monachis viuendum.

Sermo primus.



Multa quidem
sunt fratres di-
lectissimi vo-
bis ad conside-
rationē in hac
vita necessa-
ria, si ad aeter-
nē salutis glo-
riam cupitis
peruenire. Sci-
tis enim scri-

1. Petr. 5. ptura testante, quoniam aduersarius vester dia-
bolus, sicut leo rugiens circueit, querens quem
deuoret, cui magna vigilantia in fide domini
nostri Iesu Christi per charitatis opera noui-
mus resistendum. Nemo igitur de suis viribus
presumat, ne in vanitate confidat: quoniam
nisi vos in timore domini humiliter continue-
ritis, cito in laqueum diaboli cadetis. Quanto
magnus es (scriptura precipit) humilia te in
omnibus: quoniam deus resistit superbis, & gra-
tiam concedit humilibus. Monachum etenim
debet esse humilem, & verum huius mundi co-
temptorem. Monachum oportet in obseruan-
tia regularis disciplinæ semper esse sollicitum,
& in timore domini continue studiosum. Mo-
nachum oportet castum & pudicum esse mente
simul & corpore, vt deo seruiat, quemadmo-
dum promissit, in omni puritate. Monachus non
debet viuere secundum voluntatem propriam,
sed secundum regulam, & pastoris sui confor-
mem normæ institutionis cœnobiticæ dire-
ctionem. Monachus negotiosus & sanctum
debet amare silentium, & mentem suam occu-
pare vtiliter in lectione scripturarum. Mona-
chus omni tempore vsq; ad mortem debet esse
sollicitus quatinus in obseruatiā mandatorum
dei & regulæ sit perfectus. Vt autem sciatis quæ
vobis in sancta religione conuersantibus ad
perfectionem sint necessaria, describam vo-
bis quendam virtutum tramitem, per quæ ad
regnum cœlorum viam oportet dirigere. Vir-
tutes autem omnes mutuo coherent neces-
situdinis glutino, vt qui vnâ perfecte possidet,
omnes habere videatur, & qui vel vna caret,
nullam penitus dicatur possidere. Omnium
virtutum prima ad salutem necessaria est san-
ctissima fides catholica, ab omni errorum &
hæresum pollutione segregata, & in doctrina

Series
quedam
virtutum
ac velu-
ti gradus
ad regnum
cœlorum.
Fides pri-
ma & ori-
gino om-
nium virtu-
tum.

domini nostri Iesu Christi originaliter radi-
cata. Nam, scriptura testante, sine fide impos-
sibile est placere deo: & qui non credit in vni-
genitum filium dei, iam iudicatus est, & ira dei
manet super eum. Omnium ergo virtutum ori-
go fides est, de qua omnia salutis studia oriun-
tur. Fides in deum vera & recta timorem do-
mini generat, quoniam si deum credimus ius-
tum, merito confitebimur esse timendum.
Fides recta spem parit & confidentiam, quia
dum misericordem deum credimus, mox de
bonitate illius salutem nos posse consequi spe-
ramus. Fides charitatem generat, quia si deum
esse summum bonum credimus, ipsum sine
dubio amamus. Quis enim non amaret, quod
summum bonum non dubitat? Fides est sub-
stantia rerum sperandarum, argumentum non
apparentium, & vnicum salutis nostræ fun-
damentum. Fides deo coniungit animam, &
facit eam in medio charitatis æterni regis a-
micam. Dicit enim sanctissimus presul Au-
gustinus: Nullæ maiores diuitiæ, nulli thesau-
ri, nulli honores, nulla huius mundi maior est
substantia, quam est fides catholica, quæ pec-
catores homines saluat, cæcos illuminat, in-
firmos curat, catechumenos baptizat, fideles
iustificat, poenitentes reparat, iustos augmen-
tat, martyres coronat, virgines, viduas & con-
iugales casto pudore conseruat, clericos ordi-
nat, sacerdotes consecrat, credentes cum san-
ctis angelis in æterna hereditate cœlorum
collocat. Vbi autem sana fides non est, non
potest esse iustitia, quia iustus ex fide viuunt, &
qui caret iustitiæ merito, portionem nullam
habebit cum Christo. Fides est humanæ salu-
tis initium, sine qua nemo ad numerum filio-
rum dei potest peruenire, nec partem aliquam
in regno dei possidere. Fides fundamentum
virtutum est omnium. quicquid extra fidem
agitur, proculdubio ad gehennam ædifica-
tur. Fides christiana lampas est pulcherrima,
illuminans animam, & per obseruantiam man-
datorum introducens eam ad felicitatem æ-
ternam. Fides in primis mentem reducit ad
dei scientiam, postea dat præcepta viuendi ad
obedientiam, & cum homo dei mandata cus-
todierit, spes consequendæ salutis erigitur,
deinde charitas in cordibus firmatur. Fides
cognitionem dat anime, cognitio parit actionem
in charitate, & his duobus beatitudo repro-
mittitur in æternitate. Cauendum sum mopere
ne sit error in cognitione, quia dum fides re-
cta hæresum falsitate corrumpitur, ad salutis
portum actione nulla peruenitur. Sit ergo in
fide rectitudo & veritas, in actione iustitia &
sinceritas, & nulla dominabitur iniquitas.
Fides enim sine operibus mortua est, & nihil
mere-

Hebr. 1
Ioan. 3

Hebr. 11

Abac. 2

Iacob. 2

meretur ad salutem felicitatis æternæ. Fidem
habere sine operibus charitatis, est imitari da-
mones, qui cum ab omni charitate procul sint
alieni, deum tamen esse iustum & credunt &
contremiscunt. Hinc de credulis qui opera non
exhibent charitatis, dominus loquitur per prophetam
Esaia, & postea per semetipsum in sancto eu-
angelio dicens. Populus hic labiis me honorat,
cor autem eorum longe est à me. Qui Christum
ore laudat sine opere, quasi vir qui dubitat in
fide. Nam si veraciter crederet, deum vique
timeret. Fides sine operibus quasi corpus sine
spiritu mortuum, quod à viuorum sublatum
conspicibus absconditur in sepulchrum. Si
bene credis, & male viuas, proprio gladio
perimis, quia scienti bonum & non facienti,
peccatum est illi. Cauete fratres mei ne quem
errorem admittatis in fide, & curate summo-
pere vt nulla sit nequitia in operatione. Se-
quamini fidem quam nobis sancta commen-
dat ecclesia, agite vitam sicut euangelium præ-
cipit, & norma cœnobitica. Deinde spem
habeatis in dei miserationem omni tempore
certissimam, sed nunquam à timore domini
alienam. Spes est futurorum bonorum certa
per gratiam misericordie dei expectatio, & me-
redi per charitatis exercitium iustitiæ coro-
nam sollicitudo. Spes est certa expectatio fu-
ture beatitudinis: quam gratia dei operatur
in nobis comitante rectitudine bonæ volun-
tatis. Spes est qua quis venire ad vitam æter-
næ felicitatis sperat, quam desiderat, & me-
diante gratia dei suam etiam voluntatem in-
occursum componit & aptat. Spes est bono-
rum arduorum futurorum & possibilium, qui-
bus nemo sperat contrarium. Neque enim ma-
lum quis sperat neque leue, neque quod præ-
sens est siue preteritum, nec ignoramus spem
non esse impossibilem. Spes moderatrix laborum est
omnium, & vnica consolatrix in medio tri-
bulationum. Spes enim futurorum bonorum
laborantibus pro Christo in hac vita parit re-
quiem, sicut in agone certantibus mitigat do-
lorem vulnerum coronæ expectatio per con-
tinuam victoriam. Spes in tormentis roborauit
martyres, & fecit eos in virtute Christi om-
nibus persecutoribus fortiores. Spes æternæ
beatitudinis conseruat ecclesiam, & dedit sanctis
confessoribus atque virginibus veram in Chri-
sto charitatem. Spes deiecit moerore fortiter
erigit animum, & quanto se per amorem altius
sustulerit, tanto minus contraria huius mun-
di sentit. Beatus vir, qui confidit in domino,
quia spes non confundit, sicut sanctus promi-
sit Apostolus, qua salui facti sumus. Vt autem
spes non erumpat in presumptionem, timor
domini ad salutem nobis est necessarius, vt

Esa. 29
Mat. 23

Iacob. 4

Spes
quid.

Hic. 17
Rom. 5
Rom. 8
Timor
spem non
desituat

quem piū & misericordem credimus, ius-
tum etiam & rectum non dubitemus. Dicit enim
beatissimus papa Gregorius. Nobis nihil secu-
rius quam sub spe timere, ne incauta mens vel
desperando se in profundum vitiorum deiiciat,
vel extollendo de donis presumptuosa
ruat. Nam quanto ante oculos districti iudi-
cis sub spe humilius trepidat, tanto in illo ro-
bustius stat. Timor dei mentem corrigit, & pu-
rā ab omni malitia custodit. Timor domini
initium est sapientiæ, quoniam in via dei à ti-
more ineipitur, vt paulatim ad charitatis for-
titudinem perueniatur. Timor domini com-
ponit monachum, & facit eum in obseruantia
regularis disciplinæ studiosum. Timor domini
custodit regulam, & seruat veram mentis &
corporis puritatem. Timor domini nihil eorū
quæ præcepta sunt negligit, sed omnia solli-
cite custodit. Timor domini nullum admit-
tit ocium, sed continue occupatur circa bo-
num, vt excludat peccatum. Monachus qui abie-
cit timorem domini, quasi ciuitas in medium
deueniens hostium, cuius omnes destructi sunt
muri. Vrbs sine murorum custodia cito ab ini-
micis capitur, & monachus qui non habet dei ti-
morem, facile à daemonibus superatur. Solus
enim dei timor est qui mentes corrigit, fugat
crimina, innocentiam seruat, & facit mona-
chum in sanctitatis proposito perseverantem.
Ex timore paulatim oritur charitas, quæ cum
iuuante deo veraciter in mente radicata fue-
rit, seruilem timorem superans iam foras mit-
tit. Radix omnium bonorum est charitas, quoniam
quicquid in hac vita boni agitur, vt deo
placeat, per solam charitatem temperatur. Cha-
ritas omnium virtutum est maxima, sine qua nihil
sunt cuncta mortalium facta. Dicit enim sanctissi-
mus Christi apostolus, Si linguis hominum lo-
quar & angelorum, charitatem autem non ha-
buero, factus sum velut æs sonans, aut cymba-
lum tinniens. Et si habuero prophetiam, & no-
uerim mysteria omnia, & omnem scientiam,
& si habuero omnem fidem ita vt montes trans-
feram, charitatem autem non habuero, nihil
sum. Et si distribuero in cibos pauperum om-
nes facultates meas, & si tradidero corpus
meum ita vt ardeam, charitatem autem non ha-
buero, nihil mihi prodest. Considerate dilige-
ter iam nunc fratres mei vosmetipsos, & con-
scientias vestras interrogate, si veram habeatis
charitatem dei, sine qua nihil cetera om-
nia proficiunt ad salutem. Audiuitis enim sen-
tentiam apostoli manifestam, qua charitatem
dicit ad salutem esse necessariam. Nemo in
sapientia huius mundi confidat, nemo de acce-
ptis donis naturalibus inaniter se extollat, ne-
mo de continentia corporali presumat, quo-

Psal. 110

Argumē
ta prae-
sentis
charita-
tis.

Humili-
tas qua
savitus.

Pruden-
tia Chri-
stiana
quid.

niam si charitas defuerit, nihil ad salutem reliquorum obseruantia conducit. Verum ne quis falsam de se aestimationem praesumeret, sanctus Apostolus signa quaedam operationes charitatis exposuit, dicens, Charitas patiens est, benigna est, charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit. Habete charitatem dei in vobis fratres mei, quam nisi custodieritis, frustra certando laboratis. Humilitatem vobis saepius diximus omnem esse necessariam, quae non solum virtus est magna, sed reliquarum quoque virtutum nutrix & custos omnium praecipua. Dicit enim magnus papa Gregorius: Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi puierem in ventum portat. Maxima enim monachorum virtus humilitas est, quoniam tanto esse humiliores tenentur ceteris in mundo vitam agentibus, quanto ex professione ad maiorem perfectionem conari & redere sunt adstricti. Virtutum stabile fundamentum est humilitas, super quo quicquid constructum fuerit, nullo tempestatis turbine subuertetur. Per superbiam diabolus de caelo cecidit, per humilitatem homo ascendit. Frustra nominamur monachi, si non fuerimus humiles: quoniam sicut ignis si fomento careat lignorum, extinguitur: ita monachus sine humilitate suo nomine valde indignus iudicatur. Humilitate Christiana diabolus vincitur, & quasi clauo percussus fugiens superatur. Nulla splendidiore gemma in ornatu monastico humilitate cernitur: quam si monachus contempserit, & professionem suam & Christum humilem negauit. Humilitati succedit prudentia, quae omnia semper ad normam rationis dirigit, & nihil praeter rectum honestum & laudabile facit. Prudentia nouit quid virtuose debeat appetere, & probe scit quae secundum rectum rationis iudicium debeat vitare. Prudentia vera & perfecta est qua summum illud incommutabile bonum appetimus, & omnia ad finem debitum & rectum ordinamus. Prudentia regularis disciplinae obseruantiam in vigore conseruat stabilem, & reducit aberrantes monachos ad amissam propositi integram reformationem. Prudentia monachum in recta salutis via dirigit, & in neutram partem declinare sinit. Prudentia inter fratres pacem conseruat & concordiam, & rectam ordinat in singulis actionem. Prudentia vobis o fratres mei valde est necessaria, qua noueritis in omni actione quae vobis assumenda sunt, & quae rursus fugienda. Vera prudentia non car-

nis sed spiritus docet vos mundum contemnere, & solum ea quae futura & aeterna sunt desiderare. Prudentia docet hominem in semetipso stabilem consistere, & neque in prosperis neque in aduersis a sanctitatis proposito declinare. Prudentia docet pulchre ordinare praesentia, ad memoriam pro informatione reducit praeterita, & ne quid inopinatum accidat, prouidet futura. Prudentia delinquentes utiliter & fructuose corripit, & omnia quae vel agit vel dicit aut cogitat, secundum rationis iudicium ad finem debitum componit. Estote igitur prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae: quia prudentia sine bonitate malitia est, & simplicitas sine prudentia rationali, stultitia nominatur. Dicit enim sanctissimus Paulus Christi apostolus: Prudentia carnis, mors est. Prudentes estote, ne fraude aliorum circumueniamini: simplices vero, ne quae circumueniatis. Hoc enim prudentis officium est, nec falli posse, nec aliquid velle decipere. Vir prudens iudicium rationis non deserit, & nihil de quo sit poenitendum, agit. A prouidendo enim prudens dicitur. Prudentiam committatur iustitia, quae omnium virtutum est splendidissima. Nam sine iustitia nihil sunt reliquae virtutes omnes. Iustitia est conseruatrix religionis, mater gratiae, obseruantiae nutrix, veritatis alitrix, genitrix pacis, & origo pietatis. Iustitia est virtus quae distribuit & conseruat unicuique quod suum est, quae propriam utilitatem negligit, ut communem seruet utilitatem & aequitatem sine qua nulla Respublica diu in pace potest subsistere. Dicit enim in Ecclesiastico vir sapiens: Regnum a gente in gentem transferuntur propter iniustitias, & iniurias & contumelias, ac diuersos dolos. Ordo iustitiae primum respicit deum, deinde patriam, exinde parentes, postea omnes in communi secundum distinctiones graduum, & merita dignitatum. Deo in primis iustitia dictate debemus religionem, fidem, cultum, deuotionem & gratiarum actiones, & veram ex toto corde sub obedientia dilectionem. Nobis deinde puritatem mentis & corporis, continentiam cum studio perfectionis, quo ad illum nobis per obedientiam redire liceat, a quo creati sumus. Tertio loco patriam debemus commodum, honorem & defensionem, eiusque quantum possumus cum ipsa iustitia procurare utilitatem. Quarto parentibus tenemur exhibere honorem & obedientiam, & in eorum necessitate curam & omnimodam sustentationem. Quinto praelatis & superioribus nostris debemus obedientiam & humilem pro amore Christi subiectionem. Sexto debemus praelati doctrinam & pabulum subditis, correctionemque delin-

Mat. 10.

Rom. 1.

Iustitia
velut
tome
quaedam
omnium
virtutum.

Ecclesi.

Iustitiae
sue
clauis
gradus.

Temperantia.

Discretio.

Horati.

Fortitudo
Christiana
quid.

delinquentibus. Septimo autem loco debemus maioribus & principibus honorare, & sine crimine pro dei amore subiectionem. Octavo debemus venerabilibus personis reuerentiam, & sacerdotibus honorem. Consequenter aequalibus tenemur praestare amicitiam, inferioribus dignationem, benefactoribus vicissitudinem, amicis communitatem, inimicis patientiam, pauperibus misericordiam, miseris consolationem, omnibus charitatem. Haec autem est vera iustitia, qua deum ex toto corde propter seipsum diligimus, & proximum nostrum in deo sicut nosmetipsos: inimicos autem propter deum, distribuere unicuique, quod sibi iure debetur, omnium utilitati prouidentem. Sed cum nimia iustitia facile incurrat peccatum, temperantia omnibus vobis necessaria est, quae sola perfectos facit. Est autem temperantia virtus ratione discernens & vincens animi motus & omnem libidinem, ne imperpetuum in agendo excedat legis aequitatem. Temperantia virtus optima voluptatibus imperat, & omnia in ordine debito conseruat. Omnibus actionibus, verbis quoque & cogitationibus vestris adhibete temperantiam, & necessariam virtutibus discretionem. Quicquid boni cum discretionem feceritis, virtutis merito vocabulum accipit: quod autem sit sine discretionem, vitium est dicendum. Discretio moderatrix virtutum est omnium, & maximum prudentiae ac iustitiae ornamentum. Discretio non solum praelatis, sed etiam subditis est necessaria, quoniam ipsa virtutibus dat ordinem, affectionibus confert modestiam, & cunctis hominum consiliis tribuit decorum pulcherrimum & honestatem. Hinc quidam sapiens dixit: Est modus in rebus: sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Ad hoc animi fortitudo vobis necessaria est fratres, per quam non solum constantes efficiamini in aduersis, sed etiam prompti & alacres in arduis. Quis enim sine animi fortitudine maxima hunc mundum cum suis voluptatibus posset contemnere, & in sancta religione monastica sub obedientiae legibus usque ad mortem perseverare? Fortitudo animi vires de charitate Christi suscipit, & constans non minus in aduersis quam in prosperis virtutis desiderio consistit. Fortitudo viam rectitudinis absque timore graditur, & hostibus quadam sancta superbia terribilis & formidanda videtur. Fortitudo animi paruulorum contemnit iniurias, & omnes facile superat carnis voluptates. Fortitudo in prosperis latet, in aduersitate ostenditur, & manifeste per patientiam declaratur. Animo fortis est, non qui vindicat iniurias sibi illatas, sed qui patienter tole-

rat, & si acceperit in potestatem aduersarium, potuisse vindicare vindictam putat. Monachorum fortitudo est mundum contemnere, carnem vincere, omnes mundi honores & voluptates spernere, & in solum deum spem omnem & confidentiam collocare. Mensura fortitudinis est nec timidum esse, nec audacem, quoniam recta recedens via, neque ad dexteram declinat, neque ad sinistram. Monachus ille fortis est iudicandus, qui temperans est in omnibus, moderatusque & iustus. Hinc dicit sanctissimus papa Gregorius: Iustorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitae praesentis extinguere, huius mundi aspera pro aeternis praemiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare. Fortes facti sunt sancti in bello, quia carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, caelestia appetunt, occidi possunt, flecti non possunt, nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec laxi unquam a veritate conticescunt. Monachus ergo qui vera virtute fortis est, nec temere audet, nec incosculte timet. Regia enim via est fortitudo simul atque constantia: a qua temerarius & pertinax declinat ad dexteram, timidus vero pusillanimis pauidusque ad sinistram. Monachus animo constans & fortis nunquam recedit a sanctitatis proposito, sed nec aduersis deprimitur, nec prosperis eleuatur. Vnde & sanctissimus praesul Ambrosius: Stultus, inquit, ut Luna mutatur: sapiens autem metu non frangitur, potestate non mutatur, non extollitur prosperis, non mergitur tristibus. Vbi enim sapientia & virtus, ibi constantia est & fortitudo animi. Sapiens ergo semper idem est animo: non minuitur nec augetur mutationibus rerum, nec ut paruulus fluctuat, ut circumferatur omni vento doctrinae, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicansque in fidei perfectione. Postremo fratres mei charissimi perseverantia vobis in omni opere bono & virtuoso necessaria est, sine qua nemo unquam peruenit ad gloriae coronam. Dicit enim in sancto euangelio dominus: Qui perseverauerit usque in finem, saluus erit. Tolle perseverantiam, & neque virtus habebit praemium, nec mercedem obsequium, nec gratiam meretur beneficium. Sola etenim perseverantia bonorum operum coronam laudis meretur accipere, sine qua nihil prodest bonum inchoasse. Nullius virtus habet meritum, cui perseverantia non dedit incrementum. Non incipientibus bonum, sed perseverantibus in bono usque ad mortem, regnum aeternae felicitatis repromittitur, quia non mane, non meridie, sed cum sero factum esset, la-

Heb. 12.

Ecclesi. 27

Perseuerantia
colophoest
omnium
virtutum.
Mat. 24.


Mat. 20.

borantibus in vinea denarius reddebatur. Nō enim qui bene cœpit laudāus est, sed qui bene continuauit vsque ad finem, honorandus est. Quocirca fratres mei sedulovos admone- re soleo, nec vnquam debeo cessare, quatinus diligenter attendatis vocationem vestram, & caute ambuletis in omni religione & sancti- tate, quemadmodū iuratos decet milites Chri- sti. Nunc enim tempus est benefaciendi, quia cum mortis hora aduenerit, omnem facultatē operandi funditus amputabit. Et ideo quā- diu viuitis sani & incolumes, benefacite, futu- ram retributionem semper cogitate, & quoti- die in profectu spiritali crescite. Quærite do- minum dum inueniri potest. Christi saluato- ris vita sit imitatio vestra, quem sequi pro vi- ribus non gressibus pedum sed similitudine affectionū, ex institutionis vestræ fundamen- to tenemini. Cautē in omnibus ambulate, ti- more dei in vera humilitate semper antē, men- tis intuitum ponite. Magna enim puritate vo- bis est opus, qui mente & corpore in sanctam Christi militiam consensistis. Ad vos nunc per- tinet o fratres mundum & omnia quę in mū- do sunt propter deū perpetua fortitudine cō- temnere, omnes carnalium voluptatum mo- tus vincere, peccatum fugere, in bonis & san- ctis operibus vos iugiter occupare. Vita quo- que vestra, quantum fieri humana infirmitas finit, puritatem debet imitari angelicam, & o- mnem fugere ac detestari prauitatem. Angeli autem sancti nunquam sunt ociosi, sed in lau- dibus dei semper absque fatigatione vel tædio solliciti. Angeli sancti deum super omnia di- ligunt, & ab eius charitate nec momentaneē quidem recedūt. Horū imitatione monachus in obsequio Christi debet esse assiduus, & sem- per in bonis operibus secundum euangelium & regulam occupatus. Monachus dei charita- tem debet habere feruentissimam, & proximi veram ordinatamque & sincerā dilectionem. Amor etenim feruens in deum perficit mona- chum, & non sinit esse ociosum. Dicit enim quater sanctissim⁹ papa Gregorius: Amor dei nunquam est ociosus. Operatur enim magna si est: qui si operari renuit, verus dei amor nū- quam fuit. Nā si de carnali amore verū poeta dixit in san⁹, qui nō vult fieri desidiōsus, amet: quanto fortius castissimus dei amor mentem ad ardua impellit, quam possidet. Amate deū fratres in toto corde, quantum se desiderii for- titudo potest extendere, & omnia quę vobis præcepta sunt, facillime potestis obseruare. Ni- hil enim amantū difficile, sed omnia dura, omnia graua & ardua, ardens facilia facit a- mor.

Esai. 55.

Monachus Angelum Dei refectur.

Que sit ordinatio vite monasticæ bona, Sermo secundus



Egimus institutionem sanctissimi patris nostri Benedicti, quā vsitato vocabulo religionem siue ordinē appellamus, in principio fundationis suæ claruisse sanctissimā, & per totam Latinarum ecclesiā valde & multipliciter fuisse dilatam. Vnde annis quamplurimis in hoc ipso ordine multi claruerunt viri sapientes eruditi atque sanctissimi, qui omnem magnificē illustrauerunt ecclesiā. Sunt enim qui scribant ex hac monastica religione nostra sanctorum catalogo insertos tā viros quā moniales quindecim milia sexcentos. Horum nobis multitudo sanctorum in ordine fratres ad imitationem proponitur, non ad vane gloriandum. Quid eorum multitudo nobis ad salutem nostram potest conducere, si conuersationē qua præcesserunt, nō imitamur? Quotiē ordinis nostri viros sanctissimos laudare vtiliter cupimus, ad eorum consortium venire sanctis moribus festinemus. Tunc etenim de multitudine sanctorum ordinis nostri fructuose gloriabimur, si recte viuentes eorum numerum augere sedulo conemur. Propterea nanque tantam vobis multitudinem sanctorum proponimus, vt cum vicisse mundum & carnem multos ante vos in hoc ipso ordine conspiciatis, de vestra tandem conuersatione tepida resurgatis. Virtutem, quam illis dei miseratio contulit, vobis in vera charitate petentibus non negabit. Vicerunt illi mundū, quia Christum tota deuotione dilexerunt, omnia pro eius amore cōtemnentes. Cōtempserunt omnia, & dominus Iesus prouidit illis quęcunque videbantur eis ad sustentationem vitę necessaria. Durauit hic feruor deuotionis monachorum post primam ordinis institutionem pluribus annis in magna constantia, & multorum milium hominum animas conuertit ad dominū. Sed nihil stabile in humanis, nihil perpetuum in caducis. Contulit monachis religio sancta diuitias, donec matrem filia ex tempore suffocauit. Nam vt scriptura dicit, omnes qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes diaboli. Incrassatus est dilectus & recalcitrauit: impinguarus & dilatatus terrenis possessionibus, dereliquit institutionis primę sancta studia, abiit post vanitates & infanias falsas, quem copia rerum temporalium diuitiis spiritalibus inopem & miserum fecit. Hęc ordinis nostri miserāda deformitas cœpit post diui patris Benedicti transitum annis ferme

Plures hodie multo numerantur.

Sāctitas antiquo rum patrum vsq; ad prodigiū refertur, vt ne dicā perit in filiis.

1. Tim. 6

Deut. 32.

ferme ducentis, & magis ac magis cum tempo- re creuit, quousque tandem per totum ordi- nem noxium virus sese diffudit. Hęc autem deformitas ordinem non subito sed per mul- torum successum annorum tandem pene to- tum occupauit, quauis omnipotens deus bonis eum viris in toto nunquā destituerit, sed reliquit sibi semper aliquos, qui genua sua ante Baal minime curauerint. Surrexerunt enim viri misericordię, quorum iustitię nū- quam tradentur obliuioni, qui ruinę ordinis compatientes, humerum submisere labori, & eum, largiente domino suffragium, in multis locis restaurarunt. Multę quidem varię refor- mationes in ordine particulares multotiēns diuersis temporibus viguerunt, sed nulla fuit vnquam generalis, quę totum ordinem ad in- tegralitatem regularis obseruantię reduceret. Denique particulares instaurationes, quas plu- res fuisse diximus, quasi omnes collapsas ite- rum videm⁹. Nouissime autem, eo vide- licet anno Christianorū millesimo quadrin- gētesimo atq; vicesimo, quo cōciliū generale celebratur in Constantia, noua quędā & hac- tenus vltima reformatio particularis in Ale- mannia sumpsit exordium, quę a quodā cō- nobio in Saxonię partibus tunc quidem om- nium pauperimo, quod Bursfeldia nūcu- patur, appellatiōis suę sortitur vocabulū. Pri- mus vero auctor & princeps huius reforma- tionis sanctissime fuit Ioānes Rode abbas in- signis monasterii sancti Mathiæ apud Treui- ros, qui generalis visitator ordinis constitu- tus a præfato Constantiensī concilio, ne aliis prædicās ipse iudicaretur reprobis, reforma- tionem primū exhibuit in semetipso. Re- formauit enī & se in primis & monachos me- morati monasterii, constitutiones edidit cō- formes regulę, & cōfirmationē sancti operis impetrauit sedis apostolicę. Inter omniavero cōnobia ordinis Bursfeldiæ monasteriū hu- mile atq; pauperculū hęc reformationē pri- mo suscepit, quā postea ī Reinhausen & ī pau- ca Saxonię monasteria sibi vicina dilatauit. Mortuo tādē Ioanne Rode abbate sancti Ma- thiæ, principe reformationis nostrę, cum in eodem loco non inueniretur pro dilataatione incepti negocii successor idoneus, Ioannes de Hagē abbas Bursfeldensis, qui iam certa monasteria reformauerat, vir sanctus, & mul- tum zelosus pro ordine, instante archiepisco- po Treuirosū Iacobo elect⁹ fuit. Qui sua pau- pertate contentus, Bursfeldiam non consen- sit dimittere, ne diuitias pauperati videretur preposuisse. Mansit igitur in suo monasterio, & alius in locum primū reformatoris ordina- tus fuit. Qui cum neque doctrina neque zelo

Rom. II

Conciliū Constātię reformati cōnobia sancti ciuit.

antecessori suo videretur comparandus, parū pro continuatione inchoati negocii potuit ef- ficere, nec reformationem in multos ampliā- re. Contigit interea Nicolaum Cusanum san- ctę Romanę ecclesię presbyterum cardina- lem, apostolicę sedis legatum venire in Ger- maniam, qui cum zelo magno ferueret ordi- nis nostri, multa pro illius reformatione cō- stituit & indulgit. Audiens autem præfati ab- batis in Bursfeldia famam bonam, & feruentis- simum regularis disciplinę propositū, vo- catum ad se generalem ordinis reformatore cōstituit, & plura per eius industriā cōno- bia reformauit. Hac tandem occasione capi- tulum annale pro conseruatione reformatio- nis instituit, præsidentiā de sancto Mathia in Bursfeldiam transtulit, confirmari omnia quę pro bono reformationis instituerat, per sedem apostolicam impetrauit. Primus autē Bursfeldię abbas in reformatione fuit Ioānes monachus de Reinhausen institutus, se- cundus Ioannes de Hagen iam dictus, tertius verō Theodoricus quē vidim⁹, & quart⁹ Ioā- nes qui nunc est in regimine nouiter institu- tus. Reformationis nostrę originē fratres cha- rissimi ppter ea breuiter pstrinximus, vt quā- to cœperit labore, cognoscatis, & vsq; ad mor- tem in sancta obseruantia regulari constan- tes perseueretis. Inter omnes enim reforma- tiones ordinis nostri quę præcesserunt, nulla fuit vnquam regulę diui patris Benedicti ma- gis conformis & consentanea, & a peregrinis adinventionibus magis aliena. Omnium aliarū pene reformationum statuta legimus, sed nul- la plus quā nostra cōsentanea regulę ad pu- ritatem intentionis Benedicti exiitimus. Hęc est reformatio Bursfeldensis in ordine sanctissima, quę veram & docet obedientiam, & custodit in humilitate subiectionē. Viuūt in hac sancta religione pauperes & sine pecu- lio monachi, viuūt humiles, viuūt obediētes, viuūt casti. O venerāda monachorū vnio, in qua charitas geminata īperat, obediētia mili- tat, humilitas obtēperat, oratio vigilat, pfeue- rātia pugnat, castitas sancta triumphat. Hęc est schola disciplinę regularis, institutrix Chri- stianę humilitatis, quę mores ad reſtitudinē dirigit, & carnis vitia restringit. Nemo in hac virtutum palęstra voluntatem propriam se- qui contra regulam permittitur, nemo bene- facere prohibetur. Ad puritatē regulę in hac sancta vnione viuunt: & si quispiam a semi- ta reſtitudinis deuiare cœperit, seniorum in- dustria mox ad obseruantiam iustitię reuo- catur. Regula sanctissimi patris Benedicti ter publice, in anno legitur, vt nemo sub ignorā- tię typo se de obieruantia excusare molia-

Nicolaus Cusanus vir doctiss.

tur. Duò sunt quæ mihi spem magnam de perseverantia huius sanctæ reformationis pollicentur, annale videlicet capitulum, & biennialis diligens visitatio monachorû. Alterû si quolibet istorum intermittitur, mox reformatio periclitatur. Cogitate nunc igitur fratres charissimi, & quantum potestis diligentissime curate, ne hoc diui præsulis Martini cœnobium sub tam venerandæ reformationis titulo inutiliter occupetis, quoniam nisi secundum regulam & ordinis statuta, purè, sanctè & inculpate vixeritis, frustra de nomine confiditis. Dicemus vobis pauca salutis vestræ monita, per quorû studiosam obseruantiam reformationis nostræ Bursfeldinæ & nomē habebitis meritè, & dignitatem. In primis ante omnia conatum vestrû totis desideriis in monasticam perfectionem dirigite, quæ quotiens tepescerit senferitis, mox per dominicæ passionis & mortis innocentissimæ intentam memoriam renouate. Nam & si esse perfecti non tenemur de necessitate salutis, tenemur tamen ad perfectionem conari desideriis totis. Mox enim vt monachus conatum proficiendi abiicit, in foueam defectionis cadit. Secundam quod vobis custodiendum sancta cōsuetudo reformationis nostræ instituit, conatum proficiendi in concepto desiderio fortiter custodit. Mane igitur quando suscitatus, ad primas cōsurgitis, ista in secreto faciatis. Cursum instantis diei futurum examinando discutite, & quid agendum vtiliter instet, prudenter cogitate. Quam cautè velitis viuere diem totum, in cordibus vestris proponite: & animos contra omnia quæ aduersa possent accidere, per patientiam armate. Quicquid agitis, in seruo re charitatis perficite: & omnia verba ac facta semper ad dei laudem ordinate. Tertiû vobis iudicamus vtile & necessarium, vt per deuotissimas orationes auxilium in omnibus semper studeatis implorare diuinum. Et valde nobis videtur conueniens quod sepe diximus, & semper admonemus, vt quisque vestrum ad minus semel in die dominicæ passionis agat memoriam, & pro multis à deo perceptis beneficiis vel vna vice dicat gratiarum actionē. Quod vt fieri possit ab vnoquoque vestrum vniiformiter, formam hanc breuem quam ordinauimus auscultate, & si vultis pro vobis rescribite. Adoro, laudo, benedico & glorifico te domine Iesu Christe fili dei viui, saluator & viuificator omnium fidelium animarum, & ago tibi gratias ex intimo cordis mei pro sanctissima incarnatione & natiuitate tua ex purissima virgine Maria, pro circuncisione tua, pro fuga in Aegyptû, pro septenni tuo ibidē exilio, & pro reditu tuo postea in terram nati-

Memo-
ria domi-
nicæ pas-
sionis cū
gratiarū
actione
quotidie
facienda.

uitatis tuæ temporalis. Ago tibi gratias dulcissime domine Iesu, laudo, benedico & adoro te pro cunctis laboribus, itineribus & fatigationibus tuis, pro fame, siti, frigore, nuditate, paupertate & inopia, & pro necessitatibus, iniuriis, contumeliis, irrisionibus & detractionibus quas in omnivita tua sustinisti pro nobis voluntariè, non coactus. Et quotiens manum mouisti ad operandum, pedem ad ambulandum, vel quotiens aperuisti os tuum ad loquendum, totiens te benedico, laudo, glorifico, humiliterque adoro, & ex omnibus cordis mei viribus tibi semper gratias ago mediator dei & hominum Iesu Christe dulcissime. Ago tibi gratias domine Iesu Christe rex cælorum clementissime, pro doctrina tua sanctissima, pro institutione fidei tuæ & sacramentorum euangelica, pro vocatione gentium, pro iustificatione peccatorum, & pro cunctis mirabilibus atque virtutibus tuis, & pro beneficiis tuis oibus quæ vel mihi præstitisti in specie, vel cæteris vniuersis mecum in genere. Ago tibi gratias domine Iesu Christe saluator benignissime pro charitate tua quæ habuisti ad genus humanû, & pro tota passionē tua amarissima, & cunctis doloribus quos sustinisti propter nos miseros. Ago tibi gratias domine Iesu, laudo, benedico & adoro te pro mœrore & tristitia innocentissimi cordis tui quæ imminente passionis tempore sustinisti pro nobis quando dixisti ad sequentes te discipulos tuos: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Rogo te per hanc cordis tui tristitiam o domine deus miserere mei nunc & in hora mortis meæ, & aufer à me omnem melancholiam & inordinatum mœrorem, concedens mihi tristitiam pro peccatis meis omni tempore salutarē. Ago tibi gratias pro mœstitia sanctissimi cordis tui quando patrem in agonia posuit vsque tertio rogasti vt calicem à te transferret passionis, fusoque præ angustia mirabili sudore, in eius voluntatē te totum resignasti pro nobis. Ago tibi gratias o rex cæli & terræ pro tua captiuitate, pro contumeliis, iniuriis & irrisionibus, quas toto passionis tempore sustinisti propter nostram omniumque salutem. Ago tibi gratias o domine Iesu, laudo, benedico, & adoro te ligatum ad columnam pro flagellatione tenerrimi corporis tui durissima, & sacrosanctissimi sanguinis effusione, vulnereque immenso dolore. Adoro te domine Iesu Christe spinis coronate, & gratias ago tibi pro punctationibus & doloribus sanctissimi capitis tui, pro verberibus, sputis, & cunctis irrisionibus tuæ maiestati ab impiis crudeliter illatis. Adoro te Christe Iesu fili dei viui crucis tuæ pondus grauissimum baiulan-

baiulantem, adoro te coram multitudine vestimentis nudatum, adoro te clauis ferreis ad crucem manibus ac pedibus extensum, & nimis crudeliter affixum. Adoro te Iesu Christe rex sempiternæ pro me pendentem ac morientem in cruce, & gratias ago doloribus vulnere tuorû. Gratias ago effusioni preciosissimi sanguinis tui, gratias ago innocentissimæ morti tuæ, quam voluntariè sustinisti pro nostris & totius mundi peccatis. Gratias ago immensæ bonitati tuæ, quod me tuam vocasti ad fidem, quod me in nomine sanctæ trinitatis baptizari fecisti, & quod me de mûdi vanitate ad seruendum tibi in vera mentis tranquillitate ad hanc sanctam es congregationem vocare dignatus. Rogo te pro nomē tuū sanctissimū o dulcissime Iesu mediator dei & hominû, rogo te per dolorē vulnerû tuorû, & per meritū amarissimæ passionis tuæ, rogo te per sanctissimi sanguinis tui effusionem, & per innocentissimæ mortis tuæ virtutem, concede mihi peccatorum meorum omnium indulgentiam, infunde cordi meo feruentissimi amoris tui dulcedinem, da mihi cum profectu omnium virtutû perseverantiam, & miserere mei nunc & in hora mortis meæ, custodiens me hodie & omni tempore in misericordia tua pie Iesu ab omni peccato & periculo mētis & corporis, in noīe patris & filii & spūs sancti Amen.

Quis vestrû est fratres qui hanc breuem orationem, aut similit si habeat meliorē, quotidie semel dicere nequeat? Neque enim prolixa est, neque peregrinis inuoluta distionibus, sed breuis & plana, vitæ & passionē Christi stricto cōplectens epitomate. Deo nimium ingratus est homo Christianus, & maxime claustralis, qui non semel ad minus in die dominicæ passionis agit memoriam, gratiarū deo te referens actiones. Quod si cui vestrum hæc oratio nimis prolixa fuerit, Homilia octaua exhortationum nostrarum ad vos nuper diximus breuiorem, ad quæ tediōsus potest habere recursum. Ante omnia precor cauere ne tantis dei beneficiis vnquam sitis ingrati. Fiat hæc gratiarum actio post matutinas, quia tempus orandi aptissimum est, & deuotionem consuevit augere nocturnæ quietis silentium. Dico enim, quod verum testantur experti, nullas orationes ad impetrandum efficaciores, quam illas quæ cum dominicæ passionis memoria & gratitudine deo patri offeruntur.

Quartû quod vobis pro regulari obseruantia iudicauimus necessariû, est, vt in custodia sensuum vigiletis exteriorum, quia nemo ciuitatem cordis sui bene custodire sufficit, qui portas claudere contemnit. Amate silentium, & fugite omnem huius seculi tumultum. Pru-

dentiam sanctam cunctis adhibete quæ facitis, & secretû amate quietis. Monachus enim qui publicum & vagos discursus diligit, verus obseruantia amator nunquā fuit. Quinto monemus, vt perniciosum animæ fugiat ocium, quoniam hoc pestiferum virus grauissima nutrit vitia, & semper immundas parit cogitationes. Quicumque igitur virtutû amator propriam salutem diligit, quicumque peruenire ad æternam felicitatem concupiscit, quasi à facie diaboli fugiat ocium, si cupit declinare peccatum. Sexto ad puritatem obseruantia regularis de salutis necessitate requiritur, vt proprietatis abdicatio vsque ad mortem ab omnibus inuoluta custodiatur. Monachus enim habes peculium, iter sibi parat ad infernum. Qui autem pecunias recipit & exponit in cœnobio, minister sit publicus: nemo id præsumere audeat priuatus. Diuitiarum possessio non decet monachos, qui dominum Iesum in paupertate spiritus imitari iubentur. Audiamus sanctum Christum Apostolum dicentem: Habentes victum & amicum, his cōtenti simus. Prouidemus vobis deo miserante necessaria, non quantum postulat inordinatæ voluptatis concupiscentia, sed quantum cōtenta paucis requirit natura. Itaque sicut vobis habere aliquid sine consensu abbatis non est licitum, ita cum ministremus omnia, neque necessarium. Septimum quod facit monachum, est humilis obedientia præceptorum. Non enim verus monachus esse potest, qui contemnit obedientiam, & negat superioribus suis quæ promisit humilē subiectionē. Hic inobediētia morbus ex elatione & superbia mentis oritur, quæ admodum ex malo vlcere fanies generatur. Sed quid ait scriptura? Odibilis coram deo & hominibus est superbia, & omnis transgressionis initium. Militia monachorum est imitatio Christi, qui patri obediuit vsque ad mortem. Octauū locū exornat virtus pulcherrima castitas, qua contempta necesse iam est regularis vt omnis naufragetur integritas. Monachus enim de necessitate salutis suæ vsque ad mortem iubetur castè viuere, & ab omni pollutione venerea perpetuò abstinere. Hæc cōtrita sunt vota monasticæ cōuersationis principalia, contra quorum obseruantiam viuere, monachorum est dānatio certa. Monachorum etenim professio sub æternæ damnationis sententia præcipit eos viuere sine proprio sub obedientia pastoris, & in perpetua castitate. Vno ex tribus his ablato, integritas monastica violata est, & damnat transgressio cōtemnētum. Nono igitur loco admonemus omnem hominem deo dicatum quatinus tamquam serpentem venenosum, propriam fem-

Tr. 6.

Ecclesi. 10.

per caueat voluntatem: quoniam nisi eam omni tempore suspectam habuerit, facile in foream damnationis cadit. Attendite regulam, quæ monachis nec corporis nec voluntatis propriæ permittit potestatem. Nemo peccat inuitus. Si voluntatem tuam deo & abbati tuo in omnibus perfecte submiseris, peccatum facile declinabis. Decimum quod integritatē obseruantię regularis conseruare potest in vobis fratres mei charissimi, est vt in omnibus aduersis & contrariis patientiam habeatis constantissimam propter amorem dei. Est enim patientia virtus magna, quā tolerantiam alio nomine vocamus: sine qua nemo tentationū suarum victor euadet. Propterea dixit in sancto euangelio dominus: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quid est patientia nisi & suas & suorum iniurias & cætera quæque aduersa pro dei reuerētia & amore equanimiter tolerare? Credite mihi fratres, sententiam apostoli dico: patientia vobis est valde necessaria, vt voluntatem dei facientes reportetis repromissionem. Sit vobis patientiæ dominus Iesus viuum exemplar: quem totis viribus sequamini. Vndecimo fratres mei caue ne corda vestra grauentur in crapula: quia monachus non debet ad satietatem māducare & bibere: sed abstinentię amore semper cum quodam appetitu & esurie cessare. Dicit enim vir sapiens. Qui diligit epulas, in egestate erit: & qui amat vinum & pingua, non ditabitur. Amate ieiunium: abstinentiā diligite: in omnibus continentiam & parsimoniam seruare. Hęc arma sunt claustralium: hęc insignia spiritualis militię monachorum: sine quibus caro non vincitur, nec demones superantur. Affluentiam ciborum sermones comitantur inutiles: & vino repletus venter immundas concitat suggestiones carnis atque libidinis. Si vis esse castus, abstemius esto. Turpissimum est monacho ventri seruire & gulæ, qui pro dei amore cunctis simul mundi voluptatibus renunciauit. Duodecimum quod monachum in obseruantia regulari facit vtilem & strenuum, est, vt sit diligentissimus circa diuinitatis obsequium. Enimuero qui verus dei est seruus (quod esse monachi omnes debent) semper in opere creatoris sui feruidus est & diligens: & quia deum ubique veraciter nouit esse præsentem, tota se illi deuotione parat in ministerium obsequiosum. Scriptum est enim: Maledictus homo qui facit opus dei negligenter. Accedentes igitur ad seruitutem summi & incommutabilis dei fratres charissimi: dulciter, sapienter, feruenter & hilariter psallite: & quanta potestis deuotione ac puritate mentis creatorem & saluatorem vestrum sedulo collaudate. Ab-

Lucæ 21

Heb. 10.

Prou. 21

Hic. 48.

sit procul à cordibus psallentium omnis pigritia: non admittatur vlla inter laudandum somnolentia, quoniam cum deus sit præsens in medio psallentium, decet omnino feruorē adesse deuotionis animorum. Omnia tempore diuini obsequii sint munda, omnia pura, omnia feruore charitatis plenissima, quatinus improbæ cogitationes locum non habeant, & omnia debite fiant. Peracto die, completorioque ex more decantato, mox vt monachus ad secretum cellæ peruenerit, examinet conscientiam suam, quibus se negociis occupauit. Hęc fratrum consuetudo est Bursfeldinæ reformationis, optima atque laudabilis, vt se nullus post completorium super stratū suū presumat reponere, nisi prius conscientiam suā super commissis in die culpis vel negligentis diligētissimè studeat examinare. Quod si offensus vos habito examine, p̄ diē in aliquo deprehenderit, quid faciendum sit, docti longa cōsuetudine, scitis. Occulta mox in crastinum per contritionem & humilem cōfessionem delenda sunt, manifesta verò ad capitulum culpārū, quod seruatur quotidie, referenda. Hic mos reformati est ordinis, hęc sanctę institutionis reformationis, vt culpas delinquentium fratrum nunquam permittamus crescere, sed mox vt oriri cœperit, eas curemus amputare. Quotidie purgandus est animus, quotidie propositum sanctitatis renouandum, quia sicut in eodem statu non possumus sine mutatione consistere, sic necessarium est nobis mentem ad pristinum charitatis feruorē continuo exercitio crebrius excitare.

Quæ sint veræ humilitatis indicia,
Sermo Tertius.

Nemo se vestrū amantissimi fratres, propria sui æstimatione decipiat, nemo cor suū stulta & inani præsumptione seducat. Nō omnes qui videri cupiunt, coram deo sunt humiles: nec qui tacent ad iniurias, semper verè patientes. Verarum etenim virtutum radices consistunt in abscondito cordis, & non in sola exterioris demōstratione exhibitionis. Cernimus quosdam in vobis, qui humiles reputari potius quàm esse veraciter appetunt, & superbix signa multa, humilitatis verò aut nulla, aut certissime paucissima ostendunt. Compatimur vehemēter nimium errantibus, sicut iure debemus, qui nomen virtutis habere cupiunt, sed virtutem contempnunt. Quem rogo decipiatis miser? Nonne vos ipsos turpiter seducendo perimitis, qui contemptra veritate, menda-

mendacium amatis? Vt autem sciatis quàm superbe viuatis, indicia & signa veræ humilitatis per ordinem dicemus, quorum quædam in corde duntaxat manent abscondita, quædam vero etiam foris erumpentia, cunctis intuitibus fiat oportet manifesta. Sic hoc monacho verum perfectę humilitatis speculum, in quo singulis diebus respiciēs examinet semetipsum.

Primum igitur veræ humilitatis indicium vnusquisque in semetipso potest agnoscere, quando se potest cunctis hominibus inferiorem & viliorē, nō sermone fucato, sed humilicordis iudicio reputare. Hoc signū profundæ humilitatis est maximū, vt monachus ad meliorem conuersationē semper proficiens, inutilem se dei seruum credat & indignū. Cordis est vera humilitas, nō sermonis: mentis est studium, non solius corporalis demōstrationis. Monachus ille veraciter est humilis, qui deū super omnia diligit, qui se ab omni transgressione mandatorum dei & regulæ purum in omnibus semper custodit, qui magna pietatis & iustitiæ facit opera, & de se apud se vera estimatione sentit humilia. Secundū veræ ac profundæ humilitatis indicium ille cōsequitur, qui bene currens in timore domini ac perseuerans, suas negligentias omni tēpore coram deo & hominibus confitetur. Quanto enim plus in bonis operibus profecerit, tanto magis peccata sua & negligentias ante mentis oculos ponit. Contritionem pro suis delictis in corde gerit continuā, & semper cōpunctus animo, orans & gemens à domino cū lachrymis petit veniam & miserationem. Nec solum pro suis, sed etiā pro totius mūdi orat peccatis. Maximū cōtra mentis elationem remediū priorū est memoria delictorum. Tertium humilitatis indicium, omnia quæ facit opera bona, penes se in secreto cōseruare desiderat, & suum profectū propter humilitatis studiū occultat. Nō enim vanè gloriatur, qui humilis est, nec laudē quærit ab hominibus, qui gloriam sperat eterne felicitatis. Quicumque se vestrum humilē esse & verū monachū existimat, hoc signum profundæ submissionis & abiectionis propter deum nō contēnar. Quartū veræ humilitatis indicium, in abyssum cōtempus sui ipsius voluntariē descendens, omnes cōfratres suos etiam aperte peccantes coram deo se meliores existimat, sua mala bonorum oblitus sapiēter cōsiderat, aliorum vero mala silentio transiēs, quæ fecerint bona, opportune manifestat. Hęc est veræ humilitatis cōditio, vt semper aliorum opera bona miretur & prædicet, sua vilipendat propter euitationem superbix prudenter & occultet. Quintū veræ humilitatis signum consecutus, in sua sim-

plicitate quietus est, & de aliorū defectibus nō loquitur, nisi vel ratione officij, vel charitatis imperio compellatur. Seruat tamē in correctione prudēs humilitas modestiam, vt eum quem corripiēdo seuerius, meliorē nō potest efficere, leniter & mansuete studeat admonere. Increpationes etiam interdū sapienter dissimulat, & magis opportunū tempus expectat & obseruat. Sextum humilitatis signū ostēditur, quando monachus ad arguendū & reprehendendum aliorum peccata humilitatis amore tardus & nō facilis inuenitur. Qui etenim veraciter est humilis, semper propriā infirmitatē considerat, & quanta cōmiserat ipse cōtra dei iustitiā mala, tacitus in occulto pensat. Hinc aliorū facta reprehēdere valde metuit, quoniā se peccatorē, & propterea iudicare alios indignū recognoscit. Monachorum prælatos atque rectores ab hac norma humilitatis pro tanto excipimus, pro quāto eos fore obligatos ad correctionē subditorū scimus.

Septimum veræ humilitatis signum, correctiones & emendationes pro culpis & negligentis suis libenter suscipit, & nullo cōtra reprehendentem se, dolore amarefcit. Quoties vero humilis ab aliquo corripitur, cum propheta in spiritu lætatur dicens: Corripiat me iustus in misericordia, & increpabit me: oleū autem peccatoris non impinguet caput meū. De superbis vero dicit scriptura: Oderūt corripientē in porta. Qui verè humilis est, corripientē se diligit, adulantē vero fugit. Octauum veræ humilitatis indicium manifestē ostēditur, quando correptus culpam nō defendit, non negat, nō palliat, non excusat, sed simplici verecundia cōfiteatur. Monachus verè humilis dum corripitur, non murmurat, se mēsuram æquitatis excessisse non reclamatione, sed mox cadens in terram coram iudicē māfuetissime clamat, Peccauit, culpam fateor, veniā precor, emendam polliceor. Nonum monastica humilitatis indicium habentem facit eloquio mitem, dulcē, modestumque, & in voce non clamosum. Monachum quem in loquendo clamosum & præcipitem videris, non humilem, sed superbum & temerariū iudicabis. Humilis autem modestē & quasi sub silentio loquitur, & semper audire paratior, quā loqui corā aliis inuenitur. Turpe est monacho vocem nimium exaltare dū loquitur, quippe qui mundo crucifixus, amare silentium iubetur.

Decimum perfectæ humilitatis indicium ille possidet, qui omnia quæcūque audierit de proximo, interpretari ad meliorē partem solet. Dicit enim saluator noster in sancto euangelio: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Et iterum: Qua mensura mensi fueritis, re-

Qui monachis prædicet, nō vbi que omnia debent indicia humilitatis

Psal. 146

Matt. 7.

metietur vobis. Sanctus quoque apostolus dicit: *1. Cor. 4.* Nolite ante tempus iudicare quoad usque veniat dominus, qui & illuminat abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium. *Rom 14.* Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat aut cadit, non autem tibi. Undecimum sanctæ humilitatis indicium, nullum hominem propter quoscunque excessus in corde suo despicit, sed omnes sibi sanctitatis merito præponit. Omnes etiã delinquentes publice, meliores se fore existimat, & propterea neminem condemnat. Quid ipse fecerit mali, semper in corde secum cogitat, aliorum vero bona præponderare suis humiliter pensat. Vnde neminem spernit, neminem vilipendit, neminem contemnit, qui saluos fieri omnes in domino cõcupiscit. Duodecimum perfectum veræ humilitatis signũ, laudari ab hominibus non appetit, sed quotiens commendatur ab aliquo, cum dolore mentis ingemiscens erubescit. Cum verò laudes aliorum recitari in conuentu audierit, congaudens proximi laudibus, exultãsq; animo hilarescit. Suas audire laudes sine cordis amaritudine non potest, qui perfecte humilis est: quoniam qui spem suam in dominum Iesum reposuit, omnem huius vitæ gloriam cõtemnit. Tertium vero supra decimum veræ humilitatis indicium est laudes & fauores nõ solum in veritate mentis contemnere, sed eos etiam à quibus laudari se conspicit, prudenter declinare. Qui vere humiles sunt, laudatores suos fugiunt, & quotiens laudantur, nihil respondentes obmutescunt. Grauis est humili, magnæ reputationis æstimatio: & tanto plus in semetipso cõfunditur, quanto ab hominibus amplius prædicatur. Vera nanque humilitas vituperata proficit, laudata periculũ incurrit. Quartum post decimum perfectum humilitatis monasticæ signum, in correptionibus & detractionibus, si quas patitur, spirituale concipit gaudium, & magnum diuini amoris incrementum. Iniuriatus compungitur, & per amplius ad mundi contemptũ prouocatur. Quotiens iniuriose ab aliquo reprehenditur, si humilis est, se iustè correptum arbitratur. Nõ enim suam innocentiam in obiectione considerat: sed quia deum grauiter in aliis offenderit, humiliter & compunctus pensat. Quintum vero post decimum perfectæ humilitatis indicium, nunquam se corripienti recalcitrat, sed in omni tranquillitate animi silentium seruat. Vitia reprehensori suo etiam notissima in faciẽ non proicit, nec aliquas argumenti causas quærit. Nõ querulatur sibi fieri contumeliam, nullam opponit cõtra temerarium excusationem, nec verbis

verba consuevit rependere, sed velut mutus ad omnia tacere. Sextum supra decimum profundæ humilitatis signum, cuncta mundi solatia despicit, & nullas mortalium amicitias requirit. Vera etenim humilitas, quæ pro Christi amore assumitur, non aliunde quàm in solo Christo delectatur. In Christi autem amore non potest consistere, nisi qui & suam voluntatem & mundum cum omnibus inordinatis voluptatibus didicit abnegare. Sic enim dicit in sancto euangelio dominus: Si quis ve-
Luc. 14.
 nit ad me, & nõ odit patrem suum & matrem & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc animam suã, non potest meus esse discipulus. Septimum vero post decimum humilitatis signum, in plura se non diuidit, hominũ subventiones & beneficia magnopere nõ requirit, sed in sua mediocritate vel etiam extremitate humiliter consistit. Pro beneficiis hominum acceptis non multum consuevit applaudere, sed verbis paucis atq; simplicibus se gratum exhibere. Munuscula infirmorum dissolunt animos, & incautos multoties in sermone inutiles reddunt atque superfluos. Enimvero qui vere humilis est, mundanorum non delectatur colloquiis, quoniam sæpe impediunt propositum puritatis. Amor Christi non diligit publicum. Octauum supra decimũ humilitatis signũ, omnibus patientibus propter Christi amorem ex corde cõpatitur, & aliorũ defectus infirmitatesq; patientissime tolerat, atque pro delinquentium emendatione orat. Vera nanque humilitas peccantibus infirmis viscera pietatis & compassionis exhibet: falsa autem & simulata quoniam verè superbia est, dura & indifferens feracitate cõtra fragiles tumet, multiq; fit causa periculi, quado in corrigendo excedit normam charitatis dei. Qui autem veraciter est humilis, semper modum correctionis debitum timet excedere, & ideo plus inclinatur ad misericordiam, quàm ad nimiam feracitatem. Nonum post decimũ veræ humilitatis indicium, ab omni mentem præseruat inuidiã, & cunctis hominibus fauet & imprecatur. Diuina pietatis munera nulli inuidet, gratiam dei omnibus auct, & aliorum profectibus congaudet. Neminem dei beneficiis indignum iudicat, omnes se meliores putat. Commodum proximorum suum existimat, quoniam omnes vt semetipsum amat. Vicesimum perfectæ humilitatis signũ, multitudinem peccatorum suorum cõ amaritudine cordis ad memoriam reuocat, & propterea se omni beneficio & gratia dei indignum putat. Vnde profundum humilitatis petes, publicanum imitatur euangelicum, qui suorum delictorum habens memoriam, nec oculos volebat

Luc. 18.

Iaco. 4.

bat eleuare in cælũ. Monachus enim, qui pro Christi amore veraciter est humilis, semper in corde suo compunctionis sanctæ gerit tristitiam, & eorum quæ fecit malorum, poenitentiam. Vicesimum primum cœnobiticæ humilitatis indicium, plus aliorum quàm suo credit iudicio, & propriam voluntatẽ propter Christũ imperio totaliter subicit alieno. Attendat in vobis, qui proprii capitis sui sequuntur iudicium, si apprehendere queant aut velint hoc monasticæ humilitatis signum. Vere nanque humilitatis monasticæ paucos hodie obseruatores cernimus, qui plures eam proficetes monachos videmus. O tempora, o mores, in quibus humilitatem promittimus omnes, & promissam custodire inuolatam paucissimi veraciter curamus. Vicesimum secundum cœnobiticæ humilitatis signum, vestes pulchras, nouas, preciosas abominatur & despicit, & omnia indumenta ab aliis proiecta habere & induere concupiscit. Vilitoribus libens vtitur, & in his quæ contemnunt alij, plurimum delectatur. Non decent monachũ vestimenta pulchra & ornate composita, sed vilissima, quibus defendatur corpus ab aeris intemperati duntaxat iniuria. Omnis enim curiositas interdita est claustralibus, qui ratione professionis suæ coram deo facta, ad mundi contemptũ obligantur. Humilitas alta fugit, quæ humilia sunt quærit. Tertium vltra vicesimum humilitatis monasticæ signum ostendit monachum seruilem fratribus, & obsequiis volũtariè deditum, & ad omnia quæcũque iussus fuerit, paratum. Vera etenim humilitas etiam inferioribus promptissima voluntate obsequitur, & nunquam contra præcipientem indignatur. Quantum præualeat, omnibus famulari pro Christi amore desiderat, qui deũ i toto corde fideliter amat. Quicquid enim seruitij fratribus impederet, Christo exhibitum firmiter totum credit. Quartum supra vicesimum humilitatis signũ tunc monachus in veritate consequitur, quando propter dei amorem viliora in monasterio curare officia, quæ cæteri contemnunt, delectatur. Hunc veræ humilitatis gradum plures quondam ascendisse legimus, quos magni apud deum esse meriti non dubitamus. Dicit enim in sancto euangelio dominus: Omnis qui se humiliat exaltabitur, quoniam deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humilis monachus imitatur Christum, superbus diabolum. Quintum atq; vicesimũ monasticæ humilitatis signum est in cõuentu quorumlibet hominum semper inferiorẽ sedendi locum quærere, & nec æquali nec inferiori se præferre. Non est monachorum de loci præ-

minẽtia superbe cõtendere, nec decet militẽ Christi honore alios velle superare. Verus etenim monachus, qui humilitatẽ diligit, omni extremitate contentus, neminẽ præcellere cõcupiscit. Sextum supra vicesimum humilitatis indicium, illi maxime cõuenit, qui cum sit doctus & eruditus, propter demissam sui humiliatiõnem, omnem doctrinam & scientiam abscondit. Monachus enim qui vere humilis est, semper ad audiendum inuenitur paratior, quàm ad loquendum. Dicit nanque diuinus presbyter Hieronymus: Monachus nõ docentis sed plangentis habet officium, qui vel se lugeat vel mundum, & domini pavidus præstoleatur aduẽtum. Arrogantia monachorum & deo & hominibus odiosa est, & peccato semper obnoxia. Septimum post vicesimum humilitatis signum, ille perfecte consequitur, qui amore disciplinæ regularis tacere magis quàm loqui delectatur. Humilis Christi amator silentium diligit, & ne offendat in sermone, loqui paucissima cõsuevit. Raro inuenitur apud loquaces humilitas, & qui velox est ad loquendum, præcipitat animam suam. Monachus loquax & garrulus non caret superbia: & qui stultus est, multiplicat verba. Quisquis in spiritali certamine aduersarium suũ per humilitatem superare desiderat, linguam suã a multiloquio & ab omni sermone ocioso refrenare non omittat. Scriptum est libro Proverbiorum, quoniam in multiloquio nõ deerit peccatum. Octauum post vicesimum perfectæ humilitatis signum quisquis adeptus fuerit, risum & omnes inordinatos cachinantium gestus euitabit. Monachum plantus maxime decet, non risus, vt pote qui cunctis mundi leuitatibus est mortuus. Dicit autem vir sapiens: Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit.
Ecclesi. 31.
 Nonum supra vicesimum perfectæ humilitatis indicium a timore domini sumit exordium, pro cuius honore quantum præualeat, omne fugit & detestatur peccatum. Omnis enim qui peccare non meruit, humilis veraciter non fuit. Monachus autem qui Christum pro viribus in vera humilitate sequitur, omne peccatum consuevit fugere, & quantum potest, se in virtutũ studio exercere. Confiteatur peccatum suum humilitas, & quotiens etiam in minimis offenderit, donec emendauerit omnia per verã poenitentiam, nõ quiescit. Qui veraciter est humilis, pro seruanda conscientia mundicia semper etiã inuenitur studiosus. Humilitatis enim nutrimentũ est charitas, quæ habentem non permittit ociosum. Tricesimum veræ humilitatis signũ confirmatũ in proposito sanctitatis ostendit monachum
 HH ij

chum, & facit eum cunctis fratribus etiam iunioribus subiectum. Quicquid mandauerit pastor, obedit simpliciter: nunquam precepta senioris discutit: causam cur ita iubeat, non requirit. Ad impossibilia si preceptantur, animo est promptulus, ad quacunquē dura & ardua sine contradictione paratus. Consilio pastoris sui dirigitur, illi credit, illi confidit, illi obsequitur, illius imperio volens gubernatur.

Audistis iam fratres mei charissimi triginta vere humilitatis indicia, o bone deus ubi sunt opera? Quis nostrum gloriabitur veram se habere humilitatem, ut in his signis nullum patiat defectum? Hæc pro pudor sunt nostra

tempora, in quibus charitas multorum refrigit, perit sanctæ religionis integritas, deuotio penè omnium expirauit. Monachi nostri sanctitatem querunt sine virtutum merito, meritum habere volunt sine laboris exercitio, propterea sanctus hodie non reperitur in monasterio. Feror sanctæ compunctionis in multis nimium est aut rarus aut tepidus, quoniam ubi carni & sanguini viuunt, feruor internæ charitatis non habetur. Non satis est tibi o monache, qui de obseruatiâ gloriaris, nihil habere proprium, sceminam non tangere, sub obedientia pastoris in monasterio residere, non manducare carnes, & in cæteris quæ sunt exteriora disciplinæ regularis, iuxta monasticam institutionem viuere, nisi cum summa diligentia studeas etiam interiora tua per veram charitatem dei & proximi

Charitas meta est & finis totius regularis vitæ.

exornare. Charitas enim finis est obseruantie regularis, ad cuius acquisitionem cætera omnia sunt principaliter instituta. Vnde sine charitate dei nihil tibi profunt omnia, quoniam ipsa & vnica est & sola quæ discernit inter opera bona & mala. O monache monache, quicumque sine feruore charitatis tepidè cõuerfari in monasterio, putasne quod exterior apparatus disciplinæ saluum te facere possit? Charitas est quæ habentem sanctificat, charitas reliquas deo virtutes & omnia bona opera cõmendat. Habeto charitatem, & erunt grata deo cuncta quæ facis opera pietatis.

De ardua via quæ ducit ad vitam. Sermo IIII.



Matt. 7.

Vdiuistis fratres charissimi dominum nostrum Iesum Christum hodierna lectione in sancto euangelio dicentem: Quam angusta est porta & ardua via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam, Nonne ipse

Christus est via, qui dixerat, Ego sum via veritas & vita: Et quomodo nunc dicit eam arcam esse & angustam, cum ipse sit qui dixerat, Tollite iugum meum super vos, & discite quia mitis sum & humilis corde: Iugum enim meum suauē est, & onus meū leue. Quid aliud est iugum Christi, quam ardua via & angusta ad regnum dei? Quomodo ergo & leuis & angusta? Audiat charitas vestra. Iugum domini Iesu suauē est bonis, durum & importabile reprobis. Via Christi ad vitam lata est & iucunda exercitatis in charitate humilibus, angusta vero & amara superbis. Nihil est enim tam durum, nihil tam terribile, nihil tam arduum, quod amanti deum non sit facile & iucundum. Rursus nihil est tam leue, nihil tam facile, nihil tam paruum, quod malæ voluntati non sit graue & onerosum. Idcirco dixit dominus: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Si vultis portare iugum meum super vos, primo mansuetudinem & humilitatem cordis mei discite, quoniam nisi mites & humiles fueritis, sarcinam meam quasi graue pondus & importabile onus portare minimè sufficietis. Humilis sum via, superbos non capio: angusta sum porta, tumidos non admitto. Nisi omnia quæ mundana sunt, animo spreueritis, nisi carnis voluptatibus vim necessariam intuleritis, quasi onustum peccatis animal, per me ad regnum intrare non potestis. Via sum humilis, & mites humilesque recipio. Ianua sum ardua, pauperes spiritu & corde mundos intromitto. Ad vitam æternam fratres per viam veritatis angustam tendimus, oportet ut nobis omnia quæ ad tam arduum iter sunt necessaria, in tempore procuremus. Sunt autem viatoribus quatuor in primis necessaria, sine quibus periculofum est iter, & ad scopon raro peruenitur. Primum quod viatoribus dicimus esse necessarium, cognitionem esse credimus viarum. Nam qui sine cognitione viarum præuia procul ambulare nititur, periculofis quandoque erroribus implicatur. Aut ergo viam prius discat prudens viator, aut peritum sibi assumat comitem itineris, ne vel in manus latronum incidat, vel à recto itineris tramite recedat. Ad patriam igitur cælestis regni cupientes redire per viam nimis angustam & paucis cognitâ, ipsum necesse est itineris habeamus ducem & comitē, Iesum Christum, qui se viam nominauit & veritatem. Extra Christum non est vera scientia: & qui Christum sui comitem itineris habere negligit, in vanum & sine fructu currit. Discamus ergo viam vitæ charissimi fratres, sine cuius scientia nemo pertingit ad patriam, ad vitam nemo perueniet æternam. Credamus firmiter do-

Via ducit ad celi quatuor necessaria.

Ioan. 3.

Ibidem.

dominum nostrum Iesum Christum vnicum mediatorem dei & hominum, verum deum & hominem, extra cuius fidem nemo saluabitur, quantumlibet innocenter conuersari videatur. Ipse quippe in sancto euangelio dicit: Qui credit in vnigenitum filium dei, habet vitam æternam in seipso manentē. Qui autem non credit in filium, manet ira dei super eum. Quid est, manet ira super eum: nisi quod non remouetur ab eo primum originale peccatum? Nam post institutionem noui testamenti per solam Christi fidem remouetur originale peccatum à credentibus in eum. Circumcisio patribus data fuit in signum futuræ salutis, nullus tamē eorum prius intrare ad regnum cælorum potuit, quam Christus saluator à mortuis resurrexit. Extra fidem ergo Christi non est salus, quoniam sicut ipse dixit, qui non crediderit, iam iudicatus est & condemnabitur. Maneamus in Christo per fidem & amorem, quoniam ipse via salutis est, ipse veritas sine errore, ipse vita sine morte. Si dominum Iesum itineris nostri ducem habuerimus, cõfidenter ambulamus. Secundo viatoribus necessariū est, ut per terras sui itineris transeant sine cuiusquam iniuria, quoniam si aut furtum aut latrocinium, vel simile quodcunq; aliud peccatum in rempublicam commiserint, vltimo venient plectendi supplicio, & non pergingerent ad propositam itineris destinationem. Nos autem in via positi fratres, qua tendimus ad patriam regni cælestis, diligentissimè caueamus, ne quid committamus verbo facto vel cogitatu iustitiæ dei contrarium, sed tribuamus vnicuique ius & debitum suum, deo in primis pietatem cultum & charitatem, proximo dilectionē, nobis perfectę puritatis sanctimoniam. Enimvero si aliter quam Christus docuit vixerimus, in recta via salutis, quæ ducit ad regnum, non manemus. Manebimus autem in via, si madata dei custodierimus. Ambulabimus in veritate, si ipsum dominum deum nostrum in tota fortitudine mentis dilexerimus. Perueniemus ad vitam, si declinantes à malo in exercitio boni continue perseueramus. Tertio sumptum itineris habere necessarium est, quia si viaticum defecerit ambulatibus, ad propositum locum non poterunt peruenire. Viator autem prudens, priusquam domum exeat suam, tempus & magnitudinem itineris apud se computat, & secundum quod requirit necessitas, viaticum & sumptum parat. Iter nobis & magnum restat & arduum, oportet ut sumptus præparemus plures in annos, ne deficiamus in hac via qua pergitur. Viaticum huius itineris nostri ad patriam supercælestem, non aurum est, non ar-

gentum, non fallaces diuitiæ seculi, sed fides Christi, & amor dei. Sanctæ virtutes ad regnum cælorum viaticum indeficiens sunt animæ, quibus cõfortata viam dei ambulat in hilaritate. Anima Christo fidelis, & sanctis comitata virtutibus, arduam viam hilariter peragit huius lögæ peregrinationis. Deum super omnia diligere, in bonis se operibus iugiter exercere, in omni puritate seruare conscientiam, nulli facere iniuriam, verum præstat animæ viaticum ad patriam in cælum sempiternam. Quarto viatoribus necessarium cõsulitur, ne priusquam perueniant ad finem itineris, cõcepti propositi obliuiscantur. Stultus etenim viator dicendus est, qui puerorum ludis reuocatur ab itinere, & obliuiscitur quod tendebat ire. Et nos fratres charissimi, qui viam religionis monasticę arripuimus, necesse est ut semp finem nostrum cogitemus, quoniam nobis etiam non aduertentibus quotidie mors properat, & imparatos simul & paratos iudicio præsentat. Agamus interea bonum dum licet quantum possumus, & cõuertamur ad dominum in toto corde non tardemus. Christus est via, per quam ad regnum dei pergimus. Christus est veritas, in qua manentes non erramus. Christus vita est, quam speramus. Audite fratres quid ipse dicat in sancto euangelio: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hęc est via, quæ à principio monasticę professionis estis ingressi, quæ si vultis recte & laudabiliter pergere, oportebit vos in obseruantia regulari purè cõuersantes, Christum super omnia amare. Vestrum est fratres nihil in hoc mundo diligere, & carnē pro amore dei castigare. Monachorum est omnes delicias & voluptates præsentis vitæ contemnere, & nihil aliud quam sempiternas epulas desiderare. Monachorum est Christum pro viribus imitari, & vitam suam ad euangelicam instituere puritatem. Imitari Christum, summa perfectio est. Minister Christi fidelis dominum suum sequitur, & ubi Christus est, illic & minister eius erit. Quicumque igitur vestrum proprię salutis amator, ad regnum cælorum venire post Christum desiderat, quicumque custodire & seruare vsq; in finem ea quæ promisit in religionis ingressu, optat, etiam ista custodiat.

Matt. 16.

Ioan. 12.

Monachoviam salutis aggressio, que sine necessaria.

In primis quatum præualet, monachus discat per fidem & deuotionē deū in sinceritate mētis cognoscere, & se omni tempore in scripturis sanctis pie & sobrie occupare. Ea quæ sancta fidelium mater ecclesia vel credenda vel seruanda statuit, fideliter firmiterque credat & custodiat, nec ab eius determinatione vllatenus recedat. Omnes qui remanserant extra arcam, diluuium quondam per-

didit, solus Noe cum his qui fuerunt in arca, saluus euasit. Arca figuram ecclesie preestitit, & res facta mysterium figurauit. Vnde non est hominibus salus extra ecclesiam, quam dominus noster Iesus Christus edificauit supra petram firmissimam. Infidelis quisque non est in ecclesia, ergo peribit necessario, sicut illi quondam qui non fuerunt in arca. Omnes enim qui non credunt in dominum & saluatorem mundi Iesum Christum, Iudaei, Pagani, Gentiles, Saraceni, item heretici atque schismatici, qui se ab unione ecclesie catholice subtraxerunt, extra salutis arcam sunt positi, & si perseuerauerint in errore, proculdubio cum demonibus perpetuo danandi. Cui ergo fides sit fundamentum salutis, sine qua impossibile est placere deo, sciat monachus oportet, quid credere debeat, & ne contingat eum errare, euangelium & constitutiones ecclesie concernentes eum discat. Nam qui ignorat, ignorabitur. Turpissimum est monacho, fidei regulas nescire christianae, & quid teneatur credere ad salutem, penitus ignorare. Non dicimus, quod ea quae vobis proponuntur credenda, curiose argumendo debeatis discutere, cum, ut sanctus dicit papa Gregorius, fides non habeat meritum, cui humana praebet ratio experimentum. Hoc autem monemus, quod monachus in diuinis scripturis debet esse studiosus, ut sciat quid eum sancta mater ecclesia iubeat credere, ac possit omnes errores fidei contrarios precauere. Sic ergo miles Iesu Christi monachus omnis in fide catholica firmus & stabilis, sit in scripturis sobrius & studiosus, & in bonis operibus continuus.

Secundum quod ambulanti monacho in via salutis aeternae credimus esse necessarium, est ut studeat cognoscere semetipsum. Cognitio enim sui ipsius omnium scientiarum est optima: & ideo cunctis mortalium studiis merito preferenda. Huius tamen scientiae salutaris nimium est difficile principium, propterea quod pauci sunt valde, qui non diligant mundum. Omnis enim qui mundum sequitur, & diligit vanitates quae transeunt, sui ipsius cognitor esse non potest. Et nihil plus impedit hominem a cognitione sui, quam ipse homo. Qui voluptatibus carnis suae pascitur, qui vana scientia huius mundi, siue diuitiis siue honoribus in superbiam eleuatur, venire ad cognitionem sui ipsius non permittitur. Veruntamen multa scire & seipsum negligere, non sapere est, sed potius insanire. Ad grauioris damnationis cumulū pertinet multa discere, & semetipsum turpiter ignorare. Cogitet igitur quisque vestrum, quid sit, unde sit, & quid futurus sit. Homo per se ipsum certe nihil est, sed quicquid est, ex deo est, & propter deum. Quid est homo, nisi via-

Hebr. 11.

1. Cor. 14.

tor & peregrinus quasi vnius diei super terram, qui hodie viuus in mundo cernitur, sed mane raptus per mortem amplius non videtur? Omnis vita nostra, omnis actio, omnis dies, omnis hora, quam nihil sumus ostendit, qui viuendo morimur, agendo corrumpimur, cum tempore extinguimur & mutamur. O lachrymosum genus hominum, instabile miserum & infirmum, quam ventosum caecum & vanum te conspicio, dum ex illis qui nos praecesserunt ad mortem, ad praesentes nos comparationem facio. Verum dixit, qui te folio arboris comparauit. Ventus de arbore rapiens folium in terram proiicit, in cuius locum aliud nouum postea simili subiectum casui succrescit. Quod autem in terram cecidit, in terram resoluitur, & nunquam deinceps ad arborem reuertetur. Hinc quidam Graecorum sapiens dicit: Quale genus folium, tale est genus atque virorum. Hominum genus foliorum generi simillimum est, quia virescit ad tempus, & in terram resoluitur, & nec folium ad arborem, nec homo ad vitam reuertitur.

Sequitur iam tertium, quod monacho in via dei ambulanti valde puto necessarium. Omnis homo qui semetipsum viatorem huius vitae breuissimi temporis intelligit, se humilem in omnibus veraciter ostendit. Ad quid enim terra superbiret & cinis? Elatus esse non poterit, qui seipsum veraciter cognoscit. Nullam fratres mei causam habemus elationis & superbiae, sed humilitatis multam atque corinuiam, quippe qui terra sumus, & pulueris quaedam compactio, atque post paucos dies iterum in puluere reuerfuri. Sed quia paucorum est vera humilitas, idcirco via salutis angusta dicitur, & a paucis inuenitur. Humilitate peruenitur ad regnum, quoniam dicente in sancto euangelio domino, omnis qui se propter deum humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.

Quarto viatori monacho ad caelum summum est necessarium, quatinus ab omni peccato se faciat alienum, quonia ad regnum dei nemo intromittitur, nisi qui summa conscientiae puritate commendatur. Vnde sanctis virtutibus ac bonis operibus continue ornanda est conscientia, quia illis duntaxat aperitur caelum, qui pro dei amore despiciunt mundum. Hinc Petrus Christi sanctissimus archiepiscopus in epistola secunda dicit: Vos autem omnem curam subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia autem abstinenciam, in abstinencia patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate amore fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Haec autem si vobiscum absint & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in cognitione domini nostri Iesu Christi. Vna est, Firmiano testate, virtus ac

Iob. 14.
Esa. 64.
Homer.
in illud.

Tale qui
dem ge-
n. est ho-
minum,
quale est
foliorum.


Luc. 14.

Vna fi-
des chri-
stiana
saluat.

ac via bonorum, quae animas exutas a carne ducit ac vehit non in fabulosos poetarum Elysios campos, sed in angelicos choros, fides scilicet christiana per opera verae charitatis decorata, quae omne fugit peccatum. Quinto viatori per arduum iter caelestis regni praecipitur, ut dei voluntatem seruando, mandata in omnibus sequatur. Quicquid vel dicturus vel acturus est, prius diligenter examinet, si eum dei & ecclesiae ordinationibus concordet. Quod si vel deo vel ecclesiae inuenerit esse contrarium, fugiat subito, ne incidat peccatum. Sapientis enim est viri nihil inexamatum committere, sed omnia per prouidentiae consilium antequam agat, diligenter cogitare. Qui autem in hoc itinere arduo vult esse tutus, atque securus, vitam & mores pro viribus imitetur domini nostri Iesu Christi, qui lux est omnibus in vitam aeternam. Sextum quod viatori nostro iudicamus necessarium, est, ut salutare diligat studium scripturarum. Non sit curiosus in lectione, nec vanis superstitionibus deditus, sed animo simplex purus & rectus. Monachus non decet scripturis inherere gentiliū, nec fabulis studium accommodare turpium poetarum. Qui sectatur vana, nunquam erit sapiens: & qui curiosa quaerit, cito defluet in peccatum. Omnem vanam superstitionis lectionem semper fugiat monachus: & quicquid non conducit ad diuinam scientiam scripturarum, viatori nostro omni tempore est contemnendum. Septimo viatori nostro iudicamus valde necessarium, quatenus & sensus & cogitationes suas prudenter dirigat, & ab omni concupiscentia inordinata custodiat. Asellus noster proteruus freno disciplinae coercendus est, ne fessorem spiritum praecipitet in infernum. Qui se ambulare in conspectu videtis omnia semper cogitat, conscientiam suam puram & mundam summa diligentia conferuat. Semper in timore domini vigilat, semper in ieiunio & abstinencia corpusculum pro amore caelestis patriae castigat. Monachus qui se peregrinum agnoscit & aduenam in hoc mundo, caelestis patriae nunquam obliuiscitur, quoniam nihil cernit in via praesentis vitae, in quo animus delectetur. Viator etenim prudens nulla viarum spectacula considerat, nihil eum in sua peregrinatione rerum transeuntium delectat, sed ad finem itineris omni tempore suspirat. Dulcem semper cogitat patriam, grauius fert suam prolongari vel retardari peregrinationem, & idcirco nihil in hoc mundo praeter dominum Iesum habere desiderat, in cuius apparere conspectu sedulo festinat. Octauum viatori nostro necessarium, est diuinae charitatis exercitium indefessum. Nemo enim ad caeleste

patriam venire poterit, qui a charitatis itinere discedit. Charitas dei ad deum via est, quam si quis in se ardorem habere neglexit, a vero itinere caelestis patriae miserabiliter errauit. Deus, inquit scriptura, charitas est: & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Qui autem in charitate non est, iam procul recessit a via salutis, & ambulans in tenebris peccatorum, nunquam perueniet ad regnum.

Quemadmodum sit fugiendum peccatum.
Sermo V.



Vdicitis fratres mei charissimi omnes, quid de peccatoribus dixerit sanctus Ioannes apostolus: Qui facit peccatum, ex diabolo est, quonia ab initio diabolus peccat. Metuenda & nimium formidanda sententia. Si omnes qui faciunt peccatum, ex diabolo sunt, & in multis offendimus omnes, quatenus inuenimus a peccato immunes? Dicit nihilominus consequenter: Omnis qui natus est ex deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex deo natus est. Premiserat autem & dixit: Si dixerimus quoniam non habemus peccatum, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quid sibi vult haec ipsa contradictio, ut nemo filiorum dei sit absque peccato, & peccatum non faciat qui est natus ex deo? Nulla istic inuenitur contradictio, quoniam vtrunque verum est, quia & nemo sine peccato est in eo quod nemo est sine lege peccati: & qui est natus ex deo, peccatum non facit, quia per legem mentis, id est per charitatem, quae dei semen est, peccatum non facit. Charitas enim operum multitudinem peccatorum, sine qua nullum est opus bonum, & ipsa sola potens est delere omne peccatum. Hinc sanctus dicit praesul Augustinus: Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, si cum affectu teneat sanctitatem. Sed ista peccata iustorum non sunt mortalia vel enormia putanda, sed parua & venialia, sine quibus vita praesens vix agitur, quonia procul a iusto sit omne peccatum mortale, si nomen iustitiae debeat retinere, necesse est. Peccatum namque mortale hominem a deo separat, animam necat, & cum demonibus in aeternum danat. Hoc perniciosum genus peccati mortalis cauere per dei gratiam possumus, & per arbitrii rectitudinem sollicite debemus. Propterea enim facti sumus monachi, ut cautissime viuentes sub obedientiae salutaris imperio, mortalis non incidere foveam peccati. Semp itaque vigilandum est monacho in operibus bonis, ut a mortali scelere viuat immunis.

1. Ioan. 4.

1. Ioan. 3.

1. Petr. 4.

Quisquis autem in via dei carnem sibi molestam sentit atque contrariam, necesse est, ut eam per poenaliū memoriā faciat spiritui subiectam, & quasi per metum obedientē. In primis ergo monach⁹ proprie salutis amator fallacem huius mundi statū deceptionemque semper attente consideret, & quā cito transeat omnis delectatio carnis, p̄fer. Ille à peccatis animum suum facile potest retrahere, qui voluptatem carnis breuissimam, poenā vero peccatibus debitam sedulo cogitauerit eternam.

1. Ioan. 2. Mundus transit simul & concupiscentia eius, homines quoque moriendo trāseunt omnes, & nemo diu in hac vita manere permittitur. Quid enim est mundus nisi mare magnū profundū & inquietum? in quo tot sunt malorū reptilia, quot hominum desideria mala ad bonum ordinata. O munde fallax deceptor & immūde, qui tibi adhaerentes turpiter decipis, sequētes te ōnes in profundum inferni submergis, quā felices sunt illi, qui te pro Christi amore despiciunt, diuisionemque facientes vtilem, à vitiis vanitatibus in tempore discedunt. Quicquid in mundo cernimus, vanum est, & omnis mūdi amator vanus efficitur, & in breui corrūpetur. Cogitate vos in breui morituros, quoniā nihil sic hominem à peccato retrahit, quemadmodū frequēs & intenta mortis meditatio facit. Dicit enī scriptura: Memorare nouissima tua, & in aeternū non peccabis. Necessitas moriendi cogitata mentem timore concutit, & à vitio cōpescit. Secundum quod peccatum p̄suadet fugere, est futuri metus iudicij, in quo necesse est ōnes homines p̄sentari. Hoc tremendum iudicium nemo potest euadere, sed oportet nos omnes in eo cōparare. Duo nobis metuenda iudicia imminēt, quorum neutrum poterimus subterfugere, sed necessitas nos cōpellit in vtroque comparare. Alterum particulare dicitur, in quo statim post mortem anima pro meritis vel ad gratiā vel ad poenam iudicatur. Alterum vero generale nominatur, quod erit in fine seculi, vbi omnes publice iudicabimur à filio vnigenito dei. Vtrunque nimis terribile iudicium, & cunctis mortalibus valde metuendum. Hinc propheta loel dicit: Magnus dies domini & terribilis valde, & quis sustinebit eam? In concionatore quoque rex Salomon dicit: Cuncta quae sunt sub sole, adducet deus in iudicium, pro omni errato iudicaturus siue bonum sit siue malū. In Esaia quoque sic legitur: Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius. Et in libro Amos prophetae sic scribitur: **Amos 5.** Vae desideratibus diem domini. Ad quid eam vobis? Dies enim domini ista tenebrae & non lux. Sophonias quoque propheta domini,

amaritudinem futuri iudicij p̄nunciāns dixit: Vox diei domini amara, tribulabitur tibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis & angustiae, dies calamitatis & miseriae, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulae & turbis. In igne zeli domini deuorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. Hunc diem terribilem nimis & cunctis tremendum mortalibus, quem certō venturum creditis, in memoria fratres charissimi semper habeatis. Dicit enim sanctissimus p̄sul Ambrosius. Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quā ut eum credamus iudicem futurum, quem nec occulta mentium fallunt, nec inhonesta delectant. Omnes enim nos, vt sanctus Christophilus inquit, manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Quā sit metuēda illa dies futuri terribilisque iudicij, sanctus presbyter Hieronymus insinuat dicens: Siue comedam siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: Surgite mortui & venite ad iudicium. Quotiens diem iudicij cogito, totus corde & corpore contremisco. Vnde si qua p̄sentis vitae est laetitia, ita agenda est, vt nunquam amaritudo futuri iudicij recedat à memoria. Quid nos miseri dicemus in illa die vel quomodo stabimus ante districtum iudicē, si, vt diuus Petrus dicit apostolus, vix iustus saluabitur? Si Hieronymus vir iustus atque sanctissimus iudicij futurum timuit, o bone deus, quomodo Terminus peccator infelix cōparebit? Si iustus metuit, peccator quomodo stabit? Quid enim dicemus, aut quid respōdebimus vndique grauitate accusati? Omnia elementa stabunt aduersum nos in testimonium, accusabunt terra simul & caelum, quod si etiā tacerent ōnia, grauis erit vnique conscientia propria. Nihil ignorat qui nouit ōnia, quoniā ibi manifesta erunt iudicāti vniuersa. Erūt ibi quae fecimus mala nos grauitate accusantia, aderunt circūcirca pro testimonio contra nos infinita daemonia, apertum videbimus chaos infra nos horridū, iudicē super nos conspiciemus iratū, & ex omni parte extremum nobis imminere periculum. Hae fratres mei futuri examinis pericula semper in memoria cordis reuoluite, & quā sit horrendū futuram sententiam iudicis incidere, sedulo cogitate. In illa terribili hora plus valebunt pura corda quā astuta rhetorum verba: plus conduceret homini conscientia munda, quā totius orbis pecunia, quoniam qui iudicaturus est omnia, non fallitur, immo nec p̄cio nec p̄cib⁹ immutatur.

Quemadmodum sit fugiendum peccati iugam.

1. Ioan. 2.

Eccle. 7.

1. Ioel. 2.

Eccle. 12.

Esa. 3.

Amos 5.

Sopho. 1.

2. Cor. 5.

1. Petr. 4. Iudicij supremi image semper ob oculis habenda.

Mat. 25.

Gehennae inferorū forma.

Sapie. 5.

O quā incredibilis horror inuadet impios omnes, quā metuendam sunt audiri sententiam, Ite maledicti in ignem aeternum, qui p̄paratus est diabolo, & angelis eius. O malorum omnium pessimum, o tristitia profundissima omnium tristitiarum, à consortio sanctorum diuidi, & cum daemonibus in aeternum cruciari. Verē dies iudicij horrenda, omnibusque metuenda, quia nimis amara, vbi synderesis conscientiae vermis non moritur, vbi semel damnatus ad supplicium, nunquā liberatur. Monachus ergo salutem cupiens assequi sempiternam, se quantum potest ab omni peccato mūdum semper custodiat, & illa vox, Ite maledicti in ignem eternū, nunquam ab eius memoria recedat. Vnde tertij quod ad declinandum à peccato, multum aestimamus conducere, est amaritudinem poenarum aeternae damnationis sedulo cogitare. Nulla enim tā vehemens est carnalis voluptatis tentatio, quā non subito victa deficiat, si tentatus, quid iam patiantur in inferno damnati, studiosa meditatione recogitat. Quid nunc diuitiae quondam habitae profunt damnatis? quid conferunt voluptates trāsaetae positae in inferno luxuriosis? quid vanissimi honores tumidis? quid potestas quondam lata superbis? Cogitate fratres quid iam damnati patiantur apud inferos, & ne vos contingant similia, in bonis & sanctis operibus iugiter perseuerate. Si timeris infernū, fugite peccatū. Nihil enim nocebit infernus, si homo in fide Christi p̄manerit à peccatis alienus: nec ardebit in poena, qui prius hic non arserit in culpa. Metuēdus inferni locus, in quo non est vlla redemptio, sed quisquis illuc damnatus semel intraverit, ad salutem amplius non exibat. Clamāt in tormentis, in angustia miserij, in horrore sempiterno positi dicentes: Quid nūc prodest nobis superbia nostra, diuitiae, honores, dignitates, luxuria, gula, & omnes transactae voluptates carnales, quid nobis iam profunt in aeternum damnatis? Ecce omnia transierunt velut vmbra, & tanquā vnius noctis breue somniū cuncta euauerunt. Nos autem cruciatibus aeternis deputati sumus, in quibus nullam esse redemptionem certissimē scimus. In inferno, sicut Augustinus testatur, etsi erit stimulus poenitudinis, nulla tamen erit in damnatis correctio voluntatis, à quibus ita culpabitur iniquitas, vt nullatenus ab eis possit diligi vel desiderari iustitiae aequitas. Ibi tunc edax inferni flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: & tanto amplius quisque in tormentis vritur, quanto hic in carne cōtra deū magis delectatur. Apud inferos, contestante Gregorio, frigus erit intolerabile, ignis inex-

tinguibilis, vermis conscientiae immortalis, fœtor intolerabilis, tenebrae palpabiles, dolores inestimabiles, flagella sine intermissione cedentium, horrenda visio daemonum, confusio commissorum criminum, desperatio omnium bonorum: sed omnium in inferno poenarum longe grauissima illa existimanda est, quod illic damnati lucis aeternae visione perpetuō sunt priuati. Hinc beatissimus p̄sul Ioannes Chryostomus ait: Intolerabilis res est gehenna, & omnes homines abhorrent eam. Quis enim nesciat illud supplicium inferni esse multum horribile? Verum si mille quisquā, immo si decē millia ponat gehēnas, nihil est totum quod dicit, comparatum ad illud, animam exosam Christo, repellī à gloria sanctorum, & illam audire terribilem vocem ex ore iudicis omnium, Discedite à me operarii iniquitatis, quoniam nescio vos: & ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est vobis, & diabolo. O vox omnium terribilium longe terribilissima, o sententia metuenda & nimium horrenda cunctis mortalibus, odiri pro demeritis à Christo, exprobrari à iudice, separari à consortio gloriae, & nullam sp̄e recuperationis amplius retinere. Cogitate nunc fratres, certissimē futuras impiorum poenas, & comparate quoscumque huius vitae dolores, quoscumque transeūtis aui cruciatus, omniaque cogitabilia huius mundi tormenta ad illa sempiterna damnatorum supplicia, & erūt sicut nihil ad aliquid, imaginatio ad veritatem, somnium ad vigiliam. Tentationes carnis & legem peccati facile superabitis, si harum rerū cogitationem in memoria cōtinuē retinetis. O aeternum, quā inex cogitabile tempus, aeternum sine fine, seculū sine tempore. Beatus qui nunc p̄uidet in tempore, quomodo post hanc breuissimam vitam bene habeat in aeternitate. Quartum quod hominem à peccato potest retrahere, est futura sempiternaque felicitatis continuam in corde memoriā habere. Vere non sunt condignae p̄siones huius temporis ad superuenturam gloriam quae reuelabitur in sanctis, vbi nulla erit discordia, nulla penitus dissonantia, sed erit summa pax omnium, & sempiterna concordia letantium sanctorum. In caelesti sanctorum beatitudine gaudium est, verum sine tristitia, pax sine discordia, bonitas sine malitia, letitia sine fine, lux sine tenebris, vita sine dolore penennis. Ibi est dulcedo sine amaritudine, reges sine labore, laus sine vituperio, amor sine vitio, claritas sine nubilo, sarietas sine fastidio. Sine tædio manet eternitas, sine defectu exuberat bonitas, sine miseria continuatur felicitas. Nam vbi deus est omnia in omnibus, p̄-

Luca 23.

Rom. 8.

Felicitatis aeternae figurae.

fectum & plenum gaudium aderit vniuersis. Ibi anima siue mens sancta principio suo per amorem coniūgitur, intellectus ad cognitionem summi boni perfecte illuminatur, & ex duobus istis fructio æternæ felicitatis exultantibus infunditur. Deum in regno æternitatis cognoscere & diligere, est ipsam felicitatis gloriam fruendo possidere. Ad hoc quippe conditus est homo, vt deum creatorem suum esse summum bonum intelligat, intelligendo super omnia diligit, amado in æternum fruatur atque possideat. Hic finis est institutionis monasticæ, hæc destinatio fidei Christianæ, quatenus deum quem nunc per fidem cognoscimus, & in toto corde per charitatis opera diligimus, in beata vita perfecte intelligentes, obiectum nostræ fructuonis perpetuum habeamus. Pro huius sempiternæ felicitatis adeptioe fratres charissimi omnia etiam cum maximo labore facienda sunt bona, omnia patientissime toleranda aduersa, quonia breuissimum virtutis exercitium, præminim nobis parit æternum. Audite quid ad hæc sanctus Ioānes dicat episcopus. Si quotidie, inquit, oporteret nos tormenta perferre, si ipsam denique gehennam paruo tempore tolerare, vt Christum videre possentus in gloria regnantem æterna, sanctorūque eius numero in perpetuum sociari, nõ erit pari ratione condignum omne quod nobis triste potest accidere, vt tanti boni gloriam mereamur possidere. Ad summum vero bonum non peruenitur, nisi per summos labores, quoniam sicut in sancto euangelio dominus dicit, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quintum quod hominẽ debet a peccato retrahere, est humanæ conditionis honestatem considerare, quæ naturali ductu rationis detestatur vitium, & virtutis diligit bonũ. Virtutis amator est omnis homo qui viuunt secundum imperium rationis. Quæ autem in stercore vitiorum sordescens voluitur, vt bestia non vt homo conuersatur. Vobis autem fratres mei maxime detestanda sunt vitia, virtutes amandæ, quippe qui propterea contemperitis mundum, vt in cœnobio vitam ageritis a peccatis alienam, & sanctis virtutibus decoratam. Virtutes igitur vobis colendæ sunt, non imagines virtutum: colendæ dico non thure, non sacrificio, sed amore & proposito integerrime voluntatis. Virtutes etenim colere, nihil est aliud, nisi eas animo comprehendere, & pro dei amore vsque ad mortem inuolatas retinere. Nam sicut Lactantius ait, omne virtutis officium est non peccare: & ideo non est vera virtus, nisi quæ per fidem Christi ad eum finem redit, vbi est bonũ hominis summũ, quo melius esse nõ potest. Vir-

Mat. 11.

Homo ad virtutem nat.

tuosus autem non est, qui deum non diligit, cum omnium virtutũ summa sit charitas. Vnde si deum ex toto corde super omnia diligitis, virtuosus veraciter estis. Vna igitur est virtus ac via bonorum, qua per fidem & dilectionem Iesu Christi peruenitur ad regnum. Qui deũ veraciter amat, virtutis amore nõ peccat. Considerate vestram dignitatem fratres mei, & fugite peccatum: quoniam omnis qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris animæ pestibus inficitur, nõ viuunt vt homo, sed in semetipso confunditur, & in perditionem æternæ mortis p̄greditur. Quãto enim quisque amplius in peccatum labitur, tanto longius recedit a deo, & magis appropinquat inferno. Cũ autem oēs homines naturaliter appetant bonũ, turpissimũ est amare peccatũ, quonia oīs peccator bonũ deserit, & ad malũ se conuertit. Sexto mētẽ a peccato fortiter retrahit si in meditatione dominicæ passionis ex consuetudine semper occupata persistit. Quis enim voluptatibus carnis operam nauare poterit, si mundi rectorem Iesum Christum pendente pro se in cruce cogitauerit? Mors Christi mundum liberauit a morte perpetua: quod beneficium quisquis in memoria secum portauerit, facile ab omni scelere vitiorũ abstinebit. Denique si quis deum in omni loco sibi presentem, omniaque scientem & intelligentem tota mentis intentione cogitauerit, omne peccatũ proculdubio semper abhorrebit. Est autem nobis deus vbique, non solum præsens, sed vere intimus ac præsentissimus: quem nullum later secretum: cui nihil manet absconditum, sed totum ei patet manifestum. Corda scrutatur omnium, secretissima nouit cogitationũ, qui veram cognitionem solus habet vniuersorum. Quis enim mortalium in præsentia tantæ maiestatis, quam videre omnia credit, peccare sine maximo rubore audeat, si quis sit & quãtus qui videt, pensat? Quotiens ergo molestat iniqua cogitatio mentem, quotiens inordinati motus carnis inquietant animam, dominum deum, qui malorum est vindex, præsentẽ cogita, passionis Iesu Christi amaritudinem ad memoriam reuoca, auxiliũ gratiæ cælestis deuotus implora. Durior est lapide, quem ista diligenti cogitata nequiuert a peccandi proposito reuocare. Septimum quod mentem studiosi monachi a peccandi desiderio reuocat, est vt lectione continua passionis sanctorum martyrum percurrat. Enimvero quisquis inuincibilem constantiam sanctorum martyrum Christi sapius ad memoriam reuocat, fieri non potest quin ad resistendum peccatis fortior & robustior fiat. Propterea naque fortia sanctorum gesta literis demandata sunt, vt

quod-

In eos quid diuorum historias aut cauitur, aut irreuerter habent.

1. Cor. 13.

quotiens nos infirmi talia legimus, ad imitationem præcedentium confurgamus. Nõ respiciaris in eos fratres, qui sanctorum historiis fidem superba temeritate denegant, & ea quæ de beatissimis Christi amicis gloriosa narrantur, fabulas putant. Nam virtutes & bona quæ in semetipsis non inueniunt, sanctos habuisse dei credere contemnunt. Sunt enim plures & inter eos potissime qui de sua eruditione se magnos existimant, historias sanctorum patrum temerè nimis refutantes: & cum ipsi arduũ virtutis iter aggredi nequeant, neminem aut raros potuisse ventosa loquacitate confingant. Quicquid coram eis de cõuersationibus sanctorum vel ardui vel magni legitur, confictum & fabulosum clamitant: & quales ipsi viuunt in tenebris vitiõrum positi, taliter eos quorum derident historias, arbitrantur præcessisse. Monachus autem prudens atque deuotus nõ mouetur superborum ignauia, vt pote qui p̄bè intelligit vim quandam exhortandi sanctorum in esse historiis efficacem. Nam, vt de me interea quod verum est fatear, plus ad interni feruoris deuotionem vnus sancti conuersatione comoueor, quàm curiosis sermonibus multis: quia sicut papa sanctissimus Leo dicit, Validiora sunt exempla, quàm verba: & plus est opere docere, quàm voce. Verũ sicuti nõ omnia placent omnibus, ita nec omnibus conueniunt omnia: hoc vnicique frequentius ac studiosius legendum cõsulimus, cuius lectione mens ad maiorem incitatur profectum.

Ostauum quod hominem a peccato retrahit, est charitas, de qua sanctus Apostolus dicit: Charitas patiens est, benigna est, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, nõ quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malũ, non gaudet super iniquitate, cõgrediet autẽ veritati: oĩa suffert, omnia credit, oĩa sperat, oĩa sustinet. Charitas nõquam excidit. Qui deum amat, fugit peccatum: qui autẽ seruus est scelerum, profecto non diligit deũ. Amator dei non facit peccatum: & qui dominũ suũ veraciter diligit, ac semper intuetur præsentem, nõ operatur iniquitatẽ. Deus est summũ & incommutabile bonum, cuius amore peccatum & fugiendum est, & detestandum, quoniam qui timore peccatorum duntaxat peccare metuit, ad charitatis præmia nõ ascendit. Seruus enim non peccat, metu verberũ, sed filius recedit a malo, parentis amore, ne animã offendat paternum. Caueamus peccatũ fratres mei, & quanta possumus animi puritate, in cõspectu domini conuerseremur, quoniam sicut letale venenum corpus sumptum interficit, sic peccatum delinquentis animam occidit. Hinc nos vir sapiens admonet in Ecclesiastico di-

cens: Quasi a facie colubri fuge peccata, quoniam si accesseris ad illa, suscipiet te. Dentes leonis, dentes peccati interficiẽtes animas hominum. Quasi romphæa bisacuta hominis iniquitas, plage illius non est sanitas. In Ezechiele quoque dicitur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Omni sollicitudine semper nobis vigilandum est, vt ne mediante peccato diuidamur a domino. Nihil autem perfecta charitate in deum est fortius ad superandũ omne peccatum, quoniam sicut Ioannes euangelista sanctissimus dicit: Omnis qui ex deo natus est, non facit peccatum: qui autẽ peccat, nõ deum imitatur, sed præmium peccati diaboli. Diligamus deũ, & non dominabitur nobis in peccatum: amemus Christũ, & nihil operabimur salutis nostræ contrarium. Nihil melius, nihil contra peccatum fortius, nihil securius, quàm deum amare, qui prior dilexit nos, & lauit nos a peccatis omnibus in sanguine vnigeniti filii sui. Sumus enim obligati deo, & eũ tenemur amare totis viribus cordis multiplici ratione.

Primo quidem summẽ a nobis diligendus est deus, nõ aliã ob causam nisi p̄pter semetipsum, qui summum & vnicum est bonum, in quo solo quies & salus est animæ, sine quo nõ est salus, non requies, non beatitudo, non felicitas neque in cælo est, neque in terra. Deus enim cum sit omnium rerum causa, factor atque principium, ipse solus est animæ beatitudinis obiectum, ad cuius sempiternam fructuonem sola charitate pertingitur, solaque mentis puritate ad eius amorem peruenitur. Cum itaque deus vnicum & summum sit animæ bonum, p̄pter seipsum a nobis est totis viribus diligendus. Extra deum nihil est bonum, nihil sanctum, nihil quod animam lætificare possit in æternum. Solus enim deus est beatitudinis animæ cœtrum. Secundò iubemur dominum deum nostrum diligere, quia se patre nobis dignatur pietissimum exhibere. Sic etenim orare nos docuit: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Vere deus omnium nostrum est pater, qui nos creauit, omnes nutrit, pascit, & in esse conseruat, ne pereamus. Nunquam fuit aliquis tam indulgens pater super terram, qui tanta charitate dilexerit vnigenitum filium suũ, quanta nos deus omnipotens pater noster dilectione pietatis amat, fouet, dirigit atque profectur. Et ideo ipsum tenemur puro corde super omnia diligere, qui dat nobis & esse & viuere. Ipse enim pater noster est: & Adã, qui omnium hominum creatus est primus, ignorauit nos. Tertiò debemus deum super omnia diligere propter similitudinem, quonia ad imaginẽ dei factus est homo, suum intellectu quadam similitudine sequens crea-

Ecclesi. 27.

Ezech. 18.

1. Io. 3.

Apost. 13.

Deus nobis totum aũs ob, multum.

Mat. 6.

Quemadmodum sit fugiendū peccatum

toem. Deus autem intellectus est perfectus, infinitus ac sempiternus, cuius bonitatem nos ter intellectus participans per gratiam beatus efficitur in eo qui creauit omnia. Nā est nulla sit inter deum & hominem cōparatio, est tamen ipsius animæ rationalis ad suū principium ex conditionis nobilitate non contēndæ dignitatis similitudo. Dicit enim propheta: Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes. ^{Psal. 81} Dixit etiā in principio dominus deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Magna in genus nostrum diuinæ pietatis dignatio, quam nos decet omni tempore pura mente charitatis obseruantia memorari.

Quartō deū nostrum propter inestimabilem munificentiam suam debemus super oīa diligere, quē recognoscimus nobis tāta beneficia non merentibus contulisse. Cum nō essemus, ipse nos sua bonitate in esse primū condidit, & ad participium suæ gloriæ, quæ nunquā terminabitur, ordinauit. Sic enī dicit de hoīs nobilitate scriptura: Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & cōstituisti eum super opera manū tuarum. Vultis scire fratres in quo minus angelo sit homo? his quæ dicimus, diligenter intēdite. Duo sunt intellectus ab initio creati, angelicus & humanus. Angelicus statim à principio creationis suæ in omnium scibilium actu factus est plenus atque perfectus, & omnia quæ scire debuit, à natura nouit & comprehendit: humanus verò primò quidem in omnium scibilium potentia consistit, omnia ignorans, in fine autem per multas actiones tandem omnium scientiam vt angelicus acquireret. Perfecta nanque naturæ consummatio, quæ angelico inest à principio, humano in fine donabitur. Vnde inter hos duos creatos intellectus hoc solum interesse constat, quòd angelicus est, quod esse potest: humanus verò similitudinē angelicæ perfectiōis in fine, hoc est post mortem carnis, recepturus est. Angelicus enim quando primum fuit creatus, sine vlla sui actione, immobiliter, substantialiter, & à natura, oīm sciētia plenus euasit atq; pfectus: & inter angelos qui suo principio, deo videlicet, adhæserunt per amorem, in æterna felicitate confirmati sunt. qui autē in semetipsis gloriātes, affectu recesserunt à deo, perpetuò sunt miseri & infelices. Humanus verò intellectus quoniam à principio in omnium rerum ignorantia & priuatione creatus est, necesse habet vt actione motu & arte in propositam sibi rerum notitiam tandem perueniat. Quādiu sumus in corpore, & peregrinamur à domino, intellectus noster, propter nimium corporis cōmercium, quasi in tenebris ignorantie positus

confunditur, & ad scientiam futurorum perfectam minimè illustratur. Postea verò quā anima fuerit separata de corpore, iam intellectus gaudebit angelica perfectione. Tantum ergo distamus ab angelis, quantum de corpore impuritate participamus. Quintō maximè à nobis diligendus est deus, quoniam ipse prior dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine vnigeniti filii sui. Creator summè diligit creaturam suam, quam de nihilo condidit: dignum est vt ipsa creatura suum maximè diligat creatorē, cuius bonitate in esse producta fuit. Amat nos deus maxima charitate qua maior dici vel cogitari nō potest, & in tantum nos diligit, quòd amplius diligere nec debuit nec potuit, quoniam in deo perfecta sunt omnia, & non est apud incommutabilem trāsmutationis facultas aliqua. Attendite nūc fratres mei quanto feruore mentis, quantoq; desiderio cordis deum suum homo debeat diligere, à quo supremo dilectionis gradu etiam sine meritis amatur. Extendamus animum in eius amorē super omnia quantum possumus: dignus est enim quē totis viribus diligamus. Quantum enim cūq; amantem nos deum amauerimus, ad illam tamen mensuram qua ipse nos diligit, nullatenus perueniemus. Nam ipse, vt diximus, summè nos diligit, nec potest amor in nos eius amplius crescere, quem creaturam suam constat perfectissimè amare. Nos autem quantumcūque dilexerimus illū, semper possumus in amando ulterius proficere, & vsque ad mortem ardentius amare. O nos infirmi, nos tepidi, nos lutofo carceri mancipati, quid retribuemus amatori tāto, qui nos infinitis gradibus præcellit amando, cum facturæ ad factorem nulla sit cōparatio? Sextū quod nos in amorem dei prouocare meritò debuerit, est summæ pietatis in nos eius consideratio, qui tot milibus hominum per orbē latū in errore dimissis, nos in Europa cū paucis ad Christianæ fidei cognitionem misericorditer vocauit. Omnium beneficiorum hoc post Christi mortem existimo esse præcipuū, quòd nos fecit esse in fide Christianos. Nā extra fidē Christi nemo saluabitur, siue annuncietur Christus, siue penitus ignoretur. Quot hodie sunt in Asia & Africa regna, quot gentes, quot insulæ maris, quibus nulla de Christo cognitio est, nullaque fides, sed in errore omnis religio, & sine merito salutis, etiam si qui extra Christianismum vnum videantur adorare & colere deum? Christus enim saluator fidelium est animarum, in quem quisquis non crediderit, iā indicatus est: & sine dubio condemnabitur. Vnde nunquam deo cōdignas gratiarū actiones referre poterimus, quòd

Decognitione gratiæ spiritualis, sermo 6. 63

quòd nos in fide catholica (vt ita dixerim) nasci constituit, & in sanguine vnigeniti filii sui ab interitu mortis liberauit. Simus ergo huius tāti beneficii memores, & ita curemus viuere, ne iudicemur de ingratitude. Benedicamus deum patrem in omni tempore, qui dona spiritus sancti effudit super nos, & non permisit vt remoti ab vnitate catholice vnitatis ecclesie nasceremur. Septimum quod amorē dei producere in cordibus nostris posse creditur, in pmissione sempiternæ felicitatis cōsideratur. Nā si cōsiderem⁹ quāta nobis in celo bona se daturū promiserit, amor eius meritò in nostris cordibus dulciter ardebit. Se nobis totū promisit in præmiū, qui solus est summū & penitus incommutabile bonum: qui cum sit indiuisibilis, ita se fruendum præstabit omnibus, vt nihilominus totus possideatur à singulis. Omnes diligit à quibus diligitur, & singulos diligit à quibus habetur. Quanto nūc deum amplius pura mente diligimus, tanto ibi plus præmii recipiemus.

Decognitione gratiæ spiritualis,
Sermo Sextus.



1. Ioā. 4.

Decet nos sanctus Christi Apostolus Ioānes, omni spūi non semper esse credēdū, sed examinādos diligenter instinctus, vt rū sint ex deo qui lumen est verum, ne quid forsitan cōtra nos insurgat ex parte tenebrarum. Aduersarius etenim noster cum sit astutus, nunquā dormitat, sed mille modos quibus nos capiat incautos, excogitat. Aliter tamē iā proficientes aggreditur, & aliter cum illis agit qui adhuc in torpore negligentie conuersantur. Quāto in dei mādatis amplius profecerimus, tanto magis est necessarium, vt cōtra insidiātem nobis diabolum vigilemus. Dēmon fugere tentantes importunè persequitur, & in eos qui cupiūt placere deo amore, inuidia debachatur. Latitās in occulto sub specie boni neficientes consuevit inuadere, quos nouit se aperta congressione non posse superare. Multa cōsuevit proficientibus & adhuc minus in timore dei fundatis suggerere, quibus incautas mētes plerunque sub specie boni conatur supplantare. Contra cuius insidias optimum est remedium, si omnes cogitationes cordis sui monachus examini deferat seniorū. Dæmones nāq; publicū luminis odiunt, & venire in notitiam spiritualium seniorum cogitationes iuuenum quas suggerunt, erubescunt. Vnde quisquis vestrū se stare in bono existimat, semper sit sol-

licitus ne diabolo supplantante ruat. Sunt inter vos quidam & annis & conuersione iuuenes, qui sensualitatibus suis plus quā expedire consentiunt: quibus dæmones variis modis quasi sub boni specie illudunt. Sanctitatē quærunt sine merito, meritum habere cupiūt sine virtutum necessariarū exercitio. Videntur sibi corā deo magni deuotione atq; præcipui, & in suis passionibus animalibus nō sunt mortificati. Erratis o miseri, & vos ipsos turpiter decipitis, qui sine fundamento humilitatis subiectionis & obedientiæ, sanctitatis turrim ædificare cogitatis. Mortificanda sunt prius inordinata sensualitatis desideria, refrenandæ sunt passionēs animales, ira, murmur, & indignationis liuor, atq; omnis impatientia, quoniam quādiu vobis dominantur vitia, non sunt deo grata quæcūque priuata singularitatis offertis munera. Vana sunt omnia vbi nō pura cōsciētia est. Suspecta nobis est conuersatio monachi iuuenis, quantūlibet videatur esse deuota, quam subiectionis voluntarię humilitas non commendat. Monachus enim si ne humilitate & obedientia nō potest esse bonus, quāuis ieiunio & oratione quotidie venetur sanctitatem. Multos in occulto elationis & superbiæ diabolus decipit, quos vigilare, ieiunare, & orare continē permittit. Nam sicut nulla sine humilitate & charitate deo grata sunt opera, ita ieiuniū, vigilia, orationes & studia monachorum sine his diabolo nō sunt formidanda. Hinc nō mouetur diabolus, vnde non torquetur. Non magnipendit vigilias elati, neq; ieiunium aduertit tumidi, nec orationes metuit superbi. Si autē inuenerit te humilem, si mandatis seniorum in omnibus hilariter obedientem, si cōsiderauerit te magna facere, & de te humilia sentire, si dei & pximi charitatem in te perpenderit ardere, iam certe cōtra te mouetur, quoniam tuis virtutibus illius inuidia torquetur: omnia quæ potest in te suæ calliditatis vertit arma, & sanctitatis ppositum totis viribus conatur euertere. Nihil enim dæmonibus in monacho plus displicet, nihil eos vehemētius torquet, quā si pro dei amore in omnibus se veraciter humiliauerit, & militiam institutionis monasticæ sub obedientiæ custodia hilari, semper animo seruaauerit. Cauendū sunt vobis instinctus dēmonū, quivos magnū aliquid esse putatis, sine verarū merito virtutum. Ego video vos ad mandata seniorum inuoluntarios, in correctione impatientes & murmuriosos, ad reprehensionē vitæ alienæ prompulos, sed in considerandis defectibus propriis esse tardissimos. Signa sunt hæc instinctus dæmonum certissima, & contemptę necessarię mortificationis voluntatis

Humilitas vna Satanā profitigat.

Psal. 81
Gen. 1.

Psal. 8.

Quid præstat angelus homini.

1. Ioā. 4.
Apoc.

Deus nos quā tum po. test & debet dilig.

Vocati nostri, quāntū beneficium.

Ioā. 3.

proprie iudicia manifesta. Religionis magnæ & internæ deuotionis cultores vos esse perfectos & sanctos creditis, & neque fraternâ charitatem neque veram humilitatē in vobis necessariam monachis habetis. Sensibilem in orationibus deuotionē queritis, & lachrymā-tibus oculis iam dei vos amicos existimatis. Quid enim? Faciunt ne sanctum in orationibus lachrymæ, quando oratur cum quadā elatione mentis sine vera humilitate? Dat lachrymas deus, dat contrariis pulsatus animus, dat etiam deceptor elatorum diabolus. Deus mentem in vera charitate humiliatam quasi pratū dulcibus fœcūdat lachrymis, natura plorantē commouet in aduersis, diabolus aquarum riuulos infundit sub deuotionis similitudine superbis. Humilitas est virtus vnica, quæ in latitudine charitatis facit corda hominum veraciter deuota. Nihil tibi pdest o monache quicquid in tua singularitate feceris, si veram humilitatem non habeas cū feruore geminæ charitatis. Nam ad nocturnas ante alios surgere laudes, longas præter consuetudinem ordinis in priuato dicere orationes, ieiuniū vltra cōstitutum regulæ continuare aliis licitè manducantibus, in secreto manere cæteris ad cōmunem laborem egredientibus, duo faciunt meritoria: quæ si defuerint, cuncta erunt penitus infructuosa. Enimvero quicquid operū monachi charitas & humilis obedientia non commendauerint, vacuum à merito iudicabitur coram deo, & præmio carebit. Vos autem, qui præcepta seniorum tumido supercilio cōtemnit, nō quæ illi iubent, sed quæ vobis placēt, propria temeritate facitis, qui cōmunibus ordinis sanctis exercitiis adiuuentione proprias anteponitis, adhuc longe à sanctorū cōuersatione remoti estis. Nō licet vobis, ea quæ sunt de institutione monastica, propria temeritate deserere, & quæ vobis placent noua ac vana necessariis anteferre. Ingratū est deo quodcunque opus feceritis, contēpto illo ad quod obligati estis. Diuinæ inspiratio gratiæ humilitatem docet, obedientiam persuadet, ac verā in omnibus sequitur charitatem, mandatum seruat, nec superbiam admittit, nec spernit aliquid, sed regularis disciplinæ perpetuam sectatur integritatem. Instinctus autem diaboli sub specie boni callidè incautum supplantat monachum, & facit eum proprio iudicio in omnibus subiectum. Omnia enim quæ ad cōseruationem integritatis monasticæ pertinet, ille male instituta mētatur & contraria, & suis ob id, studiis postponenda. Verum vt discatis gratiam dei ab instinctibus antiqui hostis sapienter discernere, quæ dicimus notate. In primis igitur quicumque se dei gratia inspiratum

Fons lachrymarum & diuersis venis scaturit.

Humilis obedientia & charitas duo hęc nisi addunt, nihil prodest.

Art. dist. terned. gra-

existimat, si quotidie fiat in cōscientia purior, decrescente fomite peccati sedulus aduertat. Vbicunque enim spiritus dei munus gratiæ cælestis effuderit, omnis peccandi mox affectio recedit. Quod si peccandi horror mentē non inuaserit, profecto manifestum est quod hominē instinctus diaboli occupauit. Mox enim vt spiritus sanctus mentem hominis penetrauerit, omne vitiorum incendium aut mitigat, aut penitus extinguit. Hinc semetipsum nusquisque vestrum diligēter examinet, & cuius moueatur instinctu, penset. Dei namque, instinctus peccatum consuevit minuere, sed antiqui hostis augere. Vnde qui aguntur spiritus dei, peccatum in eis quotidie minuitur: qui vero instinctum sequuntur diaboli, raro veraciter emendantur. Secundum instinctus diuini signum ex augmento virtutum cognoscitur, quoniam sancti spiritus gratia semper in homine magnas virtutes operatur. Cum ergo te sentis quotidie in dei amore ac bonis operibus proficere, quando experiris in te peccandi consuetudinem & vitia quælibet de die in diem minus præualere, dei adesse gratiam humiliter debes agnoscere. Amor enim dei quæ affert gratia, nunquam est ociosus, sed in bonis semper operibus vtiliter occupatus, quoniam & multitudinem peccatorum operit, & virtutibus exercitans animū, peccare nō permittit. Gratia quippe dei, stare cū peccatis non poterit, & esse in homine sine virtutum operatione minimè consuevit. Tertium spiritus dei signum in homine ostenditur, quando mēs in sanctitatis proposito non fluctuat, sed fortius de die in diem conualescens roboratur. Nam multi sunt, qui horaria compunctione tacti, prima duo signa quandoque suscipiunt, sed perseuerantiam cōtemnentes, ad tertium non pertingunt. Sine autē perseuerantia nullum est boni operis præmium, domino dicente in sancto euangelio: Qui perseuerauerit vsque in finē, hic saluus erit. Nouit se diabolus ad breue tēpus absentem fingere, & progredientē iuxta duo præscripta spiritus dei signa quasi nesciat eū vel timeat, dissimulare. Mox deinde prorumpens ex insidiis, deuotissimè incautum aggreditur, & in pristinam negligentiam foueam præcipitans miserum grauius vulnerat. O consuetudinis male quam graue iugum, quam iniquū & horrendum dominū, & raro ante mortem terminandum. Timeat & horreat, quæcunque longa consuetudo peccati ligat. Nihil enim difficilius, quam tempore longo roboratam deuincere cōsuetudinē malam. Hinc Salomō dicit in prouerbis: Adolecens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Veruntamen si consuetudinem

etiam dei à suggestione diaboli

Mat. 10.

Constitudo mē la quā graue malum.

Pro. 10.

tudinem malam non violentervincimus, sed per duriores & minus vincibilem sentiemus. Quartum præsentia spiritus dei signum perseuerantia boni recte subiungitur, quoniam affectu purgato mēs in cognitionē diuini luminis per gratiā illustratur. Hæc enim est virtus sancti spiritus, quam nemo intelligit nisi qui accipit. hæc plenitudo cælestis doctrinæ, quæ vitia simul & errores à mētibus excludit. Omnis Christianæ religionis castus amator, qui hoc signum cælestis benedictionis acciperit, plus quam antea, quæ sint veræ charitatis merita, simul & exercitia pietatis, supra cæteros sapit. Status quoque mentis in rectitudine cælestis desiderii ponitur, & ad veram scientiam futuræ beatitudinis illuminatur. Habet hoc signū, adeptæ veritatis familiare indicium, quæ mēs illuminat deo in scripturis sanctis & extra scipit altissima sapere, & quāto plus intelligit, tanto se studet profundius humiliare. Spiritus enim sanctus humilitatem suis muneribus adhibet, quæ si repulsa fuerit, manifestam constat quia spiritus recessit. Quintum gratiæ dei signum accipitur, si mens hominis tota in deivoluntate resignatur, si quotidie in eius amore per desiderium acceditur, si cōscientia quantum infirmitas humana sustinet in omni puritate conseruatur. Amor enim dei per acceptam spiritus sancti gratiam statim in mente nascitur, bonisque operibus & spiritibus exercitiis quotidie roboratur, peccatum horret, detestatur & refugit, nihilque nisi purum sanctum & deificum admittit. Vbicunque hoc signum fuerit, nullum peccatum erit. Si peccatum affuerit, signum verum non fuit. Sextum instinctus diuini signum accipiunt, qui semper animo in melius conualescunt. Spiritus enim dei mentem hominis quæ per gratiam suam inhabitat, patientem & voluntariam ad tolerandas iniurias efficit, & ad faciendū bonum promptissimam reddit. Quicumque vestrum motu se cōuersari diuino existimat, quicumque se ambulare in via rectitudinis putat, conscientiam suam examinet vtrum ad tolerandas iniurias pro Christi amore fiat quotidie prætorior, an videlicet in tribulatione gaudeat, & plus in aduersis quam in prosperis animi deuotio crescat. Quod si ad tolerandas iniurias inuoluntarium se impatientemque repererit, quāto longe sit à perfectionis gratia positus, facile agnoscit. Charitas enim sancti spiritus donū, patiens est, benigna est. Septimum gratiæ spiritualis indicium illi accipiunt, qui pro Christi amore omnes consolationes præsentis vitæ contemnant. Anima quæ deū in se per amorem habet præsentē, omnia carnis solatia despicit, per dura & aspera venire ad

1. Cor. 13.

dominum suum concupiscit. Diuitias huius mundi non diligit, honores & dignitates transitorias spernit, carnis voluptates fortiter cōtemnit. Meditatur in lege domini semper, & amarissimæ passionis Iesu Christi nunquā obliuiscitur. Quis in vobis est fratres, qui faciat hæc? qui omnes detestetur consolatiunculas huius seculi? qui nihil aliud cogitet, nihil querat, nihil concupiscat, quā charitatem dei? Quicumque hoc signum præsentia spiritus sancti consecutus fuerit, si perseuerauerit vsque in finem vitæ, saluus erit. Octauū boni cursus indicium, & verū præsentia sancti spiritus signum tunc accipimus, quando voluntates nostras diuinis ordinationibus humiliter in omnibus conformamus. Iste gradus spiritualis profectus monachum ab omnibus curis mundi segregat, & totum ad interiora vocat. Eius namque volūtas diuinæ voluntati placidæ mētis affectu subiicitur, & à cūctis desideris quæ militant aduersus spiritum, longe separatur. Quisquis hoc donū gratiæ spiritus sancti acciperit, in primis agat gratias cum humilitate, nec se inaniter extollat de munere, sed quanto profecerit amplius, tanto se plus humiliare discat in omnibus. Sæpe autem homo dei gratiam meretur amittere, quā negligit in pyxide veræ humilitatis conseruare. Propterea omnipotens deus nonnunquam sensibilis deuotionis gratiam proficientibus ad breue tempus subtrahit, quatenus in mēte perseueret humilitas, & feruor desiderii ad inquirendū amplius inardescat. Verum cum multæ sint causæ in hominibus quibus gratia dei quandoque subtrahitur, operæ fuerit precium vt ex ordine dicatur. Primò quidem gratia dei homini propter peccatum subtrahitur, quando cōscientia vitiorum turpitudine maculatur. Deus enim noster (vt scriptura dicit) zelotes aut solus diligitur, aut cum socio quolibet nō amatur. Quotiens ergo mens vel ad seipsam vel ad aliud inordinate concupiscendo reflectitur, à suo principio, quod deus est, alienata remouetur, vnde gratiam quam habuerat, meretur amittere, quam peccato consentiens inuolatam noluit custodire. Hinc hortatur nos sanctus Christi apostolus Paulus, ne gratiam dei in vacuum recipiamus, quæ tunc quidem frustra in vacuum que recipitur, quando mēs recipientis, vitiorum sordibus inquinatur. Vasculum in quod gratiam dei recipimus, nostra est cōscientia, quæ dum purgatur à vitiis, & sanctis adornatur virtutibus, dignū fit sancti spiritus habitaculum, & magnum in nobis generat profectum. Quod si vasculum conscientia nostræ per putredinem peccati fœdatū fuerit, mox dei spiritus cū omnibus donis gratiæ re-

Mat. 10.

Humilitas velut pyxis vel penus, quædam que ceteras omnes virtutes & exprimat & custodiat. Gratia dei quibus de causis subtrahitur. Eia. 20.

2. Cor. 6.

cedit. Nōne dominus noster Iesus Christus amator & sponsus fidelis est animæ, quam sibi proprii sanguinis effusione cōparauit: Quia frō re, qua temeritate hunc tantum amatorem saluatoremque tuum o homo potes contemneres, & aliud in hoc mūdo quodlibet amare? De⁹ te summè diligit, q tu⁹ est creator, sua te morte ab interitu sempiterno liberauit. Quid illi retribues o homo mortalis, à quo tanta suscepisti beneficia? Nihil à te petit, nihil quærit, nihil postulat, nisi gratitudinem, dilectionem & charitatem. Custodi innocentiam & puritatē conscientiæ, ne perdas instinctum gratiæ.

Secunda etenim causa propter quam gratia homini subtrahitur, in gratitudinis superbia nuncupatur. Deus autem (scriptura testatē) resistit superbis, humilibus verò dat gratiam. Iusto nanque dei iudicio gratia spiritus sancti amittitur, quotiens eam qui habet, in superbiā eleuatur. Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exultat, humiliabitur. Hinc iterum dicit omnipotēs deus: Super quē requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos? Quāto se quisque amplius in vera puritate conscientiæ pro amore Christi humiliauerit, tanto ad recipiendum gratiam spiritus sancti magis idoneus erit. Quotiens verò mens in superbiā erigitur, merito deuotionis spiritus quasi ab immundo vasculo auferitur. Nemo igitur fratres mei de gratia spiritus sancti quam accepit, superbiat, nemo se inaniter extollat, quoniā nisi fuerimus humiles, miserationum domini nequaquā poterimus esse participes. Nā vt facerit quod Christophorus Paulus, qui existimat se aliquid esse, cū nihil sit, ipse se seducit. Tercio gratia deuotionis homini propter pigritiam & acediam subtrahitur, quando mens in bonis operibus minimè exercitatur. Nam sicuti ait scriptura, ociositas inimica est animæ, & omnis qui seclatur ocium, in egestate erit. Dicit enim vir sapiens: Desideria occidunt pigrum, noluerūt enī quā operari manus eius. Quemadmodum ignis sine fomēto extinguitur, ita spiritus deuotionis sine continuo exercitio charitatis euanesceat extenuatur. Nemo igitur de suis viribus in hac vita præsumat, nemo in pristina conuersatione quasi securus confidat, quoniā quandiu quis potest fieri ex deteriore melior, potest etiam fieri ex meliore deterior. Vita enim nostra tētatio est tota super terram, in qua qui non progredimur in bono, deficiamus: ubi, vt sanctus papa dicit Leo, deficiendi periculum incidimus, ubi appetitum proficiendi reuocamus. Acediam igitur fugite, & in bonis operibus semper vigilate. Considerate quid seruo pigro acciderit, qui

pecuniam domini sui, quam ad negociādum ^{Luc. 19.} acceperat, in sudario abscondit. Negociamini precor dum tempus est, & semper in bonis studiis, quandiu viuitis, estote occupati. Quarto gratia deuotionis vt plurimum illis subtrahitur, qui sub obediētia positi voluntatē propriam sequuntur. Monachus enim qui suam voluntatem diligit, dei gratiā iustissime amittit. Qui autem se propter deum pastoris obediētiæ in omnib⁹ humiliter subiicit, qui cordis proprii voluntatem spernit, variis donis gratiæ spiritualis infunditur, & lumine interni feruoris illustratur. Nihil deo preciosius & acceptius offerre possumus, quā si propriā voluntatem illius amore abnegemus. Deniq; professio ipsa monasticæ institutionis nobis ex necessitate salutis indicit voluntatem propriam contemnere, & illi qui nobis prælatus est, humiliter subiicere. Monachus ergo qui motum voluntatis propriæ sequitur, quasi vas immundum & gratiæ spiritualis indignum iudicatur. Vnde merito gratia dei monacho propriæ voluntatis subtrahitur, qui aliter viuens quā promissit, domino mentitur. Quinto gratia deuotionis monacho subtrahitur, quā suis demeritis habere arbitrat. Quod in se habitat peccatum, non intelligit: si quid boni acceperit, suis meritis ascribit. Cōtra hāc mēris ignauiam sanctus propheta dixit ad dominum: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, quia non est volentis neq; currentis, sed miserentis dei. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Nemo enim deuotus meritis suis, nemo sanctus viribus propriis. Omnes autem causæ subtractionis gratiæ dei quas diximus, pertinere ad nostram infirmitatem agnoscamus. Quantū verò ad illos pertinet, qui iam in via perfectionis ambulat, alia datur ratio, quandiu perseuerant. Nam illis gratia dei nunquam subtrahitur, licet sensibilis feruor compunctionis aliquando ad tempus auferatur. Et huius ablationis causas per ordinē dicamus. Et primò quidem omnipotens deus gratiam sensibilis deuotionis interdum suis amatoribus ad tempus subtrahit, vt dum inuocatus adesse dissimulat, amoris interni desiderium crescat. Non uerunt hanc ardoris sancti vicissitudinem omnes qui diuini amoris senserūt incendium, & qui veri sunt emulatores sanctorum patrū. Quando enim cunque se sponsus à spōsa subtrahit, amantis desiderium crescit. Quæ dum æstans quærit quem diligit, præ amoris desiderio gemit. Secundo hæc gratia deuotis ad horam subtrahitur, ne fragilitas in superbiā eleuetur. Dum enim gratiam compunctionis etiam nolentes amittimus, nostram infirmitatem

mitatem, quæ nihil à seipsa potest, humili discussione iudicamus. Vt ergo deuoti cultores dei humiles in sua sublimitate permaneāt, necesse est vt suam fragilitatem agnoscant.

Tertiam vero causam requirit meritū, quia consolationes internas quærere non est fortium, sed infirmorum. Gratis seruendum est domino, quia bonus est: qui autem sensibilem in sua deuotione quærunt dulcedinem, nimis delicati sunt, & dominum Iesum pro consolationibus quærunt. Viriliter amandus est dominus, & omnes affectiones muliebres & molles pcul ab animo propulsandæ. Vt ergo meritum suis cultoribus in sancta compunctione dominus augeat, interdum sensibilis deuotionis gratiam postulanti bus negat. Sed ne tædii amaritudine affecti omnino torpescant à sanctitatis proposito, nō pcul recedit mœretū cōsolator, sed manet inuicino. Ad amicā subito reuertitur, & quam tristē ad horā dissimulauerat, dulcedine presentie spūaliscōsolatur.

Quartam his causam cōiungimus, qua monemur vt cauti ambulemus. Nam si compunctionis gratiam timemus amittere, discamus habitā diligentius custodire. Thesaurus enim rarus & preciosus quāto amplius diligitur, tāto diligentius à possidente custoditur. Monachus igitur qui gratiam deuotionis à domino meruit accipere, ne perdat eam sua negligentia, summo studio debet vigilare. Vt autē sciatis quemadmodum debeatis indultam compunctionis gratiam conseruare, ne pereat, ordo dicendorum vobis clarè manifestat.

Cōpunctionis gratia quo studio retinetur. Eccl. 19.

Primò qui gratiam internæ compunctionis sibi concessam non vult amittere, studeat se quantum præualeat, mundum & purum ab omni peccato cōseruare. Caueat non solū mortalia horrendaque scelera, sed etiā parua quæ dicuntur venialia, quoniā qui minima spernit, paulatim decidit: & q nō cauet multa parua, frequēter ex cōsuetudine vnū magnū efficit.

Secūda verò cautela pro cōseruatione gratiæ necessaria dicitur, vt omnis iactantia caueatur. Si donum compunctionis à domino meruisti accipere, quantum in te est, studeas illud humiliter occultare. Fugit enim sancti spiritus gratia publicum, & detestatur omne cor iactantia superbum. Nam vt diuus Gregorius dicit, spoliari desiderat, qui thesaurum in publico portat. Tertio si gratiā compunctionis internæ non vis amittere, quietem solitudinis studeas amare. Dicit enī scriptura diuina: Super quē requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum: Et iterū in alio dicit, In silentio & spe erit fortitudo vestra. Gratia enim compunctionis internæ citò amittitur, quando fecerim solitudinis non amatur. Dicit ergo

monachus in cella secum libenter consistere, qui gratiā dei vult possidere. Quarto cauendum summopere ne aliquē hominē quātunlibet malum in corde tuo despicias, quoniā gratia compunctionis iusto dei iudicio subtrahitur, quoties temerarium de proximo iudicium nō cauetur. Dicit nanq; in sancto euangelio dominus: Nolite iudicare, & nō iudicabimini: nolite condemnare, & non cōdemnabimini. Quinto monachus qui gratiā interne deuotionis nō vult amittere, studeat se in cultu virtutum omnium exercere. Semper in timore domini vigilet, semp se in exercitio diuini amoris occupet, in bonis operibus iugiter sit assiduus, & in memoria passiōis dominicæ, quātum præualeat, omni tempore deuotus. Intenta enim passiōis Christi meditatio hominem contra omnia vitia corroboret, & cōpunctionis gratiā cōseruat. Sexto in fatigatis orationibus esto cōtinuus, quia compunctionis gratiā custodire non sufficit, qui orationis studiū intermittit. Dicit enim saluator in sancto euangelio: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Auxiliū domini præsto est inuocantibus: qui autē orare negligit, gratiam amittit. Quod si gratiam deuotionis quolibet modo amiseris, sequentibus eam sex remediis citò recuperabis.

In primis te considera sine dei gratia ad salutem non posse proficere, sed eius miseratione in oibus quæ facturus es bona, te maximè indigere. Recognosce igitur te gratia dei ad operandū bonū esse idignū: sed quāuis te ppter multitudinē peccatorum tuorū scias indignū, inuocā tamē eū, quoniā ppe est: & oē tēp⁹ qd tibi ociosum à cōmuni fratrum exercitiis cōceditur, fac vtiliter & fructuose expēdatur. Gratia dei ad operandū bonū tibi est necessaria, quæ latitudine charitatis acquiritur, humilitate custoditur, penitentiæ salutaris studio recuperatur. Domin⁹ tecū est, quādiu cū eo fueris bona voluntate. Vt autē gratiā deuotiōis amissam recuperare valeas, oportet deo ī vera te humilitate subiicias. Secūdo ad recuperationē gratiæ cōpunctionis amissæ videtur necessariū, quātinus in nullo te cōtra dominū eleues, sed voluntatē tuā in oibus diuinę ordinationi cōformes. Vt fiat voluntas eius, in oratiōe dominica dicim⁹: dignum est vt ipsi orationi mētē & affectu voluntariē semper cōcordem⁹. Tertio q gratiā deuotionis amissam recuperare desiderat, oportet q omnē huius mūdi voluptatē propter dei amorem fortiter contēnat. Nō enim fieri potest vt spiritū interne cōpunctionis recipiat, qui terrenis gaudiis & voluptatibus cordis habitaculum laxat. oportet ergo quod omnē præsentis vitæ cōsolationē abicias, si spū

Mat. 7.

Mat. 12.

Gratia amissa quomodo recipitur.

Mat. 6.

Luc. 6.

ritum diuini amoris habere cum suis charitativis optas. Quarto iuberis te à vanis curis & occupationibus huius mundi perpetuo subtrahere, & mentem omni tempore in dei seruitio delectabiliter occupare. Nam ut dominus ait, Nemo potest deo seruire & mamona, sed qui domino in veritate cordis famulari desiderat, necesse est ut omnes mundi occupationes contemnat. Quinto suademus ut cor tuum in meditatione passionis Christi semper occupare memineris, quoniam non est alia via ad compunctionis gratiam recuperandam compendiosior, nec modus orationis ad impetrandum à domino quodcumque postulauerimus, efficacior. Sexto conscientiam tuam quotidie expurgare per veram penitentiam studeas: & quotiens in aliquam culpam cecideris, mox per contritionem respicias. Si hæc bona voluntate custodire, curaueris, amissam compunctionis gratiam deo miserante recuperabis.

De nouem ascensionis gradibus.
Sermo. VII.



Calam vobis describimus fratres charissimi nouem graduum, per quam fit ascensus humani spiritus in caelum. Et quanuis altero sit alter sublimior, tamen ad regnū dei oēs & singuli dirigunt, & à meritis ascendentium merita discernunt. His ergo quæ dicturi sumus, diligenter attendite, & quantum in profectu spirituali profeceritis, considerate. Omnes quotquot ad regnum dei perueniunt, huius scalæ gradibus ascenderunt. Quanto verò quisque in amore dei amplius profecerit, tanto iam altius ascendit. Primus gradus inferno est proximus, & magis à sublimitate cælestis patriæ remotus. Homines enim in eo positi, à vitis recedere, & in timore dei proficere incipiunt, & venialia negligentes, à mortalibus recedunt. Mente quidē ad operationem virtutum anhelantes, grauiora peccata fugiunt: sed infirmitate prauæ consuetudinis pregrauati, minima non attendunt. Vnde sapius ex fragilitate mortalis peccati foream incidunt, quoniam venialia grauiorum occasiones non cauerunt. Nullum enim peccatum tam paruum est, quod maius non fiat neglectum. Nam et si venialia peccata in toto caueere non possumus, oibus tamē viribus, ne multiplicentur in nobis, attendere debemus. Qui autem miserante domino in isto gradu quotidie ad meliora proficiunt, rarius in peccatum cadunt. Quotiens verò ceciderint, toties per pe-

nitentiam resurgunt. Status tamen eorum periculo est proximus, quoniam sicut vestis lacera sapius, tandem inutilis redditur: sic homo qui crebrius peccando labitur, mala consuetudine frequenter suffocatur. Si qui tamen ex isto gradu in miseratiōibus domini ex hac vita decesserint, non sine grauisimis purgatorii poenis saluabuntur. Ad sublimiora igitur properandum est, quod non solum mortalia, sed etiam venialia pro viribus caueantur.

Secundum gradum illi creduntur ascendere, qui venialia simul & mortalia scelera, quantum praevalent, conantur euitare: verū nimio corporis infirmitati commercio, non perseverant in proposito, sed frequenter in varias huius vitæ negligentias incidunt, quanuis mortalia non committunt. Hunc gradum nos tepidi ascedisse vtcunque confidimus, qui sub regularis disciplinae obseruantia constituti, mentes nostras à grauioribus peccatis adiuuante domino custodimus. Quonia vero nimium sumus tepidi, multum negligenter viuimus, & ad operandum sanctorum virtutum exercitia tardi sumus. Sunt autem plures in climate huius secundi gradus constituti, quos timor seruilis occupat, qui solus si fuerit, regno dei minime appropinquat. Ad consequendam nempe supernæ felicitatis gloriam timor seruilis sine charitate non sufficit, quoniam seruus est qui non peccat metu supplicii, filius autem malum non facit amore dei. Bonum est tamen à seruilis timore incipere, ut homo paulatim ad filialem qui castus dicitur, valeat peruenire. Nam et si metu poenarum recedere à malo, ad consequendum dei regnum minime sufficiat, operatam tamen ad timorem filialem parat. Vnde proficiendum gradus est infimus, timore supplicii non delinquere, & ne damnatur perpetuo, non peccare. Sola enim charitas merita discernens omnium, ut apta ingredi ad regnū dei intromittitur: & quicquid factum extra illam fuerit, indignū dei regno iudicatur. Quisquis ergo secundum hunc gradum meruisti ascendere, quisquis metu poenarum didicisti non peccare, si vis ad gaudium æternæ felicitatis pertingere, cura quantocumque ad sublimiora properare. Quoniam verò (testante prouerbio) nemo repete sit summus, ut ab inferioribus incipias, recte quidem permittimus, sed stare in valle tenebrarū diu, periculosum iudicamus. Ascende igitur quantum potes quotidie, & noli cum bestiis in stercorebus foeculentiarum persistere, quonia si non proficis, deficis: si non ascendis, descendis. Tertius gradus ab illis comprehenditur, qui in bono proposito perseverantes, se ab omni peccato mortali custodiunt, & à venialibus quoque pro viribus recedunt. Con-

scientiæ

scientiæ puritatem diligunt, & nihil quod eam maculare possit, vllatenus committunt. In vno tamē inferiores sunt sequentibus, quia non simpliciter propter amorem dei recedentes à malo benefaciunt, sed ideo quod recepturos se regnum dei pro suis meritis, confidunt. Non sunt in statu perfectionis, qui deo propter mercedē seruiunt, sed cum infirmis adhuc longe à culmine sanctitatis in inferioribus consistunt. Qui deum pura mente veraciter diligit, neque timore poenarum, neque intuitu mercedis, sed amore ipsius tantum illi famulatur & seruit. Et propterea gradus præscripti omnes proponuntur incipientibus, per quos paulatim ascendentes, tandem coniungentur perfectis. Bonum est metu poenarum à malo recedere, bonum est amore mercedis bonum facere, & quanuis nequaquam ad perfectionē sufficiat, initium tamen & viam proficiendi cupientibus præstat. Timor etenim seruilis continuatus filialem & castum generat, de cuius scaturigine perfecta charitas manat, & posteaquam mentem semel accenderit, omnem deinceps timorem seruilis & metū foras mittit.

Quartus gradus viam perfectionis manifestare ascendentibus nititur, & ideo maior præscriptis merito iudicatur. Quicquid enim in illis boni cernitur, in isto perfectius habetur. Ascensores namque huius quarti gradus omnino se studio non solum à mortalibus peccatis, sed etiam à venialibus quantum est eis possibile custodiunt, bonis & sanctis operibus diligentissimè insistant, & deo placere super omnia cupiunt. In vno præcedentes superant, quoniam neque metu poenarum declinant, à malo, neque spe mercedis bonum operantur, sed amore dei solius omnia faciunt, & nihil aliud quam dei honorem quaerunt. Hæc est via conantibus ad perfectionem propoſita, hæc est vera sanctæ iustitiæ regula, ut deum pura mente diligamus super omnia, & pro eius honore faciamus cuncta opera nostra. Amator etenim dei verus nec poenam metuit, nec præmium cogitat, sed in amplitudine cordis ambulans voluntatem suam diuinæ ordinationi commendat. Deus enim quia summe bonus, non propter mercedē regni cælestis, nec propter aliquid aliud, sed propter semetipsum diligendus est, & semper in omni opere bono principaliter in intentione habendus. Festinate fratres mei charissimi hunc gradum spiritualis scalæ quāto cius ascendere, quatinus ad perfectionis culmen possitis aliquando peruenire. Etenim si vos, qui sub obedientia monasticæ perfectionis estis constituti, ad hunc quartum gradum profeceritis, iam sine labore quintum af-

scenderis. Nam qui in quarto sunt positi gradu, opera iustitiæ bona ex voluntate propria faciunt, quoniam nec voto nec professione monasticis se constitutionibus submiserunt. Et in hoc vno sunt inferiores sequentibus, propterea quod opus bonum tanto est deo acceptabilius, quanto magis obedientiæ merito commendatur.

Quintum igitur gradum illi ascendunt, qui se totis viribus à peccatis custodiunt, & sub obedientia constituti, fortes semper & constantes in sanctitatis proposito persistunt. Deum pura mente super omnia diligentes, propter eius amorem bona opera principaliter faciunt, & in sua intentione nec poenas timent, nec præmia requirunt. Prælati suis propter amorem dei humiliter obediunt, & à puritate regularis obseruantie in nullo penitus recedunt. Ex his sunt nonnulli quos infirmitas carnis quādoque mente facit instabiles, & in suis opinionibus contra obedientiam aliquantulum pertinaces. Exercitia sua & priuatas obseruatias contra determinationem prælatorum interdum conantur defendere, & se prudentiores in examinatione spiritualium suis rectoribus æstimare. Hoc fugite o monachi, quia demoniū latet in insidiis, & quos aperta cōgressione non potest vincere, occulta machinatione nititur superare. Quanto enim monachus corā deo sanctior & perfectior fuerit, tanto prælato suo sine discussione promptius obedit. Quod si monachus perfectus abbati suo licet imperfecto in licitis & honestis obedire contempserit, iam certè perfectionis vocabulum amisit. Ita ergo vnusquisque studio proficiendi curet insistere, ut obedientiam in nullo præsumat violare. Dicit enim scriptura: Melior est obedientia quam victima, & auscultare magis quam immolare adipem arietum. Quicquid obruleris, alienū est, verū autē obediēs offert seipsum.

Sextus ergo gradus illis maxime cōuenit, qui in omni puritate mentis & corporis viuentes dominum super omnia diligunt, qui bonū omnino quod possunt, pro dei solius honore faciunt, qui à mandatis prælatorū non recedunt. Magna est virtus obedientiæ, quæ factū opus bonū duplicat, & meritum augens operanti, quasi arborem deo cum fructu repræsentat. Non vos permoueat verba hominum obedientiam contemnentium o fratres mei charissimi, qui libertatem voluntatis subiectioni monachorum præferunt, & opus bonum ex libertate factum, obedientiæ meritis anteponunt. Nam et si monachus ex necessitate professionis suæ obediatur, bona tamen voluntas qua se pro dei amore obligauit ad obedientiam, hanc necessitatem multipliciter commendat.

Monachus & si ex necessitate obediatur, in eum fructum fert

II ij

Necessitas
multiplex.

Est autem necessitas qua homo ad faciedum aliquid compellitur, vbi voluntas non consensit, sed semper reluctatur. Hæc necessitas laudem virtutis minuit, quia bonum opus nunquam in voluntate fuit. Est & alia necessitas ex inclinatione mentis interiori proueniens, quæ laudē boni operis auget, non minuit, propterea quod voluntatem in ipsum opus intensius accendit. Est necessitas tertia quæ finem respicit, & voluntatem non compellit. Nam si uolueris transire nauigio Rhenū, necessitas conueniens postulat instrumentum. Necessitas autem qua monachus obedire suo pastori compellitur, non est coactionis primæ, neque inclinationis secundæ, sed tertiæ potius, quoniam ex præcedente voluntate ad finem ordinatur. Necessarium ergo est monacho propter finem, illud quod abbas præcipit, facere, ut votum quod emisit, pro dei amore valeat implere. Cū ergo finis iste sit multū laudabilis, quo se creatori suo ex amore creatura subiicit, obediendi necessitas in monacho laudē boni operis non minuit, sed ampliorem facit. O felix monachorum necessitas, quæ de bonæ voluntatis thesauro sumpsit exordium, & ordinatur ad finem, qui deus est, incommutabile bonum. Maioris est laudis, excellentioris est meriti, & abundantioris est præmii, ratione voti bonum opus ex obedientia facere, quàm si fiat sine voto ex propriæ voluntatis libertate. Monachus autē seipsum totum & omnem voluntatem suam deo semel obtulit, & sibi nihil penitus reseruauit. Quicquid sub obedientia boni facit, ad finem assumptæ religionis pro Christi amore seruandæ reducitur, cui nullum opus post martyriū comparatur. Qui sine voto continens est ab actu uenero, vnam virtutem operatur, quæ nominatur castitas. qui autem obseruat eam rationem totius religionis, quam professus est, singulæ virtutes ordinatè referuntur. Plus enim est religio monastica tota, quàm vna virtus priuata. Nam qui offert deo bonum opus, quod sine obedientia fecit, id præstat solum, relinquens sibi quod maius est, potentiam agendi simul & propriam voluntatem. Monachus autem qui ex obedientia voto aliquid facit propter deum, excellentioris est meriti, quoniam & actum offert deo, & potentiam agendi. Nemo enim deo plus obtulit, quàm monachus qui semetipsum dedit. Huius autem sexti gradus nonnulli ascensores quendam in se defectum superbiæ habent absconditum, quia dum ad seipsum incautè respiciunt, diuinæ voluntati sicur oportuerat non in omnibus se committunt. Is verò defectus ex quadam subtilissima

vanitate sumit exordium, dum animus suæ puritati confidens, reuelari sibi à domino petit aliquod secretum. Et in hoc vno sexti climatis ascensores distant à septimis, qui deo participati signa refugiunt vanitatis. Signa enim non fidelibus sed infidelibus data sunt. vnde monachus qui signū à domino postulat, quod se diuinæ voluntati adhuc perfectè non submiserit, manifestat. Septimum ascendunt gradum, qui omnia præscripta studiofissimè custodiunt, & deo in omnibus subiecti sine macula vanitatis viuunt. Peccatum omne tamen veniale quàm mortale pro viribus fugiunt, opera virtutum pro solius amore dei faciunt, suis in cunctis obediunt pastoribus, nulla petunt miracula vanitatis. Quicquid omnipotens deus ordinauerit super eos, graterantur suscipiunt, de obseruantia monasticæ puritatis in nullo penitus recedunt. In vno tamen sunt inferiores sequentibus, quia patiuntur forsatis aliquem defectum quem nesciunt, cuius impulsu quadoque sensualitatis propriæ aliquid committunt. Octauum gradum quicumque ascendere meruerit, sensualitati nihil amplius concedit. Hic requies animi dulcissima, hic mentis tranquillitas perfecta. Nihil in hoc gradu pulchritudinis vitiosum relinquitur, nihil hic quod cōtristare possit animū, inuenitur. Omnia sunt hic munda, omnia pura, omnia sancta, omnia charitatis feruore suavissimè ardentia. O si hunc gradum contendamus ascendere? o si in hunc portum tranquillitatis aliquando mereamur peruenire? Quanto magis in hoc sancto climate consistens interinæ suauitatis dulcedinem gustare coeperit, tanto in anteriora festinans amplius concupiscit. O sancti amoris prædicanda semper desideria, o venerandæ perfectionis exercitia, vbi munda nitet sine peccatis deum amantis conscientia, vbi cessant vitiorum improba certamina, & succedit tranquillitas magna. Nonum gradum ascendunt in octauo iam consummati, qui omnia præscripta purè & simpliciter propter amorem dei custodiunt, & nihil aliud quàm deum laudare, benedicere, & glorificare concupiscunt. Quisquis hunc perfectionis gradum ascenderit, quasi oblitus sui, deo se totum resignas, humiliter submittit. Ad omnia dei beneficia indignum se reputat, de seipso nihil penitus curat, quoniam se totū deo iā didicit committere, & eius ordinationi humiliter in omnibus subiacere. Vnde nec miracula petit, nec aliquas in hac vita consolationes postulat, sed cū sancto Christi apostolo veraciter clamat, Mihiviuere Christus est, & mori lucrum. Mū-

Philip. 1.
dusMū-
dus
quibus
crucifi-
xus.Mona-
chus
cō-
tendere
debet
ad
perfe-
ctionē.

dus enim mihi crucifixus est, & ego mūdo. Verus etenim Christi amator monachus, se totū deo ex charitate obtulit, & mūdo cum omnibus diuitiis, honoribus & vanitatibus contempserit. Vnde mūdo ei crucifixus dicitur, in quo nihil est, quod eius penetrare mentem posse videatur. Felices illi monachi, qui pura conscientia domino deo in vera charitate seruiūt, qui sub humilitatis & obedientiæ imperio sine offensione currunt, qui gradū perfectionis hūc vltimum ascendunt. Hi sunt veri monachi, qui nihil aliud querunt quàm honorem dei. Nepe fratres mei! quanuis monachi non teneantur de necessitate salutis esse perfecti, alioquin paucissimi saluaretur, tenemur tamen omnes bona voluntate ad perfectionē tendere, & quantum possumus viribus ad nonum hunc gradum anhelare. Monastico siquidem proposito valde contrarium est, nolite proficere, & apostasiæ genus, post votū perfectionis, in imperfectione velle permanere. Hostes enim sunt nostræ salutis vitia, quæ nos impugnant, & donec aut vincant aut vincantur, nos persequi non cessant. Imitemur veteris pugnatæ historiæ, quādo non vno die sed successiuè hostes suos filii permissionis deleuerunt. Difficile nanque est oia vincere simul, nisi charitas dei obumbraverit subitò mentem. Aduersum cuncta nos impugnantia quomodolibet vitia geramus bellum, vincamus hodie gulam, qua rite prostrata superemus acediam, sicque agamus cum cæteris ut victores tandem euadamus omnium. Aderit nobis pugnātibz dominus, & dabit victoriam deus amatoribus suis. Amen.

De disciplina mon-

stica libellus ex quatuor diuini Bernardi tractatulis compactus.

Formulam honestæ vitæ breui tibi sermone depingam, quam si in Christi amore & dilectione exarscens, perseveranter seruaueris, vitam proculdubio consequeris æternam.

De homine interiori, & puritate cordis.
Caput Primum.Esa. 66.
Sap. 7.

TERGO ab interiori homine ad exteriorem sermo procedat, ita circa tui puritatem cordis te indefinenter studere oportet, quod tutius puritatis amator deus, illic sedem tanquam in celo sibi collocare dignetur, iuxta illud, Cælum mihi sedes est, & anima iusti sedes est sapientiæ. Necessè

est igitur vigilanter intēdas cogitationes tuas ad bonum semper & honestum dirigere, ut videlicet cogitare vel meditari coram deo pertimescas, quod in præsentia hominum dicere vel facere meritò erubesceres, sciens, quod sicut per verba vel facta innotescim⁹ homini, sic nimirū per cogitationes cuncta scrutati spiritui, quia quod agunt hominibus dicta, eadem deo cogitationes. Deus enim nouit cogitationes hominū, quia vanæ sunt. Et sicut nulla est ei inuisibilis creatura, sic omnino nihil potest cogitari, quod eum lateat.

Psal. 91.
Heb. 4.

De superbia & humilitate. Caput II.

Ante omnia te debere noueris omnem cordis elationem, instantiam atque arrogantiā, quasi venenatas aspides fugere, sciens proculdubio quia immundus est coram deo omnis qui exaltat cor suum. Itaque neminem spernas, nemini noceas, nulli detrahas, & pro Christi amore omnibus prodesse coneris. In tantum etiam inferiorem ac cæteris viliozem te non solum ex intimo cordis affectu credas, verumeriam nō te dicas profecisse, sed nec te aliquid esse existimes, ne te seducas. Cum aliquid rogaturus à priore veneris, præpara te ad repulsam semper: & si contigerit negari tibi quod postulas, dic apud te, Quid decebat a sellum, nisi frenum & stimulus? Ego nihil propriè vèdicare possum in domo ista, nisi ciliciū & crucem: ciliciū in morte, & crucem in fossa. hæc est hæreditas mea, ita tamen ut modica gleba terræ crucē cooperiat. Et hoc habebis in memoria quādo cubitum vadis: & cū sagū & cooperitorium videris, lectum tumulo commans, quasi sepeliendus intrabis.

Gala. 6.

Superbia
animi
quod
retunda
tur.

De fugienda singularitate. Caput III.

In omnibus fuge singularitatis vel admirationis notam, ut scilicet nihil secus facias quàm alii, ad captandam vanam gloriā. Loquens nihil dicas vnde multum eruditus, multumve religiosus possis putari, nisi fortassis ut vel confessoris tui, vel alius sapientis viri consiliū habeas. Cetera igitur omnia bona studia tua, dissimula quantum potes meditationes sanctas animi tui. Noli sectari angulos, vel remotus ab aliis sedere. Sint oculi tui ad fideles terræ, ut sedeant tecum; & tu confide in medio doctorum. Quidam frater cum apud nos pausantibus cæteris solus longe sederet, grauissimo coepit carnis stimulo vrgeri, audiuitque vocem dicentem sibi, Vade ad castra. & cū venisset vbi cæteri erant, quæ ieuit stimulus. Sectare cōmunia, orationes, labores, lectiones & cæteras obseruantias, in quibus non sis tanquam vitula Esffraim, docta diligere trituram, hoc est, ad huiusmodi non consuetudine, sed deuotione traharis.

Psal. 106.

Osee. 10.

De obedientia. Caput IIII.

Obsequium oibus quoad licet.

Paratus sis semper ad obediendum alacri animo & vultu hilari, & in omnibus sedu...

Iob. 9.

Emerneris ubique verbi sapiens, Beatus homo, qui semper est pauidus. Itaq; vna cum beato Iob, semper & ubiq; atque in omnibus operibus, verbis & cogitationibus...

De vitanda ociositate. Caput VI.

Ecclesi. 33.

Mes in omni a...

rigatur in deum

Nunquam sis ociosus, quin aut legas, aut aliquid de sacris scripturis mediteris: vel certe (quod melius est) rumines psalmos, operando nihilominus incessanter, quod tibi fuerit iniunctum, vt semper te diabolus inueniat occupatum. Multam enim malitia docuit ociositas. Cessante manu, spiritus laboret vel orando, vel meditando, quanuis & in ipso labore id ipsum facere tenearis. Cum ad laborem veneris, sic temperabis opus agendum, vt sollicitudo operis, intentione animi tui ab iis, que dei sunt, no auertat. Operare, precare, fac quicquid voles, at scito tibi ubiq; dici, Sursum corda. Nisi enim cor & respectus ad deum dirigatur, nequicquam operaris, oras, & cetera facis.

De Lectione. Caput VII.

Ecclesi. 14.

Oratio nis ubiq; maior ratio habenda, quam lectionis.

Illas scripturas libentius lege, que precipue erga Christum, tuum magis inflammauerint intellectum. Intellige que dico. Dabit enim tibi dominus in omnibus intellectum, si in sensu cogitaueris circumspectionem dei. Fuge curiositatem sciendi. Scies omnia, quoniam scies amare deum. Ora sapientius & libentius quam legas. Oratio est, per quam & in qua melius, & magis ad salutem instruimur. Cum orarent apostoli, descendit in eos spiritus sanctus, & docuit eos omnia. Omnia dubia (inquit diuus Augustinus) oratione melius quam lectione soluuntur & intelliguntur.

De oratione Caput VIII.

Psalm. 26.

Quando tibi surgendum est ad orationem, preparatus est animus ad deuotionem, ita vt feruenter exiliis de lecto: & corpore discussio gratias diuine misericordie agas pro quiete indulta, pro custodia & protectione angelica. Deinde veniens ad ecclesiam, pone manum super ostium, & dic: Expectate hic cogitationes male, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis. Tu aut anima mea intra in gaudium domini dei tui, vt videas volun-

tatem domini, & visites templum eius. Sicque veniens ante crucem, dic, Adoramus te Christe, & benedicimus tibi &c. Ad psalmodiam cor habebas, nisi fortassis ad aliquid sublimius raptaris. Sed etiam omnium que tibi dicuntur, vsque ad vnam literam te pro certo noueris debitorum vel dicendi in choro tuo, vel audiendi in alio. Propterea quoties dixeris versum in choro tuo, illum qui in altero choro dicitur, dicas silenter, & versus singulos saltim aliquo pipere conspergas, meditatione scilicet aliqua spiritali, quia animum delicatum habes, & refectus eius, electus debet esse. Et desigas oculos tuos longe ante te, quam longe protenditur, proceritas corporis tui, quia hoc multum impedit vagationes animi. Et depinges tibi quasi respinatum ante te dominum in cruce: & nunc pro clavis, nunc pro spinis, nunc pro spurtis, nunc pro lateris effusione suspirabis, & gratias ages. Cum exeundum fuerit a choro, dices domino: Adhuc habeo domine priuatas laudes & benedictiones tibi dicere, quas licet nunc a publicis exiens, cantabo tibi, & psallam in gloria mea. Orationibus cum magna deuotione intendas, & eas dicere labora horis debitis, & quod offers in oratione, reminiscaris in corde. Orationes que imperantur siue per regulam, siue per poenitentiam aut alio quouis modo, primo loco semper habebas, nec tibi blandiaris de priuatis orationibus tuis, que secundo loco tibi habenda sunt. nec enim tibi proderunt, cum in preceptis orationibus desidiosus fueris. Cum oraueris, no impleas aures audientium, singultibus & suspiriis, sed intente ora deum in cubiculo cordis tui. Proderit tamen ad deuotionem compunctionemque obtinendam, si ita semotus fueris, vt puras manus ad deum leuando, etiam tui ipsius vocem audire possis. Nonnunquam ad subleuandum intentionem in celum prospicias, vt tibi sit cor tuum, ubi Christus est in dextera dei sedens. Ab oratione iterum reuerteris ad lectionem, & iterum cum fastidium lectio submouerit, ad orationem redeas. Verum hoc caue & vide in primis, vt legendo magis queras sensum & saporē, quam scientiam. Scriptura diuina puteus est Iacob, in ea hauriuntur aquae, quas in oratione effundimus: neque semper necesse est adire ecclesiam, sed legendo contemplari possumus & orare.

De missis Caput IX.

Sacris altaribus, si sacerdos es, tanquam vnus ex summis angelis, in spiritu totus assitas. Si minister, tanquam angelus dominoministris. Suscipe inuitante ad missas priuatas (nisi te opus iniunctum aut quidpiam iuste alibi detineat) ac si panem angelorum tibi de caelo delapsum videres. Si quem amouere vel impedi-

Rememditu ad uerfus vagationes animi in oratione

Orationes preceptis uel scriptis preferantur.

Vox ad deuotionem facit.

Oratio & lectio semper alternentur.

Ioan. 4.

re

re iniuste uolentem intueberis, habeas eum pro illo, qui tibi fame deficiet, faucibus buccellam panis auferre conaretur.

De meditando Iesu Christo. Cap. X.

Psalm. 93.

Canti. 2.

Ioan. 4.

Luc. 22.

Canti. 1.

2. Cor. 5.

Colos. 3.

Prou. 25.

Sit tibi Iesus semper in corde, & nunquam Simago crucifixi ab aere tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua: mel tuum & desiderium tuum: lectio tua & meditatio tua: oratio & contemplatio tua: vita, mors & resurrectio tua. Semper cogita illum: nunc positum in praesepio, & pannis inuolutum: modò in templo patri a parentibus praesentatum: nunc fugientem in Aegyptum, tibi diu in extrema paupertate & indigentia commorantem, & inde cum maximo labore redeuntem: modo in templo audientem doctores & interrogantem, qui docet hominem scientiam: & postea parentibus subditum, cui iure omnis creatura subditur. Deinde esurientem in deserto & sitiētem, qui est panis uitae, & fons sapientiae, qui pascitur inter lilia, & implet omne animal benedictione. Modo fatigatum ex itinere, sedere sic supra fontem, cum muliercula sola solu loquentem, totius mundi statum regentem. Postea factum in agonia, prolixius orantē, & omnia omnibus sufficienter administrantem. Ab angelo etiam ipsum, qui est dulcedo & consolatio angelorum & hominum, consolationem nihilominus recipientem. Aut ad columnam totius orbis sustentamentum, ligatum, & flagellatum. Ipsum, qui est angelorum splendor, spuris illitum: palmis in facie percussum, spinea corona coronatum, opprobriis saturatum. Ad ultimum cum iniquis deputatum, & pro te in cruce pendentem & morientem, atque spiritum suum in manus patris commendatē. Sic nimirum erit fasciculus myrrhē dilectus tuus: sic inter uera tua commorabitur. Sic de omnibus anxietatibus & amaritudinibus domini dei tui colliga quasi fasciculum, vt amarum poculum lachrymarum tibi conficias. Quod si quando ardentissimo Christi amore succensus, uolueris cum apostolo iam illum cognoscere, & non secundum carnem, leuabis parum mentis oculos ad uictoriam resurgentis, ad gloriam ascendentis, ad gloriosam maiestatem in gloria dei patris sedentis atque regnantis: quae sursum sunt sapiens, & quae sursum sunt querens, ubi Christus est in dextera dei sedens. Nec tamen ibi longam facies moram, ne forte si diutius scrutator maiestatis fueris, obruaris a gloria.

De meditatione sui. Cap. XI.

Meditare semper & ubique qui & qualis tu sis, quid agas, quid cogites, quid uelis & cupias, ubi nam potissimum & magis de-

lecteris, quid debeas, quid promiseris deo & hominibus, quis fueris, quantum tibi, placeat bonum, uirtus, honor, beneplacitum & uoluntas dei, quantum tibi displiceat & odio sit peccatum, malum, transgressio, offensio, dedecus & ira dei, scadulum, damnum & perditio proximi tui, quonam pacto te sentias dispositum ad contemnendum, propter deum, hunc mundum, & omnia quae in eo sunt, honores, uoluptates, delicias, omnes iniurias, contumelias, persecutiones, indigentias & defectus: quantum te sentias paratum & uoluntarium ad patiendum & tolerandum, propter deum, pro tua salute & proximi tui, & potius quam pecces, omnia usque ad mortem: quantum pro sis proximo: quantum & quam bono aut malo animo impenderis in seruitio dei omnes gratias ab illo receptas: quomodo usus fueris omnibus commoditatibus & opportunitatibus, omni tempore, & omnibus uiribus, quas tibi dedit deus ad faciendum bene: quomodo uertaris in tuum profectum spiritualem, omnes notitias quas tibi dedit deus de sua uoluntate, omnes sanctas illius inspirationes, & sic de ceteris huiusmodi. Et in his omnibus meditationibus profice vel e malo resurgendo, vel in bono perseuerando. Quoties recordatus fueris beneficiorum dei, sicut semper recordari debes, quoties ipsa sese tibi offerit, quod nunquam non faciunt, ut tunc soliloquio tuo cum deo, & dic domino deo tuo: Quid retribuam domino meo pro omnibus quae retribuit mihi? Quantum debes anima mea? Et conuersus ad angelos, dic: Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis deum, quanta fecit anima mea. Et ad ipsum deum deflectens oculos, uere, iquies, domine, misericordia tua magna est super me. Si autem sollicitante te in hunc modum corde, & pulsante ostium paradisi, aliqua cogitatio maligna interstrepit: statim propone, & dic: Cuius est imago haec & fuper scriptio? & audies, quia Caesaris est, hoc est, principis mundi, scilicet diaboli, dic: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Iam ostium clausum est: & dominus hic pascha manducat: no uacat mihi aperire tibi. Si autem adhuc steterit cogitatio mala, appone illi signum crucis. Sanctimonialis quaedam apud nos, in tanta ueneratione habuit signum crucis, vt cum efferenda esset ad tumulum, facies crucifixi uerteretur post eam in parte illa per quam elata est, & sic caput imaginis in partem illam intendens, perpetuo contra solitum sic permaneret. Alia reuelauit cuidam computruisse manus suas, sed pollicem non posse corrumpi, quo signum crucis sibi imprimere consueuerat. Quod si forte luxuria te pompa cocul-

Actio gratiarum ob beneficia. Psalm. 115.

Psalm. 85.

Matt. 22.

Acto. 8.

Crucis signum quatenus uirtutis.

Remedia aduersus omnes tentationes ex consideratione futuri seculi.

ferit, recordare dilecti tui positi in doloribus, & vniuersi strati ipsius versati in infirmitate eius, hæc dicens in corde tuo: Deus meus pēdet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Sicq; inuocato nomine saluatoris, ingeminando sæpe nomen salutis, cessabit tandē, deo succurrente, quassatio. Imaginare etiam eorum poenas, qui sunt in inferno, & quod nunquam finient, & pro quā modica delectatione tanta patiuntur. Similiter imaginare gloriam paradisi, & quod nunquam finietur: & quā cito & breuiter acquiritur: & quantum luctus & dolor poterit esse illis, qui p parua're tantam gloriam amiserint. Cum habes aliquid, quod tibi displicet, vel times habere, cogita, quod si tu esses in inferno: & illud, & quicquid nollēs, haberes. Et cum habes aliquid, quod tibi placet, vel optas habere, cogita, quod si tu esses in paradiso, haberes illud, & quicquid velles. Si autem in inferno esses, nec illud, nec aliud, quod velles, haberes. Quādocunque est festum alicuius sancti, cogita de illo, quanta sustinuit propter deum, quia breuia: & qualia adeptus est, quia æterna. Similiter cogita, quod transeunt bonorum tormentis, & malorum gaudia. Hi cum istis tormentis adepti sunt gloriam æternam: & isti ex indēbitis gaudiis æternam poenam. Quando cunque te vincit acedia, accipias hoc scriptum, & imagineris hæc omnia diligenter. Et cogita de tempore, quod sic perdis, quod illi qui in inferno sunt, darent totum mundum, si haberent, pro eo. Cum habes aliquas tribulationes, cogita, quod illi qui sunt in paradiso, carent eis. Similiter cum habes aliquas consolationes, cogita illos de inferno carere eis. Cum ad lectum somni gratia veneris, fac vt somnus te capiat ruminātem psalmos, vt dormiens somniet te psallere. Antequam tamen somno te dedas, examina diligenter, quid cogitasti, & quid dixisti in die: & quomodo vtile tempus & spatium, quod datū est ad acquirendum vitam æternam, dispensasti. Et si bene transiisti, lauda deum: si male vel negligenter, lugeas, & sequenti die non differas confiteri. Si aliud cogitasti, dixisti vel fecisti, quod tuam conscientiam multum remordeat, non comedas antequam cōfitearis. Cum surrexeris ad vigilias, lauda creatorem tuum ex omnibus viribus tuis, & ad laudem redemptoris tui exalta in fortitudine vocem tuam. Comparandus est dies instans diei præterito, vt eorum collatione suum deprehendere possit monachus vel profectum vel defectū. In omni cogitatu & actu tuo tibi deum adesse memineris: & omne tempus, quo de ipso nō cogitas, perdidisse te computes. Hoc etiam volo,

Antesomnum excutienda conscientia.

vt imagineris duas ciuitates. Vnam plenam omnibus tormētis, quæ est infernus. Alteram plenam omni consolatione, quæ est paradysus. Et ad vnam illarū oportet te currere. Vide quid te possit trahere ad malum, vel impedire à bono, si nolis: Credo quod nihil inuenies.

De Capitulo. Cap. XII.

Cum ad capitulum veneris, diligenter accipies armaturam dei, in galea prouidentia, in lorica patientia, in scuto mansuetudinis, sic vt in omnibus ita loquaris, respondeas vel proclames, vt appareas intus & extra per unctus oleo charitatis, & possis clamationes iustas vel iniustas elidere. Si publicè deliquisti, manifestè reuela, tanquam assistens iudici. Si peccasti, dic tantum, emendabo. Si nō peccasti, dic, non memini. His nihil amplius nec minis nec clamoribus aut verberibus à te extorqueatur. Cogita cum accedis ad iudicium capituli, deum & Priorem: Pilatum & Pharisæos clamantes in eum: & milites verberātes eum sine causa. Cogita capitulum durum sanctorum martyrum, cum starent ante reges & præfides cum pertinētis suis, id est cum poenis & tormentis, quæ patiebantur. Cogita futurum capitulum tuum in morte coram deo: cum milia dæmonum clamabunt contra te, & decies centena milia aduersum te: & si quid hinc tecum durius agitur, illorum consideratione leuigetur. Cogita, quod ille qui clamat te, nouacula dei est, & pilos vult tibi tollere deformis, vt speciosus fias. Cogita, quod pantiā est de celo missa, correctio. Quicumque te clamauerit, eadem die remunerabis eum obsequio qualicumque, si potes: eo quod te à deformitate peccati releuare voluerit.

De Iudicio. Cap. XIII.

SI plenè vis assequi quod intendis, duo sunt tibi necessaria. Primum est, vt subtrahas te ab omnibus transitoris rebus & terrenis, vt nihil de eis cures, ac si non essent. Secundum, vt ita te des deo, vt nihil dicas vel facias, nisi quod credideris firmiter placere deo. Primum autem assequeris hoc modo. Omnibus modis, quibus potes, te vilifica, te nihil reputando esse: sed credas omnes homines esse bonos, & meliores te, magisque placere deo. Quæcumque audis vel vides in religiosis personis, puta bona intentione dici vel fieri, etiam si contraria videantur. Nam humana suspicio facile fallitur. Cum videris aliquem in oratione, in lectione, in silentio, in patientia, in obedientia & similibus studiosum, gratias age deo, quod speculum tibi miserit, & non inuideas. Cum aliquem turbatum videris, gratias age, quod nubes illa per te non transit, & dic: Quid illa tenta-

Leniter ferendi, quomodo peccata nostra deferimur.

Christianus omnia candidè dicit, aut nihil

tentatio de me fecisset, si deus permisisset? Et non iudices alienam imperfectionem: neque fodiās parietem conscientia eius.

De gestu exteriori. Cap. XIII.

QVOD si velis hominē etiam tuum exteriorē erudiri, hoc habe, vt sit incessus tuus maturitate plenus, grauis & honestus: videlicet nō fractis gressibus ambules, aut scapulas dextrorsum aut sinistrorsum vibres: nō erecta incedas ceruice, non prominenti pectore, seu etiam inclinato capite super humerum: quæ omnia aut leuitatem redolent, aut elationem ostentant, aut hypocrisin sapiunt. Incedens ergo, stans & sedens, faciem semper habeto deorsum, reuoluens in animo tuo, quod puluis es, & in puluerem reuertēris: & cor sursum, vbi Christus est in dextera dei sedens. Quaquauerum nulla curiositate, sed nec etiā necessitate aspicias. Nunquam alicui oculum in facie figas. Sit facies communis cum cæteris, intus verò diuisibilis, hoc est, non nimia grauitate cœnata, nec nimia locutione dissoluta, sed bona quadam mediocritate regatur, vt de sancto Martino legitur: Faciem eius non fuscavit merer, nec leuauit risus. Erit enim prudentis animæ thesaurum suum sollicitè custodientis, more Moyse, cornutā velare faciem, & quædam ritu, qui tamen modestus sit, interioris gloriam hominis & mentis grauitatem abscondere. Sic in cunctis te habeas, vt ædifices videntes, & nemo dubitet, quā viderit te vel audierit, quin verè sis monachus.

De tristitia & risu. Cap. XV.

TRISTITIAM, si quam habes, maximè inconcunctu dissimulare te decet, & quandam semper hilaritatem in facie prætere: priuatim autem nunquam vultus in diuersa mutetur. Siquando coram aliis positus, ridere alicuius rei causa fueris compulsus, vt assollet, non sit risus tuus excussus. Nam iuxta sapientem, Amictus corporis, & risus dentium, & gressus hominis, enūciant de illo. Tuis etiā interpone interdum gaudia curis. Ne figas, inquam, oculum tuum in facie alterius. Hic enim oculus, qui tam sæpe videt deum, illud os, & illa lingua, quæ sic familiariter cum deo loquitur, illa facies quam cælestis ille sponsus tantopere desiderat, impendi nō debent nec applicari vsibus profanis, mundanis & secularibus. Qui illa omnia beatificabit, dignus est qui habeat omnia. Omnia creauit, vt illi seruirent omnia, haud æquū est vt alteri seruiat.

De victu & refectione. Cap. XVI.

Cum veneris ad refectionem, nec primus intrabis, nec vltimus. Sicut ad crucem, sic accedas ad cibum: id est, nunquam volu-

prate, sed necessitate pascaris: & fames non fapor prouocet appetitum. Singularitatem in refectione fuge: & communitate esto contentus: sciens, quia caro pascenda est, & vitia extinguenda. Ad mensam non solum fauces cibum capiant, sed etiam aures exhauriant verbum dei. Non enim debet homo totus manducare, sed sic occupetur cor ad verbum dei, vt solæ fauces sumant cibum, aures verbum. De hoc autem plurimum gaudeas, si tibi viliora quàm aliis apponuntur. Nam reuera feliciores sunt, qui in paritate sustinenda fuerint fortiores. Siquando aliquid tibi plus solito vel laucius quàm cæteris apponitur, tanquam diuinitus procuratum accipe illud, nō quod comedas aut bibas largius solito, nec quod plus aliis merearis, sed ad tentandum quantum sis sobrius & temperans, & quantum etiam didiceris posse abundare, penuriam pati, & carere rebus præsentibus. Atque hoc habe semper in animo & voluntate, vt tantundem vel plus alteri apponatur. Si nō potes sumere quæ apponuntur, non ea permittas omnino mutari, sed vel modicum sume, vt comedis videris. Si quis instet vt comedas, hoc tantum signo responde, bonum est: multum est: factū est. Cogita, quod multorum labore, infinitis nauigantium periculis haleca, pisces, & cætera tibi necessaria procurantur, vt carnis tuæ desideris satisfiat: & per singulas buccellas age gratias. Interim cogita Christum crucifixum expectare gratias tuas, vel ad portā reliquias tuas pauperem prætolari. In gratias a-

Gratia a cibo.

De locutione. Cap. XVII.

VEGE, quantum potes, loca & occasiones loquendi. Præstat enim tacere, quàm loqui. Si vocaris ad colloquium, secundum regulam leniter & sine risu pauca verba & rationabilia loquaris: & antequam ea proferas, bis prius ad limam veniat, quàm semel ad linguam. Si de scriptura vel moribus agatur, aures para, non linguam. Cum loqueris, non studeas eloquentia, sed sermo tuus sit potius rusticanus, quàm vrbanus. In omnibus agendis ne studeas curialis videri. Loquens nihil dicas, vnde multum eruditus, multumve religiosus possis putari. Ad interrogata paucis responde. Nihil vnquam de te loquaris, quod laudem importet, quantumcumque sit familia-

Exo. 34.

Ecclesi. 19.

ris ille, cum quo loqueris: immo plus labora celare virtutes, quam vitia. De nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcunque sit verum vel manifestum, nisi in confessione: & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum. Libètius accomoda aurè tuam cum aliquis laudatur, quam cum vituperatur. Cum loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, & de deo. Si cum seculari loquendum est, tunc maxime adhibeas custodiam ori tuo, vt nihil proferas quod non ædificet audientem. Si vana tibi proponuntur, quamcittissimè potes succide sermonem, & transferas te ad ea, quæ dei sunt. Quicquid contingat tibi vel alij, quantumcunque coniuncto, non cures: & si est aduersum, non tristeris: si est prosperum, non læteris: sed totum nihil puta, & lauda deum. Sollicitudinè autem adhibe, quantum potes, vt vilitati tuæ sedulus intendas: sic vt nec multum nec nimium existimeris, sed in primis, vt tibi apud te videaris omni cõtempu dignissimus. Post completorium non loqueris, quousque finita sit missa sequētis diei, nisi causa maxima interuenerit. Cum vides aliquid quod tibi displicet, vide si hoc est in te, & abscinde. Si vero vides aliquid quod tibi placet, vide si hoc est in te, & tene: si nõ est, assume: & sic erunt tibi omnia in speculo. De nulla re murmures cum aliquo, nisi credideris prodesse, quantumcunque sit graue, quod habes. Nunquam pertinaciter aliquid affirmes vel neget, sed sint tuæ affirmationes & negationes dubitationis sale conditæ. A cachinnis semp abstineas, rideas vero raro. Et cū paucis prestes os tuū, breuiter in omnibus dictis tuis sic te habeas, vt sint ita, quæ dubia dimittantur. Colloquia priuata nec fugias, nec requiras: cogita tamen, quod poma syluestria sunt & acerba, quæ indisponunt animā ad res spirituales & impediunt, ne bene gustentur aut sapiant, quæ ad statum pertinent perfectionem. Veniat tibi in mentem eius, quod dixit diuus Augustinus, nimirū quod lingua nostra nobis est fornax quædam quotidiana, quæ vrit perdit ac consumit quicquid boni quotidie possumus operari.

De familiaritate. Cap. XVIII.

A Nemine qualescūque munus accipias. Neminem habeas familiarem, salua honestate. Fugas omnes in potestate constitutos, maxime seculares, tam propter tentationes, quæ te pulsare possent cernentem eorum conditionem, atque inducere ad eam desiderandam, quam propterea quod eiusmodi homines libenter cõtempnunt statum religionis, & ludibriõ habent, fabulæque suas de monachis componunt. Sis in terra quasi Melchise-

dech, sine patre, sine matre, sine genealogia: nec patrem voca tibi super terram. Hoc est, nullo affectu carnali ducaris erga patrem aut matrem, neque erga aliquem tuæ cognationis aut familiæ, quasi nullos tales vnquā habuisses, sicut nec scriptura Melchisedech sacerdotis patrem aut matrem adducit. Atque in terris non fecus te geras, quam si ipse solus sis, & deus.

De infirmitate. Cap. XIX.

Si quando te infirmitas retinet, auertitque corpus tuum & sensualitatem à rigore obseruantia & disciplina, & operum exteriorū, cor tamen & animus sibi constare debet, manereque fortis, inuincibilis, stabilis & firmus in desiderio & conatu non omitendi rigorem & officium, vel saltem redeundū quāprimū ad illud, faciendūque quicquid poterit, vt non desit iis quibus obligatur. Certe vigorem & exercitium hominis interioris nūquā debes neque omittere neque diminuere, quantum, immo plus quam infirmitas & imbecillitas corporis patientur.

De cautela & circumspectione in omnibus operibus. Cap. XX.

Vitæ tuæ tempus per momenta singula debes computare, & videre semper vt bonum facias, & malum caueas in omni opere tuo: & hoc dicas tibi ipsi: Si modo moriturus esses, faceres istud? Caue tibi omnibus modis, ne consensu, sermone, opere, corde, manu aut lingua quid facias, fieri ve tibi permittas, cuius postea te pudere aut poenitere possit.

De remediis in omni euentu. Cap. XXI.

Ad omnia quæ insurgūt, discere remedium aliquod adhibere. Cū torpore deprimeris, cogita, quia hodie operari licet, cras forte non licebit. Cum libidine pulsaris, cogita ignem æternum. Si inobedientia te tentat, cogita, quia quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere. Si impatiētia vexaris, cogita quid pro te pertulit Christus. Cum superbia tētat, cogita meliores. Cum mala voluntas, cogita quam pro modico damnatur, qui pro sola voluntate sine effectu operis reprobatur. Cum vanitate pulsaris, cogita, quia multa non feceris, & quod magis nunc occultaris, eò gloriosius in iudicio innotesces. Cū de vigore corporis vel decore hilarescis, agnosce quam celeriter febre tenuissima tolli potest. Cum te molestat religionis pōdus, & disciplina assiduitas, cogita illud beati Hieronymi, Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiratur. Illud charissime frater tanquam demonium meridianum fuge præ aliis antiqui hostis astutiis, & cauendum tibi magnopere denuncio, vt ex

Remediū aduersus incontinentiam propositi boni. Eccli. 22.

eo tempore, quo religionem intraueris, nunquam cogitationem illā suscipias, foueas aut illi credas, qua suggeritur te minus vtilem in religione manere suscepta, & in alio statu vel habitu magis tibi vel alijs posse proficere. Nā si cordis aurem huiusmodi phantasiis inclinaueris, diuident & distendent animum tuū, ita vt nullum spiritualis saporis cõdimentum possis retinere. Eritq; cor tuum quasi vas cõfractum, quod omnem sapientiam non tenebit. Indeque nõ solum tædium, sed horrorem desperationemque boni operis præconcepti imminere necesse est, dum animus tuus circa multas professiones studiaque diuersa diuiditur. Propterea dicebat quidam sanctus vir: Solent animi leues minimeque fundati, cum audierint quosdam in diuersis virtutibus ac studiis bonis magnificè prædicari, ita eorum laude succendi, vt eorum imitari statum protinus desiderent: at frustra. Nā ex huiusmodi imitatione acuarietate propositi, dispendium capiunt, non profectum: quia qui multa sequitur, nihil integrè consequetur. Ideo hoc vniciq; expediens est, vt secundum propositum quod elegit, & gratiam quā accepit, summo studio ac diligētia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet: aliorum laudes amet, & admiretur virtutes: at nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat. Multis nanque viis ad deum tenditur: & ideo vnusquisque viam semel arreptam irreuocabili cursu sui intentione conficiat, vt sit saltem aliqua professione perfectus. Singulare autem cõtra omnia mala remedium est mortis memoria. Eam ob rem in omni tētatione, prosperitate, aduersitate, languore & tædio cordis componas te meditando supra petram ita qua lauantur mortui, & cogita apud te, quomodo tractentur ibi sepeliendi, nunc in tergum, nūc in faciem versentur: quomodo nutet caput: cadant brachia: rigeant crura: tibi iaceant: quomodo induantur & consuantur: quomodo deferantur humādi: quomodo exponantur in tumulo: quomodo puluere contegantur: quomodo vorantur à vermibus, & quasi sacculus putrefactus consumuntur. Summa certe philosophia est meditatio mortis assidua. Hanc vbicūque perrexeris, tecum portes, & in æternum non peccabis. Inter summa autem remedia illud crede esse validissimum aduersus peccata tua: iram dei, & furorem superni iudicij, vt quotidie capitulū spirituale intra te teneas, & conuocatis cogitationibus tuis ponas rationem diligenter, quid ipso die cogitatione, locutione vel opere deliqueris, publicè vel priuatim, per singulas noctes lectum tuum lauās: hoc est, singulis peccatis la-

Mortis memoria aduersus omnia valet.

Eccli. 7.

chrymis & doloribus purificatis, diligenter de singulis computes, in crastino publicè de apertis, de occultis verò facturus confessionē secreta. Semel ad minus in hebdomada confitearis, vt veniam merearis de perpetratis, & maior tibi detur gratia in vitandis malis. Vt autem perfecta sit confessio tua, tria habeat, Voluntaria sit, nuda, & mūda. Voluntaria, id est propria deliberatione & proposito. Nuda, vt nude prout gessisti, confitearis peccatum tuum. Munda, ne peccatum tuum prædices, sicut Sodoma, sed pura & simplici intentione te accuses. In summa, purissimum semper erga Christum amorè habeto, nil præter ipsum, aut non propter ipsum amare memento.

Prolitius quam putaueram, descripsi tibi, quæ ipse agere nequeo: in te adimplere desiderans, quod in me deesse cognosco: quia perfectus tuus meum gaudium & corona est in domino. Certus sum autem, quod si bene ista seruaueris, Spiritus sanctus habitabit in te, & perfectè te docebit quomodo adimpleas omnia. Itaque custodi omnia diligenter, & nihil negligas. Cumq; te inueneris fecisse quod scriptum est, lauda deum, qui pius est & misericors in secula seculorum. Amen.

Libelli de disciplina monastica, ex quatuor diui Bernardi tractaculis conflat, finis.

Diui Vincentij, ordinis prædicatorij, de vita spirituali libellus.

Proemium.



Ponā in hoc tractatu tantummodo documēta salubria de dictis doctorū extracta: non adducā aliquid quod scripturæ testimonium vel alicuius doctoris ad probandū quæ dicam, vel suadendum: tum quia breuitati intendo, tum quia tātummodo ad illum sermonē dirigo, qui cum magno affectu desiderat implere quæcunque secūdem deum fienda cognouerit. Et idcirco etiam dicta non probo, quia humilem intendo instruere, nõ cum arrogantis contentionibus deferuire. Quicunque igitur voluerit proximorum animabus vtilis esse, eosque verbis ædificare, primo studeat in seipso habere quicquid alios est docturus. Alioquin parum proficiet. Nam verbum tuis erit efficax, si prius homines in eo cõperiant esse quod docet, & longe maiora.

Confessio prout perfecta sit, quid habeat. Eccli. 22.

Colloquia inutilia potius acerbis similia.

Lingua nostra, fornax est quotidiana.

Gen. 14.

De paupertate. Caput I.

Quod enim primitus omnia terrena contemnat, & velut stercorea reputet, & solum districtissime ad necessitatem de ipsis recipiat: quam necessitatem in paucis colligat, sufferendo etiam quaedam incommoda propter paupertatis amorem, sicut quidam ait: Scio quod laudabile non est pauper esse: sed in paupertate paupertatem amare: & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter & hilariter sustinere. Pro dolor: multi de paupertatis solum nomine gloriantur. Sed quo pacto? ut eis nihil desit. Dicunt se amicos paupertatis, sed paupertatis sodales & amicos fugiunt suo posse, famem, sitim, contemptum, despectionem. Non sic beatissimus Dominicus pater noster: non sic ille, qui cum diues esset, pro nobis egenus factus est: non sic omnes apostoli, qui paupertatem ita ut nostis verbo & exemplo docuerunt. Nihil ab aliquo petas nisi esset necessitas, nec acquiescas cuiquam dare volenti, quibuscumque precibus etiam sub preterito ut indigentibus largiaris: quia crede quod in hoc ipse & omnes qui audierint, finaliter multum edificabuntur. Ac per hoc ad contemptum mundi eos poteris facilius inducere, & ad subventionem aliorum indigentium inclinare. Necessitatem autem tuam intelligo in parco victu, & vili vestitu, & calciamento, quibus tunc praesentialiter indiges. Non voco autem necessitatem librorum, sub quorum velamine frequenter magna auaritia committitur. Satis enim libri communes vel accedenti danti inueniuntur in ordine. Et quicumque effectum voluerit clare cognoscere, studeat primo corde humili adimplere. Alioquin si corde tumido contradicere voluerit, foris stabit. Nam a Christo humilitatis magistro humilibus manifestatur veritas, quae tumidis occultatur.

De taciturnitate. Cap. II.

Facto ergo paupertatis stabili fundamento a Christo fundatore in vertice posito dicente: Beati pauperes spiritu, &c. ad restringendam linguam viriliter se accingat, ut lingua, quae utilia debet loqui, ab ociosis & inutilibus contempnatur omnino: & ut melius restringat, penitus non loquatur nisi interrogatus. Interrogatus dico de re necessaria & utili. Nam inutilem questionem silentium debet soluere. Si qui tamen causa solatij quaedam sibi dicant, ne onerosus aliis videatur, quandam vultus hilaritatem & benignitatem poterit ostendere, sed nullo modo loqui, etiam si illi quicumque sunt, de hoc videantur murmurare vel contristari, aut verba detractionis proferre,

ipsum causando singulari seu superstitio sum & grauem. Debet tamen pro ipsis attentius orare, ut deus ab eorum cordibus omnem turbationem amoueat. Poterit tamen aliquando loqui, si imineat aliqua necessitas vel proximi charitas, vel obedientia prouocatus: & tunc valde premeditari debet, & cum paupertate verborum voce humili & summissa loqui. Quod etiam debet facere, dum alicui habet respondere de aliquo. Nam taceat ad tempus ad proximi adificationem, ut tacendo discat qualiter suo tempore loqui valeat, rogando tamen deum, ut per seipsum suppleat, cordibus proximorum interius inspirando ea a quibus interim se absteineat, linguam per silentium edomando.

De obedientia & munditia cordis.

Cap. III.

Exirpatis igitur per paupertatem voluntariam & per silentium multis sollicitudinibus quae impediunt virtutum semina: ne quantumcumque in agro cordis saepe & saepius feminata inspiratione diuina valeant pullulare: iam tibi superest cura virtutibus illis amplius insudare, quae te adducunt ad illam cordis munditiam, per quam interiores oculi iuxta saluatoris eloquium aperiantur in contemplatione diuina, per quam habeas quietem & pacem, ut ille, cuius in pace factus est locus, in te quoque habitare dignetur. Nec intelligas me loqui de munditia quae hominem purgat tantummodo a luxuria cogitationis immundae, sed loquor potius de illa munditia & cordis puritate, quae hominem elongat quantum in hac vita possibile est, a quibuscumque cogitationibus inutilibus: ut iam non libeat homini aliquid cogitare nisi de deo, vel propter deum. Ad hanc autem obtinendam caelestem, ut ita dicam, immo diuinam quodammodo puritatem (nam qui adharet, deo vnus est spiritus cum eo) ista necessaria sunt. Primo omnium studeas quantumcumque potes abnegare teipsum, iuxta saluatoris preceptum: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Et hoc sic intellige, ut tuam voluntatem in omnibus mortifices & conculces, & in omnibus ei contradicas benigne amplectendo aliorum voluntatem: si tamen licita sit & honesta, hoc tamen generaliter habeas, pro quacumque re temporalis, per quam corporalibus necessitatibus deseruitur, nunquam sequaris voluntatem propriam vbi aliam contradicere videas, quantumcumque exorbitet a iudicio rationis. debes sufferre quodcumque incommodum pro interna mentis tranquillitate seruanda, quae per tales repugnantias perturbatur, dum homo suo iudicio adhaerendo, & suam voluntatem implendo ver-

bis

bis vel cogitationibus cum aliis altercatur. Et non solum in temporalibus, sed etiam in his quae spiritualia sunt, vel ad spiritualia ordinata, alterius potius quam tuam impleas voluntatem, dummodo sit bona, licet tua perfectior videatur, quia maius detrimentum acquires in diminutione humilitatis & tranquillitatis & pacis cum aliis contendendo, quam possit prouenire profectus in quocumque alio virtutis exercitio voluntate propria assecuta alteri repugnando. Et hoc intelligas quantum ad illos qui sunt tibi familiares, & in spirituali exercitio socii, & qui ad perfectionis virtutem anhelant, non de illis qui dicunt bonum malum, & malum bonum, & qui student aliorum dicta & facta carpere & iudicare, plusquam sua praua corrigere. Non enim dico quod debeas talium iudicio adherere in his quae spiritualia sunt. Nam in temporalibus bene debes quorumcumque voluntatem plusquam tuam exequi & implere. Si autem in his quae secundum deum operari desideras, siue ad profectum tuum, vel ad dei honorem, vel proximi utilitatem, aliquos tibi obistere videas, & te etiam totaliter impedire, siue sint superiores, siue pares vel inferiores, noli contentionebus deseruire, sed teipsum in teipso restringe, te apud teipsum collige, & vbi que dicas, Domine, vim patior, responde pro me. Nec de hoc contristeris, quia non possunt id facere nisi finaliter pro bono tuo & aliorum sit expediens. Immo plus dico tibi, quod quantumcumque ad praesens non videas, videbis finaliter quod illud in quo tibi eos impedimenta praestare credebas, erit tibi adiunamentum ad tuum propositum assequendum. Licet autem de hoc sacrae scripturae possent tibi ad haec exempla producere, sicut de Ioseph & multis aliis: nolo ramen contra id facere quod praedixi: sed ex parte crede quia ita est. Si etiam in his quae secundum deum desideras, te videas quodammodo diuinitus impediri, vel per infirmitatem, vel quocumque alio contingente: de hoc nullatenus contristeris: sed totum aequanimiter feras: & te ex toto committas illi, qui melius nouit quid tibi expediat, quam tu ipse: qui te ad se continue subleuat, dummodo teipsum illi ex toto committas, quantumvis forte tu hoc minime videas. Ad hoc ergo sit totum studium tuum, ut teipsum in pace & tranquillitate cordis possideas, & pro quocumque euentu non doleas, nisi de solo proprio peccato vel alieno, seu etiam de his quae te inducerent ad peccatum. Non ergo te contristet quicumque casus fortuitus, non te exagitet indignationis stimulus contra defectum alterius, sed habeas ad quicumque miseracionis & compassionis affectum, cogitans semper quod tu peius faceres, nisi te Christus

Iesus sua gratia conseruaret. Praepara insuper te ipsum ad quaecumque aspera, ad quaecumque opprobria, ad quaecumque aduersa per Christi nomine sufferenda. Omnem etiam appetitum seu cogitatum tibi suggerentem appetitum cuiuscumque altitudinis sub quocumque charitatis praetextu, in ipso principio & ortu suo velut caput draconis infernalis cauterio mortifices cum baculo crucis, tibi Christi humilitatem & durissimam passionem ad memoriam reuocando, qui regnum fugiens, crucem volutarie est amplexus, omnino confusione contempta. Omnem humanam laudem fugies cum honore tanquam venenum mortiferum, & in despectu tui gaudens, teipsum tale verum & ex corde reputes, quod merito debeas ab omnibus conculcari & despici. Videas continue tuos defectus & peccata tua, & ea aggraua, quantumcumque poteris. Aliorum vero defectus post tergum proicias, & non videas: & si vides, alleuias & excuses, & ipsis compatiaris, & eos adiuues quantum poteris. Auerte oculos tuos & mentis & corporis ab aliorum aspectu, ut teipsum possis inspicere in lumine vultus tui. Teipsum sine cessatione considera, & semper sine simulatione diuidica in omni actu tuo. In omni locutione tua, in omni cogitatione tua, in omni lectione teipsum reprehende, & in te semper compunctionis materiam studeas inuenire, cogitatio quod bona quae facis, non sunt plene executae, nec illo feruore factae, quod deberent, & multis negligentibus inquinata, ut merito omnis tua iustitia panno menstruato debeat comparari. Te igitur ipsum continue reprehendas, nec permittas in te sine forti increpatione transire non solum negligentias verborum & operum, sed etiam de ipsis cogitationibus non dico malis tantummodo, sed etiam inutilibus in conspectu dei tui omni hora grauius te reprehendas, te ob peccata commissa iudices, & plus vile & miserabile credas pro tuis defectibus coram deo, quam quoscumque peccatores pro quibuscumque peccatis: & merito puniedum, & a caelestibus gaudiis excludendum, si secundum iustitiam suam & non secundum misericordiam suam velit tecum agere deus tuus: qui tantas gratias super multos alios tibi praerogauit, ad quas omnes ingratus extitisti. Considera etiam diligenter & cum pauore frequentissime ruminata, quod omnem aptitudinem ad bonum, & omnem gratiam seu quantumcumque sollicitudinem ad virtutum acquisitionem a teipso non habes, sed Christus sua misericordia dedit tibi: quod si voluisset, potuisset ita conferre cuiquam, ribaldo, te in luto fecis & lacu miseriae derelicto. Cogita etiam teipsum, & ad hoc credendum te inducas, & hoc tibi ipsi persuadeas, quantum potes, quod non est ribaldus, vel quicumque peccator qui non magis assistet deo suo, quam tu, & quod non magis recognoscere

KK

dei beneficia q̄ tu, si recepisset gratias quas tu sola dei gratuita bonitate, & non propriis meritis recepisti: propter quod sine fallacia potes teipsum viliorem & inferiorem omni homine iudicare, & merito formidare, ne propter ingratitudinem tuam à suo cōspectu te Christus foras abiiciat. Non tamen dico q̄ per ista debeas credere te esse extra gratiā dei, vel esse in peccato mortali: quāvis alij peccatores habeant innumerabilia peccata mortalia, quod tamē est nobis multum occultum, tum propter fallax iudicium, tum propter subitam cōtritionē, & diuinæ gratiæ primam infusionem. dum autem teipsum vilificando aliis peccatoribus comparas, nō expedit tibi in speciali ad eorū peccata descendere, sed solum in quodā generali cum eorum peccatis tuam ingratitudinē pōderando. Quinetiā si in speciali velis eorū peccata videre, potes eadem peccata in te per quandam similitudinem transformare, sic te in tua cōscientia increpando: Ecce ille est homicida, & ego miser quotiens occidi animam meam? Ille fornicator & adulter est, & ego tota die fornicor & adulteror, à deo meo oculos auertēdo, & diabolicis suggestionibus supponēdo, & sic de aliis. Si autem videris q̄ diabolus te velit in talibus responsionibus quodam modo per talia ad desperationem inducere, tunc omīssis talibus increpationibus, in spem assurgas, cōsiderata bonitate & clementia dei tui, qui tot te beneficiis iam præuenit, nec dubium quin opus suū in te velit perficere quod incepit. Communiter tamē homini spirituali qui aliquale dei noticiam iam percepit, de hac desperatione timere nō expedit, dū toto studio ad se increpandum inuigilet. Illud tamen posset accidere, immo sepe accidit in homine incipiente proficere spiritualiter, quem deus liberauit à multis periculis & sceleribus quib⁹ fuerat inuolutus. Ex his que supra iā p̄strinxi, generabitur in te virtus illa quæ est mater & origo cūctōq; virtutū, scilicet humilitas, quæ interiores oculos aperit ad dei cōspectū, cor humanū ab omni superflua cogitatione purgando. Nam dum homo in suam resilit prauitatem, seipsum vilificando, se increpando, se detestando, suam nihilitatem cōsiderando, sibi ipsi intentissime displicendo, & hæc & similia cogitando, & talem se verē existimādo, in tantū circa propria negocia occupatur, quod omnis alia inutilis cogitatio abscedit. Et sic dum animo omnia audita visa & tēporaliter operata à se repellit, & in obliuionē adducit, incipit ad seipsam redire, & modo mirabili in seipsa cōualescit, & sic ad originalē iustitiam & celestem puritatem appropinquare incipit. Sic dū in seipsam reflectitur, cōtemplationis

Quomodo omnibus peccatoribus te viliorē & peiorē possis certō credere.

Quam ingens profect⁹ ex perfectā sui cognitione & abiectione.

oculus dilatatur, & in se scalam erigit per quā transeat ad cōtemplandum angelicū spiritum & diuinum: & ex tali cōtemplatione animus exardescit ad bona cælestia, & omnia tēporalia à longe cōspicit tanquā nihil. Per hoc illa perfectā charitas incipit in mente feruescere, quæ velut ignis cōsumit omnem rubiginē interioris hominis. Quod si sic totam animam occupat charitas, nō est quod intret vanitas. Iā quicquid cogitat, quicquid loquitur aut operatur, totū prouenit ex dictamine charitatis: vnde securū potest aliis prædicare sine detrimento, siue inanis gloriæ periculo. Neq; enim ut iā dixi, potest aliqua vanitas subintrare ubi charitas totū occupauit. Nunquid iam respectū habebit amplius ad aliquod cōmodū temporale, qui omnia reputat velut sterces? Sed & ipse laudis appetitus nunquid animū eius poterit subintrare, cū se videat velut sterces vilissimū coram deo miserū, abominabilem, & ad omnia peccata procliuum, nisi eū sua benignitate manus cōditoris continuō conseruaret? Quomodo iam extolli poterit de quocunq; bono opere, q̄ luce clarius videt se nihil posse penitus agere, nisi cōtinuō de hora in horam diuina virtus quodammodo cogat eum atque cōstringat? Quomodo iam sibi aliquid attribuet, ac si à seipso pueniat, qui nō dicam centes, sed etiam milies est expertus suā impossibilitatem in quibuscunq; bonis operibus magnis & paruis: & qui totiens cognouit se non posse dum voluit? & quando ut ita dicam nō voluit nec curauit, nec super talib⁹ cogitabat, viderit se subito diuinitus excitatum feruore mirabili ad illa faciendā, quæ prius cum omni conatu suo implere non poterat? Nam & talē impossibilitatē idcirco deus non longo tempore dominari p̄mittit in homine, vt homo discat humiliari, & vt nunquā in seipso inaniter gloriatur, sed deo attribuat omne bonū, non solū ex cōsuetudine quadā, sed potius ex intimis cordis sui: vtpote qui propria experientia doctus luce clarius videt quod non solū nihil possit operari, sed nec Iesus dicere nisi in spiritu sancto, & nisi ille donaret, qui dicit: Sine me nihil potestis facere. vt iam registrando extotis animæ suæ viribus domino cōstetur, & dicat: Omnia opera nostra operatus es in nobis domine. Ac cū psalmista clamer: Non nobis domine, nō nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nō igitur tali timenda est vana gloria, quando iam dei vera gloria & animarum zelus eius præcordia totaliter occupant. Ecce iam summarie p̄strinxi & in quodā breuiloquio posui ea que sunt necessaria homini in seipso quantum ad vitæ suæ perfectionem, si vtiliter & sine periculo vult atq; se procurare salu-

1. Cor. 13

10. ab. 15.

Psal. 113

2. Tim. 2

salutem: & sufficerent homini illustrato, & altum intellectū habenti, & qui in operibus spiritualibus longum habuisset exercitium: quia in his que posui breuiter, tanquam quibusdā vitæ p̄fectæ principiis recolligere posset quecunq; alia p̄fectorum actuum exercitia. Nā his tribus præmissis p̄fecte seruatis, scilicet volūtaria paupertate, taciturnitate, & internam exercitatione, de quibuscunq; aliis exterioribus actibus quomodo essent faciendi, homo facile iudicaret. Quia tamen non omnes possunt capere facilliter breuiter dicta, paulo diutius insistemus circa particulares actus virtutum.

Quod per instructorem idoneum citius & facilius peruenitur ad perfectionem, quam per seipsum.

Sciendum igitur quod homo facilius & in breuiori tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet instructorem cuius regimine duceretur, cuius obedientiam in omnibus actibus paruis & magnis totaliter sequeretur, quam aliquis posset seipsum perficere, quantumcunq; vigeat acumine intellectus, & libros habeat in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam. Immo plus dico, nunquam Christus suam gratiā ministrabit (sine quo nihil possumus) si homo habet à quo possit instrui & deduci, & negligit vel nō curat alterius ducatum amplecti, se credens sibi sufficere, & per se posse inuestigare & inuenire que sunt vtilia ad salutē. Ista enim via obedientiæ, est via regia, quæ homines in offenso pede ducit ad summam scalam cui dominus apparet innixus. Hanc viam tenere omnes sancti patres in eremo, & breuiter omnes qui ad perfectionē attigerūt, post hanc semitam processerunt: nisi forte deus aliquos per seipsum instruxerit ex priuilegio gratiæ singularis, deficientibus eis & non inuentis tibus qui eos foras instrueret: quia tunc pietas diuina per se supplet quod exterius minimē reperitur: si tamen corde humili & seruenti ad deum accedunt. Et quidem isto tempore, he nobis miseris, quasi nullus reperitur qui alios de perfectione vitæ instruat, quin pot⁹ si homo velit tendere ad deum, inueniet retrahētes multos, & quasi neminem adiuantem. Quamobrem expedit vt homo ad deum toto corde recurat, & ab eo instrui cum omni orationum instantia & cordis humilitate deprecatur, & se in deum proiciat, se sibi totaliter committendo, vt ipsum benignus tanquam orphanum sine patre, recipiat, qui neminem vult perire, sed vult ad cognitionem veritatis quoscunq; venire. Igitur ad te dirigo sermonem meum, qui magno cordis affectu deum

desideras inuenire, qui ad perfectionem atthelas, vt animabus aliorum vtilis esse valeas. Ad te ergo nūc dirigo sermonem meum, qui corde simplici & non duplici accedis ad deū: qui queris virtutum intima penetrare: qui per viam humilitatis peruenire desideras ad gloriam maiestatis.

De obedientia seruanda. **D**vobis igitur iā præmissis, scilicet paupertate & taciturnitate, tanquam fundamentis priuariis, Christi athleta se accingat vt obedientiæ regulam & semitam in omnibus & per omnia teneat quantum poterit inconcusse, scilicet regulam, cōstitutiones, rubricas ordinarij, & aliorum librorum, omni loco & tēpore, intus & extra, in refectorio, dormitorio, in choro, inclinationes, & prostrationes: surgendo & stando: & omnes maiorum ordinationes ad vnguem teneat quantum potest, semper cogitans verbum Christi: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Deinde corpus suum totaliter in obsequio Christi Iesu coerceat: vt omnes actus & motus corporis sint omni morum honestate compositi secundum regularem disciplinam. Neque enim poteris vnquam animam ab inordinatis cohibere, nisi prius studueris corpus tuum subiicere disciplinæ, ipsum restringendo non solum ab omni actu, sed etiam ab omni motu incongruo & inepto.

Luc. 10.

Quia quomodo fructanda.

De modo regulandi corpus. **I**gitur regulationem corporis intendo. Primo contra gulam insistas, nisi enim contra hanc victoriam habeas, in vanum laboras in acquisitione aliarum virtutum. Istum autem modum obserues, primo vt nihil tibi in speciali procures, sed cibariis que fratribus communiter apponuntur, sis contentus. Secularibus volentibus tibi xenia mittere, nullatenus acquiescas pro tuā personā. si tamen volunt cōuentui mittere, mittant. Inuitationes fratrum extra refectoriū, nullo modo recipias, sed continuē refectorium teneas, omnia ieiunia ordinis obseruando. Et hoc intellige quādiu Christus te in sanitate cōseruabit. Nam si infirmus fueris, iuxta infirmitatis necessitatē tractari permittas, nihil tibi penitus procurando, sed omnia cū gratiarū actione recipias quæ tibi fuerint ministrata. Vt autē nō excedas in sumptione cibi & potus, debes naturam tuam diligentissime examinare, quanto cibo & potu valeas sustentari, vt scias iudicare inter superfluum & necessitatē. Hoc autem habeas p̄ regula generali, vt saltē de pane comedas sufficienter quantum natura requirit, specialiter dum ieiunas, nec vnquam credas diabolo suadenti tibi facere abstinentiam de pa-

ne. Et in hoc poteris experiri quantum natura requirit, vel quid sit illi superfluum, si tempore binæ refectiois post nonam inueneris te grauatam, & in stomacho sentias quandam ardorē, vt orare, scribere, vel legere nequeas. communiter hoc accidit propter excessum. si inde sentias post matutinas te oppressum quādo cœnasti. Si vero quando ieiunas, post cōpletorium idem grauamen adesse percipias, tentationem crede esse diaboli. Igitur comedere satis de pane, sic tamen, vt post comestionem sis paratus legere, scribere, vel orare. Si tamen illa hora non esses ita aprus, sicut aliis horis, dum tamen ad non sentires grauamen aliud vt prædixi, non est signum propterea excessus. Cogita igitur tuæ naturæ sufficientiam modo prædicto, vel aliter prout te docebit altissimus, à quo debes simpliciter postulare. Sis sollicitus valde illum modum continē obseruare, & semper in mensa quicquid comedis æstimare: & quando per negligentiam excefferis, non sinas absque poenitentia digna pertransire.

De potu verò nescio tibi regulam ponere, nisi quod paulatim te restringas, de die in diem minus bibendo: ita tamen quod non sitias nimis de die & nocte: specialiter autem cum potagium comedas, potes facilius pertransire cum potu temperato, ita tamen quod sufficiat ad cibi digestionē. Nullo tamen modo bibas extra comestionis horam: nisi in sero quando ieiunas: & tunc valde temperate, vel nisi propter laborem itineris, vel quancunque alia lassitudine. Bibas autem vinum ita lymphatum, quod vini fortitudo deficiat. Et si forte esset, apponas aquæ medietatem, vel plus: & sic magis vel minus secundū quod dominus inspirauerit.

De modo standi in mensa quo ad vtrumque hominem.

Pulsato itaque cymbalo cum omni maturitate lotis manibus in claustro sedendo, nola pulsata refectorium introibis: & nō parcens tibi, cum omni fortitudine tua vocis & corporis, & cum modestia dominum benedices, & iuxta ordinem tuum te collocabis in mensa, cogitans apud te corde pauidō, quod debeas peccata populi manducare. Cor tuum etiam præparabis ad intelligentiam lectionis quæ legitur in mensa: vel si lectionem non habes, ad meditationem aliquam spiritualem, vt nequaquam totus comedas, sed corpore suam refectioem habente, anima nullatenus defrauderetur. Positus autem ad mensam, vestimenta decenter coaptas, cappam super ge-

nua retorquendo. Statue autem pactum tecum omnino, vt nullo modo circumspicias comedentes, sed solum tibi apposita videbis. In principio cum sederis, ne extendas subito manus ad incidendum panem, sed stes aliquandiu super te, vsquequo saltem dicas Pater & Ave Maria pro animabus defunctorū, qui in purgatorio existunt magis indigentū. Hoc autem generaliter habeas, quod omnem actum & omnem corporis motum cum quadam modestia facias. Si panem diuersum, durum, mollem, album, aut aliter factum ante te habeas, illum comedas qui est vicinior, & libentius comedas illum ad quem minus sensualitas inclinatur. Nunquam in mensa aliquid petas, sed permitte alios pro te postulare: quod si non facerent, patientiam habe. Nō teneas cubitos super mensam, sed simpliciter manus. Non teneas crura diuarcata, nec pedem alteri superponas. Non recipias scutellas duplices, vel aliud quodcunque, nisi tantum quantum communiter omnes alij habent. Quancunque pitantiam, à quocunque missam, etiam à priore, nō comedas, sed si potes, competenter in fragmentis abscondas, vel in scutella. Vbi nota quod mos deo gratus est aliquid de potagio Christo pauperi semper in scutella dimittere: similiter aliqua panis fragmenta, nō crustas: immo illas comedas, & de pane confracto Christo dimittas. Nec nimis cures si de hoc aliqui marmurent, dummodo prælatus tibi nō mandauerit oppositum. Et generaliter de omni eo quod comedis, aliquam particulam Christo pauperi dimittas, & holos meliores, non viliores. Sūt tamen aliqui qui vilia tantum donant Christo, sicut porcis fieri consuevit. Si autem cum vno pulmento sufficienter potes comedere de pane, in secundo pulmento aliquid de pane reponas, & Christo dimittas. Et si tibi dominus donauerit, potes facere quasdam mirabiles abstinentias, deo gratas, & hominibus incognitas. Si est tibi cibus instipidus ex defectu salis, vel alia quacūq; causa, noli apponere ibi sal, nec aliud condimentum propter Christū felle & aceto potatum, sed sensualitati resistas. Similiter quancunque falsamenta, quæ ad nihil valent, nisi ad gulæ incitamentum, dimittere occulte potes. Quancunque aliquis bolus gratus tibi circa finem apponitur, istū dimitte propter deū. Similiter caseum, fructus, & huiusmodi, sicut nectar, vinum melius apportatum, & c. quæ non sunt necessitatis pro salute corporis humani, imò frequenter est noxium, dum prodest quod delectat, si dimiseris propter Christum, non dubito quin tibi parabit in dulcedine. Christus dominus
cibum

cibum consolationis spiritualis, & etiam in alio cibo, quo cōtentus es propter Christum. Et vt melius & facilius possis à quibuscunque voueris abstinere, ponas in corde tuo quando vadis ad mensam, quod pro peccatis tuis debes in pane & aqua abstinere. Vnde panis sit solus cibus, & pulmentum: tamen non pro cibo illud adicias, sed vt possis panem cōuenientius deglutire. Tene quod si, hoc posueris in corde tuo, quod videbitur tibi magna pitantia, habere aliquid de pulmento. Et obserues quod non ponas offas multas in parapside, sed sufficiat tibi panē intringere. Quando vero pulmentum non habueris, comedas panem vnum vel dimidium, vel paulo plus quando bis comesturus es. In vniuersum naturæ satisfacias & necessitati, non voluptati. De multis talibus actibus, quos tibi exprimere nō possum, te instruet Christus, si ad ipsum corde recurreris, & totam spem in ipso posueris. Quis enim exprimere valeat modos innumeratos quos tibi deus demonstrabit? Sis etiam attentus, ne sis de illis qui vsque ad finem edunt, immo quā citius poteris te expeditas, seruata debita honestate, vt magis lectionem possis attendere. Dum à mensa surgis, ex toto corde regratieris altissimo, qui tibi contulit bona sua, & qui tibi virtutem aliquam præstitit ne tibi sensualitas præualeret. Non parcas voci tuæ, sed secundum possibilitatem tuam gratias age bonorum omnium largitori. O charissime cogita quā innumera-biles sunt pauperes, qui delicias maximas reputassent si habuissent tantummodo panem, quem tibi cum aliis cibariis deus ministrat. Ita enim veraciter debes cogitare, quod Christus est qui tibi dedit, immo plus est, in mensa ipse tibi seruauit. Vide ergo cum quanta disciplina, cum quanta reuerentia, maturitate & tremore debes in mensa consistere, vbi vides præfentialiter deum tuum in propria persona ministrare. O quā beatus eris, si tibi desuper decur mentalibus oculis ista cōspicere. Videres enim sanctorum multitudinem copiosam cum Christo per totum refectorium discurrere.

De modo perseuerandi in sobrietate & abstinentia.

VT autem in tali modo sobrietatis & abstinentiæ iugiter perseueres, ita iugiter in timore, & à deo totaliter te omnia habere recognosce, & ab ipso perseuerantiā pete. Et si non vis corrumpere, noli alios iudicare, nec contra eos indignationis spiritu mouearis si eos vides in edendo debitum ordinem

non seruare, sed eis cōpatiari ex corde, & pro eis ora, & eos in corde tuo quantum potes excusa, cogitādo quod nec tu potes aliquid, nec ipsi possunt, nisi quantum Christus porrigit manum suam, qui non pro meritis tribuit, sed pro suæ beneplacito voluntatis. Si hæc cogitaueris, firmus eris. Nā quæ est causa quod multi quandoque incipiunt multa facere in abstinentia & in aliis, qui nō perseuerant corpore torpente, & spiritu frigiditate? Certe nulla alia nisi propter eorum elationem & præsumptionē, dum de se præsumētes, aliis indignantur, eos in cordibus suis iudicando. Et ideo deus subtrahit ab eis donum suum, vel spiritu frigidescunt, vel ex indiscretionis vitio plus faciūt quā oporteret. In infirmitatem incurrūt: & sic tandem, dum ad restaurationē corporis intendunt, in hoc quoque metas excedunt, efficiuntur que gulosi plusquā alij quos primitus iudicabant: sicut ego de quibusdam cognoui. Nam istud cōmuniter accidit, quod quicunque alium in aliquo iudicat, deus tandem permittit illum in similitudine defectum cadere, vel maiorem. Ergo stes in timore: & quancunque te senties in exaltatione ob memoriam beneficiorum que tibi donat altissimus, apprehende disciplinas increpationis & propriæ reprehensionis, ne quando irascatur tibi dominus, & pereas de via iusta. Si sic feceris, stabilis permanebis. Ecce indicaui tibi modū altissimo gratum contra gulæ dominium, ad quem pauci pertingunt, qui non excedant vel plus vel minus edendo, vel debitas circūstantias non seruando.

De somno & vigilia.

Post hæc nitaris contra somnum & vigilias modum debitum custodire, in quo valde difficile est habere mensuram. Vbi nota quod duo sunt in quibus specialiter imminet periculum corpori, & per consequens animæ, si discretionis limites excedas, scilicet in nimia abstinentia, & in vigilia inordinata. Nam in aliis virtutum exercitiis nō sic est periculum in excessu. Et propter hoc diabolus habet istam astutiam finaliter, quod cum videt hominem spiritu feruentem, immittit sibi suggestiones, vt faciat abstinentias & vigilias magnas vt per hoc inducat eum ad tantam corporis debilitatem, quod infirmetur & debilitetur, & vltius ad nihil valeat, immo, vt supra dixi, vt plus postea comedat & dormiat quā alij. Et talis nūquam audeat assumere exercitium in vigiliis & abstinentiis, recognoscens se per talia infirmatū, sibi diabolo suggerente & dicente: Non facias talia: nescis

quod ob talia fuisti infirmus? cum tamen non fuerit per vigilias & abstinētiā infirmatus, sed quia in his discretionis tramitem non seruauit. Vnde homo simplex non intelligit sophismata diabolica, quibus ex vtraque parte decipit: vnde sub colore boni sibi dicit, Tu fecisti tot peccata, quando poteris satisfacere? vel si non peccata enormia, dicit ei, O quāta passi sunt tormenta martyres & eremitæ? Et credit simplex homo, quod cum talia habeat speciem boni, non possunt esse nisi à deo. Et deo permittente hoc fit, maximè quando talis homo cum magna humilitate & tremore & cū instantia orationis non recurrit ad deū, qui eum illuminaret & dirigeret quando non reperiret hominem directorem. Homo enim qui sub obedientia sancta consistit, & continuè secundum regulam directionis dirigitur & instruitur, à talibus deceptionibus tutus est, etiam si ipse pater spiritualis aliquando aqualiter erraret. Deus enim propter humilitatem obedientiæ totum sibi disponit ad bonum, sicuti probari posset multis auctoritatibus & exemplis. Itaque circa somnum & vigilias talis modus poterit obseruari, vt scilicet tempore æstiuo post prandium, postquam campana pro silentio est pulsata, quieti membra componas, quia illud tempus ad spiritualia exercitia minus aptum est, & per hoc in nocte amplius poteris vigilare. Hoc tamen generaliter debes obseruare quotiescunque vis dormire, vt semper vel psalmos ruminas, vel spirituale aliquid mediteris, quod etiā somno intercipiatur, & quandoq; tibi in imaginatione præsentetur. In sero hoc communiter habes, vt non multū vigiles. Nam per vigiliam ferotinam impeditur attentio & deuotio in matutinali officio. Est enim communiter talis, somnolentus, grauis & indeuotus, quando nimis vigilat in sero, immo aliquando extoto à matutinali officio cogitur emanere. Igitur statuas tibi aliquas breues orationes, vel aliquam lectionem vel meditationem, quibus in sero antequam dormias, breuiter occuperis. Et inter alias meditationes, si in hoc fertur tua deuotio, potest tua mens ferri ad ea quæ in passione domini illa hora contigerunt, & similiter faciendo in omnibus aliis horis, iuxta modum quem habes à beato Bernardo traditum, vel prout tibi dominus inspirabit. Non tamen est omnium deuotio vniformis, sed alius plus alio excitatur. Aliis enim sufficit in sola simplicitate in foraminibus habitare. Nullus tamen quantumcunque pollens ingenio debet omittere ea quæ possunt eum ad deuotionem excitare: immo quæ legit vel studet, de-

bet ad Christum insectere, cum ipso loquendo, & ab ipso intelligentiam postulando. Sæpe dum actu studet, à libro debet ad horam oculos auertere, & oculis clausis se in Christi plagis abscondere, & iteratò se ad librum conuertere. Etiā quandoque debet à studio surgere, & in cælum flexis genibus aliquam ignitam orationem cum breuitate ad deum fundere, vel cellam egredi, & ecclesiam, claustrum, vel capitulū circumire, secundum quod impetus spiritus confert, & aliquando oratione formata vel informi per gemitus & suspiria de ebullitione cordis, diuinum auxilium implorare, vota sua & desideria altissimo precesentando, & sanctorū ad hæc auxilium implorando. Et illud negocium quandoq; agitur sine psalmis, & sine quibuscunque orationibus externis formatis verbo, quantum hoc aliquando initium sumpserit vel ex aliquo versu psalmi, vel loco alterius scripturæ siue alicuius sancti, nobis interdum deo inspirante interius proprio desiderio vel cogitatu adinuēto. Cum autem ille feruor spiritus transierit, qui cōmuniter parum durat, potes ad memoriā reuocare ea quæ pauloante studeras, & tunc dabitur tibi clarior intellectus, quo facto iteratò ad studium redeas, vel ad lectionem, & iteratò ad orationem, & sic alternando commutes. Nam per huiusmodi commutationem in oratione maiorem reperies deuotionem, & in studio intelligentiam clariorem. Iste autem feruor deuotionis post studium, lectionis licet quacunque hora indifferenter veniat, secundum quod ille dignatur immittere, qui suauiter disponit omnia prout vult tamen communiter post matutinas amplius euenire cōsuevit. Et ideo in sero parum vigiles, vt totum spiritū post matutinas in studio & oratione valeas occupare. Igitur in nocte dum audis horologium, vel quodcunque signum, statim excussa omni pigritia, à strato discedas ac si ibi esset ignis accensus, & flexis genibus cum feruore aliquam orationem effundas, saltem Aue Maria, vel aliud in quo animus tuus magis inflammatur. Vbi nota quod ad hoc vt faciliter & sine molestia, immo cum quadam alacritate tunc surgas, multum facit si supra stratum durū dormias & iaceas indutus. Hoc debet habere generaliter seruus dei, vt omnem mollitiem & complacentiam fugiat, ita tamen quod discretionis limites non excedat. Habeas igitur hoc de paleis, quod quanto amplius expressione duræ extiterint, gratiores debes habere. pro tegumento autē cōtra frigus, vnam vel duas pro temporū diuersitate, secundū quod tua necessitas postulabit. Ad caput autē sacculum

Oratio
& lectio
sepe
vici
sim
excipiāt.

plenum paleis habeas, & fugias mollitiem puluaris, & similiter omnes mollicies alias affueras, sicut de sudariis sub axilla vel ad collū seu ad zonas, nisi forte de nocte in æstiuo tempore propter sudorem. Nam talibus natura non indiget, sed sunt quædam malæ consuetudines introductæ. Dormias etiam indutus sicut de die, nisi quod forulares debes extrahere, & corrigiam relaxare. Potes tamen tempore æstiuo magni æstus cappā detrahere, & cum solo scapulari quiescere. Si per istum modum dormias, non erit tibi molestum surgere, immo citò & cum alacritate confurges. Dum igitur officium de beata virgine dicitur, stans in ostio cellæ tuæ non appodiat, sed super pedes tuos, cum omni attentione cōpetenti voce, distinctè, alacriter tu dicas officium virginis gloriose, & te sic habeas, quasi eā cerneres corporalibus oculis corā te. Officio virginis terminato, & completa corporis necessitate, ad ecclesiam vadas vel ad claustrum, prout maiorem deuotionem inuenies. Vbi nota quod seruus dei eundo & redeundo ad cellam vel quocunque alio loco, non debet esse ociosus corde, sed vel psalmos vel aliquid spirituale ruminare. Potest tamen ante inchoationem officii chorū intrare, & aliquid spirituale premeditari, vt deuotius & attentius cum aliis psalmos valeat decantare. Pulsatis igitur matutinis, & inclinationibus factis, psallendo sta super pedes tuos, non appodiat, sed corde & corpore sta viriliter coram deo tuo, & ipsius laudes cum omni alacritate decanta, recogitans quod sine dubio angeli sancti sunt præsentes, in quorum conspectu psallens deo, eos debes continuè reuereri, vt pote qui faciem dei patris in cælis vident, quem tu nō dum nisi in speculo & in enigmate cōtemplaris. Nūquam parcas voci quantum potes, discretione regente. non omittas iota vnum tā de psalmis, versibus, dictionibus, syllabis, quā de voce. Et si non potes pronunciare æquali voce cum aliis, tamen cum voce submissa. Et si potes, psalmos & hymnos cantes in libro, dum intellectum habes in psalmis & ceteris orationibus, vt consolationem spiritus reportes: sed oportet te esse sollicitum in actu exteriori, ne in gestu corporis aut sono vocis aliquid appareat leuitatis: sed tunc specialiter oportet te seruare honestam & debitam grauitatem. Nā spiritualis lætitia in quadam conuertitur leuitatem, nisi freno discretionis actus comprimat extrinsecus. Toto conatu tuo facias, vt psallas spiritu & mēte. Nam magnus labor est homini, præcipuè incipienti, nondum in deo roborato, tempore psalmodiæ mentem ab euagatione confringere. Semper in choro te-

Mat. 18.

neas locum tuum: & communiter te ponas in vno loco, nisi forte alius venerit, cui meritò cedere oporteret. Si in choro præuideris aliquem defectum, per te vel per alium suppleas. Vnde nota quod deus gratum haberet, si pridie præuideres rubricas, & omnia dicenda in choro: & paratus esses ad omnes defectus aliorum supplendos. Si caueas, quod dum in choro est aliqua controuersia super iis quæ sunt dicenda vel cantanda, tu nec os tuum aperias etiā si certus esses quod dicendum esset. Sunt multi qui pro vno modico tantum litigant. Minus malum esset errare, quā litigare. Si autem vnico verbo posses errorē chori corrigere, tunc facere debes, specialiter si tu es de correctoribus in choro. Si autem te vides spiritu impatientiæ agitari, melius est quod tu studeas motum animi tui subiugare. Si autem aliquis malè legit vel cantat, vel quocunque modo ineptè se habet, non submurmures vel corrigas. est enim species cuiusdā iactantiæ talis correctio. Idem in lectione quantumcunque quis malè & ineptè legat, nec etiā aliquod signum facias: quia hoc est signum mentis vtolationis inflatæ. Quādo multi subito currunt ad aliquem defectum implendū, non te ingeras. Si autē nullus esset suppletus, tunc cum omni modestia ad supplendum occurras. sed si potes, taliter defectum anticipes, ne valeat deprehendi. Caue tamen ne duas lectiones vel duo responforia immediate legas, nisi tantus esset defectus, & maxime vbi multitudo fratrum. Iterū non de facili te ingeras, si iuuenis es, ad dicenda ea quæ pertinent ad antiquos. Non circumferas oculos hinc & inde, nec aliquem videas quid faciat, vel quomodo se habet: sed oculis in terrā demissis, vel sursum erectis, vel clausis, vel ad librum stes. Semper quando dicis diuinum officium, dum stas, vel sedes, non teneas manus sub mento, sed sub cappa, vel scapulari vbi non decens est semper cappam habere. Non teneas vnum pedem super alium, vel tibias diuaticatas, sed cum omni modestia, vt qui es in præsentia dei tui. Caueas ne digitos teneas in naribus. Sunt enim aliqui qui in hoc & talibus miseris non sine diaboli stimulatione occupantur, diuertentes se à diuino officio, & indeuotionē nō modicam ostendentes. Multi tales actus particulares occurrunt, qui non possunt exprimi: sed si humilitatem habueris, & integram charitatem, de omnibus vnctio te docebit. Tu qui legis, attende, quia cū hic ponantur multi actus qui ad vnam circumstantiam variantur, non propter hoc ita improbes, si aliquando aliter fieri oporteret: sicut de loquendo in choro cum error apparet, quia ad antiquum bene p-

Præstat
ad minu
tulos
quosdā
errores
conuie
re, q̄ cō
tēdere.

tinet emendare. Generaliter tamen verum est quod seruum dei litigare non decet. Minus malum est patienter tolerare errorem, quam contentione deferuire: quanto magis in choro, ubi tales contentiones scandalosæ, & attentionis ac tranquillitatis mentis sunt contrariaturæ? Similiter cum dico quod semper legat vel cantet in choro. Quandoque enim posset oriri talis in mente deuotio, quæ ex cantu impediretur, & quod melius esset apud se dicere officium, præcipue ubi alii essent qui sufficerent ad cantandum: & sic de multis aliis, prout melius docebit altissimus, si contemptis oibus ei corde simpliciter uolueris adherere. Non enim debet sibi quicquam facilius credere, ut oppositum faciat, nisi longo virtutum exercitio, discretionis spiritum sit adeptus.

De modo prædicandi.

In prædicationibus & exhortationibus uere eloquio simplici, & confabulatione domestica ad declarationem actuum particularium. Et quantum potes, insiste cum exercitiis, ut quilibet peccator habens illud peccatum, videatur percuti, ac si sibi soli prædicares, taliter tamen, quod uerba videantur ab animo procedere, non superbo uel indignate, sed magis ex uisceribus charitatis & pietatis paternæ, sicut pater condoleat peccantibus filiis, uel in similitudine graui, uel in fouea grandi iacentibus, quos nititur extrahere & fouere sicut mater & sicut qui gaudet de profectu eorum, & de gloria paradisi sperata. Talis enim modus conuenit esse proficuus audientibus. Nam de uirtutibus & uitiis locutio generalis parum excitat audientes. Item in confessionibus uel sine blandis pusillanimes, siue terreas induratos, semper uiscera charitatis ostendas, ut semper peccator sentiat quod uerba tua ex pura charitate descendant. Et ideo charitativa uerba & dulcia semper pungitiua præcedant. Tu itaque qui desideras proximorum animabus esse utilis, primo ad deum ex toto corde recurre, & hæc petitionem ab eo simpliciter postula, ut tibi illam charitatem dignetur infundere, in qua est summa uirtutum, per quam possis perficere, quod optas.

Remedia aduersus aliquot tentationes spirituales.

Ad honorem domini nostri Iesu Christi dicam tibi remedia contra aliquas tentationes spirituales, quæ in isto tempore abundat in terra ad purgandum & probandum electos, quæ quantum expressè manifeste non sint de aliquo principali articulo fidei, tamen qui bene respicit, cognoscit quod sunt in periculo destructionis

principalium articulorum fidei, & quod præparant cathedram Antichristo. Quas tentationes nolo exprimere, ne ponam occasionem scandalii coram simplicibus & imperfectis: sed monstrabo tibi per quam spirituales discretionem debes te regere, si non vis esse victus à prædictis tentationibus. Et prædictæ tentationes ueniunt duobus modis. Primo quidem per suggestionem diaboli, qui decipit hominem in regimine quod deberet habere erga deum, & in hoc quod est dei. Secundo per corruptam doctrinam aliquorum, & eorum modum uiuendi, qui iam uenerunt in prædictas tentationes. Propter hæc uolo tibi dicere quod regimen debes habere erga deum, & illud quod est dei, si vis esse immunis à prædictis tentationibus. Et post, quomodo debes regi erga alios quantum ad doctrinam & modum uiuendi eorum. Primum ergo remedium contra tentationes spirituales huius temporis, quas procurat diabolus in cordibus aliquorum, est quod illi qui uolunt se subdere deo, non desiderent per orationem uel contemplationem uel per alia opera perfectionis, uisiones uel reuelationes, uel sentimenta quæ sunt supra naturam, & supra omnem cursum eorum qui diligunt deum, & timent per uerissimum amorem: quia prædictum desiderium non potest esse sine radice & fundamento superbiæ, uel curiositatis circa deum, uel sine fragilitate fidei. Et per hunc defectum iustitia dei dimittit animam quæ habet antedictum desiderium, & permittit uenire in talē illusionē diaboli per falsas uisiones & reuelationes, & falsas seductiones, per quem modum seminat maiorem partem tentationum spiritualium huius temporis, & radicat eas in cordibus illorum qui sunt nuntii Antichristi, secundum quod poteris uidere per subsequētia. Debes enim scire, quod ueræ reuelationes & sentimenta spiritualia secretorum dei, non ueniunt per antedictum desiderium, neque per aliquem conatum, seu studium quod anima habeat in se, sed tantum ueniunt pura bonitate dei in animam quæ est in magna humilitate, & in magno desiderio dei & reuerentia. Nec etiam exercitet se homo in magna humilitate & timore dei propter hoc ut habeat uisiones & sentimenta supradicta, quia in idem delictum caderet, in quod per supradictum desiderium. Secundum remedium est, quod in anima tua in tua oratione non sustineas aliquam consolationem uel paruam, ex qua tibi uideretur quod fundaret te in præsumptione & exultatione tuiprius, & post te duceret in appetitum honoris proprii & reputationis, & suggereret menti tuæ te dignum esse gloria & laude huius uite, uel gaudii paradisi, quia factas quod anima quæ sentit

Reuelationes, uisiones &c. non sunt quous modum am-biendat

tit se in tali consolatione, incurrit in plures malos errores, quia dominus per suum iustum iudicium permittit postea diabolo augmentare prædictam consolationem, & accelerare & imprimere in illa anima, falsissima & periculosissima sentimenta, & alias illusiones quas consolationes credit & putat esse ueras. Heu heu, deus meus, quot personæ sunt deceptæ per istum modum? Et scias pro certo quod maior pars raptuum immo rabierum nuntiorum Antichristi uenit per istum modum. Et propter hoc caue, quod in tua oratione uel contemplatione non sustineas aliquam consolationem, nisi illam quæ uenit post perfectam notitiam & completum sentimentum tuæ humilitatis & perfectionis, & quæ facit perseuerare dictam notitiā & antedictum sentimentum in te & in magnitudine & altitudine dei per altam reuerentiam, & cum magno desiderio honoris & gloria dei, & quod antedicta consolatio fundetur in prædictis. Tertium remedium est, quod omne sentimentum quantumcunque altum, & omnem uisionem quantumcunque sit secreta, & secretum tibi appareat, quæcunque sit, ex quo ducit cor tuum ad opinionem uel in infectionem contra aliquem articulum fidei, uel contra bonos mores, & maxime contra humilitatem uel contra honestatē, exhorrescas, quia sine dubio ex parte diaboli uenit. Et si appareret tibi aliquam uisionem sine lumine & sentimento, de qua sis certus quod uenit ex parte dei, & propter quam sis certificatus in corde tuo quod illud quod inducit uisio, est deo placitum, noli te firmare in dicta uisione. Quartum remedium est, quod nec propter magnam uitam, nec propter clarum intellectum, nec propter aliquam sufficientiam aliam quam uides in aliqua persona uel aliquibus personis, nolis sequi eorum consilia, nec eorum modos, ex quo cognoscis clare & multum rationabiliter quod eorum consilia non sunt secundum deum & ueram discretionem, & per uiam Iesu Christi & sanctorum monstratam, & per sanctam scripturam in dictis sanctorum notificatam & prædictam. Et propter hoc non timeas, ne spernendo talia consilia eorum, pecces per superbiam, dum hoc facis propter zelum & amorem ueritatis.

Quintum remedium est, quod fugias familiaritates & societates illorum & illarum, qui uel quæ dictas tentationes seminant, & uites illas personas quæ sustinent & laudant eas, & non li audire illorum uerba, nec collationes eorum nec modos eorum uelis uidere: alioquin tibi demon subministrabit & ostendet magnum signum perfectionis in pluribus eorum uerbis & modis, quos si uelis accipere, & illis credere, uenies & rueres in pericula ruinas & precipitia errorum illorum.

Post hæc dicam tibi aliqua remedia quæ debes attendere per te ipsum circa aliquas personas quæ seminant dictas tentationes per eorum uitam & doctrinam. Primum quod debes attendere erga tales personas, est, quod non habeas magnam exultationem uisionum eorum & sentimentorum, nec eorum raptuum: immo si dicerent tibi aliquid quod sit contra fidem, & contra sacram scripturam, aut contra bonos mores, abhorreas eorum uisiones & sentimenta tanquam stultas demencias, & eorum raptus sicut rabiamenta. Tamen si dicant siue inducant in hoc quod est secundum fidem, & sanctam scripturam, & secundum bonos mores, noli spernere, quoniam spernere quod est dei: tamen non confidas totaliter, quia sæpe & maxime in tentationibus spiritualibus falsitas induitur seu absconditur sub similitudine ueritatis, & malitia sub similitudine boni, ut diabolus possit sæpe & melius mortale uenenum sine suspitione diffundere. Et ideo credo quod plus placet deo quod uisiones & sentimenta & raptus, qui secundum quod dictum est, habent similitudinem ueritatis & bonitatis, dimittas ire pro tanto quantum ualeat, nisi contingat hoc aliquibus personis ratione sanctitatis & discretionis, ac eorum humilis probitatis, ob quæ certum est quod prædictæ personæ non possunt decipi per illusiones, nec per ingenium diaboli. Et tunc quantum sit pius uisionibus & sentimentis talium personarum consentire, tamen securum est non totaliter credere eis propter rationem prædictam, sed quantum concordat cum fide catholica & sacra scriptura, & bonis operibus & uerbis sanctis ac doctrina sanctorum. Secundum remedium est, quod si per reuelationem uel sentimentum uel alium modum cor tuum moueatur ad faciendum aliquod opus, & maxime opus graue & notabile, non tibi consueueris, de quo non habeas certitudinem an deo placeat, immo dubitas rationabiliter, contrahas moram ad faciendum dictum opus usquequo inspexeris omnes circumstantias, & maxime finales, & cognoscas quod illud deo placet, non tamen quod tu iudices per te tuam opinionem, sed si potes, per testimonium sacre scripturæ, uel exemplum imitabile sanctorum patrum. Et dico exemplum imitabile, quia secundum beatum Gregorium aliqui sancti fecerunt aliqua opera quæ non debemus imitari, quantum uis bona essent in eis, sed debemus ea habere in admiratione & reuerentia. Et si per te ipsum non potes uenire in notitiam an placet deo, petas consilium à personis approbatis in uita, doctrina, & consilio totius ueritatis.

Tertium remedium est, quod si tu es immunis à prædictis, sic quod nunquam habueris, uel

quantumcunque habueris, fueris liberatus ab eis, dirige cor tuum & intellectum ad deum, recognoscendo humiliter gratiam dei tibi factam: & eidem ex corde multotiens, immo indefinenter regratieris super hoc. Et caueas tibi, ne hoc quod habes per puram gratiam & bonitatem dei, velis attribuire virtuti vel sapientie tue, vel merito tuo, siue tuis moribus: neque quod fuerit factum a casu seu a fortuna, quia secundum quod dicit sancti, hoc est principaliter, per quod deus beneficium sue gratie aufert & subtrahit homini, & permittit eum subiici tetationibus & illusionibus diaboli. Quartum remedium est, quod te existente seu corde tuo in tetatione spirituali, per quam es in dubio, non incipias ex tua propria voluntate aliquid notabile tibi ante inconfuetum, sed cor tuum refrinando & voluntatem, expectes humiliter, & cum tremore & reuerentia dei, vsquequo deus cor tuum clarificet, quia scias pro certo, quod si existendo in dicto dubio, ex tua propria voluntate inciperes aliquid notabile inconfuetum tibi, non posses exire ad bonum finem. Et intendo dicere de incipiendo opera notabilia & inconfueta, super qua est dubium antedictum.

Quintum remedium est, quod propter antedictas tentationes, si eas habes, non dimittas aliquod bonum quod incepisti dum non eras in tetationibus antedictis. Et maxime non debes dimittere orare, nec confiteri, nec communicare, nec ieiunare, nec opera pietatis & humilitatis, licet consolationem non inuenias in operibus antedictis. Sextum remedium est, quod si tetationes antedictas habes, leues cor tuum & intellectum ad deum, quarendo humiliter hoc quod erit ei honorabile, & tuam animam salubrius super tua tentatione, subiiciendo voluntate tua voluntati diuinae, sic quod si sibi placet quod perseueres in illis tetationibus, similiter & tibi placeat, ut deum non offendas.

Rationes & stimuli ad conandum & conascendum semper ad altiora.

Quia placet mihi multum hoc quod incepisti bonum ad honorem dei, & desidero non solum quod perseueres, quinimo ut ascendas ad maiora opera virtutum, vel saltem desideres: idcirco scribo tibi aliquas rationes unde poteris cor tuum excitare & mouere ad maiores perfectiones omnimodae virtutis quam non incepisti, nec potes seruare per propriam virtutem. Prima ratio est, quia si inspicias quantum deus est dignus amari & honorari secundum suam bonitatem & sapientiam, & alias suas perfectiones, quae sunt in eo sine numero & si-

ne termino: videbis quod hoc quod incepisti multum & magnum ad honorem dei, & secundum bonitatem suam, est minimum, & quasi nihil in respectu eius quod deberes esse secundum quod deus est dignus. Istam rationem idcirco pono primam, quia principaliter debemus attendere in omnibus operibus nostris ad honorem & reuerentiam & amorem dei, quia in seipso est dignus amari per omnem creaturam. Secunda ratio est, ut attendas quot despectus & vituperia, egestates & dolores, & passionem tam amaram quam sustinuit filius dei propter amorem tui, & hoc ut ames & honores eum, & cognoscas quod parum est quod fecisti ad deum amandum & honorandum secundum quod facere deberes. Ista ratio altior est & perfectior quam sequentes, & ideo pono eam secundam. Tertia ratio est, quod si cogitas innocentiam & perfectionem quam debes habere secundum mandatum dei, per quod teneris esse absque omni vitio & sine omni culpa, & in plenitudine virtutis totius, sicut est quod debes amare deum ex toto corde tuo, & ex omni mente tua, & totis viribus tuis, videbis manifeste infirmitatem tuam, & distantiam in qua tu es a predicta innocentia & perfectione. Quarta ratio est, quia si cogitas multitudinem & largitatem beneficiorum dei, & gratiarum corporalium & spiritualium, quae tibi & aliis, vel quae singulariter tibi datae sunt, sentires quod hoc quod facis, vel potes facere propter deum, est nihil ad dicta beneficia recompensandum, & ad gratias dei, & maxime si liberalitatem attendas & bonitatem. Quinta ratio est, quia si cogitas altitudinem et nobilitatem remunerationis et gloriae promissae et paratae illis qui faciunt opera virtutum ad honorem dei, quoniam gloria tanto erit maior, quanto opera erunt virtuosa et maiora: cognosces pro certo tuum meritum esse nihil in comparatione tantae gloriae, et desiderabis facere opera magis virtuosa quam antea feceras. Sexta ratio est, quia si attendas pulchritudinem et generositatem quam habent virtutes in se, et nobilitatem quam recipit anima per supradictas virtutes, et si attendas ad vilitatem et turpitudinem quam habent vitia et peccata: conaberis, si sapiens fueris, ad amplius acquirendum virtutes, et amplius fugiendum vitia et peccata.

Septima ratio est, si attendas altitudinem et perfectionem vitae sanctorum patrum, et eorum multas et perfectas virtutes, cognosces imperfectionem et infirmitatem vitae tuae, et tuorum operum. Octava ratio est, quia si cognoscas magnitudinem peccatorum, et multitudinem offensarum quas fecisti contra deum, cognosces quia opera tua quae facis, quantumcunque bona sint, sunt nihil ad satisfactionem quam debes

bes per viam iustitiae de offensis dei. Nona ratio est, quia si speculeris vniuersitatem et pericula tentationum carnis, mundi, et diaboli, conaberis ad assumendum maiorem firmitatem, & maiorem altitudinem in omni virtute, quam feceris vnquam, ut possis in maiori securitate persistere contra dictas tentationes.

Decima ratio est, quia si cogitas districtum iudicium dei finale, & cum apparatu honorum operum, & cum satisfactione de offensis dei, quod debeas venire ad districtum iudicium, videbis quod parum est quod fecisti per bona opera & poenitentiam secundum quod facere debuisses. Undecima ratio est, quia si tu cognosceres breuitatem vitae tuae, & vicinitatem tuae mortis dubiae, postquam non habebis spatium faciendi opera meritoria, neque poenitentiam, cognosceres quod cum maiori corde & studio deberes facere bona opera & poenitentiam, quam tu facis. Duodecima ratio est, quia si animaduertas quod qualitercunque incipias bonam vitam, in quouis gradu & conamine et desiderio ad maiorem ascendendi & altioris vitam, non potest esse sine fundamento praesumptionis & superbiae hoc quod incepisti, nec potest esse sine inclusione magnae tepiditatis & negligentiae: & ex quo haec duo mala includuntur, non potest esse sine magno periculo viuendi in multis vitiis spiritualibus, secundum quod monstrare tibi possem, sed nimis esset longum ad scribendum per literas: non dubito, si velis dictorum malorum esse liber & immunis, quod quantumcumque altam vitam inceperis, tu adhuc conaberis in altiori & perfectiori vita esse. Bernardus super psalmum, Qui habitat in adiutorio altissimi, loquens de illis qui sunt feruidi in principio, & postea credentes se aliquid esse, reperiunt: O, inquit, si scires quam paruum est quod habes, & hoc ipsum quam cito perdes, si non seruauerit qui dedit? Tertiadecima ratio est, quia si cogites abyssalia iudicia dei facta super aliquos quando perseuerauerunt in magna sanctitate & in magna perfectione, & quod deus deseruerit eos propter aliqua occulta vitia quae non credebant se habere, non dubito quod quantumcunque altam vitam inceperis, omni die leuabis tuas affectiones & conatus ad altiora, deserendo omne vitium plus quam feceras antea, appropinquando te ad perfectam & integram sanctitatem, timendo forte sit vitium aliquod occultum, propter quod merearis a deo deferi. Quartadecima ratio est, quia si cogites poenas infernales, damnatorum, paratas cum peccatoribus, credo quod leuis erit tibi omnis poenitentia, humilitas, paupertas, & omnis labor quem in ista vita possis sustinere propter deum, ut euadas poenas supradictas, & co-

naberis continue ad tenendum altioris & perfectioris vitam, timendo periculum veniendi ad supradictas poenas.

Predictas rationes plus in breuitate tetigimus quam explicauerimus, ut tu aduertas in paucis magna cogitare: sic quod quilibet sit tibi materia altae contemplationis & spatiosa. Attamen scias quod si velis proficere cum predictis rationibus, debes formare non solum per intellectum, immo etiam est necessarium quod per certam affectionem moueas voluntatem tuam ad hoc quod dictant dictae rationes. Et ut melius intelligas, replicabo tibi sub breui memoria dictas rationes, ostendendo tibi qualiter dictae rationes non habent efficaciam in anima, nisi formentur per affectionem & sentimentum spirituale. Prima enim ratio non habet vigorem nisi in anima quae habet magnum spiritum, & sentit & contemplatur nobilitatem & perfectionem & dignitatem dei, & conatur ad amandum deum & honorandum in omnibus secundum quod deus est dignus. Secunda ratio non habet efficaciam nisi in anima quae cordialem deuotionem sentit spiritu, & charitatem & bonitatem filii dei, quam nobis monstrauit in sua propria passione propter nos accepta, sicque anima desideret totis suis viribus facere recompensationem deo de bonitate & de charitate ostensa in passione. Tertia ratio non proficit nisi in anima quae sentit altitudinem perfectionis quam requirit dominus & praecipit esse in creatura, et profunda ratione mandatum dei conatur adimplere, et cum magna voluntate venire in dictam perfectionem.

Quarta ratio solum locum habet in anima quae per intellectum et affectionem recogitat magnitudinem et nobilitatem beneficiorum dei, et gratiam ipsius, et quae conatur repraesentare deo seruitium debitum secundum beneficia recepta. Quinta ratio habet valorem tantum in anima quae habet in existimatione & feruente amore gloriam promissam in paradiso, et quae habet firmam fidem et spem veniendi ad illam gloriam per bona opera virtutum, sic quod cum dictis operibus conetur venire ad illam gloriam supradictam. Sexta ratio non habet efficaciam nisi in anima quae habet in horrore et abominatione omnia vitia et peccata, et in magna eomplacencia et amore perfectionem virtutum et gratiae dei, et hoc cum magno excessu et altitudine. Septima ratio habet solum veritatem in anima quae habet in magna existimatione vitas sanctorum, cum desiderio imitandi. Et maxime intendo dicere perfecte, et perfectorum, sicut est virgo Maria principaliter, Ioannes baptista, Ioannes euangelista, et omnes apostoli, et sic de aliis.

Octava ratio nō proficit nisi in anima quæ aggrauat offensas contra se, quas fecit contra deum, & quæ habet voluntatem magnam faciendi deo iustitiam & satisfactionem peccatorum suorum per bona opera & virtuosa.

Nona ratio non habet locum nisi tantum in anima quæ sentit suam debilitatem & grauitatem, & periculum tentationum, propter quod conatur ad fugiendum occasionem cadendi in tentationem, & ad viuendum in securitate gratiæ dei. Decima ratio non habet locum nisi in anima quæ cognoscit peccata sua, & habet timorem & tremorem cordialem sententiæ finalis iudicii, quæ dabitur contra peccatores qui non egerunt poenitentiam de peccatis suis. Vndecima ratio non habet locum nisi in anima quæ habet timorē mortis, & habet magnum præparamentum faciendi opera meritoria. Duodecima ratio tantum proficit animæ quæ sentit vel intelligit quod inchoare bonam vitam sine conamine & desiderio, & altiore vitam assumere nō potest sine inclusione prædictorum vitiorum, & sine periculo grandium malorū, & quæ vult fugere dicta vitia & pericula. Tertiadecima ratio non habet efficaciam nisi in anima quæ summe curat de sua salute, & timet separationem à gratia. Quartadecima ratio non habet efficaciam nisi in anima quæ timet de poenis damnatorum, sentiendo quod digna est venire in poenas supradictas propter offensas quas commisit contra deum, & que vult & conatur vitare poenas antedictas per satisfactionem poenitentiae. Et nota quod conclusio & finis cuiuslibet rationis debet esse in duobus: primo in sentimento propriæ imperfectionis & nihilitatis: deinde in desiderio & conamine veniendi in altiore vitam, sic quod non sit sentitum propriæ imperfectionis & annihilationis sine desiderio & conamine maioris perfectionis, & vitæ altioris, nec econuerso.

Aduersus laqueos diaboli optima remedia.

Qui vult fugere laqueos Antichristi seu diaboli finales, debet habere in proprio sentimēto sui, duo. Primo quod sentiat de seipso sicut de vno corpore mortuo pleno vermibus, & quod homines dedignantur videre & intueri, immo claudunt nares propter eius pessimum odorem & foetorem, & auertunt facies, vt non videant talem & tantam abominationem. Sic oportet charissime facere semper mihi & tibi: sed plus mihi, quia tota vita mea foetida est, totus foetidus sum, & corpus meū, & anima mea, & omnia quæ intra me sunt, fecerunt & putredine peccatorum & iniquitatum fo-

tidissima & abominabilissima sunt: & quod deterius est, quotidie hūc foetorem in me sentio recentius & amplius renouari. Et debet talem foetorem de seipso sentire fidelis anima cum maxima verecundia coram deo, sicut coram illo qui omnia videt, et sicut si esset coram districto iudice: & dolere maxime de offensa dei, et perditione gratiæ in qua erat quando redempta fuit preciosissimo Christi sanguine, et abluta per baptismum. Et sicut sibi & deo fecere se credit et sentit, sic etiam credat et sentiat quod nō solum coram angelis et sanctis animabus, sed etiam coram omnibus hominibus viuentibus sit abominabilis, et quod facta & dicta sua non solum homines videre & audire dedignantur: sed quod nares suas claudat, et auertant facies suas ne ipsum videant, et tanquam foetidum cadauer de medio eorum expellant: et sit ab eis alienatus et proiectus sicut plusquam leprosus, vsque dum veniat et reueniat ad seipsum. Et si quis de eo iustitiam faceret, et de corpore suo sentiret quod iustum est, sibi oculi eruerentur, nasus truncaretur, manus abscinderetur, et aures, et os, et sic de aliis sensibus corporalibus et membris, quia cum his omnibus deum offendit creatorem. Item quod despicere desideret et contemni, et quod omnia vituperia, verecundias, iniurias, blasphemias et cætera aduersa, summo cum gaudio et letitia recipiat, et patienter ferat. Et oportet quod diffidas de teipso totaliter, et de omnibus bonis tuis, et de tota vita tua, & couertas te totum et reclines super brachia Iesu Christi pauperrimi et vilissimi putati, improperati, despecti et mortui propter te, vsque quo tu sis mortuus in omnibus sentimētis tuis humanis, et Iesus Christus crucifixus viuat in corde tuo et in anima tua, et totus transformatus et transfiguratus cordialiter nihil sentias in te, nunquam videas nec audias nisi ipsum solū stantem in cruce, propter te mortuum et suspensum, ad exemplum virginis Mariæ, mortuus in mundo, et viuens in fide. Et quod in illa fide viuat tota anima tua vsque ad resurrectionem, in qua dominus immittet gaudiū spirituale et donum sancti spiritus in anima tua, & in illis personis in quibus debet renouari status apostolorum, & ecclesię sanctæ dei, exercēs te sanctis orationibus siue sacris meditationibus ad obtinenda dona virtutū, & gratiā dei. Sed debes precipue septiformi affectu exerceri ad dominum, scilicet amore ardentissimo, timore summo, honore debito, zelo constantissimo: et illis debet iungi gratiarū actio, & vox laudis, oimoda obedientiæ proptitudo, & suauitatis diuinæ pro posse degustatio. Et ideo continue debes ista septem deuotē petere à deo, utpote dicendo: Bone Iesu fac vt totis medullis

Septem affectibus debemus continēte moueri ac ferri ad dominū

medullis amem te, summe timeam & reuear, & pro omni honore tuo fortissime zelem, ita quod omne tuum opprobrium tanquam tuæ gloriæ zelotypus vehementissime exhorrescā, & potissimē si in me, aut à me, vel pro me facta tibi sint opprobria vlla. Da etiam vt te dominum tanquam tua creatura humiliter adorem & recognoscā, & de omnibus beneficiis à te mihi impensis gratias semper agā, & hoc cum summa gratitudine cordis. Da etiam vt in omnibus semper te benedicam, laudem & magnificem, & hoc cum summo iubilo & tripudio cordis, & tibi in omnibus obtemperans & obediens, semper reficiar dulcissima tua & ineffabili suauitate, cum sanctis tuis angelis & apostolis tuæ mensuræ assistentibus, licet omnino indignus & ingratus. Qui cum patre &c. Debet etiam seipsum exercere alio septiformi affectu. Primo quod torus de suis vitiis & defectibus confundatur. Secundo, vt peccata sua tanquam dei sui offensua, & sui ipsius maculatiua, acutissimo & acerbissimo dolore plangat & deploret. Tertio necessaria est ei humiliatio sui, & conculcatio cum contemptu, vt scilicet totis viribus se sicut re vilissimam & foetidissimā spernat, & contemni appetat, vt dictum est. Quarto rigore seuerissimo corpus suū asperrimē maceret, & macerari appetat tanquam peccato foetidum, immo tanquam latrinam & sentinam, & tumulum omnium foeditatū. Quinto ira sit implacabili contra omnia vitia sua, & contra radices & inclinationes vitiorum suorum. Sexto vigore peruiigili & strenuo omnes sensus, actus, potentias suas, semper cum quadam virilissima strenuitate in omne bonū teneat peruiigiles & attentas. Septimo discretione perfectæ modestiæ seu moderantiæ in omnibus districtissime seruet mensuram & modum, inter videlicet nimium & non satis: vt scilicet nihil sit in eo superfluum, nihil diminutū aut defectuum, nec plusquam debet, aut minus quam deceat.

Exercitia septem hominis septimum agnoscit.

Erga proximum & temporalia quomodo nos gerere oporteat.

Debet etiam circa proximum se exercere alio septiformi affectu. Primo scilicet perpiam compassionem, vt scilicet ita sentiat aliorum mala & incommoda, sicut sua. Secundo per dulcem congratulationē, vt scilicet de aliorum bonis læteretur sicut de suis. Tertio per tranquillam supportationē & condonationem, vt scilicet molestias & iniurias ab aliis illatas patienter toleret, & ex corde indulgeat. Quarto per benignā affabilitatem, vt scilicet sit ad omnes benignus, & omnibus bonū

affectet, & talem se exhibeat in gestibus suis & verbis. Quinto per reuerentiam humilem, scilicet vt omnes sibi præferat, & omnibus ex corde se subdat, tanquam dominis suis. Sexto per concordiam vnam, vt scilicet quantum in se est, & quantum secundum deū potest, se esse vnum sentiat cum omnibus, & ita sentiat se esse omnes, & illos se, & omnium reatum velle pro suo reputet, & contrā. Septimo, per Christiformem sui pro omnibus obligationem, scilicet vt ad instar Christi pro omnium salute sit paratus & sollicitus ponere vitam suam, & die noctuque orare & laborare quod omnes in Christo inuiscerentur. & Christus in eis. Sed tamen nec ex hoc credatur quin vitia hominum sint pro toto posse cauēda. Scien dum quod quādocumque ex societate malorum hominum periculum est, à talibus debes sicut à serpentibus elongari. Non enim est carbo ita ignitus, quin in aqua frigescat. sic contrā vix est carbo ita frigidus, quin aceruo carbonum ardentium accendatur. Aliis vbi periculum huiusmodi non imminet, etiam mera simplicitate debes aliorum non videre defectus, aut si videas, per compassionem supportare. Vt autē utiliter ad temporalia, & ad eterna te habeas perfectē, scito quod temporalia debes aspicere sub quadruplici sensu. Primo vt tanquam peregrinus sentias omnia vt extranea & aliena, & ita ut, vt tua vestis tuo sit sensui ita extranea, ac si esset in Hispania, vel in India. Sexto, vt in tuo vsu abundantia timeas vt venenum, & vt mare submergens. Tertio vt in tuo vsu omnē inopia & egestatē sentias, quia ipsa est scala per quā ascenditur ad celestes diuitias & æternas. Quarto vt societate, cotuberniū & apparatus diuitū & magnatū fugias, nō ex contemptu tantū de societate pauperū glorieris, & in memoria & aspectu atque conuersatione pauperū & deiectorū vel despectorū totus læteris, quasi quæ exprimāt imaginē Christi: & eis quasi regibus cum summa alacritate & incunditate & reuerentia associaris.

Documentum saluberrimum.

Quindecim sunt perfectiones necessariae persone quæ seruit deo in vita spirituali. Prima est clara & perfecta noticia suorum defectuum. Secunda est magna & feruens indignatio & impugnantia contra malas inclinationes, & contra suas voluntates seu passiones rationi repugnantes. Tertia est timor magnus de offensis hætenus factis contra deum. Nemo enim est certus an bene satisfecerit, nec si cum deo fecerit pacem. Quarta est magnus timor & tremor, ne per suam fragilitatē iterum cadat in similia vel maiora peccata. Quinta est fortis disciplina, & aspera correctio ad re-

Perfectiones quindecim necessariae personae spirituali.



Crucis
Christi
brachia
quatuor

Pauper-
tatis eua-
gelice ra-
dicestres

Abstinē-
tia par-
tes tres.

Tria in
primis fu-
gienda.

Tria ma-
ximope-
re aple-
tenda.

gēdum suos sensus corporales, & totum suum corpus spiritui subiugandum in obsequium Iesu Christi. Sexta est fortitudo & magna patientia in tentationibus & aduersitatibus. Septima est vitare viriliter omnem personā & omnem creaturam aliam, quæ impelleret eū aut esset sibi occasio non solum ad peccatum, sed etiam ad aliquam imperfectionem vitæ spiritualis, sicut vnum dæmonem infernalē. Octaua est quod portet in se crucem Christi, quæ habet quatuor brachia. Primum est mortificatio vitiorum. Secundum est derelictio omnium bonorum temporalium. Tertium est derelictio omnium affectionum carnaliū parentum suorum. Quartum sui ipsius contemptus & abominatio & annihilatio. Nona est diuersissima & continua recordatio beneficiorum dei, quæ hætenus recepit à domino Iesu Christo. Decima est die ac nocte stare in oratione. Undecima est pro viribus gustare & sentire diuinum dulcorem continue. Duodecima est magnum & feruens desiderium exaltandi nostram fidem, scilicet quod Iesus Christus ab omnibus timeatur, ametur, & cognoscatur. Tertiadecima est habere misericordiam & pietatē in omnibus necessitatibus suo proximo, sicut sibi vellet haberi. Quarta decima est regratiari ex toto corde tuo in omnibus deo, glorificare & laudare in omnibus Iesum Christum. Quintadecima est, quod postquam hæc omnia fecerit, sentiat & dicat, Domine deus meus Iesu Christe, nihil sum, nihil possum, nihil valeo, & male tibi seruiō, & in omnibus seruus sum inutilis. Domine miserere mei. Tres sunt radices euangelicæ & apostolicæ paupertatis, seu principales partes: abdicatio omnis futuri: rerum temporalium moderatio: pauperis vsus habitatus ad vtrunque affectus. Tres sunt partes abstinentiæ: scilicet eneruatio carnalis amoris, & sollicitudinis vitæ siue sustentationis: non curare de abundantia vel sufficientia victualium delicatarum: & vti parcè oblati. Tria sunt à nobis singulariter fugiēda & metuenda. Primo exterior distractio negotiorum. Secundo interior promotio & exaltatio. Tertio temporalium rerum & carnalium amicitiarum ad se vel suos amicos vel suum ordinem immoderata vel inordinata affectio. Tria sunt à nobis singulariter exercenda & amplectenda. Primo desiderium proprii contemptus, abiectiois, & externæ vilificationis. Secundo viscerosa compassio ad Iesum Christum crucifixum, Tertio sufferentia per-

secutionū & martyriorū pro dilectione cultus nominis Christi & euangelicæ vitæ. Hæc tria sunt per quadam verba extensiuā post horas diei gemitibus & ardentibus suspiriis postulanda. Tria sunt à nobis singulariter & quasi assidue meditanda. Primo Christus crucifixus, incarnatus, &c. Secundo status apostolorum & fratrum præteritorum ordinis cum desiderio vt illis conformemur. Tertio status virorum euangelicorum futurus. Et hæc debes die noctūque meditari: scilicet statum pauperrimorum, simplicissimorum & mansuetorum, humilium, abiectorum, charitate ardentissima sibi coniuictorum, nihil cogitantium aut loquentium nec saporantium, nisi solum Iesum Christum, & hūc crucifixum, nec de hoc mundo curantium, suiq; oblitōrum, supernam dei & beatorum gloriā contemplantium, & ad eam medullitus suspirantium & anhelantium, & ob ipsius amorem semper mortem sperantium siue desiderantium, & ad instar Pauli dicentium: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Debes etiam meditari innumerabiles ac inæstimabiles thesauros diuitiarum cælestium, & superdulces & mellifluos riuos diuitiarum, suauitatum ac iucunditatum, & cum hoc beatos & electos sanctos super omnia mirabiliter expansos & superinfusos. Et per cōsequens imaginari debes eos ipsos vt cantantes canticum angelicum, & cum iubilo citharizantes in citharis cordis sui. Hæc imaginatio ducet te plusquam credi potest in quoddam impatiēs desiderium aduentus illorum temporū. Ducet te in quoddam admirabile lumen amoto omnis dubietatis ac ignorantie nubilo, & Lympidissime videbis & distincte discernes omnes defectus istorum temporum, & immixtum vel mysticum ordinem ecclesiasticorum ordinum productorum & producendorum ab initio Christi vsque ad finem seculi, & vsque ad gloriā summi dei & Iesu Christi. Crucifixum semper porta in corde tuo, vt te ad suam æternam gloriā perducatur.

Tria nū
quā non
meditā-
da.

Philipp. 4.

Amen.

Finis tractatus de vita & instructione
spirituali, à magistro Vincentio
ordinis Prædicatorum egre-
gio prædicatore Christi
editi.

IMPE-

IMPEDIMENTA NOVEM,
quæ in via dei progredi cupienti-
bus occurrunt.

De intentione recta & casta.



Impedimētum primum quod proficientibus occurrit, & vnde cætera vitia omnia nascuntur, est amor sui. Hoc enim fit, vt homines per impuritatem intentionis, in omnibus seipsos (hoc est, suum commodum, sui laudem, & quod optant, suum bonum) magis quærant, quàm dei honorem, idque non solum in operibus suis, sed etiam in virtutibus ac donis dei, atque adeo in quæstione ipsius regni cælorum. Et ideo nihil mirum quod in varios sæpe errores & peccata labuntur. Tu verò (quia opera nostra ex intentione fructum assequuntur & meritum) si saluari aut proficere desideras, inuocaro primum diuino auxilio, sine quo nihil præuales, omnia verba, actus & desideria tua obserua: & in singulis intentionem tuam discute, vt nihil aliud quàm purè dei honorem ac beneplacitum quæras: teipso ac aliis omnibus posthabitis, in tempore & æternitate: nihilque dicas aut facias, nisi quod credideris placere deo.

De euacuatione cordis ab amore creaturarum.

Secundum est amor inordinatus ad creaturas. Hic amor ex quolibet rerum euetu facile cor humanum in quietat: vt amore, odio, gaudio, dolore, sollicitudine aut tempore interior oculus turbatus, neque deum, neque seipsum, neque quid rectum sit, valeat cognoscere. Quapropter si pacem optas cordis, oportet vt cor tuum ab amore creaturarum mundum ac liberum serues: & omnia, vnde decunq; proueniant, tibi que eueniant, diuinæ prouidentie securè committas: curas tuas & cogitationes omnes in illum proiciendo: obseruans, vt nihil in te quiescat, nihil intret mentē tuam, nisi deus. Da terram pro cælo, mundum pro deo. Vilia sunt omnia quæ in mundo sunt, indigniora quàm vt illis inhæreas. Hoc sit aliorum, qui de mundo sunt, pro quo Christus non dignabatur orare. Nō potes duobus do-

Ioan. 17.

minis placere, nec diuersa amare. Si vis scire quid amas, attende quid frequentius cogites. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuū. *Mat. 6.*

De mortificatione sensuum.

Tertium est immortificatio sensualitatis, qua nimis proni extrouertunt se homines ad oblectamenta sensuum, & solatia naturæ præter necessitatem, aut rationabilē discretionem: vt est in cibo & potu, in verbis, personis, rebus & occupationibus, modisve aliis tū vanis tum curiosis, per quæ internam pacem, deuotionem sensibilem, ac dei gratiam siue amittunt, siue præpediunt, seminantes in carne, de qua simul & merent corruptionem. Tu verò continens esto sensuum tuorum, desiderii & concupiscentiis tuis viriliter resistendo, occasionesq; & irritamenta fugiendo, atq; ad cōtrarias virtutes teipsum vt retrahendo: donec mortificatis vitiiis & passionibus sensualitas ipsa sponte obediat spiritui. *Gala. 6.*

De humiligate.

Quartum est superbia, inanis gloria, sui æstimatio siue complacentia, & desiderium siue gaudium, quo multi requiescunt in fauore, laude & æstimatione hominum. Propter hæc vitia multi derelinquuntur à deo: quia cum sanos existimant seipsos, non quærunt neq; admittūt remedia. Tibi igitur quū sit maxime necessaria vera humilitas, quæ sola est via tutissima ad deum, ex qua germinat omne bonum, hanc tibi ita cōpares, vt indefinenter pro illa deum roges, existimans te adhuc superbissimum, simulq; vilissimum. Insuper omni tempore præ oculis habe infinitam maiestatem, sapientiam & bonitatem dei, & e regione abyssalem vilitatem nihilēitatis tuæ, iudicans teipsum ex animo pessimum peccatorem mundi, propter multitudinē vilitatis & ingratitude tuæ indignum omnibus beneficiis quæ à deo vel à creaturis recepisti, vel recipere poteris in æternum, dignū verò omnibus poenis & opprobriis. Sicq; submittes te omnibus hominibus, eligeque tibi infimum locum in cælo & in terra, clamans vt miser ad dominum: Deus propitius esto mihi peccatori: cupiens etiam contemni & conculcari ab omnibus. Hæc humilitas vincit deum, & capax te facit omnium gratiarum eius. Heu quis posset arrogare sanctitatem, cum tam arduum, incertum & occultum sit, sensualitatis & propriam voluntatem verè abnegasse, sitq; sæpe numero sola natura, vnde falsum argumentum sumitur magnæ sanctitatis? *Luc. 18.*

De fraterna charitate.

Quintum est amaritudo cordis, qua nōnulli procliuēs sunt ad impatientiam,

LL ij

odium, vindictam, & ad aspernandum cæteros. Hi murmurant cõtra superiores suos, iudicant & contemnunt proximos, obloquuntur & detrahunt, & omnia venenato oculo, quo ipsi infecti sunt, aspicientes, peruersè interpretantur, deo & omnibus hominibus odibiles. Quocirca si vnquam volueris proficere, necesse est vt in deo omnem proximum diligas, in omni homine imaginem dei honores, nullam amaritudinem displicentiamve in corde tuo quiescere sinas aduersus aliquè, sed occurras omnibus vultu sereno in dulcedine charitatis, in mansuetudine cordis, ac benignitate sermonis, paratus omnium onera & infirmitates portare, omnium indigentis subuenire, omnium offensiones remittere, & in meliorem partem interpretari, neminem iudicare vel contristare, cunctis prodesse & solamen adferre, & generaliter in vniuersos sine personarum acceptione pietatem & misericordiam effundere.

De abnegatione propriæ voluntatis.

SExtum est proprietas voluntatis, sensus atque consilij. Huic plerique adeo innituntur, vt neque deo audeant credere ac resignare, neque hominibus: sed sit eis proprietas illa in iudicando ac eligendo quasi basis ac fundamentum, super quod omnia sua ædificant. Quæ quanlibet magna videantur, foetent tamen in oculis dei. Tu itaque si hoc fundamentum eueras, corrueat pariter in te omnes muri Hiericho, id est, defectus vniuersi. Quapropter aliud fundamentum tibi iacias necesse est, videlicet plenam ac perfectam tui ipsius abnegationem, qua temetipsum excas & relinquant, atque sine retractione cordis in beneplacitum dei resignes, voluntatem eius cum mentali complacentia medullitus amplectens, ac hominibus propter deum in omnibus licitis obedias, tutissime confidens eius bonitati, quæ omnibus qui se corde & corpore tradunt & credunt eidem, vbique adest, & prouidet in prosperis & aduersis, etiam minimis, sua ineffabili prouidentia, melius quàm ipsi vel optare possent. Quæcunque igitur tibi eueniunt, non ab homine aut creatura aliqua, sed immediate à deo tanquam de manu prouidentie eius accipias, & hoc æquo imperturbatoq; animo, ac supra vicissitudines rerum humanarum eleuato, atque per amorem in deum fixo, nihilo magis optans prospera quàm aduersa, donec omnis proprietas voluntatis & iudicij tui in te funditus moriatur.

De imitatione Christi.

SEptimum est studium immoderatum, quo intellectus occupatur circa nudas speculationes, & vbi neque deuotio neque inflammatio affectus quaritur, sed lectio, aut propter seipsam, quia oblectat, aut propter scientiam tantum frequentatur. Qui eiusmodi sunt, efficiuntur vani, inflati sensu suo, præsumptuosi, & steriles affectu: qui de spiritu quidem loqui sciunt, sed nihil gustare meruerunt. Tu autem non i deo legas, vt doctus habearis, sed vt deuotus efficiaris. Semper arbitrare te nihil scire, nec aliud optes scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Si Christum bene scis, satis est, si cætera nescis. In huius vita & passione continuè te exerce, contemplando quæ patitur, vt condoleas: quomodo patitur, id est mores & virtutes, vt imitari studeas: & quare patitur, vt charitati eius, ipsum redamando, respõdeas. Crescat in te iuge desiderium, vt possis pro modulo aliquo, domino tuo conformari, sustinendo longanimiter quæcunque aduersa tibi imponere dignabitur iuxta omne beneplacitum suum.

De puritate & eleuatione mentis in deum.

OCtauum est neglectus interioris hominis, instabilitas cordis, nimiaque libertas mente euagandi. Inde fit, vt cor depictum variis idolis, diuinas inspirationes non aduertat, nec se ad deum leuare, illique adherere queat. Tu verò euagandi occasionibus omnibus sepositis, imaginationes, formas, similitudinesque rerum, ac rememorationes dictorum & factorum omnes, quantum possibile est, excludas. Et collectis animæ viribus, intra teipsum in silentio & quiete spiritus habites: vt mundo purificatoque intellectu ab imaginibus, & libero ab omni creatura affectu, eleuata quoque ad deum memoria, quicquid agis, semper in illum tendas, illi vni semper inhæreas. Quid enim circa multa laboras? Vnum cogita, vnum desidera, & quietem reperies. Semper igitur vbicumque fueris, hæc vox in auribus tuis sonet: Fili mi, redeas ad cor, ab omnibus te abstrahens: vt nudato & simplicato corde, in deo immobilis perseueres, præter ipsum aliud nihil cogitans aut desiderans, quasi tu solus in mundo cum ipso sis. Et ad hoc tam humiliter quàm feruenter aspira, vt anima tua tota cum omnibus viribus & potentiis suis in deum (iuxta magnum mandatum

Matt. 22
le-

legis) collecta, vnus fiat spiritus cum eo.

Exercitium diuini amoris.

NONum est tepiditas, qua multi sola consuetudine ducti, opera faciunt bona, perfectionem æstimantes in multitudine operum, magis quàm in feruore charitatis, aut intentionis puritate. Ideo tractui diuino non acquiescunt per abnegationem sui. Tu verò hanc regulam tanquam proficiendi compendium tene, vt omni tempore cor tuum amorosa conuersione ad deum habeas eleuatum, cum feruente desiderio illi placendi, ipsumque diligendi perfectissimè, suspirans & clamans indefinenter per ignitas aliquas orationes breues, & aspirationes flammigeras, hoc modo: O deus meus. O vita animæ meæ. O totum desiderium & gaudium meum: quædo te ardentissimè diligam, & meipsum ac totum mundum perfectè cõtemnam? O vnam possem à meipso totum deficere, & in te liquefieri, absorberi & transformari ex vehementi amoris tui incendio: O domine, da mihi diligere te ex toto corde, ex tota anima, &c. Et variis similibus modis dilectum tuum omni tempore amando & desiderando, vel laudando & gratias agendo, teque in laudem eius offerendo, prout vnctio docebit. Hoc exercitium nobilissimum est, quo ab immenso potes postulare immensa. In infinitum enim se extendere debet desiderium charitatis. Deus autem ipse postulare iussit, & exaudire promisit: qui sua infinita largitate nullum prorius vel suspirium vel gemitum ad se emissum sinet ad te redire vacuum. Aut enim nouam gratiam infundit, aut infusam auget, aut efficacius cor tuum trahit, aut dulcius reficit, aut perfectius illuminat, aut potentius cõfirmat. Noli ergo tanta bona, quæ omni momento recipere potes, per desidiam negligere, noli cessare, noli fugere à facie domini. Sequere dilectum tuum per aquam & ignem: sapiusque distractus, tentatus vel prolapsus, ad misericordiam dominum poenitens reuertere. Rursus viriliter incipe, ac teipsum totum & omnia in eius amore & laude consumere desidera: quia ingratitude sicari facit fontem misericordie, & spiritus indefinenter clamat in anima nostra, vt donis dei, quæ omni momento recipimus, respondeamus, ipsum laudando corde & opere, qui est super omnia benedictus in secula seculorum.

Amen.

SCALA GRADVVM PERfectionis, paulo clarius ac fusius quàm supra tractatū sit à Ioanne Tritemio sermone vltimo.



D cognoscendum, quantum, o homo, per viā abnegationis (quæ est proficiendi fundamentum) teipsum reliqueris, & in diuino amore profe-

ceris, assignabimus hic nouem gradus, quasi scalam perfectionis. Quam intuens, tuam imperfectionem humiliter gemas: & ad superiora, non tamen sine profundissima humilitate, feruenter te extendas.

Primus gradus est illorum, qui in fide catholica dei que timore fundati, propter deum dimittere volunt omnia mortalia peccata, homines charitate adhuc frigidi, & desides spiritu, naturæ commoda, & sensuum fomenta quærentes: quorum illuminatio obscura, vita periculosa, & saluatio dubia: vtpote qui sufficere putant ad salutem, si euaserint mortalia peccata, quæ tamen vix discernere queunt aut cauere. Omnis enim conuersatio eorum quasi super os inferni, in affectu peccandi constituta est. Verum si in hoc statu discesserint, saluabuntur, horribili tamen & diutino purgatorio mediante, eò quod affectus peccatorum rescindere non curarunt. Eorum quoque bona opera coram deo modicum fructum reperient, nempe impura quadam affectione & intentione peracta.

Secundus gradus est illorum, qui diuinis inspirationibus obtemperantes, à seculi huius vanitate, & peccatorum occasionibus se diligenter abstrahunt, quærentes consilium & societatem bonorum hominum, frequentantes templa & diuinum cultum, audientes verbum dei, & alia bona opera facientes. Hi & si mortalia grauioraque venialia peccata declinant, tamen occultos diaboli laqueos in minoribus defectibus, vitiis & passionibus non fugiunt. Sicq; sunt molles & negligentes in arduis virtutibus & exercitiis piis, cõtrahentes noxiam quandam securitatem de diuina bonitate (propterea quod sibi videntur multa propter deum reliquisse) & propriam cõplacentiam, quasi aliqd sint, & nullius egeant. Et ob hoc in multos

II iij

spirituales defectus & errores labuntur.

Tertius gradus est eorum, qui perfectius videntur mundum, carnem, sensualitatem, & desideria propria, tradentes seipsum ad ardua exercitia corporalia, in ieiuniis, vigiliis, vestibus asperis, orationibus vocalibus, & similibus, quæ utique non modica sunt adiumenta virtutum. Verum cum omnia faciant ut euadere possint infernum & purgatorium, & obtinere regnum cælorum, semetipsos plusquam dei honorem impura intentione querentes, à diabolo falluntur, ne interiorum exercitiorum (puta mortificationis, humilitatis, charitatis, aliarumque virtutum) nobilitatem agnoscant. Sed sequuntur naturæ tractum per amorem creaturarum, quem videlicet habet ad personas, res & occupationis varias, putantes hunc amorem licitum, ignorantemque quantum diuinæ gratiæ præbeat impedimentum. Et ideo distrahitur quotidie innumeris impuris & inquietis affectibus, curis & sollicitudinibus ex naturali amore nascentibus.

Quartus gradus est illorum, qui non solum corporali, de qua dictum est, sed etiam spiritali exercitio per orationes mentales, gemitus, compunctiones & desideria pia insudant secundum interiorem hominem. Verum istis hominibus sicut & præcedentibus deficit abnegatio sui. Nam in suis exercitiis non tam diuinum beneplacitum querunt, quam suam sensibilem deuotionem, in qua gloriantur, aspicientes ceteros, & proprietatem quandam suæ voluntatis suique sensus, sua exercitia suumque viuendi modum aliis præferendo, retinentes. Et licet arridente sensibili deuotione offerant se deo ad sustinenda pro eius honore quæcunque aduersa, tamen postea cum confusione seu aduersitate aliqua tanguntur, aut si iubentur quod voluntati eorum contrarium est, protinus ostendunt suam immortificationem & murmurationem. Habent enim in se latentem amorē sui, quo diabolus occultè retrahit voluntatem, quam deo videbantur obtulisse: & seruat eos in proprietate, potius optantes suam, quam aliorum fieri voluntatem, licet hoc non aduertant. Heu si possent se & omnia sine retractione cordis tradere & credere diuinæ providentiæ, quam cito eos eueheret per occultas semitas, cunctis ferè ignotas ad longe nobiliorem statum?

Quintus gradus est illorum, qui in omnibus operibus, exercitiis, & conuersationibus suis propriæ voluntati in diuinum beneplacitum renunciant, obediētes non solum diuinis inspirationibus ac superioribus suis, verum etiam omni homini, vbi cunque secundum re-

clam rationem videtur fieri posse pro dei honore, & sui mortificatione, studentes puritati cordis, ac flammigeris desideriis & orationibus, ceterisque piis operibus tum exterius tum interius, quibus deo placere & vniui cupiunt. Hi veram ad deum viam inueniunt, suntque deo prioribus omnibus chariores. Verum quia in hoc proposito non diu sunt versati, neque affectus mortificationis in eis radicans est per frequentiam exercitiorum, ideo patiuntur quandoque spiritum inconstantie, in pristinam proprietatem relabentes. Sed quia de hoc dolent, rursus per poenitentiam ad deum redeunt, sese ut prius resignantes.

Sextus gradus est illorum, qui multiplicatis desideriis ac frequentatis exercitiis perfectè resignant omnem proprietatem, sine cordis retractione, cum plena perseuerandi constantia, in diuinum beneplacitum: scientes quod diligētibus deum omnia etiam aduersa cooperantur in bonum, seque in diuino amore non segniter exercent. Verum quia isti ex occulta naturali inclinatione ad seipsum, nimis auidè & cum quadam proprietate querunt spiritualem à deo consolationem, qua omnem aduersitatem leuius ferant, intentione non prorsus pura, ideo operationem spiritus sancti valde impediunt. Quæcunque enim dona dei siue externa siue interna non conuertimus ad nostri mortificationem, & dei laudem, illis abutimur ad nostri damnationem.

Septimus gradus est illorum, qui salubriter uti norunt utraque manu: hoc est, dextera prosperitatis, & sinistra aduersitatis, parati in omnibus diuinum beneplacitum sequi, tam in reuersione, quam in extrouersione, tam in intentione quam amore: & sicut umbra sequitur motum corporis sui, ita perfectè conformari cupiunt sanctissimæ vitæ & passioni Christi, in omni aduersitate & derelictione requiem spiritualem inuenientes: quia fundati sunt super nudo amore: in quo non solum agere grandia, sed & pati ardua didicerunt. Et ideo dotantur à deo multis occultis gratiis, illustrantur intellectu, & inflammantur affectu ardentissima charitate. Verum quoniam incautis omnis abundantia periculosa est, contingit, ut ignorantia obfuscati, donis dei tam frequenter susceptis non nihil abutantur, plusquam expedit quiescentes in sensibili amore, licet hoc non aduertant. Sed hoc ipsum oportet eos mortificare.

Octauus gradus est eorum, qui se & omnia purè resignant in diuinum beneplacitum, contenti, quicquid cum eis fecerit in tempore

&

& æternitate, nil proprietatis in se reseruantes, nec vllum viscum amoris ad creaturas & dona dei in se relinquentes. Hi præ ceteris à deo visitantur magnis donis, & occultis reuelationibus, quibus tamen ex occulta quadam proprietate non tam libenter carent, quam recipiunt. Et ibi latet quedam occulta proprietas, quæ coram deo iudicatur defectuosa, quia deberet ab illis adeo liberi corde manere, quasi ea non recepissent: & solummodo admirari diuinæ largitatis clementiam erga se indignos peccatores, & conuertere omnia ad laudem dei: & è diuerso se resignare ad carendum omnibus donis, & standum in extrema derelictione: quia in ipsis donis non consistit perfecta vita, sed per hæc deus suam ostendit bonitatem, ut alliciat infirmos ad perfectionem sectandam.

Nonus gradus est eorum, qui vigorosis exercitiis & sursum actiuis desideriis propter amorem dei carnem & sanguinem & medullam corporis sui pene consumpserunt, nec videntur habere vires, nisi quantas viuacitas spiritus subministrat. Nam sanguis eorum decoctus est in feruore diuini amoris, qui perfectum in eis veditur dominium, & facit naturam supra naturam agere & pati. Hi sunt charissimi filii dei, licet plerumque modo absconditi, quibus plenitudinem donorum & gratiarum suarum infundit, & quandoque eleuat ad contemplandam suam diuinam essentiam. Nihilominus ipsi sunt adeo mortificati, ut in talibus non quiescant tanquam propter se, quia funditus contriuerunt omnem respectum propriæ utilitatis & oblectationis, & posuerunt fundamentum suum in sola fide nuda charitate formata, qua omnem aduersitatem pro dei honore & animarum salute sine aliquo fulcimento diuinæ consolationis sustinere desiderant, quia omni desolatione & abiectione sese dignos arbitrantur, sine fictioe sese vniuersis creaturis inferiores æstimantes, nihilque magis optantes, quam ab omnibus vilipendi, conculcari, & in omnem poenam & miseriam vsque ad acerbissimam mortem tradi. Et licet in sola cruce domini sui didicerint gloriari, nunquam tamen sua negligentia impediunt multiplices diuinas illuminationes, visitationes, & influentias spirituales, sed offerunt se pro posse & nosse voluntaria ac viuida instrumenta spiritus sancti ad omnia quæ in ipsis operari dignatur, ne gratiæ dei ingrati habeantur. Lucent quippe & ardent in dilectione dei & proximi. Ceteris verò temporibus quo ad exteriorem hominem abiectionis quæque, & omni humana consolatione destituta, & quo ad interiorem hominem, nudam charitatem querunt omnis sen-

sibilis consolationis expertem, omni que desolatione & pressura cordis oneratam, ita ut nunquam tantum pati possint, quin semper maiora pati desiderent, quod Christo perfectius confortentur, qui in passione sua nudo amore luctabatur cum sensualitate, omni solamine destitutus, ut nos redimeret, & doceret hanc esse viam abnegationis, qua sequi debemus per angustam portam salutis ipsum, qui est super omnia deus benedictus in secula. Amen.

Mat. 27.

Libelli de impedimentis & gradibus perfectionis finis.

Regulæ duæ, siue fraternitas discipulorum Christi, hoc est vitam Christi imitari, euangelicæque viuere volentium, atque ad charitatis perfectionem aspirantium, nemini non accommodata ac salutaris.

IESVS Christus loquitur.

IESVS Christus propter vos homo factus, cum olim mundo prædicarem, vnam saluandis omnibus euangelii tradidi regulam. Huic credens nemo aberrare, nemo obseruans hanc, perire potest. Si quidem hæc sola, dum seruetur, animæ sufficit saluti, hæc quoque ad quamuis erudit perfectionem. Quare si iuxta illam viueretur, nihil monachorum opus esset regulis, nihil fraternitatibus, nihil cōcederationibus ac vnionibus hominum, nihil denique canonibus quibuslibet, quandoquidem qui euangelio (ut dixi) germane sincereque viueret, nihil huic deesset vel ad salutem, vel ad perfectionem. Verum quia euangelio relicto paulopost hominum quæ sunt vnusquisque meditari incipiebat, non absque meo consilio, nec sine spiritu meo factum est, ut sanctorum multi varia tarent, quibus mundi ac proprium amorem (vnde fit ut relinquatur replecatque & euangelii & honoris mei zelus) eradicarent, mudoque euangelii ac præceptorum meorum obseruantiam restituerent. Eam ob rem statuerunt regulas plerique, quibus ea potissimum prohibuerunt ac resecarunt, vnde occasio sumitur euangelium meum transgredēdi: ea verò quæ spiritum excitant, purificant atque confortant, iusserunt. Sciebant enim non nisi carnis castigatione, & occasionum subtractione, spiritum superiorem posse fieri atque fortior. Hoc nanque confortato, castior, feruentior atque constantior fit in vobis amor siue deuotio præcepta mea seruadi. Hinc liquet contra euangelium meum ne vnum quidem api-

Vnā regulā præscripsit omnibus dominus Iesus.

Vnde i. troducit regulam monachorum

Itaque tuum erit, non solùm mandata, sed & beneplacita atque consilia mea scrutari, & cū desiderio eadem implere.

Abstractā vitam ab occupationibus ocio-
sis, ab hominum familiaritate & colloquiis, a-
ge, solitudo, & oratione vacans, quan-
tum statui tuo potest congruere. Seruum dei,
2. Tim. 2 (dicit apostolus meus) non decet litigare. Noli
igitur verbis contendere. Ab omni etiam ver-
bo ocioso, maxime autem carnali aut detra-
ctorio, abstine. Nunquam etiam de absentibus nisi bona debes loqui & audire. Et quan-
vis bona interdum possit intentione fieri, vt
de absente mali aliquid dicatur, tamen id nisi
certissime constet, non consentias audire, aut
loqui malum de alio. Vbi si excesseris, nō de-
bes inultum illud trāsire, sed tibi ipsi pœnitē-
tiam, atque pro delicto pœnam iniungere. So-
brietatem obserua cibi & potus, omniumque
creaturarum tibi vsus tempera, vt mei amo-
re sis pauper spiritu, nihil in mundo diligens,
sed tanquam peregrinus & viator omnia mū-
do ac libero corde transeunter aspiciens. Ad
humilitatem, ad mititatem, benignitatem,
pietatemque erga proximum te assuefacito,
me contemplans in omni homine, & mi-
hi facere cupiens quicquid cuiusque feceris
homini. Nam reuera ego recipio tanquā mi-
hi factum, quicquid proximo tuo feceris. Ne-
minem debes iudicare, nec de conscientis re-
busve quibuscumque alienis discutiendis iudi-
candisve te intromittere, nisi a me constitutus
fueris iudex, quare ex officio habeas iudica-
re. Si tamen videris aliquē peccare, & admo-
nitionis tuæ speras fructum, vel saltem nō gra-
uius peccatū times ex correptione tua secutu-
rum, potes eum qui peccat humaniter admo-
nere, benigneque rogare, vt memor sue salutis
sefe corrigat. Si tamen se defenderit, aut pro se
pertinaciter certauerit (nisi tu paulatim ad ma-
gis salutaria speres illum redire) noli disputa-
re, noli inaniter tuam sententiam propugna-
re, sed humiliter cede absque ira, tranquillus &
mansuetus. Pari modo si tu etiam innocēs cor-
reptus fueris, potes si vis, humiliter ac benigne
rationem reddere: melius autē facies (nisi scan-
dalum inde natum fuerit) si humiliter veniam
petas, & absque excusatione vlla emendatio-
nem (quoad licuerit per beneplacitum meum)
promittas, simulque pro charitatis officio ei
qui te commonefecit, gratias agas. Monui o-
lim, vt si quis post me velit venire, abneget se-
metipsum. In abnegatione enim sui ipsius to-
ta perfectio hominis consistit, quemadmodū
in amore sui hominis agitur ruina. Semper i-
gitur vbicumque potes, abnegationi tuæ insi-
stes, & vt in te mortificetur voluntas propria,

Luc. 9.

Abnega-
tio sui
inter
monita
euange-
lica.

maximopere studebis. Omnia tua ordinabis,
vt ex consilio iudicioque alicuius boniviri ac-
timentis deum (si prælatus non habes) facias
ea vel omittas. Nihil iudicio tuo credes. Nihil
ex proprio arbitrio facias, presertim in am-
biguis, vbi esse periculum possit. Atque ideo ni-
hil p te tu procurabis (nisi quæ constat mihi ef-
se accepta) te ipsum quærens, sed multorum po-
tius vtilitatem, meique honorem semper ante-
ferendo respicies, te verò committes providen-
tiæ meæ. Ego curā tui habebō. Ego pro te sol-
licitudinem agam. Tu verò in hoc solo sata-
gas, ne honori ac beneplacito meo quippiam
derogetur. Cæterum vt per tui abnegationē
magis tua mihi placeant opera (si in religione
non viuas monastica) potes hanc suscipiendo
regulam, obedientiam in manus promittere
sacerdotis, aut alterius boni viri me timentis.
Nec mouere debet te huius temporis infelici-
tas, hominumque impietas, vota promissionesque,
salutares calumniantium, sed magis credere
debes & inniti misericordiam meam, vt si tibi de-
dero instinctum beneuolendi aut promitten-
di, dabo & virtutem adimplēdi. Neutrū enim
abs te est, sed ex me vtrumque, & bene velle, &
bene agere, salutaria & promittere & adimplere.
Secretum elige cupiens nesciri, & consilia tua
non omnibus, sed vni tantum pandas, quem
habet directorem conscientie tuæ. Studeas nō
velle hominibus placere, nec laudari aut no-
minari, aut tibi aliquid vnde sequatur opinio,
laus siue admiratio, ascribi, quandoquidem
quibuscumque laus debetur, omnia mea solius
sunt. Verum ad hoc conare potius, vt i simplici-
tate ac puritate cordis, de te villius quàm de
cæteris sentias, & ab aliis ita de te sentiri velis,
adeo vt siue laude siue contemptu vituperio-
que dignum quid gesseris, excluso tamen pec-
cato, non aliter mouearis, nec aliter in-
tus forisque te exhibeas, atque exhiberes si quis-
piam id fecisset alius. Proinde nihil de te om-
nino exultes, nihil gloriaris, nihil tibi ex do-
nis meis vèdices aut vsurpes, nihil ex bonis o-
peribus, licet in te aut per te etiam factis, tibi
plus tribuas, quàm securi aut instrumento, quod
à se quidem nihil est, & nihil per se facit, sed p
illud si quid fit, ex voluntate est artificis in eo
operantis: qui artifex per aliud, si vellet, in-
strumentum posset operari.

Si quidē & hoc ipsum, quod est esse instrumē-
tum, aut in se habere quo in se possit fieri ali-
quid, non à se habet instrumentum, nec aliū-
dē quàm ab artifice, à quo factum est vt in eo
non nihil possit operari. Sine magistro aut ar-
tifice operante inane iacet & inuile. Hoc mo-
do qui filius esse cupit meus, imitatorque hu-
militatis mee, & quisquis hanc regulam susce-
perit

Nihil de
se glorie-
tur ho-
mo.

perit, sentire debet de semetipso, atque semet-
ipsum in sua miseria, i suis defectibus, in suisque
peccatis & infirmitatibus considerare. Porro
alios homines, secundum quod gratia & vir-
tutibus a me sunt ornati, debet inspicere, vt se o-
mnibus semper iudicet inferiorem. De om-
nibus verò virtutibus, operationibus, ac donis
meis quæ in illo ego operor, nihil sibi ascri-
bat, nihil sibi arroget, sed quasi i alio facta exi-
stimet, mihi que omnem laudem & gloriā pu-
rē (nihil sibi inde attrahens) refundat. Obser-
uare debes huius regulæ qui cupis esse alūnus,
temetipsum, atque in omni re diligenter scruta-
ri, ne aliud quæras, aliud intendas præter
me, hoc est, præterquam gloriam meam, & be-
neplacitum meū. Proinde vbicumque te ipsum
inueneris, puta, propriam quæstionē, aut pri-
uatum amorē, ibi te ipsum debes relinquere,
vel etiam totum illud, quo me purē non intē-
debas (si alioqui nihil obstiterit) intermittere.
Nemini debes querulari de iis quæ pateris,
nisi cōsiliū gratia. Ex manu etenim mea cun-
cta debes accipere, & in me omnia referre. I-
circo vndecunque ingruerit tempestas, quo-
cumque modo aduersitas aduenerit, animum
habeas paratū, mihi & omnibus creaturis ad
sustinendum subiectum. Cæterum contra mo-
tus insurgentes vim tibi facias, ac te ipsum stu-
deas relinquere, nec contra homines mouea-
ris, pugnes, disputes, aut resistas. Noli præter-
ea patiendi effugium quærere, nec te excusa-
re, sed tacens elige omnia in pace, in tranqui-
litate, in æquanimirate & silentio cordis reci-
pere, & quandiu mihi placet, portare. In ad-
uersitate etiam constitutus, noli ex deliberato
proposito, id est ex intentione obtinendi, &
propter te, id est vt leuius habeas, consolatio-
nem vllam quærere, sed mihi omnia commit-
te, & vniuersorum a me & exitum & finē præ-
stolare. In quauis hebdomada sacerdoti qu-
dem nō minus semel sacramentaliter, mihi ve-
rò quotidie in oratione, & id sæpius, debes cū
gemitu cordis per tui humilem accusationem
confiteri, & te ipsum offerre mihi in gloriā ac
beneplacitum meum. In omni mense non mi-
nus semel Eucharistiæ sacramentum, si nō po-
tes in hebdomada etiam quauis semel aut bis,
suscipere te conuenit, & genuflexiones quas
i regula priori monui, circa venerabile sacra-
mentum meum, & circa memoriam mortis
meæ non intermittere. Si horum aliquid præ-
dictorum fueris transgressus, nō propterea no-
uæ culpæ obnoxius ex huius regulæ assumptione
fies, nec plus delinques quàm alius qui ex-
tra hanc fraternitatem & regulam deliquerit.
pro qualibet tamen transgressione tibi ipsi, ne
inconstantia victus, à bono proposito totus

tandem desinas, pœnitentiam seu pœnā vnius
Aue Maria aut grauiorem impones. Omni e-
tiam die serò nihilominus tria dices Aue Ma-
ria coram matre mea piissima. Vnū pro negli-
gentiis commissis per ignorantiam, quarum
non meministi. Alterum rogando me per il-
lius intercessionem pro emendatione, perse-
uerantia, atque mea gratia. Tertium, vt mei cul-
tus in hac regula, aut alio quocūque modo mihi
placuerit, in dies dilatetur, augeatur & crescat.
Exercitia spiritus assume, deuotioni, statui, ac
naturæ tuæ congrua, quibus tempus vtiliter ex-
pendas, teque erigas, proficiens quotidie, & ad
meliora te impellens.

Hanc fraternitatem seu regulam qui quis af-
sumere voluerit, & se iuxta illam exercere, ante
passionis meæ imaginem, si solus est, aut secre-
tus esse maluerit, genua flectat, seque a me in
discipulum recipi, & gratia mea perfundi, cō-
fortari quoque & confirmari bonam in se vo-
luntatem orer, qua statuet constanter atque in-
declinabiliter iuxta harum regularū aliquam
viuere. Alios quoque doceat, & mihi animas
lucretur & adducat. At verò si in monasterio
oppidove huius propositi plures fuerint, pos-
sent se ipsos in me cohortari, & fraternitatem,
nō ab aliis diuisam, sed charitate inter se pro-
positi similitudine adunatam, habere: nec pas-
sim omnes, puta de quibus non speratur con-
stantia spiritus, aut deuotionis perseuerantia,
in illam recipere, ne horum leuitas atque in-
stabilitas, qui ad propositi suscepti perfectio-
nem non contendunt, aliorum etiam propo-
situm labefactent, atque perire faciant.

Versus memoriam iuuas, quo huius regulæ
potiora comprehensa significantur.

Lingua care, benefac, nihil es, te desere, mitis.

Elucidatio significati,

Lingua, significatur refrenatio linguæ ab o-
ciosis, detractoriis, contentiosis ac querulosis
verbis. Care, significat subtractionem cōcu-
piti delectabilis non necessarij, sensuūque mor-
tificationem. Benefac, opera misericordie &
charitatis in proximos. Nihil es, sui cogni-
tionem & humilitatem. Te desere, sui abne-
gationem & religionem, & dei puram quæsi-
tionem. Mitis, significat mititatem, benignita-
temque erga proximum, & silentium, pacem
tranquillitatemque cordis in præstolando ac-
ceptandoque providentiam diuinam.

FINIS.